
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
18 — G
16
ROMA

SAM. BENEDICTI
CARPZOVII

EXAMEN

NOVÆ PRAXEOS
Orthodoxam fidem
discernendi & amplectendi,
à
JACOBO MASENIO, S.J.
proposita:
Scripturam inprimis
& Augustinum ab illius detorsionibus vindicans,
&
Protestantium pariter ac Pontificiorum dogmata ad lancem veritatis expendens.

Accesserunt ad finem necessarii
INDICES.

WITTEBERGÆ,
Apud Hæred. D. TOBIÆ MÆVII, & ELERDUM SCHUMACHERUM,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
Anno cIↃ IↃc LXXVII.

ILLUSTRISSIMIS
DOMINIS,
DN. CAROLO,
Libero Baroni à FRISEN,
Dynastæ in Röthau, Cotta
&c.
SERENISSIMI SAX. ELECTORIS CONSILIARIO Intimo ac Comiti Cubiculario, inq; Senatu Ecclesiastico Præsidi eminentissimo:
&
DN. NICOLAO,
S. R. I. Bannereto & Lib. Baroni
à GERSDORFF,
in Baruth, Bretingen, HausWalda, Rackel
&c. Toparchæ,
POTENTISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS Consiliario Intimo, & Comiti excellentissimo,

DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS
Salutem & Pacem à Pacis Principe
& Salvatore Unico
devotè precor.



Um de libelli hujus editione cogitarem, facilè prævidi, fore, ut is varias cenſuras ſubire cogeretur, ac Patronis adeò indigeret. Qvos illi non rectiùs me invenire poſſe cenſui, qvàm ſi adirem eos, qvorum & auctoritas eſſet ſumma, & par virtutibus cæteris, hoc eſt, Heroica & admirabilis pietas, deniqve & gratia benevolentiaq; non dubiis mihi documentis pridem perſvaſiſſima. Nolite igitur mirari, DOMINI ILLUSTRISSIMI, qvòd ſacrum ac venerabile Nomen Veſtrum huic operi præſcribere, eiq; lucem, qvâ

au-

auctoris vitio caret, à ſplendore famæ ac gloriæ Veſtræ mutuari, ſimul & patrocinium VOS implorare auſus fuerim. Cauſam religionis agit, qvam nemo Vobis aut judicare exqviſitiùs, aut potentiùs tueri valet. Et contra Maſenium agit, cui ſolenne, ad illuſtrium principumqve Virorum tribunal ſuas judicandas operas afferre. Permittite, ut illius hac parte imiter exemplum. Cernitis, hinc Proteſtantium, illinc Pontificiorum religionem non affectuum judicio, qvi moderabile ſvadent nihil, non partium ſtudiis, non hominum, qvorum in proclivi lapſus eſt, auctoritate, ſed Scripturæ Sacræ, qvæ unica litium

harum norma eſt, examine librari. Auditis Auguſtinum, vindicem orthodoxiæ ſuæ, deq; injuriâ impactæ ſibi ad Papalem ab Apoſtolicâ fidem defectionis conqverentem. Cauſæ bonitate confiſus non dubito Veſtrum accedere puteal, Veſtro judicio rem omnem ſubmittere: qvo ſi evadam potior, ut planè confido, aliorum qvorumvis cenſuras facilè vel ſperabo, vel contemnam. Facite, DOMINI, clientum devotisſimo hanc gratiam, & ubi fortè à ſanctisſimis, qveis Patriam Vobis obſtringitis, curis vacat, luſtrare obiter has chartas ne gravamini: me verò nexu mancipioq;, ſi vultis, Veſtrum porrò asſerite,

ut

ut de Gratiâ Vestrâ semper mihi gaudere liceat. Ego, qvod unum & possum, & sedulò facio, DEUM venerari non desinam, ut VOS Patriæ ejusq; Patri, servet qvàm diutissimè, & qvam TIBI nuper, PRÆSES Eminentissime, precibus exoratus nostris reddidit sanitatem, propriam UTRIQVE, propriam Illustrissimis Familiis perpetuamqve cum omni bonorum copiâ præstet!

Vester,

DOMINI GRATIOSISSIMI,

prece, cultu, obsequio,

M. SAM. BEN. CARPZOVIUS,
Serenissimi Sax. Electoris in Aulâ Dresdensi Ecclesiastes.



PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.



Væ Jac. Masenius, Soc. Jesu Presbyter, in *Novâ*, qvam vocavit, *Praxi Orthodoxæ fidei intra Octiduі Exercitationem sacram discernendæ & amplectendæ, omnibus tam Protestantibus qvàm Catholicis Concordiæ & salutis publicæ amantibus*, consideranda proposuit, ea Horis subcisivis sub Examen revocata & expensa in timore Domini, Tuo hîc judicio expono, Christiane & Benevole Lector. Qvanqvam enim sic rationem studiorum subduxi, ut mecum habitare, & aliis scribendi partes, qvi & eruditionis plus, & eloqventiæ eò afferunt, relinqvere maluerim, qvàm censuras iniqviores eorum, qvi sibi sapiunt solis, ultrò provocare: fuit tamen, qvæ ad hanc scriptionem me impulit ratio, qvam ubi breviter recensuero, simul exposuero modum, qvem in hâc opellâ tenui, nihil moror, qvò minùs posteà ad ejus Lectionem, si mereri videbitur, pro-

progrediare. Nemo neſcit, Praxeos Conditorem varia hactenus edidiſſe in lucem publicam, qvæ ad comendam, cui addictus eſt, Papalem fidem, & modò *Concordiæ* amabili nomine, modò *Pietatis* fuco, modò faſcino *Curioſitatis utilis*, modò *Scripturæ ac Auguſtini* venerabili prætextu ſimplicibus perſvadendam faciunt. Illorum partem non modò Summis Proteſtantium Principibus, ſed Eorum etiam Legatis Ratisbonæ pro ſalute publicâ Imperii excubantibus vel inſcripſit, vel commendavit. Qvod cùm hâc Praxi qvoqve feciſſet, operæ pretium putavit Sereniſſimi ac Potentiſſimi Saxoniæ Electoris Conſiliarius Intimus, & ad Comitia Ratisbonenſia Legatus, *AUGUSTINUS STRAUCHIUS*, Non Principi tantùm Optimo Maximo, ſed ipſi Imperio carum ac venerabile Nomen, ſi qvis hunc libellum, mole qvidem parvum, ὀρθοδοξίας autem depravatione nulli reliqvorum eodem Autore editorum qvicqvam concedentem, ſolidè ac citra amarulentiam refutaret, & oſtenderet, neqvaqvam illud pietatis ac veritatis pondus in adulterinâ monetâ ineſſe, qvod Scripturæ & Auguſtini impreſſa effigies mentitur. In qvam ſententiam hoc maximè Virum laudes ſuas ſupergreſſum impulit, qvòd intelligeret, eſſe non paucos, nec obſcuri nominis, aut dubiæ prudentiæ viros, qvi non vulgare qvid præſtitiſſe hâc

Praxi Masenium crederent. Sive eos devotæ mentis ac pietatis, qvam istæ præferunt Considerationes, species delusit, sive verborum ceperunt lenocinia, seu copia testimoniorum, (qvæ collecta ex editis jamdum libellis non difficile erat, in istam, ut sic vocem, Saturam conjicere,) effecit, ut hoc veluti propugnaculo Papalis, aut ariete fidei nostræ triumpharent. Perscripsit igitur eâ de re ad Generum suum, Celeberrimum Academiæ Wittebergensis Antecessorem, *WILHELMUM LEISERUM*, Affinem, Compatrem, illóqve tempore in Professorio Ordine Collegam meum plurimis nominibus venerandum, voluitqve, ut is in Academiâ excitaret, qvi hunc laborem in se susciperet. Hinc factum, ut juxtà cum ipso Theologorum facilè Princeps, cui gratitudinis & ἀντιπελαργίας lege æternùm debeo, *ABRAHAMUS CALOVIUS*, qvo Hospite & Præceptore tum fruebar, communi consilio rem ad me deferret. Qvid facerem? Utut subtrahere humeros initio maluissem, pervicit tamen tùm virorum, qvibus negare nihil poteram, autoritas, tùm qvòd omnem arripiendam occasionem putarem, Togato, qvem suprà laudavi, Heroi obseqvium approbandi. Eo præsertim in negotio, qvod cum Ecclesiæ emolumento conjunctum ipse censuisset. Qvi re com-
pertâ

pertâ instare subinde & calcar addere, sibi etiam ipsi (ut humanitate erat) gratulari, qvòd necessitudinis sangvinisq; vinculo nexum obtinuisset, qvi vota impleret sua. Aggressus igitur sum laborem, sed qvi lentiùs processit, qvòd raras admodùm easq; tantùm horas, qvas non nisi excusabilis otii titulo succidere licebat, illi impenderem, qvo tempore in alio stadio decurrebant, jubente sic Serenissimo Principe, studia mea. Sæpiùs etiam, ne qvid dissimulem, in mentem venit, posse fortassis & illud ocium rectiùs, qvàm in hâc operâ, collocari, qvæ neqve apud Pontificios multum profectura, neqve nostris magnoperè necessaria videri poterat. Qvid enim apud eos scribendo proficias, qvibus ne legere qvidem nostratium scripta per tyrannicas Cleri sui Leges integrum est? Qvem tu Herodi similem non immeritò dixeris. Ut enim hic Judaicæ nobilitatis tabularia ac genealogias accendit, ne novus ipse homo & alienigena crederetur: sic ille nostratium Libros, unde Sole clariùs novitas Ecclesiæ dogmatumq; Papalium cuivis patere potest, non eripit modò Laicorum oculis, sed & cum autoribus suis igni addicit, Antiochi ac Diocletiani * exemplum secu-

Eus. *L. I. Hist. Eccl. c. 8.*

* *I. Maccab. I, 59. 60.* Euseb. *H.E. VIII, 4.* conf. Tho. Bartholin. *de Bibliotheca incendio, p. 24.*

fecutus,omnesq;, qvi eos legunt,excommunicatione refervatâ Summo Pontifici, ceu fulmine ferit. † Qvod eò minùs mirandum, cùm & ipfas avthenticas cœleftis veritatis tabulas, qvas DEUS ab omnibus legi & fcrutinio fedulo expendi jusfit, qvantum in fe eft, abfcondunt, & publico Ecclefiæ ufui furripiunt? Cavent nimirum pii homines, ne Sanctum canibus, aut porcis margaritæ objiciantur, qvâ præclarâ comparatione ufi Laicis promifcuè omnibus, atqve Summis adeò Dynaftis ac coronatis capitibus Bibliorum Lectione interdicunt. Ita demum pifcari in turbido poffunt, & fua fomnia identidem repetere, qvorum vanitas non minùs fui cœtûs hominibus, qvàm noftris dispallefceret, fi Scripturæ S. (cujus judiciarium in fidei dirimendis controverfiis officium hoc qvoqve Examen vindicat,) & Orthodoxorum Librorum ipfis fieret copia. Prætereà fi ad noftros refpicias, neqve fic magnoperè neceffarium videatur multum in refellendis Pontificiorum libris defudare. Nihil novi illi, nifi novas interdum calumnias, nova convitia ferunt. Si qvid eft, qvod argumenti fpeciem habeat, dudum à noftris eft discuffum. Sed hoc callidè disfimulant illi, & pro refponfione repeti-

† Vide Gretfer. *pecul. opere de jure & modo prohib. lib.*

petitionem affaniarum priorum venditant suis, cæterùm occultant, qvantum possunt, ac Vulcano addicunt Orthodoxorum scripta, non secus ac mala nomina Syngrapha tabulasq; omnes surripere mallent aut abolere, qvàm debitum, cujus per illas admonebantur, exsolvere. Sanè Masenius hâc Praxi, qvanqvam *Novam* eam dixerit, vetera Commenta repetit, qvæ tum alii, tum ipse variis scriptis protulerat. Qvasi nemo qvisqvam ex nostratibus, vel Reformatis unqvam hiscere contra illa ausus fuisset. Qvorum magno numero edita opera si solidè refutâsset, tum verò de *Novâ Praxi* gloriari rectiùs poterat, qvàm dum vetera in novas subinde formas fundit. Ut non ineptè ad ipsum accommodes, qvod alicubi Magnus Chemnitius monuit. *Multi*, ait, *Conductitii Rhetores, qvi operas suas locârunt liniendo ruinoso illi Pontificiæ superstitionis parieti, novis coloribus veteres errores pingunt, ut interim ipsos nervos veteris superstitionis retineant.* Hæc dum in utramqve partem expendo, & ea interim ago, ad qvæ Electorali fueram stipendio conductus, contigit, ut

P. II. LL. de Discrimin. præcept. & Consil. sub init. pag. 277.

ego

ego ex Academiâ ad Aulam, Strauchius è Ratisbonensibus Comitiis ad Beatorum sedes (heu mihi, qvàm dispari fortunâ!) evocaremur. Atqve illius qvidem felici animæ æternùm benè sit: cujus merita ac famam grata celebrabit posteritas! Ego verò beatis Ejus manibus exsolvendum credidi, qvod viventi dederam promissum: cùm præsertim totus jam sacris studiis vacare & possem, & ex officio deberem. Cœptam ergò telam, sed dudum abruptam, & tantùm non abjectam penitùs, repetii, & DEI auxiliante gratiâ sic, uti vides, absolvi. Prolixiùs fateor, qvàm destinaveram initio. Didici enim hoc experimento, qvàm difficile sit idem & breviter & plenè expedire. Qvare & hîc controversiarum à Masenio delectus arbiter Augustinus, me tueatur. Is Bonifacio Coëpiscopo suo brevem poscenti responsionem, Nebridii apophthegma reponit:

Ep.XXIII. T.II.p.92. D.

Qvi cùm esset rerum obscurarum ad doctrinam pietatis maximè pertinentium diligentissimus & acerrimus inqvisitor, valdè oderat de qvæstione magnâ responsionem brevem. Et qvis-

qvisqvis hoc popoſciſſet, ægerrimè ferebat, eumq́ ſi ejus perſona pateretur, vultu indignabundus & voce cohibebat, indignum deputans, qvi talia qværeret, cùm de re tantâ tam multa dici poſſe debereq́ neſciret. Conſtipat argumenta Maſenius, eaq; ſæpè innuit magis, qvàm explicat. Eruere ergò omnia, & ordine expendere hôc minùs ſenio fuit, qvòd ita non *Praxis* modò iſta, ſed ſimul & editus ab eo A.1655. liber, cujus titulus: **Schrifft-Prob / darinn der Augſtaner und Reformirten gegen die Heilige Schrifft ſtreitende Lehre kürtzlich vorgeſtellet wird:** Simul *Auguſtinus Controverſiarum fidei hujus temporis ex ſolâ Sacrâ Scripturâ juxta Orthodoxæ Apoſtolicæq́ Eccleſiæ mentem Arbiter ac Deciſor optimus Sereniſ-*

ſimis

ſimis ac Potentisſimis Proteſtantium Principibus, Rebusp. & Academiis ad ſpem pacis & approbationis univerſalis exhibitus A. 1656. deniq; & *Meditatæ Concordiæ* A. 1661. & ſeqq. ſuccesſivè editæ multa pars fuerit ſolidè, ut planè ſpero ac confido, profligata. Ex his enim libris præcipua in iſtam Praxin transferre voluiſſe videtur. Eam ſtrictè ſecutus ſum, neqve huc traxi qvicqvam, qvod illa non contineret, ſed nec omiſi aliqvid, qvod in illâ Examen poſceret. Qvo ipſo prolixitatis culpam ſatis mihi deprecatus videor. Laborare enim hoc vitio cenſentur, qvæ non neceſſariâ & extra oleas vagante copiâ Lectori tædium pariunt, non qvæ cavent, ne qvicqvam neceſſariorum omittatur. De qvo gentilis olim Poëta (ſi ad deſvetas - nunc Academicæ functionis delicias reſpicere in ſacro opere fas eſt,) Coſconium lepidè monebat, longitudinem Carminum ſibi identidem exprobrantem:

Martial. *L. II. Epigram. 77.*

Hac tu credideris longum ratione Coloſſum,
Et puerum Bruti dixeris eſſe brevem.

Diſce,

Disce, qvod ignoras, Marsi doctiq; Pedonis
Sæpè duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, qvibus nihil est, qvod demere possis:
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

Et alibi Lectorem delicatum, *cui breviora magis, qvàm meliora placent*, convivæ comparat, qvi mattyis tantùm & cupediarum varietate, non pane & qvæ famem explent, obsoniis delectetur, & deniqve sic finit: *L.X.Ep.59.*

Non opus est nobis nimium Lectore guloso,
Hunc volo, qvi fiat non sine pane satur.

Sed *prolixitatem operis defendere* desino, *ne* (ut cum Augustino iterum dicam,) *defendendo faciam prolixius.* Qvid præstiterim, Lectoris esto, sed benevoli & cordati, judicium. Lectoris, inqvam, non tumultuariâ ac desultoriâ operâ censoris. Hoc qvidem DEO conscientiâq; teste assevero, sincerum veritatis inqvirendæ procul omni affectu studium me attulisse, neq; scripsisse qvicqvam, qvin Scripturæ Sacræ conforme esse, ipsamet Scripturâ judice pariter ac indice fuerim convictus. Bonâ fide sententias & argumenta Masenii repetii, ac ne dubites, concepta ipsius verba asscripsi. *L. II. de pecc. mer. & remiss. c. ult. Tom. VII. p. 719.*

 Scri-

Scripturæ, qvæ opponit testimonia, ex ipso verborum nexu, aliorumq; textuum παραλληλία, qvin Augustini etiam & celebrium Ecclesiæ Pontificiæ Doctorum adductâ interpretatione asserui. Mentem B. Patris, cui & in interpretatione Scripturæ, & dogmatum demonstratione primas defert Masenius, diligente studio investigavi, & qvanqvam præposteritas illa nemini cordato se probare possit, qvâ Scripturam ad Augustini tribunal rapit, cum contra Augustinum vel ipso (ut sæpiùs hoc Examine ostendi,) judice ad Scripturæ regulam examinari oporteat, ostendi tamen in omnibus Considerationibus manifestè, nisi fallor, vel alium pro Augustino nobis obtrudi, vel verba contra mentem ejus perverti, vel non satis sibi ipsi constitisse aut retractâsse sententiam, aut eo deniqve sensu non voluisse intelligi, qvem Masenius ipsi affinxit. Idq; non conjecturis, aut longè accersitis conseqventiis, sed ipsiusmet verbis, sæpè etiam adversariorum confessione docui. Editione in allegandis Tomorum paginis usus sum (nihil enim alienis oculis vidi,) Basileensi, qvam Anno cIↄ Iↄ LXIX. ex officina Frobenianâ procuratam possideo. Aliorum Patrum suffragia colligere supersedi, qvanqvam id fieri non absurdè poterat ab eo, qvi Antiqvitatis sensum de mente Scripturæ pariter & contro-

traverfis volui docere. Cur enim Hieronymus, cui fasces & ipse Augustinus † submisit, cur Ambrosius Augustini Praeceptor aliique ipsi vel σύγχρονοι vel priores, tanquam sensus veteris testes non aeque ac Augustinus, si vel ab eo dissentiant, vel planius etiam dicant sententiam, ubi is haesitat, audiantur? Iterum in Massilii gratiam, (cui unum sittere Augustinum post Henricum Lancilottum * aliique placuit,) compromittere in illius S. Patris non judicium, quod ipse deprecatur ipse, sed testimonium volui. Nec dubito, (quae Philippi Melanchth. †† verba mea hic facio,) *si Augustinus judex esset controversiarum hujus aetatis, habituros nos eum prorsus* ὁμόψηφον. Caeterum styli moderatione cautus sum, quam ab adversario, si quis contingat, adversam me adhiberi non invitus patiar, idque operam ubique dedi, ut palam

 fieret,

† *Epist. XXIX. extr. T. II. p. 119. a.* & alibi saepius.

* *in Haeretico Quaer. & Catholico Quis.*

†† *T. III. Declam. p. 774. & praef. T. II. Loc. Lutheri.*

fieret, nihil hîc affectui, veritati omnia dari.

I. Cor. XI, 16. *Si qvis contentiosus velit esse, nos talem consvetudinem non habemus, neqve Ecclesiæ DEI,* Pauli eadem & mea professio est. *Ego,* (loqvor iterum cum Augustino †) *qvando cuiq; vel dicendo vel scribendo respondeo, contumeliosis criminationibus lacessitus, qvantum mihi Dominus donat, frænatis atqve coërcitis vanæ indignationis aculeis Lectori Auditorive consulens non ago, ut efficiar homine convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior.*

Ocimum credebant veteres cum maledictis ac probris serendum esse, ut lætiùs proveniret. Serant ita dogmata sua, qveis placet.

Plin. *H.N.* *XIX*, 7.

Ego

† *L. III. c. lit. Petit. c. I. Tom. VII. p. 164. A.*

Ego ut ad veritatis proventum ſcommata & aculeata dicteria facere credam, nunqvam inducar. Neq; cujusqvam tam mordax lingva erit, ut in ignobile convitiorum certamen me tractura ſit, in qvo verſari turpe, vincere ignominioſum eſt. Porrò qvòd Theologorum noſtratium, imò & Reformatorum nomina aſcripta ſæpiùs invenies, non ridiculâ qvaliscunqve Lectionis jactantiâ factum eſt, multò minùs, qvaſi noſtratium autoritate pugnare contra adverſarios fuiſſet decretum, ſed ut intelligeretur, dudum Eccleſiæ Orthodoxæ eſſe contra omnes Maſenii machinas proſpectum, & ut in plena velut armamentaria intromitteretur, qvi plura noſſe cupit eorum, qvæ nobis contrahenda in nervum fuerunt.

Unum reſtat, qvod à Te peto, LECTOR BENEVOLE, velis errata, qvæ pasſim, ut fieri abſente autore conſvevit, irrepſerunt, & qvorum partem annotatam ad calcem habes, benignè emendare; De cætero conatum inſerviendi Eccleſiæ noſtrum benignè

nignè

nignè interpretari, DEUMq́; convenire mecum, ut puritatem doctrinæ adversus omnes conatûs Satanæ potenter ad finem usqve seculi tueri, nosqve in agnitâ veritate suâ sanctificare dignetur. Cujus te gratiæ devotè commendo.

Scribeb. DRESDÆ, d. 6. Martii,

ANNO χειστογονίας

ↀIↃ IↃC LXXVII.

Digitized by Google



I. N. J.

EXAMEN INSTRUCTIONIS BREVIS De Novâ Praxi Orthodoxæ fidei, intra octidui Exercitationem discernendæ & amplectendæ.

Compellat Masenius in frontispicio Instructionis *Lectorem, inclytosq́; inprimis Rom. Imperii Proceres, & Legatos pacis tranqvillitatisq́; publicæ studio collectos, eosq́; hoc salutis universalis consilium amplecti, & propositum adjuvare*, etiam atqve etiam cupit. Fatigaverat hactenus eosdem plus vice simplici suis de Concordiâ meditationibus, atqve *per viscera charitatis Christi perq́; illius pro nobis fusum sangvinem, per animam salutemq́; omnium, iterum iterumq́; obtestatus fuerat, ne tam promtum facilemq́; ad Concordiam* (in fide Papali) *reditum suâ dissimulatione intercidere paterentur.* *Instructionis ad R.I. Proceres*

 Talia

frustra directæ Talia toties inculcârat, qvoties novam Concordiæ laciniam protruderet. Qvid profecisset apud prudentissimos mortalium, non neglecturos temerè ista ad ravim à Masenio inclamata, si ad animarum vel publicæ rei salutem aliqvid ita conferri credidissent, intelligebat. Et audet tamen Praxi istâ publica iterum commoda morari. Mihi verò vana hæc & præpostera compellatio videtur, sive ad Protestantes, sive Pontificiæ partis Proceres ac Legatos pertineat. Hos enim novâ praxi ad fidem deducere, qvam dudum amplexantur, ineptum: illos si irretiri cassibus his, qvos jam tendit, ratus est posse, invictos prioribus Concordiæ suæ moliminibus; cur efficacissimum hoc medium ad veram, qvam putat, religionem perveniendi, cur *hoc salutis universalis consilium* antè ipsis invidit? Cur vanis occupavit simulatæ Concordiæ speculationibus?

IV. Capita. Videamus autem, qvid tanto dignum hiatu promissor iste afferat. Omnem enim instituti rationem in *Instructione* expositum ivit, qvam ad qvatuor fortassis capita reducere possis. *Primùm*, qvid se impulerit ad vulgandam hanc & DD. Legatis Reginoburgensibus nuncupandam praxin; *deinde* rationem ac methodum, & qvalem se gerere in eâ debeat salutis suæ studiosus, exponit. *Tum*

Tum normam indicat. *Deniq;* de suo animo testatur, & qvid à contradictore, si qvis obtingat sibi, præstari velit, edicit. Veniamus in rem præsentem.

Principiò qvidem *multorum non Pontificiorum tantùm, sed Protestantium qvoq; ad unitatem aspirantium conscientias tangi æqvissimâ ratione illâ conciliandi utriusq; partis Ecclesias, qvam in meditatæ Concordiæ libris ipse aperuisset, ex diversorum literis ac sermonibus se intelligere ait. Horum ergo saluti subvenire se voluisse succenturiatâ hac praxi*, qvâ *expeditam ac facilem viam ostendi* credit, *perveniendi ad veram fidem pariter, & ab erroribus facilè sese expediendi:* Eamq; *ut piam, sanctam ac necessariam* commendat. *I. de causa, qvæ impulerit autorem ad novam praxin (1) edendam.*

Qvàm *æqva* sit illa conciliandi ratio, ostensum abundè ab aliis est. Enimverò omnibus, qvi rectè rem æstimant, ne conciliationem qvidem, minimè autem omnium æqvissimam conciliationem meditatus Masenius videtur. Qvis enim credat, serium conciliandi animum fuisse illi, cui jam etiam post jactatam illam Concordiam *Ecclesiæ universæ sibi adversantis placita oppugnare* decretum est, qvod *hac Instruct. *4. fac. 1.* profitetur? Cui Lutherani *execrandi ac detestandi diaboli ministri (prax. p. 56.) Ethnici & publicani, falsi prophetæ, qvi gratam carni doctrinam verbi Divini specie ornatam venditant, & inescatum illâ populum in perniciem* *Ubi concordiæ Masenianæ fraus.*

 sem-

ſempiternam ſecum abſtrahunt, (p.47.48.) *inſani calumniatores, qvibus nec mens, nec fides, nec religio inſit*, (p.85.) *homines maledicti* (p.92.) &c. audiunt. Impius ſit profectò Maſenius, ſi cum his diaboli miniſtris, cum Pſeudo-Prophetis amicitiam inire velit, qvos non conciliandos nobis, ſed fugiendos proponit Salvator *Matth. VII, 15. Johann. X, 5.* Paulus *Rom. XVI, 17.* Johannes *2. Ep. v. 10.* Qvòd ſi oggeras, intelligi à Maſenio concordiam ſive conſenſum in unâ fide Pontificiâ; tamen neqve hoc fuerit conciliare Proteſtantium & Papiſticam Eccleſiam, ſed alteram abolere, & iniqviſſimis conditionibus ipſa illa, (ſi omninò ſic vocare libeat) conciliatio conſtabit. Qvid enim illo iniqvius poſtulato, qvod ſolis Scripturæ verbis, remotâ omni interpretatione & conſeqventiâ, omni, inqvam, verbo humano exponi fidem noſtram jubet, ingenti mendacio noſtræ hoc doctrinæ convenire ſcribens? Nunqvam Proteſtantes, cùm ex ſolâ Scripturâ fidem demonſtrandam eſſe dicunt, ejuſmodi Scripturæ teſtimonia intellexerunt, qvibus τὸ κϱινόμϑυον totidem ſyllabis ac apicibus definitum legatur; qvomodo ne SS. Trinitatis qvidem myſterium ex Scripturâ probabitur, qvæ impia Guil. Reginald. *L.3. Calvino-Turciſm. c.3.* & ante hunc Guil. Lindani *L.3. panopl. c.5.* aliorumqve vox eſt, de qvorum conſenſu jurati SS. Trinitatis hoſtes, Chri-

& iniqvitas per poſtulatam probationem, qvæ ſolis Scripturæ verbis fiat.

ſtoph.

ſtoph. Oſtorodus *P. 2. contra Tradel. c.1. p. 86.* Val. Smalc. *diſp. I. contra Franz. p. 1.* ipſeq; Socinus *libello, qvod Evangelici* &c. p. 29. non immeritò gloriantur. Eam etiam probationem, qvæ fidei dogmata ex Scripturæ verbis rectè expoſitis per legitimam conſeqventiam deducit, ex Scripturis ſumi credimus, Salvatoris freti auctoritate, qvi contra Sadducæos mortuorum reſurrectionem probaturus, eum producebat ex Scripturâ locum *Matth. XXII, 31.* unde conſeqventiæ ſaltem beneficio dogma illud colligeretur, qvod ibi legi tamen, & Sadducæos hanc conſeqventiam non intelligentes, Scripturas ignorare *v. 29.* affirmabat. Principia aliena ſeu rationes cognoſcendi, qvæ non ex Scripturâ, ſed aliunde depromuntur, qvalia ſunt Conciliorum ac Pontificum decreta, Patrum auctoritas, traditiones ἄγραφοι, novæ revelationes &c. excludimus, cùm ex ſolâ Scripturâ poſcimus probationes: qvod ad interpretationes Scripturæ & conſeqventias inde ductas abripiens Maſenius, per iniqvitatem ſummam id imputat nobis, qvod dudum Orthodoxi, qvibuscum Joh. Gonterio, Franc. Veronio, & Walenburchiis res fuit, longisſimè ab ſe removerunt. Vid. Thom. Wegelin. *relat. Colloq. Durlac. p. 69. ſeqq.* D. Dannhauer. *Polemoſ. p. 294. ſqq. 333. ſqq.* qvæq; pro vindicandis illis Polemoſophiæ locis tum ab ipſomet B. Viro *in deliqviis*

Onirocritarum Batavorum, tum Dn. Bebelio *in Polemosophiâ victrice* edita sunt: Rivetus etiam *Isag. ad Script. S. c.17. T. II. opp. p. 941. seqq.* Dn. Jo. Musæus *de usu principior. rationis L.I. c.2.* & *L. II. c.13.* qvi & in *Diss. I. contra fundam. Conc. Masenii, p.37. sqq.* iniqvitatem hujus conditionis inde luculenter ostendit, qvod ita eripiatur Protestantibus omne medium veritatem suam probandi & destruendi oppositas falsitates. Aut enim neutrius partis dogma expressis verbis in Scripturâ continetur; sic interclusa erit via Protestantibus dogma suum probandi, non Pontificiis, qvi plura præter Scripturam fidei principia agnoscunt: aut si maximè verba aperta pro nobis sententiam dicant, causabitur Papista, (hæc enim altera qvasi lex est hujus concordiæ,) claram, certam, definitamqve sententiam in iis non contineri. Omnia enim ab ipso in obscuris habentur & ambiguis, de qvorum sensu non convenit inter litigantes, ut *præfat. P.3. Concord.* profitetur. Sed enim hæc æqvitas Masenianæ concordiæ est, ut ea Scripturæ loca, qvorum sensum ex Scripturis ipsis demonstramus, eq; sic demonstrato sensu dogmata nostra liqvidissimâ conseqventiâ deducimus, incerta & ambigua reputet; qvæ ipse pro Tridentinâ Confessione profert, mutila sæpè, sæpè interpolata (qvod præter complures Theologos, Summus Vir ac JCtus, Dn. *Jo. Thomæ* animadver-

iisq; non ambiguis,

adverſionibus in Confesſionem Maſenianam, cùm orthodoxam illi opponeret, docuit:) claram, certam definitamq; ſententiam non obſtante Proteſtantium disſenſu habeat. Qvam iniqvitatem aliâ non minori auget. Scilicet ambiguis Scripturæ verbis eatenus locum permittit, ſi non ad arbitrium hujus illiusve privati, ſed ſecundum Veteris orthodoxæq; Eccleſiæ interpretationem accipiantur. Itaqve ſi à Pontificiâ doctrinâ Scriptura abeat, ambigua erit; ſi ambigua, ex Patribus certus ſenſus fuerit determinandus, atqve hi adeò norma & principium doctrinæ evadent. Porrò cùm hi ipſi non rarò diſcrepent ſententiis, vel incerta manebunt omnia, vel ad judicium ac definitionem Romani Epiſcopi res omnis redibit. Ita Maſenius dum ex ſolâ Scripturâ probari dogmata poſtulat à Proteſtantibus, Romani Epiſcopi eos tyrannidi ſubjicit. Hæc eſt nimirum æqvisſima illa conciliandi ratio. Hanc Jthacus velit, & magno mercentur Atridæ. Ipſe interim (qvod & ipſum ad æqvitatem concordiæ illius pertinet,) Leges, qvas nobis tam diligenter inculcat, planè negligit, qvod Dn. Seb. Niemannus *ſpecim. vanar. medit. Maſen. §. 20. ſeqq.* evidenter oſtendit. Cætera enim argumenta æqvitatis illius omitto, qvam tantoperè hîc commendat Maſenius. Dicenda tamen fuerunt aliqva, qvòd hâc praxi ſuppetias qvaſi fer-

vel certè juxta Vet. Eccleſiæ ſenſum acceptis,

obiter oſtenſa:

cui suppetias ferre voluit Autor hâc praxi, hypothesibus Papistarum contrariâ:

re Concordiæ illi voluit. Hâc enim *consulere se voluisse* ait *illis*, *qvorum conscientias tetigerit æqvissima illa conciliationis ratio*, *qvod ex Catholicorum ac Protestantium literis ac sermonibus ipse intellexerit.* Unde, opinor, factum, ut ipse libelli titulus *omnibus tam Protestantibus*, *qvàm Catholicis concordiæ & salutis publicæ amantibus* hanc praxin exponeret. Mirum verò, & ullius è Protestantibus conscientiam tangi potuisse Masenianâ Concordiâ, cujus iniqvitas cuivis cordatiori facilè se prodit: & Catholicis proponi *praxin hanc sinceram facilè sese* (sic appellat) *ab erroribus expediendi.* Visus enim est Clericus Ecclesiæ Pontificiæ, dum Laico cuilibet non liberam modò facit, sed propè necessariam inqvisitionem in veritatem doctrinæ Pontificiæ, exiguam initurus gratiam ab iis, qvi à Laicis reqvirunt, ut cœcâ fide amplectantur omne id, qvod Ecclesia credit, licèt maximè, qvid illa credat, ignorent, vel contrarium etiam credant. Etenim meritorium gratiæ errorem multi è Pontificiis appellant, si hæreticum dogma ab Episcopo propositum credat Laicus, v. g. Patrem esse priorem Filio, tres Deitatis personas localiter distare, Trinitatem esse fœminam &c. dummodò persvasus sit, Ecclesiam sic credere: ut apud Toletum *Instruct. Sacerd. L. 4. c. 3.* Greg. Valent. *Tom. 3. D. I. q. 2. p. 5.* Azorium *T. I. Inst. Mor. L. 8. c. 6. q. 8. & 9.* Angelum de Clavasio *in Sum-*

Summâ & alios videre eſt. Cæterùm an praxis hæc viam doceat, *facilè ſeſe ab erroribus expediendi*, ipſa docebit tractatio noſtra: E qvâ hoc opinor, conſtabit, totam potiùs illam ad hoc comparatam eſſe, ut erroribus Pontificiis impediatur incautus Lector. Eos proinde hôc examine detegemus, judicium relicturi cuilibet, noſtra, an Maſenii religio verbo DEI magis conveniat. De ejusdem praxeos *pietate & ſanctitate* hoc tantùm monendus eſt Lector, ne nubem pro Junone amplectatur, aut ſchema pietatis ac ſanctimoniæ, qvo involvit iſtas conſiderationes, magis attendat, qvàm dogmata ipſa, num illa in Scripturis fundata, num aliqvod ad ſanctitatem pietatemqve afferant momentum. Qvod nos ita expendemus, ut intelligat Maſenius, nos *non coactos* (qvod ipſe addit) *ſed ultrò probare, qvod æqvum eſt.* Neqve *adverſantium hoſtiumq́; nominis ſui*, ſed Spiritûs S. *judicium* reverebitur. Ita ſumus à Salvatore noſtro edocti, ut diligamus hoſtes noſtros, benedicamus maledicentibus, oremus pro perſeqventibus & calumniantibus nos, (*Matth.V, 44.*) nec ullum diſſentientium hoſtili animo proſeqvamur, niſi is eodem in DEUM & veritatem cœleſtem affectus ſit. Doctrinam odio plusqvam Vatiniano proſeqvimur, qvæ gloriæ DEI animarumq́; ſaluti detrahit; perſonam autem ut convertat DEUS, toto pectore oramus, & ut

deceptrice:

hypocriticâ.

majorem habeat animæ suæ curam, seriò monemus. *Est*, qvod non malè hîc Masenius, *unius tantùm animæ possessor qvilibet, qvam si erroribus excæcatam atq; à verâ fide deviam Orco immolet, qvid proderit omnem hujus orbis felicitatem hac in vitâ degustasse? Sine fide (eâq; orthodoxâ & Catholicâ) impossibile est placere DEO.*

(2.) DD. Legatis Ratisbon. inscribendam. Ubi expend. qvàm benè à Contradictore suo exigat, ut

Exposuit Masenius, qvid ad hanc praxin edendam se impulerit. Nunc cur ad splendidissimos Legatos Ratisbonæ coëuntes directam eam velit, subjicit: *Ad DD. Legatos verò, Ratisbonæ nunc ex toto Imperio Romano collectos hanc inprimis praxin dirigo: tum ut privatæ illorum saluti, ac deinde Germaniæ Principum totiusq; patriæ, cui rectè consultum volent, bono laborâsse me profitear: tum qvòd vario diversorum sensu meditatam concordiam meam isthic acceptam intelligam: lubens contradictoribus responsurus, si scripta non minùs sua, qvàm ego feceram, autoritate publicâ suarum Academiarum & Ecclesiarum munivissent: cum non nisi universæ Ecclesiæ mihi adversantis placita oppugnare decretum sit.* Postrema hæc qvî doceant, cur DD. Legatis inscripserit hunc librum, fateor me non intelligere. Hoc intelligo, causam ipsam, qvam prætexit silentio suo ad tot nostratium animadversiones in meditationes suas frivolam, ac postulatum impudens planè ac iniqvum esse: qvanqvam dignum visum

(a) autoritate publicâ,

ſum, qvod & *P. I. Conc. præf. p. 5. P. 3. præf. p. ult. & præmunit. I. p. 7.* & nuperrimè in *utili curioſit. p. 558.* inculcaret, & Ecebolus noſtræ ætatis, Andreas Frommius, *p. 98.* Wiederkehr. zur Catholiſchen Kirchen repeteret. Expendat verò Lector, qvô jure, imò qvâ fronte hoc Maſenius exigere posſit, cùm ipſe neqve univerſitatis alicujus, aut Eccleſiæ, neq; congregationis certæ, neq; Principis cujusdam, neqve, qvod caput rei eſt, Rom. Pontificis auctoritate munitus prodierit: cùm ipſe ingenuè fateatur *P. I. Conc. p. 5. ſine Rom. Pontif. conſenſu, neq; ſibi, neq; Catholicis cæteris de illâ conciliatione gravius qvid tentare fas eſſe:* cùm qvicqvid in hoc Concordiæ negotio egit, privato auſu, conſilio, ſtudio egerit, qvod *P. I. p. 10. 11.* ægrè disſimulare potuit: *ſibi tribuens* confesſionem, in qvâ conſentiendum ſit utriqve parti, & qvid *ipſe* fieri poſtulet ab aliis, indicans. Scilicet cùm iſtud negotium ſuis tantùm auſpiciis ac ductu gereret Maſenius, nemo Proteſtantium Statuum ejus ponderis credidit Jeſuiticas meditationes eſſe, ut toti Collegio demandaretur earum confutatio, qvam pasſim Doctores orthodoxi feliciter ſuſcepiſſent. Qvorum ſcripta non minùs cauſam publicam Eccleſiæ noſtræ, qvàm Maſenii vel alterius è Pontificiis ſui cœtûs agunt. Qvaſi verò ad nullum ſcriptum noſtratium publicâ auctoritate editum obmutuiſſent hactenus Pontificii. Nunc qvi defenſionem Pupillæ Evangeli-

gelicæ, librum aureum & publico nomine à Saxonicis Theologis auctoritate Sereniſs. Elect. JOH. GEORGII I. glorioſiſs. record. Anno 1630. editum, qvi alia hujusmodi ſcripta allatrata à variis, à nemine confutata cogitat, facilè intelliget, σοφὸν φάρμακον illud & deſperatæ cauſæ ſignum eſſe: & eandem cauſam, qvæ Meiero, Hagero, Cornæo in certaminibus cum Höpffneris, Hülſemannis, Dorſchæis, Dannhaueris noſtris, imò qvæ omnibus Jeſuitis, qvos gemino de Indulgentiis & Purgatorio opuſculo provocabat B. Meiſnerus, ſilentium impoſuit, eò compuliſſe Maſenium qvoqve non vanè conjiciet, ut facilius crederet, repetere priora aliis verbis, qvàm ad ſolidas confutationes *Thomæ, Muſæi, Fritzii, Niemanni, Tabberti, Urſini, Schlaffii, Spanheimii, Steinbergii, Cocceji* &c. aliqvid excipere.

(β) & verbis Scripturæ munitus prodeat,

Offert tamen ſe Maſenius *paratiſſimum admittere, qvicqvid ex S. tantùm literis productum eſt, qvibus ſentiat non tantùm non infirmari, ſed juvari etiam fidem noſtram.* Per id, qvod ex S. tantùm literis productum eſt, aut ſola formalia Scripturæ verba intelligit, aut conſeqventias etiam non aliunde, qvàm ex Scripturâ productas. Si prius, repetere coccyſmum ſuum cenſendus eſt, idq; exigère à nobis, qvod ipſum non ſervâſſe antè dicebamus. Sanè in hac praxi ipsâ ſententiam ſuam rarò, fortè & nunqvam expreſſis Scri-

Scripturæ verbis probat; ſed per conſeqventias, non legitimas tamen illas, ſed Sophiſticas, & ψευδογραφήματα Scripturæ verba ad ſenſa ſua torqvet. Faciamus rei, qvam tota tractatio noſtra docebit, fidem vel unico exemplo, qvod primum oculos evolventis incurrit. *Conſid. X. n. 3. p. 98.* noſtram de juſtificatione peccatoris per imputationem juſtitiæ Chriſti & remisſionem peccatorum doctrinam cum Pontificiâ de juſtificatione per infuſionem habituum ſupernaturalium & internam hominis mutationem contendit. Noſtræ prolaturus ſententiæ fundamenta Scripturæ verbis formalibus uti potuit: *Beati enim* (ait) *qvorum remiſſæ ſunt iniqvitates, & qvorum tecta ſunt peccata. Et credenti in eum, qvi juſtificat impium, fides reputatur ad juſtitiam. Eum* enim, *qvi non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia DEI in ipſo.* Qvia *factus eſt nobis ſapientia à DEO, & juſtitia & ſanctificatio & redemtio: ut qvemadmodum ſcriptum eſt, qvi gloriatur, in Domino glorietur.* Suam probaturus, robur non in Scripturæ, qvæ allegat, verbis, ſed infartis ab ſe glosſis ponere neceſſe habuit. Sic enim probat: *Si enim unius delicto multi mortui ſunt (juſtitiâ originali,* **hominì intrinſecâ** *per peccatum amiſſâ) multò magis gratiâ DEI, donum in gratiâ unius hominis Jeſu Chri-*

cùm ipſe neutrum obſervârit.

Christi in plures abundavit. Rom. V, 15. Verba non antecedentia modò (*non ſicut delictum, ita & gratia,*) è qvibus conſtare poterat, non ut *ſimiles*, ſed ut *diſpares* hîc conferri transgresſionem ab Adamo in nos derivatam, & gratiam per Chriſtum acqviſitam; ſed & ſeqventia omittit, qvæ apertè docent, conferri juſtitiam Chriſti & Adami peccatum non qvoad *inhærentiam*, ſed qvoad *effecta & ſubjecta*. Qvod & *v. 19.* diſertè exprimitur, qvem ſtatim annectit, ſed ita annectit, ut heterodoxiam Papalem, pro qvâ nihil aliàs faceret, ſuis verbis affricet: *Nam ſicut per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: (non ſolâ imputatione alterius delicti, ſed etiam ablatione bonorum internorum gratiæ) ita & per obedientiam unius juſti conſtituentur multi.* Rectiùs feciſſet haut dubiè Maſenius, ſi pro illâ gloſsâ inſeruiſſet contextum reliqvum inter v. 15. & 19. interjectum, ubi diſertè condemnatio & juſtificatio ſibi opponuntur: ut neceſſe ſit, juſtificationem pro actu judiciali, qvalis & condemnatio eſt, ab Apoſtolo haberi. Oppoſita enim ſub eodem genere ſunt. Ita non Scripturâ confirmat theſin ſuam, ſed Scripturæ mutilatione pariter & interpolatione heterodoxiæ ſuæ fucum qværit. Ecce enim novum

vum in novâ probatione dolum. Cum illis *v. 19.* verbis connectit, qvasi in eodem contextu ista ex v. 5. *qvia charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qvi datus est.* Juret Lector hîc porrò explicari modum ab Apostolo, qvo justi constituantur multi, scil. per charitatem DEI diffusam in cordibus nostris. At longè aliter Paulus, qvi verbis his multò antè v. 5. *de effectibus*, non *formâ* justificationis agens rationem innuit, cur per fidem justificati in afflictionibus glorientur, inq; spe & patientiâ non pudefiant; qvia scil. *charitas DEI* (*qva DEUS nos diligit*, sic enim v. 8. exponitur,) *diffusa est*, h. e. copiosè se exerit, & sentitur gratiosis operationibus *in cordibus nostris per Sp. S.* Hic enim proprius verborum sensus suo loco demonstrabitur. Hîc ostendisse suffecerit vel unico exemplo, qvam bellè dogmata sua è Scripturæ verbis deducat, qvod à nobis tam rigidè exigit. Adjicit autem ibidem & tertium locum, sed cui ne per fidiculas qvidem extorqvere potuit, ut dogma Pontificium probaret. *Nec frustrà*, ait, *nos Paulus ad perficiendum interiorem hunc hominem excitat.* Si, *inqvit*, Christum audistis, & in ipso edocti estis, deponite vos secundum pristinam conversationem Veterem hominem, qvi corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem,

qvi

qvi ſecundum DEUM creatus eſt, in juſtitiâ & ſanctitate veritatis. *Eph. IV, 11.* In his verbis, qvæ de *renovatione* expreſsè loqvuntur, *Juſtificationem* peccatoris per habitûs infuſos ne Argus qvidem, opinor, pervideat. Reputes proinde Lector, qvâ æqvitate ipſe id demum ſe admiſſurum dicat, *qvod ex ſolis S. literis productum eſt*, ſi verba Scripturæ ipſisſima intelligit eâ phraſi. Qvòd ſi & eas conſeqventias complectitur, qvæ non aliunde, qvàm ex Scripturis accerſuntur, iniqvus qvidem & ipſe eſt, dum ex Auguſtino qvoqve conficere dogmata ſua hôc librô laborat, nos tamen neqvaqvam habebit repugnantes. Neqve enim aliunde, qvàm ex S. literis ſententiæ noſtræ argumenta accerſemus; Auguſtinum tamen, ubi noſter eſt, (ut ubiqve fore confido) à ψευδερμηνεία Maſenianâ vindicaturi. Cæterùm hoc ſimul indicabimus, altioribus in Scripturâ radicibus inhærere fidem noſtram, qvàm ut inde *juvari ſaltem* poſſit aliqvô modô, qvod de ſuâ hîc Maſenius ſcribit, qvi & *P. I. Concord. p. 10.* profeſſus fuerat, *ſatis ſibi fore, ſi illi, qvàm à majoribus acceperit, fidei doctrinæ non minùs S. Scriptura faveat, qvàm obſtet.* Noſtra fides *non modò non infirmatur aut qvadantenus juvatur* S. literis, qvaſi aliunde jamjam ſtabilita, ſed illi firmiter innititur ceu immoto principio ac fundamento, juxta *Eph. II, 20.* licèt veræ & Catholicæ Eccleſiæ qvoqve perpe-

perpetuo consensu & antiqvitatis testimoniis juvetur: qvod jam olim ex Pontificiis agnoverunt illi, qvi ex Sacris literis non posse confutari confessionem nostram, fassi sunt. V. Gerh. *Exeg.* L. *de Scr.* §.468.

II. Methodus ac ratio, qvâ utendum in prioribus considerationibus,

Sed age jam METHODUM examinemus: in qvâ est, qvod candidam notam, est qvod censuram mereatur, & nigrum theta. Sic enim differit: *Principio hominem de verâ fide ac salute sollicitum ita debere esse animo comparatum, ut malit omnium hujus mundi bonorum, qvàm veræ fidei æternæq; felicitatis jacturam facere, multoq; majus studium huic investigandæ, qvàm obtinendis illis adhibere, firmissimoq; animi decreto concludere: in hac deliberatione, ubi statuendum:* qvænam partium adversariarum veram fidem Ecclesiamqve possideat? *se nullis neq; opibus, neq; honore &c. à veritate ac salute abducendum; sed cum hâc pauperem etiam atq; ignominiosam Christi vitam mortemq; amplexurum potiùs, qvàm cujusqvam mortalis boni intuitu ab illâ deflexurum. In hanc ergò curam sese primis considerationibus suis abducere animum, hominis Christiani voluisse, ut juratâ DEO fide adversus carnem, mundum, ac dæmonem stare velit, nec differre agnitô errore veræ religionis professionem.*

ubi animum in proposito obfirmatum;

In hac parte non est, qvòd desideremus magnopere. Enimverò si perinde esset ad obtinendam salutem æternam, cui te reli-

gioni addiceres, non opus foret operosâ fidei discretione. Jam cùm fide Pontificiâ in salutis æternæ discrimen adduci animas intelligant Orthodoxi, meritò adversæ partis odia, persecutiones, anathemata, mortem ipsam eligunt potius, qvàm ut à verâ fide, qvam è scripto DEI verbo addidicerunt, abduci se patiantur. Atq; utinam idem suis persvadere, imò & nostratium nonnullis, qvi exeunt à nobis, non erant autem de nobis (*1. Joh. II, 19.*) posset Masenius, qvod tum hîc, tum *Consid. XVII. puncto* 1. & 2. tum *P. I. Conc. p.* 120. sibi demonstrandum sumit! Ita enim haut dubiè & apostatas pauciores, & qvi se ad veram fidem nostram converterent, plures haberemus. Jam qvum paucissimi ignominiam Christi cum Mose præferant thesauris Ægypti Romanæ: (*Ebr. XI, 26.*) contingit, ut plurimi cum salutis suæ certissimo dispendio affulgentem veritatis Evangelicæ lucem intueri splendore opum terrenarum & honorum occæcati non possint; neq; pauci (proh dolor!) cum dignitatum humanarum ac divitiarum crepundiis fidei semel agnitæ vitæqve æternæ κειμήλιον permutent, & cacodæmona regna mundi & gloriam illorum, qvæ sibi tradita, ut cuicunq; vult, dari possit, per Rom. Pontificem mentitur, ἐν στιγμῇ χρόνου ostentantem adorent. (*Luc. IV, 5. 6. 7.*) Alios suppliciorum metus moratur, ut *professionem veræ religio-*

religionis (cur enim hoc Masenii nostra non faciamus?) *errore licèt agnito differant, & vel exitialem sibi hunc non futurum: vel certè antè vitæ finem hos sese laqveos perrupturos esse credant: qvâ persvasionis fraude infernum potissimum repleri*, facilè assentior Masenio: hâc tamen lege, ut spatium maneat iis, qvi qvantum in se est efficaciam erroris Romani propagant. Hi enim propterea qvòd tradunt miseras animas infernalibus tortoribus cruciandas, majus peccatum habent, (*Job. XIX, 11.*) gravioribus plagis digni. Stet tibi, Lector, qvisqvis es, hæc sententia non prolixè à nobis (qvod à Masenio primo considerationum suarum triduo factum est) inculcanda, juratâ DEO fide obfirmatâq; in proposito eam sententiam amplectendi, qvæ Scripturæ S. maximè deprehendetur conformis, obviam eundum omnibus Satanæ, mundi & carnis suggestionibus esse. Excludet hic Zelus frigus illud imbecillis animi, cui velificatur Masenius istam legem sic perorans: *Qvâ tamen in re si qvis imbecillior animo fuerit, qvàm ut juratam DEO fidem voto edito præstare qveat, is saltem firmissimo se proposito obstringere ne gravetur.* Similia infrà p.49. repetit.

O duces cæci, excolantes culicem & glutientes camelum! (Matth. XXIII, 24.) Ad humana inventa, imò ad ea, qvæ gloriæ præ-

 ceptisq;

ceptisq; Dei repugnant, juramentis ac votis irrefragabilibus adigunt homines. Nunc cùm DEO promittenda fides est, absqve qvâ salvari nemo mortalium, aut placere DEO potest, imbecillitatem animi prætexunt: qvasi faciliùs veniam mereatur, â verâ fide & salutis seriâ cupidine desistere, qvàm cœlibatûs perpetui statutum semel consilium mutare. Nobis is animus, qvi Davidi: *Domine juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Ps. CXIX, 106.

in posterioribus, ubi animum in judicio indifferentem poscit

Hactenus de primo praxeos suæ triduo Masenius. *Ad reliqvas deinde de controversis fidei articulis considerationes indifferenti prorsus atq; ab omni partium studio affectuqve, qvantum per gratiam DEI licet, avocato animo accedere* Lectorem vult; *ita ut te velut æqvum judicem arbitrumq; extra Ecclesias de illis judicaturum constituas, addicturus caussam illi, qvam senseris plura gravioraq; pro veritate fundamenta afferre.* Atq; nuper in *utili curiosit. c.26. init. p.539.* ita hanc *animi indifferentis*, ut ibi vocat, *virtutem* exegit, ut confidat etiam, solam hanc si impetret, confectum negotium omne fore. Credo, si apud Lutheranum scriptorem tale qvid legisset, Deûm inclamaturus erat hominumqve fidem, & Ecclesiæ dicturus contemtorem, inflatum, turgidum, qvi supra omnem Ecclesiam animo se evehat: qvi sibi judicium arroget & arbitrium in rebus fidei, eq; sententiâ

ià ſuâ veritatem dogmatum ſuſpendat. Neqve profectò Lutheranorum qvisqvam *ſe velut æqvum judicem arbitrumq́ extra Eccleſiam de rebus dubiis judicaturum conſtituat.* Omni judicium Spiritui Sancto relinqvimus per verbum ſcriptum (qvod qvaſi os judicis eſt,) in Eccleſiâ loqventi. *Unus eſt, qvi vos judicat, Moſes* (in lege ſcriptâ loqvens,) ajebat Salvator *Joh.V.*45. Et *qvi non accipit verba mea, habet, qvi judicet eum. Sermo, qvem locutus ſum, judicabit eum in noviſſimo die, Joh. XII,48.* Ad hunc unum judicem ablegamur *Eſa.VIII,20. Luc. XVI,29.* Noſtrum ſaltem eſt, auſcultare vocem judicis hujus in Scripturis dirimentis controverſias, ſcrutari in Scripturis, num hæc vel illa ita ſe habeant *Joh.V,39. Act. XVII,11.* & debitâ δοκιμασίᾳ (*1. Joh.IV,*1. coll. *Luc.XIV,19. XII,56.*) explorare merces, qvas diverſi Doctores venditant, probatisqve omnibus bona tenere, 1. *Theſs.V,21.* Sed eâ de re pluribus ad *Conſid. VII.* Viderit interim Maſenius, qvomodo cum ſuis tranſigat, qvi omne in rebus fidei judicium Pontifici tranſcribunt, tanqvam ad hoc conſtituto à Chriſto, ut *velut æqvus arbiter ac judex de rebus dubiis judicet*, qvod hîc cuilibet veritatem indagaturo Maſenius permittit. Viderit, qvomodo ſe ſibi conciliet, qvi jam pium qvemlibet conſtituere ſe extra Eccleſiam qvamvis jubet, ac neutram in ferendo judicio audire, alibi autem in



hac praxi Lutheranos Ethnicorum & publicanorum nomine, eò qvòd Ecclesiam Romanam non audiunt diffamat. Viderit, qvomodo in hujusmodi examine controversiarum progredi possit ille, qvem jam in pensitatione primæ (*Consid. VII.*) convicerit Masenius, in omnibus controversiis Ecclesiæ Romanæ judicio esse acqviescendum. Qvâ enim ratione licebit ita de reliqvis controversiis dubium movere, qvas jam decidit Ecclesia Romana in Synodo Tridentinâ? Viderit deniq; an hoc pacto ad illam Concordiam, qvam hâc qvoqve praxi stabilitum it, res deduci commodè possit. Qvid enim fiet, si in unâ controversiâ plura gravioraq; momenta opinionis Pontificiæ se ostendant fluctuanti Lectori, in alterâ, Lutheranæ, in tertiâ utrinqve æqve, ut videri possint, gravia.

& adminiculum solvendorum dubiorum suggerit.

Prævidit postremam difficultatem Masenius, eamq; sic laborat tollere: *Qvòd si tamen anxius hæreas, cui sit partium accedendum, & hoc ipsum cum suo dubitandi fundamento signabis, neq; iccircò desperabis aut deficies, sed ad reliqvas te considerationes sedulò cogitateq; expendendas convertes, fortè inde lumen ex illâ, qvam habent, rerum connexione accepturus. Dant enim accipiuntq; lucem mutuò.* Adjicit deinde exemplum, qvo id tantùm confirmes, qvod vulgò dicitur, posito uno falso aut absurdo seqvi in finita. E dogma-

dogmate enim manifestæ falsitatis ad *Consid. X.* convincendo de plenariâ peccati originalis in baptismo abolitione conseqvi ait intaminatam bonorum operum perfectionem, eorumq; in justificatione concursum, & in acqvirendâ salute meritum. Corruere simul fidesolariorum sententiam de peccatorum per imputatam Christi justitiam obvelatione: manere suam voluntati libertatem ac facultatem implendi mandata divina gratiæqve DEI cooperandi. Qvæ ita secum connexa sint invicem, ut si unum credas modò, alteri non præbere assensum fermè non possis. Qvòd si occurrat maximè aliqvid, qvod morari assensum possit, fore tamen ut tota catena illa dogmatum pertrahat ad veritatis professionem, utut omnes illius ansulas, ut sic loqvar, non apprehendas. Hæc uti admitti facilè possent, si tantum cum veritate, qvantum secum invicem, conspirarent dogmata Papalia; (qvanqvam & observare sit alicubi insignem ἀνακολουθίαν, cùm verum vero, non semper falsum falso consonet:) ita non dubito, qvin in fidei nostræ professionem rapere hæc procedendi ratio eum possit, qvi unius alteriusqve dogmatis falsitatem, qvam nos juvante Domini Spiritu detegemus, perspexerit. Qvi peccati v. g. reatum in baptismo tolli, ipsum verò peccatum (qvà inhærentiam) remanere in regenitis, Paulo *Rom. VII.* crediderit, facilè

admittet, opera nostra isto veneno simul infici, justitiasq; nostras qvasi pannos immundos in oculis purissimi Numinis esse *Es. LXIV.* Consentiet Apostolo, solâ fide Christum apprehendente justos nos & salvos reddi coram DEO, non habentes justitiam nostram, sed eam, qvæ est ex fide Jesu Christi, *Phil. III.* nosq; adeò non ex operibus sed gratis justificari per fidem *Rom. III.* & justitiam esse ejus, cui tecta sunt peccata, *Rom. IV.* Colliget, nullam hominis â naturâ esse in rebus spiritualibus libertatem, sed omnes potius esse venundatos sub peccato, & mortuos in delictis unicè per Christum vivificandos, *Rom. VII. Eph. II.* &c. Qvid ergò in mentem venit Masenio, inqvies, ut commendaret praxin, qvæ in nostram æqvè ac Pontificiam partem flectere Lectorem posset? Id opinor, qvod non longè ab initio hujus instructionis scripserat: *depravatæ naturæ pondere semper nos in pejus ferri, & ad assensum pertrahere tam esse in hæresi proclive, qvàm in fide orthodoxâ arduum ac difficile.* Credidit ergò, majus momentum habere in lance judicii humani falsitatem, qvàm veritatem: & unius gangrænam heterodoxi dogmatis (qvalia sunt Papalia omnia) totum facilè corpus inficere, unaq; sana rapere in perniciem. *1. Cor. V, 6. II. Tim. II, 17.* Qvò magis danda nobis opera fuerit hoc libello, ut

: qvos Masenius scrupulos pio Lectori it ıjectum, eximantur.

III. Norma, qva ipse est

Hoc anteqvam fiat, necessarium omniò est, ut sententia dicatur de NORMA, ad ıvam Masenius* 7. exigit fidei controversias. Ioc enim tertium caput istius instructionis ecimus. Hîc (1.) cur in solâ Scripturâ non subsistendum arbitretur, causam *à multiplicitate sensûs Scripturæ* accersit, ob qvem præcipuè dissentiatur. Is *cùm in rebus controversis definitus non est ab ipsâ Scripturâ*, (2.) *ad veteris orthodoxæ probatæq; ab omnibus Ecclesiæ sententiam, qvam ab Apostolis illa præ Romanensibus* (sic enim scribit) *hauserit, confugere tutissimum* censet. *Hujus mentem* (3.) *in tertia Concordiæ suæ parte prolixiùs exhibitam, hîc per testem antiqvi sensûs probatissimum D. Augustinum in plerisq; articulis breviter rursus exhibere* promittit: *qvòd* (4.) *non nesciat, plurimum ei à protestantibus qvoq; deferri iis præsertim locis, ubi doctrinam suam S. literis firmatam producit; neq;* (5.) *existimet, qvenqvam Protestantium tam aversum à veteri Ecclesiâ ac Augustino fore, qvin ubi is à Luthero & Calvino in rebus fidei dissentit, cum illo, qvàm cum his credere judicariq; malit, tutiusq; esse arbitretur. Qvam ob causam* (6.) *eosdem juxta Ecclesiam stantes in primâ libelli fronte atq; icone sibi opposuerit, ut meminerit Lector, tutissimum sibi in æternæ salutis discrimine, ex his ducem esse deligendũ.*

 Verùm

non Scriptura, ob multiplicem variumqꝫ sensum,

Verùm enimverò (1.) falsissima est hypothesis de Scripturæ multiplici sensu qvam & Bellarm. *L. III. de V. D. c. 1. & 2.* ruinoso ædificio, qvod toto illo libro extruit, substernit, Scripturam illâ dignitate dejecturus, qvam ipsa sibi potentissimè vindicat, qvòd controversiarum omnium regula unica sit & judex. Sanè verò si cujusvis alterius rei unica tantùm forma est: si nemo facilè vir bonus varium sermone suo sensum intendit: qvid est, qvòd Scripturæ plures sensûs affricant Pontificii? Sophistis hoc propositum, ut ἀμφιβολίᾳ illudant adversariis, (Arist. *de Soph. c. 4.*) & diaboli τȣ̃ λοξίȣ mos fuit olim, æqvivocis tortuosisqve & in utramqve partem valentibus responsis decipere adoratores suos. (Macrob. *Somn. Scip. L. 1. c. 17.*) Absit, ut DEO in Scripturâ loqventi hanc labem aspergamus. Lucerna pedum nostrorum est Scriptura, & lumen in obscuro loco viam monstrans, (*Ps. CXIX, 105. 2. Pet. I, 19.*) non ignis fatuus, modò huc, modò illuc incertos abripiens. Σοφίσαι, erudire sapientesqve reddere nos debet ac potest ad salutem Scriptura, *2. Tim. III, 16.* non ambiguitate sophisticâ deludere. Qvod & è Pontificiis ipsis fassi sunt aliqvi, unicum cum Medinâ (*L. VI. de rectâ in DEum fide c. 25.*) & aliis Scripturæ sensum agnoscentes. Qvòd autem huic incertitudini & multiplici sensui Scripturæ dissensum partium prætendit

qvem impiè fingit, rejecta;

tendit Masenius, in eo ratio ipsum fugit. Non Scripturæ multiplicem sensum, sed perversitatē τῶν ἀστηρίκτων στρεβλούντων τὰ δυσνόητα (*II. Pet.III,16.*) demonstrare sic debebat Masenius. Non est res viridis statim, qvæ talis apparet per vitrum viride intuenti. Neqve Testamentum duplicem habere sensum creditur, qvod in transversam partem rabula detorqvet. Removenda ex oculo causa falsi coloris est, verusq; sensus accuratâ ἐρευνήσει ex aurifodinis Scripturæ eruendus *Joh.V,39.* Qvid enim? Ex amici epistolâ certi de ejus mente reddimur: neq;, credo, excipere licuerit ei, qvi decretis aut bullis Romani Pontificis parere nolit, definitum inde sensum haberi non posse. Et DEum negabimus in illâ ad genus humanum epistolâ (qvomodo Gregor. M. Scripturam appellabat) tam perspicuè animi sensa exprimere potuisse, ut apprehendi illa, nisi ab hominibus accederet interpretatio, neqvirent?

sed sententia veteris Ecclesiæ,

Itaqve (2) causa ea nulla erat, cur *ad veteris orthodoxæ probatæq; ab omnibus Ecclesiæ sententiam, qvam ab Apostolis illam hausisse sentit, confugiendum* putaret. Qvanqvam enim nulli eamus inficias, Apostolos Apostolicosqve viros ex ipsis Scripturis & secundum Scripturas sensum earum priscis Patribus tradidisse, & hos deinde discipulis suis: tamen

(qvam pro normâ habere, tn. ex illo consensu de sensu Scripturæ cõtroverso judicare velle, & *impossibile* est, & *impium*, & *absurdum*, & *periculosum*, & ipsi *priscorum Ecclesiæ DD. autoritati contrarium.*

& impossibile est, *Impossibile* primùm hoc dico: qvia talis consensus haberi non potest: tum qvòd non omnes Dd. Ecclesiæ sententiam suam de vero Scripturæ sensu rebusqve fidei scripto aperuerunt, ut incertus sis, annon alii plures vel præstantiores aliam foverint opinionem: tum qvòd plurima eorum scripta interciderunt, plurima adulterata interpolataqve, non pauca supposita, ad nos pervenerunt: tum qvòd in longè plurimis Scripturæ locis, qvæ res fidei concernunt, interpretandis multum dissideant ab se invicem, aliqvando & à se ipsis, qvando uno libro eam proferunt sententiam, cui contrariam altero proposuerunt: qvo casu utraq; ab Apostolis accepta interpretatio dici non potest.

& impium, Deinde & *impium* est, DEI sensum humanâ decempedâ metiri. Qvis principum æqvo sustineat animo mentem suam publicis literis expositam ex subditorum interpretatione dijudicari? Enimverò non nisi humanam Patrum auctoritatem ipsi Pontificii faciunt: unde non nisi fides humana ingenerari Lectoris animo potest. Candidè Bellarm. *L. II. de Concil. c. 12: §. dico secundò: Scripta PP. non sunt regula, nec habent auctori-*

ctoritatem obligandi. Cui Canus & Salmero, qvorum hanc in rem verba B. Dorſch. Religions-Scrup. III. p. 14. ſqq. profert, conſentiunt, ſic ſtatuentes, cum reverentiâ legendos Patres, ſimul autem ut homines cum judicio & delectu eſſe. Dionyſius etiam Petavius, (qvo', dubitabat olim illuſtris Peireskius, an Societas Jeſu doctiorem haberet, teſte Gaſſendo *vitâ ejus L. III. p. 255.*) ubi duplex argumentorum genus facit, qvibus ad probandum Theologus utitur, unum ἀποδεικτικὸν & neceſſarium, qvod certam habet & ad aſſenſum cogentem concludendi firmitatem; alterum non niſi probabile: auctoritatem Eccleſiæ Doctorum ad poſteriorem claſſem refert, *prolegom. dogm. theol. c. 2.* Qvæ autem impietas eſt, ſanctisſimum & ab omni errore immune DEI verbum ſententiæ unius alteriusve Doctoris, qvi & homo fuit, nec humani qvicqvam ab ſe alienum putavit, ſubjicere? Qvæ veſania, argumentis apodicticis fidem facere è non niſi probabilibus velle? Aut qvid *abſurdius* cogitari poteſt? Et meritò Hülſemannus noſter *Diſp. I. contra Hager. th. 26.* exqvirebat: qvid movere qvempiam posſit, ut credat, hanc Eccleſiæ ſententiam veram eſſe? Qvi multitudinem allegaverit illorum hominum, ineptus fuerit: plures enim in paganiſmo conſentiunt. Si cauſam urgeas hanc, qvòd cœtus il- *& abſurdum,*

le

le errare neqvit, qværetur porrò, unde hoc, nisi ex Scripturâ, constet? Ejus proinde sententiam priùs cognitam certam esse oportebit, qvàm ex Ecclesiæ sensu de sensu Scripturæ feras sententiam. Nos verò hæc qvidem mittamus, & hoc solùm ostendamus pio salutisq; cupido Lectori, qvàm *periculosa* sit ista praxis, qvâ â Verbo DEI scripto tanqvam ambiguo ad Ecclesiæ sententiam è PP. scriptis hauriendam confugitur. Ingens hîc periculum *(a)* ob facilem ipsorum Patrum in errorem prolapsum. Homines fuisse, fatentur modò laudati Pontificii. Errasse eos sæpiùs, neq; eum Scripruræ sensum reddidisse, qvem debebant, iidem non dissimulant. Bellarminus ipse, ubi de judice controversiarum disputationem orditur *L.3. V.D.c.3.* lapsum Justini, Jrenæi, Tertulliani, Lactantii aliorumqve notat. Estqve infinities â nostris ostensum non minùs contemni elevariq; à Pontificiis PP. auctoritatem, cùm ipsis opponitur, nec alia se elabendi rima aperit, qvàm extolli solet, cum vel in speciem favet ipsorum sententiæ. Manifestissima hanc in rem loca è Pontificiis Scriptoribus Gerhardus noster excerpsit magno numero *L. I. Conf. Cath. P. 2. c. 13. p. 566. sqq.* Idemqve Jac. Laurentius in *subdolâ reverentiâ Papali erga Patres*, & Jo. Dallæus erudito *de usu Patrum* scripto aliiqve osten-

& periculosum, tum ob Patrum lapsus,

oſtenderunt. Qvis ergò non vereatur illos duces,qvibus æqvè facilè in errores ac veritatem induci posſis ? Ecce autem novum periculum (β) ex editorum corruptorumqve fraudibus. Hi enim ſæpiùs Patribus ſuppoſuerunt fœtûs,qvos ab ipſis conſtat nunqvam agnitos fuiſſe : qvod Gerhardus,Rivetus,Cocus aliiq; abundè oſtenderunt , ac docuit Dorſchæus *bodeget. contra Kircherum p.82 ſeqq.* ex unico Bellarminianarum controverſiarum volumine,qvàm malignè plus qvam ſesqvicentenis locis ſummus illi Rom. Eccleſiæ promachus libros Doctorum in demonſtrandis dogmatis ſuis citet, qvos alibi ipſe pro ſuppoſitis agnoſcit. Et qvis fraudes Expurgatoriorum indicum neſcit, qvibus demunt ex ſcriptis Patrum,addunt, mutant,qvæ placet ?Lege deteſtanda ſpecimina talium corruptelarum apud Hülſem. *Diſp. XIX. contra Hag. qv.I.th.II.p.*1014 *ſqq.*(qvem & confer *brev. cap.* 17. *ſupplem. th. 9. p.312.*) Höpffner. *Sax. Evang. S. II. P. I. c. 4. extr. p.217.* Dorſch. *dedic. P. I. Th. Zach. lit. c.* Danhauer. *Chriſteid. p.249.* Jac. Laurent. *Reverent. ſubdol. Papiſt. erga PP. ſect. 2. art.* 11 *p.190. ſqq.* Rivet. *Crit. S. tract. de Patrum autor. c. 12. p. 82.* & amicisſimum mihi Clq; Dan. Francum *Exerc. de Indicibus expurgatoriis* §. 17. 23. Accedit (γ) allegantium perfidia: qvi ſæpè truncata mutilataq; teſtimonia citant eorum Patrum,qvos in alia omnia iviſſe alia

tum ob editorum fraudes,

tum ob allegantiũ technas,

alia eorundem loca, interdum eadem ipſa, qvæ ſubleſtâ proferuntur fide, rectè inſpecta docent. Atq; hoc tum oſtenſum ab aliis eſt, tum ipſum hoc Examen noſtrum abundè docebit. Qvid autem hîc faciet homo Chriſtianus, cui dubitandum fuerit ſemper, hæccine mens ſit ejus Patris, qvem evolvere ſibi non conceſſum? Num tutò credet Pontificio toties malæ fidei in talibus convicto? Sed finge tandem & eſſe hujus Scriptoris γνήσια, qvæ proferuntur, verba, & rectè allegari, & conformiter alios loqvi: qvis definiet, verborum, (qvæ non minùs rapi in diverſas ſententias poterunt, qvàm Scripturæ ab hæreticis ſolent:) hanc, qvam perſvadere alius laborat, vel tute concipis animo, ſententiam eſſe? aut ſi ſit, veram eſſe? Hâc qvæſtione abſtinet Maſenius, abſtinent alii, ne myſterium fraudis diſpaleſcat illicò. Scilicet periculoſum eſt hoc dijudicandarum controverſiarum principium, ſi (∂) intentionem Maſenii cæterorumqve cogites. Tota enim res ad Pontificis Rom. judicium redit. Namqve ſic diſſerunt, Scripturam probare articulos fidei, qvatenus ad Patrum expoſitionem qvadrat. Patrum autem ſententiam non aliam eſſe debere, qvàm qvæ ab Eccleſiâ Catholicâ approbatur. Eccleſiæ autem voce, ſi progrediare ulteriùs, unum & ſolum Pontificem intelligunt. Bene (qvanqvam peſſimæ religionis defenſor) Sim. Epiſco-

tum ob pravam Jeſuitar. intentionem:

:opius *L. IV Inst. Theol. S. I c. 13. Ecclesiæ, siæ Catholicæ, Ecclesiæ Oecumenicæ vo-on sunt, nisi phaleræ ad populum, & qvæ nandæ incautæ plebi usurpantur. Ubi ad ventum est, & apex controversiæ tangitur, verò unus & solus Pontifex Rom. est, cui tq; auctoritatem illam ex esse competere nditur.* Non dissimulat hoc Vaz- Jesuita *Tom. I. in Thom. D. XII. c. 1. n. 2: res etiam simulsamti* (nedum unus Au-nus, vel alius qvispiam) *non habent au-tatem aliam nisi humanam, nec* (NB) *con-unt aliâ de causâ, qvàm qvòd Ecclesiâ ensum eorum in interpretatione Scripturæ vit.* Gvilielmus etiam Bailius catechu-io qværenti: *debetne admitti Doctorum oritas?* respondet: *debet, qvatenus ab esiâ approbatur: Catech. controvers. P. I. q. II.* Luculentiùs adhuc Bellarm. tifici Patres Ecclesiæ veteris non modò octores judici *L. III. V. D. c. 10. resp. ad 16.* etiam ut Patri filios subjicit, qvos ipse, si ent, castigare possit: *Pontifex*, inqvit, *habet ullos in Ecclesiâ Patres, sed omnes fi-*

Qvid verò mirum est, si non pater filiis ilii Patri suo subjiciantur? Papa nec Pa-us, nec eorum canonibus cogi potest. L. *II. .c. 27. §. ult.* Unde prudenter B. Lutherus uit *Libro de Conciliis, A. 1539. Germanicè* (Tom. VII. Jen. Germ. f. 231. sqq. ed.) operam leumqve perdi, si qvis re-

 forma-

formationem Ecclesiæ exconsensu PP. instituere velit, dum semper maneat dissidium de vero sensu auctorum, nisi te spontè Rom. Pontificis tyrannidi subjicere velis. Qvantò rectiùs *ipsi olim Ecclesiæ Patres* sentiebant? Qvi in rebus dubiis non ad se, verùm ad Scripturas ipsas confugiendum, perqve illarum debitam σύγκρισιν veram sententiam eruendam esse censebant. Unum jam Augustinum (ad qvem Lutherus qvoq; *l.c.* sæpius provocat) ideò produco, ut intelligatur, qvàm ingratiis sanctissimi Patris, eundem instrumentum fecerit perversissimæ praxeos suæ Masenius. Is *Epist.XIX.* (T.II. p.70.) Hieronymo neqvicqvam Patrum testimoniis contra se pugnanti super fribusculo Petrum inter & Paulum exorto, eademq; ab se exigenti respondet : *Ego fateor charitati tuæ, solis in Scripturarum libris, qvi jam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliqvid errasse, firmissimè credam. Ac si aliqvid in eis offendero literis, qvod videatur contrarium veritati, nihil aliud, qvàm vel mendosum esse Codicem, vel interpretem non assecutum esse, qvod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut qvantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, qvia ipsi ita senserunt; sed qvia mihi vel per illos autores*

(& Patribus deniq; ipsis repugnat.)

s canonicos, vel probabili ratione, *qvod à ro non abhorreant*, *persvadere potuerunt. c te, mi frater*, *aliqvid aliter sentire eximo; prorsus, inqvam, non te arbitror, sic legi os libros velle*, *tanqvam Prophetarum vel postolorum, de qvorum scriptis*, *qvòd omni rore careant*, *dubitare nefarium est*. Et st aliqva p 80: *Si qværas, vel recolas*, *qvid senserit noster Ambrosius*, *qvid noster itim Cyprianus*; *invenies fortasse*, *nec nobis uisse, qvos in eo*, *qvod asserimus*, *seqverer*: *qvanqvam, sicut paulò antè dixi*, *tannmodò Scripturis canonicis hanc ingenuam beam servitutem*, *qvâ eas solas ita seqvar*, *conscriptores earum, nihil in eis omnino errasse*, *nihil fallaciter posuisse*, *non dubitem. inde cùm qværo tertium, ut tres etiam ego bus opponam, possem qvidem*, *ut arbitror*, *ilè reperire*, *si multa legissem. Veruntan ipse mihi pro his omnibus, imò supra hos nes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum fugio, ad ipsum ab omnibus*, *qvi aliud sennt*, *literarum ejus tractatoribus provoco*, od invertunt Pontificii:) *ipsum interrois interpello &c.* Similia alibi apud ipsum erias.

Qvid verò hîc porrò Masenius noster? ferat in Medit. Conc. sola Scripturæ ver-: hîc Ecclesiæ consensum addit: sed hunc am ipsum (3.) ad solum Augustinum, (pere ut Jesuita ille, apud Pollenburg. *Epist.* *Eaq; ex Augustino discenda:*

 Re-

Remonſtr. p. 833.) reducit: qvem & peculiari libello alio *controverſiarum deciſorem* fecerat. Enimverò magna hujus Patris in Ecclesiâ meritò auctoritas eſt; non tamen tanta, ut pro regulâ haberi debeat veræ expoſitionis Scripturæ, & qvod eodem recidit, controverſiarum. Qvomodo enim uni Auguſtino tribuatur, qvod multi ex Pontificiis ipſis denegabant Eccleſiæ Doctoribus reliqvis, qvotqvot extant, cum Auguſtino conjunctis? Et qvid fiet B. Patre, ubi diverſam ſententiam diverſis locis fovet? Ubi (qvæ ejus modeſtia eſt,) ſuſpendit judicium? qvod in qvæſtionibus de peccato originis ab eo factum; Tannerus Jeſuita affirmat *Tom. II. Theol. Schol. D. IV. q. 7. dub. 4. n. 127.* Qvid fiet, ubi retractavit opinionem ab ſe juvene poſitam Senex? qvemadmodum Bellarminus illius auctoritatem eludit Hülſemanno notatus *D. III. de auxil. grat. q. 6. n. 6. p. 284.* Itanè illis etiam locis fuerit antiqvi ſenſûs interpres, qvibus damnatam à Pontificiis ſententiam tuetur? Sanè hoc factum ab eo, Poſſevinus cenſet *Tom. II. appar. Sacri, voce:* Proſper Aqvitanicus, ubi ſic ſcribit: *Concilium Tridentinum meritò damnavit eam ſententiam, omnia peccatorum aut etiam infidelium opera eſſe peccata, qvamvis maximum habeat auctorem D. Auguſtinum.* Salmero, qvi inter Jeſuiticæ factionis primos fuit, *Diſp. LI. ad Rom. p. 474.* qvanqvam ſanctum

qvod verò fieri neqvit,

ne Papiſtarum qvidem judicio.

um *fuisse* Augustinum sentiat, tamen *excu-re illum à qvibusdam erroribus vel nescien-*i non audet. Eadem Sixti Senensis *pra-t. L. V. Biblioth.* & passim toto libro; ea-m Bellarmini pluribus locis sententia est, multis errasse, & à sensu Ecclesiæ Catho-æ atqve Scripturæ discessisse Augustinum, id. illius *L.1. de R.P.c.10.* §. *addo*, *Augusti-m ex solâ ignorantiâ lingvæ Ebrææ deceptũ c. Lib. de matrim. c. 14.* §. *Cur autem. L II. Sacramentis in genere c. 17.* §. *esse autem.* emq; §. *unum est* &c. *L.II. de gratiâ & libe-*) *arbitrio c.7.* §. *propositio. & L.V.c.2.* §. *dua nt.* His locis omnibus ab Augustino in terpretatione Scripturæ recedit: ut hinc pareat, qvæ certitudo in hoc processu Ma-nii vel Jesuitarum judicio inesse possit.

Qvòd enim (4.) addit, *Augustino plu-mum deferri à Protestantibus*, verum est e-videm, parum autem ipsum juvat. Rectiùs rofectò de Sancto Patre sentire didicerunt onifacio II. Papâ Romano, qvi epistolâ ad ulalium, (qvæ apud Binium qvoqve *Tom. . Concil. P.I. fol. 644.* habetur,) excommu-icare illum non dubitabat, qvòd instigante iabolo contra Ecclesiam superbiisset, ceu Iülsemannus noster *Disp. XVIII. contra Ha-er. q.1.* §. *21. p. 899.* observat. Interim licet naximi faciant Protestantes Augustinum; ominem tamen permittunt esse, neq; in id astigium evehunt, unde dictaturam in do-

Qvantum Augustino defe-rant Pro-testantes?

gmata fidei & Scripturæ ſenſa exercere poſſit. *Iis* enim *locis*, (qvod rectè addit Maſenius,) *ubi ſuam doctrinam S. literis firmatam producit*, multum illi deferunt Proteſtantes: ſi abire illum à Scripturâ contingat, ut fieri neceſſe eſt, ſi Pontificia dogmata probat, ſeqvuntur ipſius Auguſtini exemplum *contra Creſconium grammaticum L. II. c. 32.* T. VII. p. 241. ſic ſcribentis: *Qvicqvid in Cypriani literis* (de Auguſtino idem judicium) *Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus recipio; qvod non congruit, cum pace ejus rejicio.* Atq; fatetur alibi ipſe, eſſe in ſuis libris non pauca, *qvæ juſto judicio & nullâ temeritate culpari posſint*: (*L. IV. de orig. an. c. 1. T. VII. p. 1187.*) fatetur, ſe ne Senem qvidem ad perfectionem ſine errore ſcribendi perveniſſe, ideoq; parare *libros retractationum*, ut demonſtret, *nec ſeipſum ſe in omnibus ſecutum fuiſſe, lib. de Bono perſeverant. c. 21. T. VII. p. 1289.*

Nugatur ergò Maſenius, dum (5.) ſperat, *neminem Proteſtantium tam averſum ab Auguſtino fore, qvi cum illo, qvàm cum Luthero & Calvino, ubi ab his diſſentit, credere judicariq; non malit.* Si Pontificii cum Pontifice ſuo, credere judicariq; malunt, qvàm cum Auguſtino, ubi is rectè de ſervo arbitrio ſcripſit, qvod liberum facit Pontifex: cur nos cum Luthero (de Calvino viderint ſui,) non malimus credere, qvam cum Auguſtino,

io, si is Scripturæ consentanea, hic dissen-
ea protulerit ? Una nobis norma Scri-
ira est. Cujus doctrina ad hanc qvadra-
leprehenditur, hanc approbamus; rejici-
s, qvæ minùs convenit, à qvocunqve tan-
n Scriptore proferatur.

Imaginem (6.) qvam libro suo præfixit,
um curamus. Fuerat fortasse & nobis *Imago*
itillum ingenii, unde simile aliqvod vel *præfixa*
idius emblema in Pontificios procudere- *libro*
, si magis ea res faceret ad veritatem,
àm ad exagitandi libidinem demonstran-
m, qvæ adeò propria Masenio semper fuit,
nec temperare sibi posset, qvò minus in
ntem libri succum atræ loliginis evome-
:. Enimverò qvòd cum Calvino in ean-
m classem Lutherum compingit, putida
lumnia est, qvæ per totum qvoq; opuscu-
m regnat, semel hîc notanda, posteà trans- *geminâ*
ittenda à nobis. Horrida scil. Calvi- *maculatâ*
anorum dogmata *Protestantibus* non rarò *calumnia.*
ipingit, hoc nomine orthodoxos miscens
m heterodoxis, & in errorum societatem
sdem pertrahens. Qvanqvam iis tantum
incipibus ac Civitatibus id nomen hæsisse
imùm, qvi contra decretum Spirense,
1529. sancitum, protestabantur, Historia
cet, à Thuano tacta *L. I. p. 60. edit. Paris.*
04. copiosiùs verò ex Sleidano *L. VI. Com-*
entar. g. 171 seqq. Hortledero *L. I. de cau-*
Belli Germanici c. 4. 5. 6. 7 p. 43 seqq. Luthero

T.2.Isleb.f.14. Höpffnero *Sax.Evang p. 23.* Calov. *Crit.S p 21.* & aliis petenda. Adhærebant autem illi Principes Luthero omnes, à qvo jamdum Carolſtadius Zvvingliusqve cum ſociis ſeſe ſeparaverant: erantqve ipſi illi, qvi Auguſtanæ Confesſioni Anno ſeq. ſubſcripſerunt. Porrò & Civitates omnes, qvæ proteſtationi illi ſeſe jungebant, Lutheranæ erant, Argentina, Noribergа, Ulma, Conſtantia, Reutlinga, Winshemium, Lindavia, Campodunum, Hailbronna, Iſna, Wisſeburgum, Nordlinga, Sangallum. Has enim Sleidanus memorat. Scilicet hoc agit Maſenius, ut doctrinæ noſtræ invidiam Lectoris conflet, qvi ea cogitabit noſtra Lutheranorum eſſe dogmata, qvæ ipſi in Calvinianis ceu pernitioſa execramur. Decumanum verò mendacium, qvo Lutheri manu laceratum codicem Biblicum pingit, ipsâ impudentiâ ſuâ ſe prodit. Edat, ſi Vir eſt, Maſenius, ubi Tobiam, ubi Eccleſiaſticum, aliumve librum evulſerit Codice Sacro Lutherus; qvos vertit etiam in Germanicum idioma, & utiliter in Eccleſiâ prælegi ad morum ædificationem cenſuit. Cur autem Canonicis cæteris æqviparari qvoad dogmatum confirmationem non poſſe crediderit, cauſas cum Veteri usqve ab Apoſtolorum ætate Eccleſiâ habuit & numero plurimas, & pondere gravisſimas, qvas Chemnitius, Gerhardus, Calovius, Kromaierus, Varenius, Rainol-

ainoldus,Chamier, Rivetus &c &c. reperunt, nemo verò Papiſtarum hactenus ɔnvellere potuit.

ULTIMUM ſupereſt,qvod agit hâc inoductione Jeſuita. Deum conteſtatur,& ndoris ſui in hujus praxeos delineatione hibiti teſtem invocat,imò vindicem doli, qvis intervenerit. Optat etiam, *ſi ullibi rtium amori odiisve ſciens indulſerit, ſi non iq; concluſerit, qvod tutiſſimum certiſſiumq; eſſe ſenſit,ita ut fortunam hujus mundi nnem vitamq; hanc potiùs deſſerendam eſſe, ɔàm propoſitam veritatem, conſtituerit, meis ſe pœnis DEUS eò usq; proſeqvatur,ut cum probrio revocare ac deteſtari univerſa cogar,ſuaq; teſtis & vindex fiat perfidiæ.* Eanmqve conteſtationem à contradictore ſuo igit. Qvam ſi recuſet, malæ eum fidei riptorem atq; à propriâ damnatum conentiâ ab ſe habitum iri. Talia ille ſplendè atq; magnificè. Ego verò non id ago, *candorem* viri in dubium vocem. Qvanam ingenium ſi cogites ſectæ, cui ſe addit,Lojoliticæ,dubitandi cauſa fuerit vel iorum Papiſtarum judicio, qvos ſæpiùs de ctæ illius fraudibus ac technis qverentes gas. Neq; profectò exciderunt prudenm animis fraudulentæ eorum machinaɔnes,qvibus meruerunt totis aliqvoties reiis ac provinciis, Angliâ qvippe, Galliis, lgio,Venetiis etiam, Bohemiâ, Poloniâ

IV. Conteſtatio autoris

de animo candido,

 ejici.

inſpector, is vindex mendacii & improbitatis. Ejus eſt veritas, qvam defendo. Ejus veritas, qvâ defendo. *Proba me, DEUS, & ſcito cor meum. Proba me & cognoſce ſemitas meas. Et vide, ſi via iniqvitatis in me eſt: & deduc me in viâ æternâ*

AMEN.



Exa-

EXAMEN
Confiderationis I.
De fine hominis, & mediis eum confeqvendi.
PUNCT. I. p. 1. 2. 3:
Cur DEUS te creaverit immortali animâ?

NEmpe advidendum DEum & omne bonum cum ipſo posſidendum. Hîc qvòd ine hominis ultimo omnem inveſtigatiom fidei orthodoxæ auſpicatur , non imobamus. Eſt enim vita æterna ſcopus fii noſtræ,*1.Pet.I.9.* Atqve utinam dogmaipſa ſic comparata eſſent,ut ad hunc finem minem Chriſtianum perducerent. Nunc lla propemodum hæreſis eſt, (ex obſervaone B. Hulſemanni *dedic, breviarii theol. 1640. ſcriptâ)* qvia vitæ æternæ præmia, nqvam primum invitans ad pietatem in nere ſvaſorio Rhetorum proponat, qvaſi mini ex conditione naturæ immortalis bita per naturam appetibilia, ſed laborigs ac ſtudiis ſanctitati cœlituum convenitibus impetrandâ. Itaqve ut omninò probamus, qvòd in praxi diſcernendæ fii hunc finem ſemper reſpiciendum cenſet: ita

A fine hominis ultimo an rectè auſpicatus Maſenius?

An pietati studendum intuitu hujus finis?

ita non improbare non possumus, qvòd tanqvam primum inductivum ad pietatem, atq; ut finem homini ex congruentiâ cum immortalitate animæ debitum homini proponit. Qvanqvam enim DEUS Opt. Max. qvæ immensa ejus benignitas est, gratiosè promiserit pietati hanc & futuram vitam 1. *Tim. IV.* 8. nunqvam tamen, ut mercenarios nos pietati studere jussit. Non obseqvuntur filii DEI Patri intuitu cœlestis hæreditatis, sed ex sincero potiùs amore, è verâ cordis fiduciâ oriundo. Non rectè amatur Sponsus, qvi propter dona amatur. *Cave anima, ne, qvod absit, meretrix dicaris, si munera dantis, plusqvam affectum amantis diligis.* Monet autor meditationum, qvæ sub Augustini nomine venditantur *L. 2. c. 4.* Et *Qvi DEum propter aliud amat, aliud potiùs, qvàm ipsum amat: Contrà verò tum veraciter Creator amatur, si ipse non aliud pro illo, qvod ipse non est, amatur*, Augustino judice L. XV. C. D. 22. *Metuant* itaq; Romanenses *tanqvam servi plagas: expectent, ut mercenarii mercedem. Qvi supra hos assurgunt ac filii sunt* (Lutherani,) *DEum verentur, ut Patrem, ac bonis operibus student, qvia bonum est, patri obtemperare, etiamsi ex eâ re nihil qvæstûs ad nos rediturum esset.* Qvæ Gregorii Nazianz. verba ex *Orat. in S. Bapt. p. 645.* ad Pontificios applicari non ægrem feret Masenius, qvi disertè *pag. 2.* eos tales ser-

servos facit, qvi *diligentes DEUM & obedientes voci ejus audire mereantur: Euge bone serve & fidelis: qvia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* Nos nullum agnoscere meritum vitæ æternæ possumus in iis, qvi *cùm fecerint omnia, qvæ debuerunt, dicere* necesse habent: *servi inutiles sumus, qvia qvæ debuimus, fecimus, Luc. XVII, 10.* Neqve Salvator, cur *Matth. XXV, 21.* (qvem locum citat Masenius) servum super multos constituat, hanc causam assignat, qvia fuerit super pauca fidelis. Causalem particulam nec originalis textus, nec Syrus interpres agnoscunt: Qvæ si haberetur etiam, juxta analogiam tamen Scripturæ ac fidei non causaliter, sed συλλογιστικῶς & ratiocinativè (ut *Joh. IIX, 44.*) l. expletivè (ut *Luc. XXIV, 46.*) vel assertivè (ut *Luc. IV, 21. V, 26.*) exponenda esset. Absit ergò vanissima persvasio, qvâ pietati studeas, tanqvam per eam vitam æternam promeriturus. Aliæ causæ sunt, alii stimuli, qvibus ad pietatis studium concitat Spiritus Sanctus. DEI cogita mandatum, *sanctum te jubentis esse, qvia ipse Sanctus, Lev. XI, 44.* & qvòd *voluntas DEI sanctificatio nostra, 1. Thess. IV, 3.* DEI cogita beneficia, qvibus ad obediendum te obstrinxit, *Malach. I, 6.* Christi cogita meritum, qvi *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret* ab

Matth. XXV, 21. Vindic.

Pietatis stimuli ex Scripturis S.

ab omni iniqvitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Tit.II,14. I.Pet.II,24. Respice ejusdem Salvatoris exemplum, qvod nobis reliqvit, *Joh.XIII,15,1.Pet.II.21.* Expende Spiritûs S. vocationem, *Eph IV,1.* qvâ vocatus es non ad immunditiem, sed ad sanctificationem *1.Thess.IV,7.* Respice proximum tuum, qvi & juvandus officiis, & bono exemplo ad similem vitæ sanctimoniam invitandus est, *Phil.II,15. 1. Pet.II. 12. III,1.2.* Te ipsum deniqve respice, ut & fidem tuam per opera ostendas, *Jac.II,18.* nec per peccata illius facias naufragium, *1. Tim.I,19.* Expende, hæc & similia annon in Ecclesiis nostris longè efficaciùs pietatem accendant, qvàm si vitam æternam ut mercedem pietatis proponeremus, contra disertam Scripturæ sententiam: *non ex operibus* &c. *Rom. VI, 23. Eph. II, 8. 9.* Jactabunt in extremo judicio reprobi opera sua spe mercedis facta; at electi immensam DEI largitatem gratuito afficientis præmio opera sua mirabuntur: eoqve declarabunt, qvòd simplici corde, non autem intuitu mercedis benefecerint. *Matth. XXV, 34.* Rectè Bernhardus & appositè in *tract. de dilig. DEO*: *Non sine præmio diligitur DEus, etsi absq; præmii intuitu diligendus est. Vera charitas mercenaria non est, etsi merces eam seqvatur.* Conf. Gerh. *L. de B O.* §.*126.sqq.* Calov.

Calov. *Armin.c.IX.* §.*42.43 p 285*.Hülseman. *rev.c.16.th.1.2 p. 260.*

Cæterùm non erat, cur tantopere miraretur Masenius *pag.2. reperiri homines, qvi nec certâ fide teneant, nec tamen satagant per bona opera firmam reddere vocationem suam.* Qvi certâ fide respiciunt præfixum sibi scopum, current etiam, ut illum asseqvantur, *Phil.III,13.14.* Qvi κειμήλιον & coronam sibi repositam verè credunt, certabunt certamen bonum, & cursum consummabunt, *2 Tim.IV,7.8.* Hoc nisi faciant, ne fidem qvidem habere censendi sunt; ea enim per charitatem efficax, sine autem operibꝰ mortua est, *Gal V,6. Jac.II,18.* Qvicunq; habet hanc spem in DEO, (qvòd visurus sit ipsum, sicuti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus est, *1 Joh.III,3.* & satagit adeò per bona opera firmam reddere vocationem & electionem suam. Firmam, inqvam, non DEO; hujus enim jam firmamentum consistit, *2. Tim. II. 19.* sed sibi ipsi & proximo eo modo, qvem ex Scripturis egregiè deduxit B. Feurborn. *Syntagm. II. disp. 22.* §. *38.* *seqq.* p. 1765. sqq.

Opp.

D PUNCT.

PUNCT. II. p.4.5.6.

Qvanta qvamq; ingentia tibi jam nunc DEus in hâc mortali vitâ præ cæteris creaturis bona largitus sit, ut hunc finem cælestis beatitudinis asseqvereris: qvamq; illa, quæ à te vicissim exigit, sint exigua.

BImembre videtur hoc considerationis punctum. Sed qvia de membro posteriori nihil nisi in hâc, ut sic vocem, propositione dixit Masenius, in priori modò occupari nos fas est. Bona illa seu *media* ad conseqvendum hunc finem summum de Imagine DEI exponit. Qvam *sic à SS. Trinitate impressam homini* ait, *ut cùm isse ipsum intueretur, & auctorem agnosceret, à qvo conditus, & finem ad qvem creatus. Similem enim esse hominem DEO Patri, qvem ut principium spectant omnia, qvoad primam animæ potentiam, memoriam, operationum spiritualium primam motricem: Filio, tanqvam æterna Patris Sapientiæ, qvoad intellectum humanæ divinæq; sapientiæ capacem: Spiritui S. Patris Filiiq; amori, ratione voluntatis liberè amantis & moderantis actiones hominis. Hanc similitudinem inchoari per naturam, perfici per gratiam, & juxta 1. Joh. III, 2. & Ps. LXXXII, 6. absolutum olim iri per gloriam. Itaq; dandam operam esse, ut his tantis beneficiis DEI respon-*

Imaginis Divinæ.

spondeamus, finemq́, cui assequendo destinata nt, impetremus. Hæc summa est istius ıncti : qvô dupliciter considerat imagi- :m Divinam : *absolutè* sc. ratione essentiæ æ, & *relativè* ratione officii, & qvatenus edium esse debet fini hominis ultimo asse- endo proportionatum. Utrobiq; autem avissimè hallucinatur. Et à posteriori ut cipiam, distingvendi statûs naturæ integræ per lapsum corruptæ fuerint. Priorem tum si respicias, concesserim, eam fuisse ıaginis Divinæ perfectionem ac vim, ut ad am æternam aspirare illius beneficio ho- ɔ potuerit, conditus scil. ad beatam illam mortalitatem, *Sap. II, 23.* Postqvam autem : lapsum protoplastorum, non tantùm de- rdita imago DEI est, sed in ejus etiam lo- m extrema malitia succesſit, ut *omnis cogi- io nostra tantùm prona sit ad malum omni ɔpore, Gen. VI. & VIII*: tantum abest, ut ago DEI medium nobis esse possit perve- ndi ad salutem, ut æternæ potiùs damna- nis princeps causa sit nefaria illius perdi- . Uti enim peccantes diaboli unico il- peccato veritatem in qvâ creati erant, ɔ qvam à nonnullis & angeli ad imagi- n DEI conditi dicuntur,) amiserunt *ɔ. IIX, 44. II. Pet. II, 4.* Sic homo primus, sqve in eo omnes (*Rom. V. 12*) per pecca- n concreatam virium omnium rectitudi- n, DEIq; adeò imaginem amisimus simul,

(1.) officium, an sit medium ad vitam æternam obtinendam?

T.2.Isleb.f.14. Höpffnero *Sax.Evang p. 23.* Calov. *Crit.S p 21.* & aliis petenda. Adhærebant autem illi Principes Luthero omnes, à qvo jamdum Carolſtadius Zvvingliusqve cum ſociis ſeſe ſeparaverant : erantqve ipſi illi, qvi Auguſtanæ Confesſioni Anno ſeq. ſubſcripſerunt. Porrò & Civitates omnes, qvæ proteſtationi illi ſeſe jungebant, Lutheranæ erant, Argentina, Noribesga, Ulma, Conſtantia, Reutlinga, Winshemium, Lindavia, Campodunum, Hailbronna, Iſna, Wisſeburgnm, Nordlinga, Sangallum. Has enim Sleidanus memorat. Scilicet hoc agit Maſenius, ut doctrinæ noſtræ invidiam Lectoris conflet, qvi ea cogitabit noſtra Lutheranorum eſſe dogmata, qvæ ipſi in Calvinianis ceu pernitioſa execramur. Decumanum verò mendacium, qvo Lutheri manu laceratum codicem Biblicum pingit, ipsâ impudentiâ ſuâ ſe prodit. Edat, ſi Vir eſt, Maſenius, ubi Tobiam, ubi Eccleſiaſticum, aliumve librum evulſerit Codice Sacro Lutherus; qvos vertit etiam in Germanicum idioma, & utiliter in Eccleſiâ prælegi ad morum ædificationem cenſuit. Cur autem Canonicis cæteris æqviparari qvoad dogmatum confirmationem non poſſe crediderit, cauſas cum Veteri usqve ab Apoſtolorum ætate Eccleſiâ habuit & numero plurimas, & pondere gravisſimas, qvas Chemnitius, Gerhardus, Calovius, Kromaierus, Varenius, Rainol-

ainoldus, Chamier, Rivetus &c &c. repe-
erunt, nemo verò Papistarum hactenus
onvellere potuit.

ULTIMUM superest, qvod agit hâc in- *IV. Contestatio autoris*
oductione Jesuita. Deum contestatur, &
andoris sui in hujus praxeos delineatione
hibiti testem invocat, imò vindicem doli,
qvis intervenerit. Optat etiam, *si ullibi*
rtium amori odiisve sciens indulserit, si non
iq; concluserit, qvod tutissimum certissi-
umq; esse sensit, ita ut fortunam hujus mundi
nnem vitamq; hanc potiùs desserendam esse,
àm propositam veritatem, constituerit, me-
tis se pœnis DEUS eò usq; proseqvatur, ut cum
probrio revocare ac detestari universa coga-
r, suaq; testis & vindex fiat perfidiæ. Ean- *de animo candido,*
mqve contestationem à contradictore suo
igit. Qvam si recuset, malæ eum fidei
riptorem atq; à propriâ damnatum con-
entiâ ab se habitum iri. Talia ille splen-
dè atq; magnificè. Ego verò non id ago,
candorem viri in dubium vocem. Qvan-
am ingenium si cogites sectæ, cui se addi-
t, Lojoliticæ, dubitandi causa fuerit vel i-
orum Papistarum judicio, qvos sæpiùs de
ctæ illius fraudibus ac technis qverentes
gas. Neq; profectò exciderunt pruden-
m animis fraudulentæ eorum machina-
ones, qvibus meruerunt totis aliqvoties re-
iis ac provinciis, Angliâ qvippe, Galliis,
elgio, Venetiis etiam, Bohemiâ, Poloniâ

 ejici.

ejici. Talia si qvis recolat animo, aliaqve insuper Jesuitarum sive manu sive instinctu perpetrata à longè gravissimis Scriptoribus & qvorum vix umbram sustinere ausint hodierni Jesuitæ, prodi expendat: ei venire in mentem illius possit, qvi prohibebat credi perjurii convicto semel, etiamsi per omnes Deos juret. *Partium* autem *studio tam alienum* illum esse, qvalem præfert, simile vero non est. Qvomodo enim, qvi ex regulâ Ordinis sui *scopum & finem sibi proposuit conservationem Pontificiæ sedis*, (qvam normam toti ordini Paulus III. præscripsit. Vid. *Epist. I. de privileg. Jesuit. sub init.*) à studio partis Romanæ alienus esse potuit, cùm scriberet? Potuitne salvâ fide, qvam dederat, ex oculis ponere hunc scopum? Sed scripserit tamen (ita fingamus,) seriò omnia Masenius, *neq; concluserit qvicqvam, qvod non certissimum ac tutissimum visum fuerit.* Itane erronea conscientia non datur? cujus (exuendæ potiùs, qvàm seqvendæ) ductum qvi seqvitur, à peccato immunis neqvaqvam est. Et fieri potest, ut in præcipitia feratur, qvi certissimam tutissimamqve viam se insistere putat aut luce destitutus, aut cæcum ignarumqve viæ nactus ducem. Qvod profectò Masenio contigit, non Scripturam, non Augustinum, sed Rom. Pontificis hermeticam secuto. Hujus enim perspicillo usus (perinde ut Calvinus rationis dioptrâ in titulo

& alieno à partium studio.

o libelli Maseniani,) Scriptorum θεο-
ίυςων & Hipponensis antistitis verba in-
xit. Qvod facienti non hoc imprecor,
od ipse sibi : *ut DEus meritis eum pœnis sequatur, usq; dum eum opprobrio revoca- & detestari omnia cogatur, suæq; testis fiat vindex perfidiæ.* Id potiùs pio animo
um rogo, ut verâ verbi sui luce ipsum il-
ninet, ut videat in hoc lumine lumen ; *Ps. XVI. 10.*) qvò susqve deq; habitâ hujus
ndi fortunâ, maximâ nominis sui gloriâ
ocare velit hactenus scripta, suæq; verus
is fiat ac index pietatis, qvam tantopere
o hoc libello jactat. Est enim pietatis
it postrema pars, errorem agnitum profi-
i, nec veritati petulanter resistere. Qvam
s ita expendemus ad unius verbi Divini
ulam, ut eum decet, qvi salutis hic & Ec-
siæ causam agi in conspectu καρδιογνώςυ
minis testeq; conscientiâ noverit. Neq; a-
mens Orthodoxis esse solet, in hoc genere
qvid scribentibus : ut superfluum etiam
ant, præmittere hujusmodi contestatio-
n, qvali sibi necesse esse putavit Masenius,
male fidei scriptor aq; propriâ damnatus nscientiâ haberi debuisset. Eqvidem si
O, cujus illuminationem ardentibus
ecor suspiriis, cujus causam ago, sinceri a-
ni testem calamum probavero, perinde
rit, in qvam partem Masenius aliive ve-
atis hostes interpretentur. Is cordium
inspe-

inspector, is vindex mendacii & improbitatis. Ejus est veritas, qvam defendo. Ejus veritas, qvâ defendo. *Proba me, DEUS, & scito cor meum. Proba me & cognosce semitas meas. Et vide, si via iniqvitatis in me est: & deduc me in viâ æternâ*

AMEN.



Examen
Considerationis I.
De fine hominis, & mediis eum conseqvendi.
Punct. I. p. 1. 2. 3:
Cur DEUS te creaverit immortali animâ?

NEmpe advidendum DEum & omne bonum cum ipso possidendum. Hîc qvòd ine hominis ultimo omnem investigatiom fidei orthodoxæ auspicatur, non imobamus. Est enim vita æterna scopus fii nostræ, *1. Pet. I. 9.* Atqve utinam dogmaipsa sic comparata essent, ut ad hunc finem minem Christianum perducerent. Nunc illa propemodum hæresis est, (ex observaone B. Hulsemanni *dedic. breviarii theol. 1640. scriptâ*) qvia vitæ æternæ præmia, nqvam primum invitans ad pietatem in nere svasorio Rhetorum proponat, qvasi mini ex conditione naturæ immortalis bita per naturam appetibilia, sed laboris ac studiis sanctitati cœlituum conveniitibus impetrandâ. Itaqve ut omninò probamus, qvòd in praxi discernendæ fii hunc finem semper respiciendum censet: ita

A fine hominis ultimo an rectè auspicatus Masenius?

An pietati studendum intuitu hujus finis?

ita non improbare non possumus, qvòd tanqvam primum inductivum ad pietatem, atq; ut finem homini ex congruentiâ cum immortalitate animæ debitum homini proponit. Qvanqvam enim DEUS Opt. Max. qvæ immensa ejus benignitas est, gratiosè promiserit pietati hanc & futuram vitam 1. *Tim.IV*.8. nunqvam tamen, ut mercenarios nos pietati studere jussit. Non obseqvuntur filii DEI Patri intuitu cœlestis hæreditatis, sed ex sincero potiùs amore, è verâ cordis fiduciâ oriundo. Non rectè amatur Sponsus, qvi propter dona amatur. *Cave anima, ne, qvod absit, meretrix dicaris, si munera dantis, plusqvam affectum amantis diligis.* Monet autor meditationum, qvæ sub Augustini nomine venditantur *L.2. c.4.* Et *Qvi DEum propter aliud amat, aliud potiùs, qvàm ipsum amat: Contrà verò tum veraciter Creator amatur, si ipse non aliud pro illo, qvod ipse non est, amatur*, Augustino judice L. XV. C. D. 22. *Metuant* itaq; Romanenses *tanqvam servi plagas: expectent, ut mercenarii mercedem. Qvi supra hos assurgunt ac filii sunt* (Lutherani,) *DEum verentur, ut Patrem, ac bonis operibus student, qvia bonum est, patri obtemperare, etiamsi ex eâ re nihil qvæstûs ad nos rediturum esset.* Qvæ Gregorii Nazianz. verba ex *Orat. in S. Bapt. p.645.* ad Pontificios applicari non ægrem feret Masenius, qvi disertè *pag. 2.* eos tales ser-

:rvos facit, qvi *diligentes DEUM & obedien-* *Matth. XXV, 21.*
s voci ejus audire mereantur : *Vindic.*
'uge bone serve & fidelis : qvia super pauca
isti fidelis, super multa te constituam. Intra
gaudium Domini tui. Nos nullum agno-
:ere meritum vitæ æternæ possumus in iis,
'i *cùm fecerint omnia, qvæ debuerunt, dice-*
necesse habent : *servi inutiles sumus, qvia*
'æ debuimus, fecimus, Luc. XVII, 10. Neqve
lvator, cur *Matth. XXV, 21.* (qvem locum
tat Masenius) servum super multos con-
tuat, hanc causam assignat, qvia fuerit su-
:r pauca fidelis. Causalem particulam
:c originalis textus, nec Syrus interpres
;noscunt: Qvæ si haberetur etiam, juxta
ialogiam tamen Scripturæ ac fidei non
usaliter, sed συλλογιστικῶς & ratiocinativè
t *Joh. IIX, 44.*) l. expletivè (ut *Luc. XXIV, 46.*)
l assertivè (ut *Luc. IV. 21. V, 26.*) exponenda
ėt. Absit ergò vanissima persvasio, qvâ
etati studeas, tanqvam per eam vitam æ-
rnam promeriturus. Aliæ causæ sunt, *Pietatis stimuli ex Scripturis S.*
ii stimuli, qvibus ad pietatis studium con-
tat Spiritus Sanctus. DEI cogita man-
itum, *sanctum te jubentis esse, qvia ipse San-*
us, Lev. XI, 44. & qvòd *voluntas DEI san-*
ificatio nostra, 1. Thess. IV, 3. DEI cogita be-
:ficia, qvibus ad obediendum te obstrin-
t, *Malach. I, 6.* Christi cogita meritum, qvi
'dit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret
ab

ab omni iniqvitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Tit. II, 14. I. Pet. II, 24. Respice ejusdem Salvatoris exemplum, qvod nobis reliqvit, *Joh. XIII*, 15, 1. *Pet. II, 21.* Expende Spiritûs S. vocationem, *Eph. IV, 1.* qvâ vocatus es non ad immunditiem, sed ad sanctificationem 1. *Thess. IV*, 7. Respice proximum tuum, qvi & juvandus officiis, & bono exemplo ad similem vitæ sanctimoniam invitandus est, *Phil. II, 15.* 1. *Pet. II.* 12. *III*, 1. 2. Te ipsum deniqve respice, ut & fidem tuam per opera ostendas, *Jac. II, 18.* nec per peccata illius facias naufragium, 1. *Tim. I, 19.* Expende, hæc & similia annon in Ecclesiis nostris longè efficaciùs pietatem accendant, qvàm si vitam æternam ut mercedem pietatis proponeremus, contra disertam Scripturæ sententiam: *non ex operibus* &c. *Rom. VI*, 23. *Eph. II, 8. 9.* Jactabunt in extremo judicio reprobi opera sua spe mercedis facta; at electi immensam DEI largitatem gratuito afficientis præmio opera sua mirabuntur: eoqve declarabunt, qvòd simplici corde, non autem intuitu mercedis benefecerint. *Matth. XXV, 34.* Rectè Bernhardus & appositè in *tract. de dilig. DEO: Non sine præmio diligitur DEus, etsi absq; præmii intuitu diligendus est. Vera charitas mercenaria non est, etsi merces eam seqvatur.* Conf. Gerh. *L. de B. O.* §. 126. *sqq.*

Calov.

alov. *Armin.c.IX.* §.*42.43 p.285.* Hülseman.
ev.c.16.tb.1.2 p. 260.

Cæterùm non erat, cur tantopere mi-
retur Masenius *pag.2. reperiri homines, qvi*
ec certâ fide teneant, nec tamen satagant per
na opera firmam reddere vocationem suam.
vi certâ fide respiciunt præfixum sibi sco-
im, current etiam, ut illum asseqvantur,
hil.III,13.14. Qvi κειμήλιον & coronam
bi repositam verè credunt, certabunt cer-
men bonum, & cursum consummabunt,
Tim.IV,7.8. Hoc nisi faciant, ne fidem
videm habere censendi sunt; ea enim per
aritatem efficax, sine autem operibꝰ mor-
a est, *Gal V,6. Jac.II,18.* Qvicunq; habet
nc spem in DEO, (qvòd visurus sit ipsum,
uti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus
t, *1 Joh.III,3.* & satagit adeò per bona ope-
firmam reddere vocationem & electio-
em suam. Firmam, inqvam, non DEO; hu-
s enim jam firmamentum consistit, *2. Tim.*
. *19.* sed sibi ipsi & proximo eo modo,
vem ex Scripturis egregiè deduxit B. Feur-
born. *Syntagm. II. disp. 22.* §. *38.*,
seqq. p. 1765. sqq.

Opp.

PUNCT. II. p.4.5.6.

Qvanta qvamq; ingentia tibi jam nunc DEus in hâc mortali vitâ præ cæteris creaturis bona largitus sit, ut hunc finem cœlestis beatitudinis asseqveveris: qvamq; illa, quæ à te vicissim exigit, sint exigua.

Imaginis Divinæ.

BImembre videtur hoc considerationis punctum. Sed qvia de membro posteriori nihil nisi in hâc, ut sic vocem, propositione dixit Masenius, in priori modò occupari nos fas est. Bona illa seu *media* ad conseqvendum hunc finem summum de Imagine DEI exponit. Qvam *sic à SS. Trinitate impressam homini* ait, *ut cùm isse ipsum intueretur, & auctorem agnosceret, à qvo conditus, & finem ad qvem creatus. Similem enim esse hominem DEO Patri, qvem ut principium spectant omnia, qvoad primam animæ potentiam, memoriam, operationum spiritualium primam motricem: Filio, tanqvam æterna Patris Sapientia, qvoad intellectum humana divinæq; sapientiæ capacem: Spiritui S. Patris Filiiq; amori, ratione voluntatis liberè amantis & moderantis actiones hominis. Hanc similitudinem inchoari per naturam, perfici per gratiam, & juxta 1. Joh. III, 2. & Ps. LXXXII, 6. absolutum olim iri per gloriam. Itaq; dandam operam esse, ut his tantis beneficiis DEI respon-*

pondeamus, finemq; cui assequendo destinata t, impetremus. Hæc summa est istius icti : qvô dupliciter considerat imagi-n Divinam: *absolutè* sc. ratione essentiæ :, & *relativè* ratione officii, & qvatenus dium esse debet fini hominis ultimo asse-endo proportionatum. Utrobiq; autem visſimè hallucinatur. Et à posteriori ut ipiam, distingvendi statû, naturæ integræ per lapsum corruptæ fuerint. Priorem um si respicias, concesserim, eam fuisse aginis Divinæ perfectionem ac vim, ut ad am æternam aspirare illius beneficio ho- potuerit, conditus scil. ad beatam illam mortalitatem, *Sap. II, 23.* Postqvam autem lapsum protoplastorum, non tantùm de-dita imago DEI est, sed in ejus etiam lo-n extrema malitia successit, ut *omnis cogi-io nostra tantùm prona sit ad malum omni pore, Gen. VI. & VIII*: tantum abest, ut igo DEI medium nobis esse possit perve-ndi ad salutem, ut æternæ potiùs damna-nis princeps causa sit nefaria illius perdi- . Uti enim peccantes diaboli unico il-peccato veritatem in qvâ creati erant, qvam à nonnullis & angeli ad imagi-m DEI conditi dicuntur,) amiserunt *b. IIX, 44. II. Pet. II, 4.* Sic homo primus, sqve in eo omnes (*Rom. V. 12*) per pecca-n concreatam virium omnium rectitudi-n, DEIq; adeò imaginem amisimus simul,

(1.) officium, an sit medium ad vitam æternam obtinendam?

ſimul ſuccedaneâ depravatione diabolo ſimi-
les facti ſumꝰ. Nam neq; qvicqvam imaginis Divinæ præter rudera qvædam & veſtigia naturalium notitiarum remanſit, qvæ profectò pro mediis ad ſalutem ducentibus nemo habuerit, niſi qvi Pelagianorum fortè errorem revocare ex Orco cum Scholaſticis qvibusdam, Zvvinglio, Puccio, Amyraldo, Eduardo Herberto velit: & ſucceſſit qvà res divinas in intellectu hominis naturalis omnigena cæcitas 1.*Cor. II, 14.* in voluntate pura puta ἀδυναμία in ſpiritualibus & rebellio, ob qvam mortui in delictis *Eph. II. 1.* & inimici DEO dicimur *Rom. VIII, 7.* qvà res civiles & naturales in intellectu ingens obſcuritas, *Job. XXXVII, 19. XXXIIX, 2. ſqq. Sap. IX, 15. 16.* in voluntate & appetitu langvor, unde contingit hominem à ſuismet cogitationibus accuſari neglectæ ſæpè honeſtatis *Rom. II, 15.* Miſeros mortales, ſi imago DEI concreata pro hoc ſtatu medium ſalutis eſſe debeat! Et qvid attinebat, Filium DEI unigenitum dari, ut omnis, qvi crederet in eum, ne periret, *Joh. III. 16.* cùm jam per imaginis Divinæ rectum uſum finem æternæ felicitatis aſſeqvi homo poſſet? Eam enim *inchoari per naturam, per gratiam, fidem juſtitiamq́; ſupernaturalem perfici ait.* Qvô utrôqve falſiſſimus eſt. Si Apoſtolum audimus, nullo modo *ſumus naturâ* filii DEI, ſed *filii*

iæ ira,Eph.II, 3. Et qvomodo DEO similes
aturâ erimus,saltem inchoatâ similitudine,
vi *ex peccaminoso semin gignimur, & cale-
mus primùm in peccato, Psalm. LI*, 7? qvo-
im omnes cogitationes ad malum inclina-
e,omnes facultates animæ extremè corru-
æ? Porrò nec Scripturæ convenit,qvòd
)*EI similitudinem per gratiam reddi perfe-
am* dicit. Scriptura hâc in vitâ tantùm
ichoationem agnoscit,atqve testatur, *San-
os etiam indigere remissione peccatorum*,
Ps.XXXII.9. & *legem peccati, qvæ est in mem-
ris* Pauli regeniti, *non nisi cum vitâ morta-
exui,Rom.VII*,23.24. omnia tam in volun-
te,qvàm intellectu *ex parte esse,donec in al-
râ demum vitâ veniat, qvod perfectum est*,
Cor.XIII,10. testatur, *transformari nos qvi-
m in eandem imaginem,dum in verbo* Evan-
lii *revelatâ facie gloriam Domini tanqvam
speculo recipimus, tanqvam à Domini Spi-
tu*,non perfectè tamen, sed successivè, &
ibinde *à claritate in claritatem, 2. Cor. III,
lt.* Et qvomodo perfecta hîc fuerit simi-
tudo DEI in nobis,si *absolvetur demum per
loriam visionemq; DEI in cœlis*? Si tum de-
ium,*cùm apparuerit,qvid futuri simus, simi-
s DEO erimus,qvia videbimus eum, sicut est*,
vod ipse hîc fatetur Masenius, & 1 *Job III*,
rectè probat. Alter enim ex *Ps XXCII*, 6 *Psal.82.6.*
ocus (*ego dixi: dii estis,& filii excelsi omnes.*)
προσδιόνυσ© penitus est: ubi Magistratûs

 alloqvi-

alloqvitur DEUS, ceu συνέχεια totius Psalmi docet, eosqve *deos* vocat (1. *Cor. VIII, 6.*) qvod locum DEI in terris teneant, & potestatem habeant immediatè à DEO dependenter, & *filios excelsi*, qvia ab Excelso in solio judicii instar filiorum substituuntur. Vid. Dn. Geier. *Comm. h.l. p.59. 66.* Gerh. *L. de Magistr.* §.11. Chamier. *panstr. t. 2. L. 10. c. 1. §.22.* Ad plenam autem reparationem imaginis Divinæ tantum abest, ut respiciatur, ut ipsi etiam illi dii & filii Altissimi ob peccata gravissimè increpentur cum interminatione interitûs, qvalis tyrannorum ferè esse solet.

(2) Essentia, an in conformitate 3. potentiarum animæ cum 3. personis SS. Trinit. qværenda?

Sed hæc de officio, qvod Imagini Divinæ perperam assignat Masenius. Qvi de ejus *Essentiâ* qvoq; *absolutè* spectatâ sic philosophatur, ut absqve censurâ dimittendus non sit. Eqvidem hoc verissimè dicit, hominem ad imaginem SS. Trinitatis totius, non certæ alicujus personæ (ut qvidam voluerunt, de qvibus Dn. Calov. *T. IV. Syst. p.582. 626.* Dn. *Seb. Schmid. de Imag. DEI p.332.*) conditum esse, qvod rectè è *Gen. I. 26.* probat: falsissimum tamen (1.) est, ita ad similitudinem omnium trium SS. Trinitatis personarum creatum fuisse hominem, ut aliâ qvasi parte Patrem, aliâ Filium, aliâ Spiritum S. referret. Qvod si verum sit, rectè omninò colligit D. Schmid *l.c. p.335.* non unam, sed tres fore DEI imagines in primo homi-

mine, ut in DEo, qvoad Personas, tres sunt. os Scripturam modò opponimus Masenio, qvæ sic de imagine DEI loqvi consvevit, ut m constituat in iis, qvæ communia sunt nnibus SS. Trinitatis Personis ex æqvo: ita in scientiâ boni & mali, *Gen. III. 22.* in stitiâ & sanctitate veritatis, *Eph. IV, 24.* in ctitudine, *Eccles. VII. ult.* Imò disertè ad ιαν φύσιν restringit *2. Pet. I, 4.* Itaqve falsimum (2.) & istud est: rationem imaginis ivinæ in tribus animæ rationalis facultatius consistere, ad eum modum, qvem modò x Masenio exposuimus, qvi rem illam p. 4. : 5. exeqvitur. Non ratione ipsarum facultatū animæ, qvas indivisas ab ipsâ animâ Masenius appellat; sed ratione perfectioum, qvas illis indiderat DEUS, similem DEO hominem Scriptura facit. Qvales perfectiones in intellectu erant sapientia exactaq; rerum divinarum humanarumqve cognitio, (*Col. III, 10.*) cujus illustre specimen ὀνομαθεσία creaturarum omnium edidit Adamus, *Gen. II, 19.* (Vid. Danh. *hodosoph. p. 731.*) In voluntate plena libertas & sanctitas *Eph. IV, 24.* in appetitu inferiori puritas & ntegritas, *Gen. II, 25. Eccl. VII. 30.* imò in corpore etiam impassibilitas & immortalitas, *Sap. II, 23. 24. Gen. II, 17.* Conf. Meisner. *Anthropol. Disp. I. qv. 6.* Qvare non fuerit nostrum, in illis animæ facultatibus, absqve qvibus ne homo qvidem, qvod est, esset, na-

turam Divinæ imaginis ponere. Qvorsum enim opus fuerit, reparari in hac vitâ per renovationem Spiritûs S. & perfici consummariq; in alterâ vitâ, per glorificationem, imaginem DEI: si in ipsis animæ facultatibus qværenda illa sit? Patet nimirum, non alio consilio hæc disputari à Masenio, qvàm ut peccati originalis labes extenuetur, operumqve nostrorum puritas & ad vitam æternam promerendam proportio contra Spiritûs S. luculenta testimonia asseratur. Sic enim vara vibiam seqvitur. Viderit interim ipse, qvomodo hunc errorem cum altero, qvi omnibus, qvod sciam, Pontificiis communis est, conciliet: qvomodo, inqvam, similitudo DEI & donum supernaturale sit (qvale Bellarm. ac cæteri justitiam originalem faciunt, fœnoq; comparant per lapsum excusso) & essentialis hominis pars, qvalis est anima rationalis, cujus facultates ab ipsâ non differre realiter Masenius censet. Tu bone lector, τὸ ψεῦδος πολυσχιδὲς cogita, & qvid in adytis ipsis praxeos Masenianæ, in cujus limine tantopere impingit auctor, expectandum habeas, augurare. Eqvidem fuerunt inter Patres, qvi in tribus istis animæ facultatibus vestigia qvædam sive umbras, & ut loqvuntur, imaginem personarum SS. Trinitatis qvæsiverunt; sed talem, qvalem & in Sole, ejusq; radiis & lumine, in fonte, ejusqve canali & flumine, in arboris radi-

Patrum sententia imaginem Trinitatis in potentiis animæ investigantiũ.

adice, trunco & ramo : in iride tricolori, c trilustri parelio: in circuli puncto, supericie & intervallo reperire Athanasius, Lactantius, Nazianzenus aliiqve sibi visi sunt. Qvæ tamen ad imaginem DEI condita ob maginem illam Trinitatis neqvaqvam dierunt. Alia imago SS. Trinitatis est, qvam ibi pia mens in animæ rationalis tribus istis otentiis obscurè adumbrat: alia imago Trinunius DEI, qvam sapientissimus Condior ipse eminentissimis dotibus in animæ raionalis potentiis perfectè expressit. Placet Bernhardi ascribere verba è *Serm. XLV. de iversis, Tom. II. Opp. f. 235.* qvibus tota res eleganter declaratur: *Beata illa & sempiterna Trinitas, Pater, Filius & Sp. S. unus DEUS, umma Potentia, summa Sapientia, summa Beignitas creavit qvandam Trinitatem ad imainem & similitudinem suam, animam videliet rationalem, qvæ in eo præfert vestiium qvoddam illius Summæ Trinitatis, qvòd ex memoriâ, atione & voluntate consistit. Sed hæc Trinitas creata cecidit ab illâ summâ & pulchrâ Trinitate, scil. Potentiâ, Sapientiâ, Puritate in qvandam contrariam & fœdam Trinitatem, scilicet infirmitatem, cæitatem, immunditiem. Memoria enim fa-*

cta est impotens & infirma: Ratio imprudens & tenebrosa: Voluntas impura. Lege qvæ seqvuntur.

PUNCT. III. p. 6. 7. 8. 9.

Qvibus de causis DEUS dominium concesserit in bruta animantia totamq; adeò terram?

DUas commemorat Masenius. *Primò sic*, ait, *voluisse declarare excellentiam hominis, qvòd licèt mortale illi corpus, ut cæteris plantis viventibus, animantibusq; dedisset, tamen nobilissimâ præ reliqvis specie, erectoq; ad cælum vultu, vegetis sensibus, formâ illustri, rationeq; & libero arbitrio moderabile effinxerit, ut intelligeret homo, qvàm turpe esset servire creaturis eum, qvi tanqvam DEI in terris vicarius dominari debebat.* *Deinde saluti hominis sic voluisse consulere, si his tanqvam mediis ad salutem æternam conseqvendam, & ad faciliùs promtiusq; DEO serviendum uteretur. Ad creatoris enim cognitionem nos per res creatas deduci, ut ipsæ gentes etiam sint inexcusabiles Rom. I, 20: multoq; magis his dandam operam esse, qvibus non tantùm per res creatas, sed per ipsum Creatorem cælestia revelata sunt, ne honores, divitias,*

vitias, voluptates cœlesti felicitati præferant.

Miſcet pro more aconita Saccharoin utrâq; ratione. Expendat B. L.(1.)qvàm conſentiat cum vero & Scripturâ, qvòd *homini à DEO mortale datum corpus perinde ut cæteris plantis & animantibus* affirmat. Qvomodo mortale feciſſet corpus homini, qvi *ἐπ' ἀφθαρσίᾳ in immortalitate hominem condidit, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit*, ut loqvitur *liber Sapientiæ*, qvem Canonicum Papiſtæ credunt, *c. II, 23. 24.* addens: *invidiâ dæmum diaboli mortem introjiſſe in mundum?* Qvomodo mortalitatem homini DEUS, ſeu pœnam peccati interminatus fuit *Gen. II, 17. qvocunq; die comederis de ligno ſcientiæ, morte morieris*, (h. e. ut Symmachus laudatus Hieronymo & Theodoreto expresſit: *mortalis eris*, qvia eopſe die, qvo comedebat Adam, actu non moriebatur. Vid. Druſ. *Fragm. Vet. interp. Græc. in V. T. p. 8.* Coqveum *in Aug. de C. D. Tom. II. p. 25.*) ſi homo jam per naturam morti obnoxius fuit: niſi qvòd illam moriendi potentiam corpori primi hominis naturalem deduci in actum prohibuit vel animæ adhuc integræ conſortium, vel arboris vitæ uſus, vel gratia DEI ſingularis? *Conſtat inter Chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem,*

An homini corpus mortale à DEO datum?

fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quâ nullam mortem homini DEUS fecit, sed merito inflictam esse peccati: qvoniam peccatum vindicans DEUS dixit homini, in qvo omnes eramus: terra es, & in terram ibis. Verba sunt B. Augustini *L. XIII. de C.D.c.15.* Ac ne de necessitate actualis mortis loqvi B. Patrem ibi dicas, mox *c. 17. extr.* mortalitatem seu potentiam qvoqve moriendi intrinsecam disertè negat primo homini: *non ergò*, inqvit, *ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora, sed corruptibilia, gravia, molesta, moribunda, non qualia fecit primis hominibus bonitas DEI, sed qualia compulit esse peccati pœna.* Qvæ verba tam clara sunt, ut fateatur Coqveus ad *h. l. p. 38.* videri hîc Augustinum statuere Adami corpus incorruptibile. Qvanqvam illius mentem posteà pervertere laboret. Cujus tamen strophis elidendis abundè sufficit, qvod pro Augustini sententiâ vindicandâ scripsit Vener. præceptor, Dn. Abr. Calov. *Harm. Calixtino-Haret. p. 256. sqq.* qvi totum hoc negotium *ibi à pag. 236. ad 262.* eruditè expedivit. Ejusdem *Tom. IV. Syst. p. 559. 709. 734. sqq.* Gerh. *Conf. Cath. T. IV. p. 359. sqq.* Meisner. *anthropol. Disp. I. q. 6. S. IV.*

Danh.

Danh. *Colleg. psycholog. p. 41. sqq.* & *Hodos. p. 437. seqq.* Balduin. *in Rom. V. P. 2. q. 2.* Haberkorn. *Syntagm. II. p. 27. seqq.* B. parentis mei *Syst. P. I. p. 299.* &c. conferri possunt. Graviter Augustinus Juliano olim respondebat: *O qvàm multum erras! ex istâ quæ nunc est, corruptibilitate atq; infirmitate naturæ sanctas paradisi delicias, atq; illam beatitudinem cognoscis. Alia erat illa* ***immortalitas, ubi homo poterat non mori.*** *Alia est ista* ***mortalitas***, *ubi homo non potest, nisi mori. Alia erit summa immortalitas, ubi homo non poterit mori.* In qvam sententiam Durandus etiam, *L. 2. d. 19. q. 1.* Bonaventura *ibid. n. 2. q. 1.* aliiqve concedunt, homini integro non-mortale corpus tribuentes. Cogitet ergò secum pia mens, an cum Augustino Scripturam seqvi, an cum Masenio cæteroq; Jesuitico grege Socinianos atq; Arminianos malit, qvorum simillima Masenianis loca apud Calov. *Socinism. proflig. S. IV. a 1. q 3. p. 229.* *Arminianism. c. IV. §. 17. sqq. p. 165.* & Scherzer. *anti Socin. p. 237.* cum confutatione legere est. Conf. Nic. Hunn. *Exam. err. Photin. de statu primi hom. c. 2. err. 2.* Kesler. *Exam. phys. Photin. s. 1. princ. 7. p. 89. sqq.* Meisner. *exam. Theol. Photin. p. 637. - 668.*

Expendi

An res creatæ media homini ad salutem conseqvendam?

Expende Lector (2.) qvàm bene *res creatas media homini ad salutem felicitatemq; æternam conseqvendam* p.7. dixerit, *qvatenus hodieq; ad Creatoris agnitionem res creatæ deducunt*, qvod ex *Rom.I,20. Sap.XIII,5.* ostendere se posse putat. Contrà *neq; ex DEI intentione, neq; eventu ipso hæc manifestatio potestatis, benignitatis & sapientiæ divinæ ex creaturis, debebat esse medium proportionatum perducendi homines ad æternam felicitatem; sed hoc tantùm, ut homines creatorem glorificent, ulteriùs inqvirant, & contemtores inexcusabiles fiant. Ad gratiam & gloriam per hanc notitiam nemo pervenit*: Verba sunt B. Hulsemanni *brev. c.3.th.5.& supplem.th.7. c.2.th.2.* qvi ex ipso hoc loco *Rom. I, 18 sqq. III,9. X,14. Act. XVII,27.* qvæ dicit, luculenter demonstrat Scriptura. Unum salutis medium ostendit, qvod est fides in Christum *Joh.III,16.* &c. hæc autem solâ revelatione accenditur, *Matth.XVI,17.* nec cuiqvam obtingit ordinariè, nisi per prædicationem verbi revelati, *Rom. X, 13. sqq.* Jam olim in *Pelagianis* refutavit hanc sententiam S. Augustinus locis pluribus, qvæ passim eruditiss. Vossius *L. III. Hist. Pelag. P.2.* maximè *antith. 10. p. 340. sqq.* recenset, in *Pontificiis* Chemn. *P. I. Exam. C. T. sess. 6. p. 109. seqq.* & Gerh. *Conf. Cath. L. II. P. I. p. 481. sqq.* in *Cinglianis*,

Amy-

Amyraldo, *Eduardo Herberto*, *&* *Arminianis*, Hutterus *irenico contra Pareum c. 28. p. 254. sqq.* Gerh. *Exegesi Loci de* DEO §. *81.* Hülsem. *Disp. II. de auxil. grat. p. 80. sqq.* (ubi *p. 115.* locum etiam Rom. I, 20. vindicat: *Jo. Musæus* L. III. *de usu principior. rat. c. 8. & seqq. p. 593.-658.* & *pecul. dissert. de luminis naturæ insufficientiâ ad salutem.* Calov. *T. I. Syst. p. 177. T. II. p. 48. 103. sqq.* & alii.

EXAMEN

EXAMEN

Considerationis II.

p. 10. -- 20.

De peccatorum gravitate malitiaq; ac pœnis horrendis.

Peccati gravitas an rectè æstimetur à Papistis: qvi (1.) Peccatum Adami extenuant:

NOn poteſt peccati atrocitatem ita exaggerare Maſenius, qvin Lutheranos omnes habeat conſentientes in hoc, exaggerari eam ſatis non poſſe. Tu verò expende, Lector, num ſentire rectè de gravitate fœditateq; ac pœnis peccati poſſint ii, qvi, qvantum in ſe eſt, (1.) *peccatum Adami* ipſum, fontem omnis ἀνομίας noſtræ extenuant, qvaſi *unius pomi vetiti morſiunculam*, qvi Maſenii ὑποκορισμὸς eſt *p. 10. & 36.* utrobiqve ſub finem, nec non *pag. 21.* Aliud viſum Veteribus Scripturam ſecutis, qvi omnium, qvæ cogitari poſſunt, peccatorum graviſſimum illud Adamiticum cenſent: ſive in ſe conſideretur, ſive in relatione ad circumſtantias. Qvod gravius in rep. crimen, qvàm ſi thronum dignitatemqve regiam affectet ſubditus? Qvantum ergò cenſebimus flagitium, aut qvo nomine ſatis horribili illud primi hominis peccatum appellabimus, qvi non erubuit ſuam DEO rapere

rapere majeſtatem, *Gen. III, 22. collat. Pſ. LXIX, 5*? Si præſertim cogites facilitatem legis,qvæ non niſi rei unius ac facilè evitabilis interdicto] conſtabat : ſi præſidia cogites, qvibus præmunitus homo erat nullo peccandi interno fomite laceſſitus :ſi locum reſpicias, ubi nulla ad peccandum irritamenta, mera ad DEI laudem ac gratitudinem illicia : ſi tempus,qvo homo à manibus divinis recens adhuc calebat : ſi conſideres deniq;, non ſuo tantùm jumento, ſed verò univerſæ poſteritati ſuæ ſcientem mala temporalia atqve æterna (noverat enim hoc eventurum ex interminatione divinâ *Gen. II, 17*.) Adamum hoc peccato intuliſſe. Unde Bellarm. ipſe *L. III. de amiſſ. gr. c. 10.* qvanqvam cum Thomâ ſuo *è 22. q.163. a.3.* & plerisq; DD. cæteris ad *2. ſent. d. 21.* neget peccatum Adami fuiſſe abſolutè gravisſimum, fatetur tamen, Auguſtini judicio (qvod pro normâ hoc libello Maſenius habet) pro gravisſimo aliqvo modo habendum illud eſſe. Urget autem Auguſtinus locis à Bellarm. allegatis (*XIV. C. D. 12. & 25. XXI, 12. Enchirid. c.26.27*) facilitatem non-peccandi majorem in Adamo, qvàm in omnibus aliis hominibus, tum ob levitatem præcepti, tum ob virium præſtantiam : urget ingratitudinis gravitatem, urget latisſimè graſſantem labem. Qvæ annon abſolutè gravisſimum peccatum illud evincant eſſe, aliorum eſto

judicium. Certè hoc inde confici, nullius hominis tam grave peccatum post lapsum esse posse, ipse fatetur Jesuita. Conferat autem Masenius si placet *c. 45. enchir. ad Laurent. Tom. III. opp. Aug. p. 168.* unde cognoscet, non pomi tantùm admorsiunculâ peccasse, sed omnia decalogi præcepta primâ illâ transgresione læsisse Adamum. Qvod dudum ante Augustinum Tertullianꝰ qvoqve *L. II. contra Marcion.* eleganter deduxerat. Conf. Meisner. *Anthropol. D. IV. q. 4.*

(2) Peccatum originis impropriè peccatum dici contendunt:

Porrò qvis persvadeat sibi, rectè expendi fœditatem peccati ab his, qvi (2.) *peccatum originis* per lapsum Adami contractum vix dignum peccati nomine, nec nisi analogicè, ut olim Andradius; vel metonymicè, ut infrà Masen. *p. 92.* sic dici posse censent: qvippe qvod non in corrupto habitu, sed nudâ justitiæ originalis detractione (Bellarm. L. *V. de amiss. gr. c. 15.*) constituunt: & concupiscentiam vitiosam non tam peccati & culpæ, qvàm pœnæ rationem habere asserunt. Qvam communem Papistarum sententiam (apud Bellarm *L. VI. de amiss. gr. c. 8. sqq.* legendam) Masenius *p. 12.* non obscurè innuit: ***Jam verò animæ tam Adæ, qvàm posterorum omnium, qvale qvantumq; ab unius pomi admorsione & voluptate leviculâ vulnus inflictum est? qvantum bonum***

bonum justitiæ originalis ablatum? Qvantum culpæ pœnæq; malorum inflictum? At verò non vulnus inflictum naturæ nostræ per peccatum, sed illata mors ipsa est, ut mortui in delictis audiamus Apostolo *Eph. II. 5* Neqve secuta est amissio primævæ justitiæ lapsum per interventum cujusdam physicæ surreptionis divinæ: qvemadmodum bona malè administrata per actum positivum creditoris adimuntur œconomo, mansura alioqvin etiam post infidelem administrationem, nisi de facto adimerentur: aut qvomodo mansurus erat etiam peccans protoplastus in paradiso, nisi expelleretur mandato DEI positivo: aut qvomodo militi in excubiis obdormiscenti per sententiam judicis eruuntur oculi, manusve aut pedes amputantur, ut succedat cæcitas; sed qvomodo ad potum veneni vita expellitur & mors succedit, uti loqvitur Hulsem. *brev. c. 5. suppl. th. 6. & cap. 6. th. 4.* Sed hac de re infrà ad c. 10. punct. 1. differetur à nobis. Hîc ideò tantùm facienda hujus rei mentio fuit, ut cognosceretur, qvàm seriò peccati atrocitatem exaggeret Masenius, qvi ne peccatum qvidem originale, unde cætera omnia fluunt, bonâ fide agnoscit pro peccato. Itaqve in speciem est, qvod post verba, qvæ modò ab eo repetebamus, exclamat: *Estne mens & cogitatio mortalis, qvæ hæc possit asseqvi, nedum lingva aut calamus potens exprimere?*

Qvicqvid corporibus humanis irrogatur peste, fame, bello, dolore, tormentisq́; ac cruciamentis gravissimis, cum his animæ malis comparatum leve ac vile est. Excidere divinâ gratiâ atq; ex amico hostem DEO execrabilem fieri &c. Apertiùs olim Andradius ex instinctu Tridentinorum Patrum apud Chemnit. *Exam. Conc. Trid. p. 90 : Etsi humanam naturam perqvam depravatam negare non possumus : hæc tamen depravatio non est tantopere amplificanda, ut nihil in illâ pium, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus.*

(3) *Peccata veniacla fabricant :*

Jam si (3.) ad peccata actualia descendere animus sit, hoc expendere operæ pretium fuerit: utri rectiùs de gravitate peccati sentiant : num Lutherani , qvi cum Scripturâ omne peccatum, qvantillumcunq; appareat, mortis æternæ pœnam promereri, proqve peccatorum remissione cuivis etiam Sancto (peccatis mortalibus, qvæ Pontificii vocant, sese non contaminanti) orandum esse, *Ps. XXXII, 6.* neqve intelligere Sanctos delicta sua omnia , *Ps. XIX, 13.* proqve omni verbo otioso reddendam rationem *Matth. XII, 35.* & qvi unum solverit de mandatis minimis, minimum vel nullum fore in regno cœlorum *Matth. V, 18.* maledictum item esse, qvi non permanserit in omnibus, qvæ scripta sunt in libro legis, (*Devt. XXVII, 26.*) qvæ spiritualis est, & omnium cogitationum

num rectitudinem postulat, *Rom. VII, 14.* deniqve non posse immaculatum ullum hominem esse coram DEO *Job. XV, 14.* affirmant: an verò Pontificii, qvi plurima peccato pro venialibus ex suâ naturâ venditant, sanctosq; ac regenitos DEI; legem implere & sine peccato vivere posse gloriantur. Qvâ de re infrà *conf. X.*

Expende deniqve, (4) an satis peccati atrocitatem perpendant, qvi *ab homine satisfieri* justitiæ divinæ posse pro peccatis actualibus; docent. Lutherani tam fœdum atqve atrox peccatum esse agnoscunt, ut nullus hominum, qvantacunqve polleat pietate, vel seipsum, vel alterum faciendo aut patiendo liberare ab æternâ damnatione posfit, aut gratiam DEI ullo modo demereri, *Matth. XVIII, 25. sqq. Ps. XLIX, 8. 9. 10.* A solo Christo expiari potuisse credunt; qvi calcavit torcular solus, & annihilavit iniqvitatem nostram, ferendo peccata in corpore suo super lignum, *Es. LXIII, 3. LIII. 5. XLIII, 25. 1. Pet. II, 24.* Nimis profectò elevare peccati gravitatem necesse est, qvi satisfactionibus humanis non modò satisfieri justitiæ Divinæ, sed plura etiam, qvàm ad expiationem propriorum peccatorum opus sit, præstari posse comminiscuntur. Sed hæc similiaqve recurrent suis locis excutienda accuratiùs.

(4.) Satisfactiones humanas pro peccatis agnoscunt.

Atq; hæc de illâ Conſideratione generaliter obſervaſſe ſufficiat. Occurrunt autem & aliqva ſpecialiùs conſideranda.

PUNCTO I.

An protestantium sententia, fideles gratiâ DEI excidere non posse?

Expendenda (1.) eſt Maſenii fides, *p.* 10. in ſuſpicionem ejus dogmatis adducentis Orthodoxos, qvod ipſi tanqvam peſtilentisſimum & damnabile in Calvinianis deteſtantur: Qvaſi fideles gratiâ DEI excidere non posſint. Diſertis verbis Aug. Conf. *Art.* XII. eos damnat, *qvi negant, ſemel juſtificatos amittere poſſe Spiritum S.* Et abundè vindicant Eccleſias orthodoxas ab hac calumniâ, qvæ contra Zvvinglianos à Joh. Tarnovio *Exerc. Bibl L. IV p. 907 ſeqq.* B. Meiſnero *Diſp XIX Anthropol.* Gerhardo *L. de Bonis Op.* §. 134. ſqq. Danhauero *Hodoſ. p. 858. ſqq. & Hodom. Calv p. 1997. ſqq.* à Menzero, Feuerbornio ac ſexcentis aliis diſputata proſtant.

Beatitudo DEI *& hominis an eadem?*

Expendendum (2.) qvàm verum ſit, qvod *p.* 11. ſcribit: *Creatum à DEO hominem infiniti illius boni, qvo DEUS ipſe beatisſimus eſt, posſidendi capacem.* Certè eandem beatitudinem, qvæ abſolutisſima planeq; infinita eſt, participare homo non poterat; licèt & ipſe ad tantam beatitudinem, qvæ ne in cor hominis qvidem aſcendit, (1. *Cor.* II, 9.) conditus eſſet. Vid. Dorſch. *Pentadec. diſſert.*

sert. prælim.§.7. Calov. *T.II.Syst.Theol.p.229.* Sed hoc transeat. Transeat & illud, qvò (3.) qvasi subdubitans ait *pag ead.* de homine integro: *nullo, ut pleriq; sentiunt, morbo, fame, bello, morte aut qvavis aliâ calamitate affligendus.* Divinâ fide credendum hoc asserendumqve indubitatò fuerat. Istud autem qvis ferat, qvòd (4.) sacrosanctum Christi meritum insufficientiæ & particularitatis arguere non veretur *p.13*: *Unico & angeli & Adam cum totâ posteritate delicto tam horribilem implacabilemq; DEI offensionem incurrit, ut nullâ pœnarum satisfactione, nullâ divinæ miserationis inflexione hæc à nobilissimis ipsius creaturis, angelicis illis mentibus transferri qveat, ab hominibus etiam per unigeniti ipsius Filii mortem, à paucis tantùm salvandis reipsâ transferatur, & hos ipsos adhuc temporali pœna relinqvat obnoxios.* Qvibus verbis sic extollit peccatum, ut gratiam DEI, qvæ superabundat omne peccatum, (*Rom.V,20.*) deprimat. Restringit enim satisfactionem Christi, & contrahit qvasi in angustias, tum qvoad *homines, pro qvibus* satisfecit, tum qvoad *pœnas, qvas* satisfaciendo patiendoq; à mortalibus abstulit benignissimus Salvator. Siccine *per Filii DEI mortem à paucis tantùm salvandis reipsâ transferri iram DEI?* Johannis qvidem judicio Christus ἱλασμὸς reconciliatio s. propitiatio est pro peccatis non nostris tantùm, sed totius mundi, 1. *Joh.*

Corpus hominis integri quale?

Christi satisfactio, (1) an iram DEI à salvandis tantùm abstulerit?

II,2. Pro qvorum peccatis autem propitiatio eſt,ab iis iram DEI abſtulit,reconciliatis qvippe per ſangvinem Filii DEI, *Rom. V, 10.* Filius DEI ideò pro omnibus mortuus eſt, *2.Cor.V,14.* & ſemetipſum dedit *ἀντίλυτρον* & pretium redemtionis pro omnibus,1.*Tim. II,6.* etiam damnatis *Rom.XIV*,15.1.*Cor.VIII, 11.* ut ab omnibus iram DEI averteret. Et qvomodo Pater ille miſericordiarum irâ flagraret ob peccatum in eos, qvos redemit ſangvine Filii ſui? Sanè poſtqvam igni huic furoris divini ardentis usqve ad inferni noviſſima, ſubtracta materies eſt, Chriſto tollente peccata noſtra incrucem, extingvi illum penitus neceſſe fuit. Deletum omninò eſt chirographum, qvod nobis adverſum erat per decreta, & ſangvine Chriſti inductum, ne qvicqvam legere in eo posſit DEUS, qvo ad iram commoveatur (hæc enim emphaſis τῦ ἐξαλεῖφειν) imò planè ſublatum è medio cruciq; affixum, *Col. II, 14.* Abſit illa, longisſimè abſit ad deſperationem ducens ſententia, *per Chriſti mortem à ſalvandis tantùm reipsâ tralatam eſſe iram DEI.* Qvid enim ſi ſuggerat diabolus cogitatiunculas, qvibus perſvadeat, te in numero ſalvandorum non eſſe? Nonne ſic credendum fuerit, iræ adhuc DEI te ſubjacere? Qvæ manet qvidem ſuper damnatos, non verò, qvòd tam atrocia fuerint illorum peccata,ut ne per mortem qvidem Filii DEI

ab

ab illis tralata illa sit; sed qvia gratiam DEI fide accipere renuunt. *Qvi non credit in Filium DEI, super eum manet ira DEI*, *Joh. III, ult.* *Si* verò *confiteamur peccata nostra*, (finge, atrocissima sint) *fidelis ipse & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniqvitate*, 1. *Joh. I, 9.* Porrò ut aliàs Pontificii restringere solent Satisfactionem Christi ratione peccatorum, dum ajunt, non pro peccatis actualibus, sed tantùm originali sic satisfecisse Christum, ut nos satisfactione supersedere possimus: (vid. Gerh. *Conf. Cath. I. ult. p. 73. sqq.*) sic Masenius ad certum qvoq; pœnæ genus eandem coarctat: *etiam eos*, dicens, *à qvibus ablata est ira DEI per mortem Filii ejus, temporali adhuc pœnæ relinqvi obnoxios.* Nempe ut rem facerent è Laicorum peccatis hominumqve satisfactionibus Ro. Pontificis mercenarii, Jesu Christi satisfactio accusanda insufficientiæ erat, & sanctissimæ vesti salutis & justitiæ, qvâ nos induit Dominus, *Esa. LXI, 10* sordidi justitiarum nostrarum menstruatiq; panni assuendi, *Es. LXIV, 6. Matth. IX, 16.* Qvasi verò cùm Dominus servum dimittit, non omne ei debitum remittat *Matth. XVIII, 27.* aut sublatâ culpâ remanere debitum luendæ pœnæ ullius possit. Factus est Christus maledictum pro nobis, ut à maledicto Legis (qvod æternas pariter & temporales pœnas complectitur, *Deut. XXVIII,*

& (z) hos ipsos temporali pœna obnoxios relinqvat?

XXVIII,16 seqq.) nos liberaret, *Gal. III, 13.* Ἡμιλύτρωσις foret, non ἀπολύτρωσις plenaqve consummatio (*Joh.XIX,30.*) si non ab omni pœnâ essemus liberati.

PUNCTO III.

Christus an dolores infernales in animâ perpessus?

Expende, B. L. qvò valeat illud, qvod *p. 19.* ubi ex pœnarumChristo inflictarum gravitate fœditatem peccati colligit; *alia longè*, ait, *supplicia servātur nocentibus servis, qvàm innocenti huic Filio: alia DEI inimicis, in qvos effundet vasa iræ atq; indignationis suæ.* Et sub finem Considerationis p. 20. *peccato se vulnera inflixisse* ait *animæ suæ, & sanctissimo corpori Christi.* Nimirum non infernales Christum cruciatûs perpessum fuisse, aut ea sustinuisse in animâ, ejusq; superioribus facultatibus, qvæ damnati olim in inferno; sed corpori tantùm illius immissos dolores acerbissimos, indicat non obscurè. Qvod qvomodo tum Scripturæ testimoniis *Es. LIII.10. Matth. XXVI, 36. 37. Luc. XXII, 44. Ps. XXII,2.* &c. tum analogiæ fidei & fundamentis sanæ doctrinæ de vicariâ satisfactione Christi, (qvæ si perfecta esse debuit, necesse erat eadem pati Christum, qvæ nos alioqvi debebamus) repugnet, à Theologis nostris ostensum est alibi. Vid. Gerh. *Harm. Pass. c. II. p. 22.* Winckelmann. *Tom. I. Dispp. Giess. XIII. §. 21 sqq.* Feuerborn. *fascic. II. Disp. I. §. 70. seqq.* Dorsch. *P. I. Theol. Zach. §. 165 sqq. & 191. sqq.*

EXA-

EXAMEN

Consideration. III.

p. 20. -- 30.

De obligatione peccatoris ad pœnitentiam vitæq; emendationem, motivisqve ad hanc impellentibus.

DE *fine* hominis ultimo egerat hactenus Masenius, & impedimento asseqvendi illius fugiendo. Nunc *media*, qvibus amoliri illud, finemq; ipsum asseqvi feliciter possimus, exponit. Qvæ juxta ipsum sunt (1.) seria pœnitentia vitæqve emendatio, de qvâ *hac consid.* (2.) Mortis, judicii, ac secuturæ æternitatis meditatio, *consid. IV.* (3) Vitæ æternæ & infernalium pœnarum cogitatio, *consid. V.* (4) Assidua grataq; vocationis ac regenerationis recordatio, *consid. VI.*

Hîc (1.) illud considerari velim, qvàm bene omittatur, cùm de mediis perveniendi ad salutem sermo est, fides in Christum, omissoq; vel posthabito certè illius merito, qvod sola fides apprehendit, ad merita propria vitæq; sanctimoniam in negotio salutis homines

Inter media salutis an rectè fides omittatur,

homines remittantur. Huc enim omnes illæ conſiderationes ſpectant, ut perpenſa peccati fœditas, admirabilis DEI patientia & bonitas, magnitudo periculi, in qvod ſe conjicit peccator, mortis certisſimæ incertitudo, judicii ſeveritas, damnationis ac gaudii cœleſtis ſempiterna duratio ac magnitudo ineffabilis, deniq; vocationis divinæ benigitas ſtudium bonorum operum ac pietatem in homine accendant. Qvæ utut bellè habeant omnia, aqve noſtris Doctoribus non minori ſtudio inculcentur (qvod vel Gerhardi *Schola pietatis* & Arndii *Chriſtianismus* abundè demonſtrent:) ad media tamen ſalutis referri Apoſtolus prohibet: qvi *gratiâ ſalvari nos per fidem* (penitus hîc à Maſenio omiſſam,) *non ex operibus* (qvæ unicè hîc crepat Jeſuita) ait, *ne qvis glorietur*, Eph. II, 8. 9. Sed de hac re eo loco redibit ſermo, in qvem Maſenius ipſe *p. 28.* rejicit. Cujus proinde (2.) vafritiem hîc cogita, & æqvitatem proceſsûs, qvem inſtituit, expende. Maxima ac princeps inter nos & Pontificios controverſia eſt: num per opera mereamur, an verò per ſolum Chriſtum fide apprehenſum ſalutem æternam obtineamus. Molitur Maſenius præparationem Lectoris ad hoc, ut iſtam cæteraſq; controverſias liberè & non præoccupato animo dijudicet, cauſamq; addicat illi parti qvam cum verbo DEI conſentire maximè depre-

vitæ ſanctitas numeretur?

Fraus Jeſuitica præparationis.

deprehenderit. Et ecce in hac præparatione occupat statim animum perversissimo dogmate, qvod primum falsum fidei Pontificiæ non immeritò dixerim, idq; agit unicè, ut odio orthodoxiæ de salute per solam fidem impetrandâ eundem imbuat. Nam qvid aliud agit, ut (3) ad specialius examen progrediamur, dum *puncto II. hujus Consid.* (transeat *punctum primum*, qvanqvam errore de damnatione omnium promiscuè infantum non-baptizatorum, qvi inferius ad *Consid. XIV. punct. 2.* expendendus fuerit, contaminatum) doctrinam Apostolicam de gratuitâ peccatorum remissione, & justificatione salvationeq; per fidem, causam facit ingratitudinis & calcar ad liberiùs peccandum? *Considera* inqvit p 24. *quæ causa fuerit ingratitudinis tuæ, quâ hactenus tam misericordem Dominum toties offenderis, aut tam negligenter serviveris? An fortasse iccircò factum, qvòd persvasum habueris, in verâ te fide versari, & hanc ad salutem satis esse, neq; peccata fidelibus imputari? Id si existimaveris, tibiq; ad liberiùs peccandum calcar fuerit: audi Christi te corrigentis salubrem admonitionem:* omnis arbor, qvæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Matth. III, 10. Audi Apostolos, tam Paulum, qvàm Jacobum,* qvia

Doctrina Apostolica de salvatione per fidem an calcar ad peccãdum?

qvia non auditores, ſed factores verbi juſtificabuntur apud DEUM *Rom. II, 13.* & fides ſine operibus mortua eſt, *Jac. II.* Nam beati mortui, qvi in Domino moriuntur, opera n. eorum ſeqvuntur eos, (Apoc. XIV.) *juxta qvæ judicandi audient :* Venite benedicti, *vel:* ite maledicti. Rurſus *pag 28. fontem obſtruere malorum, & cavere* Lectorem jubet, *ne qvorundam hujus temporis hominum perſvaſione, ſoli fidei omnia tribuentium ſeducatur, & bonorum neglector operum, illam ſibi ſentiat ad ſalutem ſufficere, ſi qvæ verò peccata commiſerit, ſibi non eſſe imputanda.* Scilicet non nova hæc Maſenii praxis, ſed vetuſta admodum alaſtorum Romanenſium eſt jam Aug. Conf. *art. XX.* confutata : qvorum coccyſmum tamen cum Tridentinis Paterculis (Seſſ. VI.) ingeminare non deſierunt Fabricius, Cochlæus, Hoffmeiſterus, Poſſevinus, Lorichius, Bellarminus, Ungersdorffius, Forerus, Heinrici, Mülmannus, & qvis non improbiſſimorum Sycophantarum ? qvi prohiberi à Lutheranis Bona opera, enervari Chriſtianiſmum, Simonianam, Eunomianam, Aëtianam impietatem revocari ex orco, deniq; Lutheraniſmum non aliud eſſe, qvàm perfectum Epicuræiſmum mentiti ſunt. (Vid. B. Parentis mei *Iſag. in Libb. Symb. p. 511.*) Qvibus tamen, ſibiq; unà ipſi alapam Bellarminus inflixit, ſæpiùs profeſſus, Lutheranos omninò neceſſitatem B. O. exi-

Calumnia Papiſtarum,

ab ipſis Papiſtis,

exigere, *qvoniam alioqvin juxta ipsos fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret. qvomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat; hoc negare saltem, qvòd B. O. habeant relationem ad salutem, qvasi sint merita, causæ, conditiones, L. IV. de justif. c. 7. initio*: professus, juxta Lutheranorum doctrinam *fidem, qvam solam dicunt justificare, nunqvam esse posse solam, L. I. de justif. c. 3. Adversarii*, scribit idem *L. III. justif. c. 6. tametsi dicant, remissionem non pendere à conditione operum, neq; pœnitentiam, aut fidem, aut ullum actum nostrum esse causam aut meritum justificationis; tamen non negant, reqviri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam, & pœnitentiam seriam, & sine his neminem justificari.* Similia vis veritatis Toleto, Vegæ, Maldonato, Stapletono expressit, fateturq; Gregor. de Valentia *T. II. D. VII, q. 6. p. 991. Lutherum contra antinomos apertè disputasse, qvòd bona opera Christianis sint necessaria.* Ut necesse jam non sit, prolixè hanc causam à nobis dici, cùm ab ipsis adversariis absolvamur; qvos graviter olim ad patibula nostra aliaq; suppliciorum loca amandabat Balduinus *dedic. hypomnem. in Epist. Domin.*) (4: qvòd ea de injuriâ nostris Ecclesiis factâ manifestè protestentur. Ego verò Masenium nunc ad Theologos tantùm nostros remitto, qvi qvicqvid affaniarum à Pontificiis in hanc rem affertur, sic discussère, ut mirari subeat frontem Jesuita-

& nostratibus prolixè confutata.

Jesuitarum, qvos ne nunc qvidem insulsissimi mendacii pudet. Vid. Luther. *Lib* wider Hanß Wurst *T. VII. I. G. f.* 434. Gerhard. *T. IV. L. de B.O.* §. 31. *sqq. Conf. Cath. L. II. P. III p.* 929. *sqq. Disp. V. de Studio piet. th.* 26. & *Disp. VII. th.* 2. *Tom. I. Dispp. Acad. p.* 934. *sqq.* 983. *sqq.* Balduin. *disp. de necess. B.O.* § 37. *sqq. T. III disp. Witteb. p.* 108. *seqq.* Höpffner. *disp. I. de justif. p.* 18. *seqq.* & *Disp. V. c. I.* item in dialysi quæst. *ubi fuerit Ecclesia Evang. ante Luth. th.* 20. *m.* 2. nec non *Sax. Evang. p.* 72. Hulsem. *anti-Hager. D. XVII. p.* 740. *sqq.* Dannh. *antichristos. S.* II. *art.* 10. §. 107. *p.* 915. *sqq.* &, si lubet, B. Parentis mei *Colleg. anti-Papist. Disp. X. art. de B. O. aph.* I.

à Masenio verò, neq; ratione, (qvam enim af-fert, est in Scri-pturam injuria,

Videamus verò, qvem fucum Masenius allinat mendacio suo. Urget (1) rationem, (2.) dicta Scripturæ. Etenim sic (1) colligit: „ Qvi persvasum habet, in verâ se fide „ versari, & hanc ad salutem satis esse, peccata „ verò credentibus non imputari, is calcar ad „ liberiùs peccandum habet, & Domino ne„ gligenter servit: Perinde ac si collegisset: Qvi DEO ejusqve verbo credit, ei calcar ad peccandum additur. Sanè hæc omnia Scriptura λευκᾷ φωνῇ affirmat: (*a*) qvemlibet piorum non persvasum qvomodocunqve, sed prævio scrutinio applicante indicia veræ fidei in verbo DEI expressa (II. *Cor.* XIII, 5.) plusqvam apodicticè certum esse per testimonium Spiritûs S. de veritate fidei

suæ.

suæ. *Spiritus* enim *testatur unà cum Spiritu nostro, qvòd sumus filii DEI, Rom. VIII. 16.* Hanc certitudinem promittit Salvator *Joh. XIV, 20:* hanc profitetur Paulus *II. Tim I, 12. Gal. II, 20.* de hac qvilibet pius gloriatur ex *1. Cor II, 12.* Affirmat (β) veram fidem ad salutem satis esse, dum opera toties ac disertè excludit à decreto electionis, illiusq; executione per justificationem & glorificationem *Tit. III, 5. II. Tim. I, 9. Gal. II. 16* &c. Affirmat (γ) peccata credentibus non imputari, *Ps. XXXII. 2. Rom. IV, 7. beatus, cui Dominus non imputat delictum &c.* Siccine ergò hæc manifestissima veritas Divina sine blasphemiâ calcar ad peccandum habebitur? Nempe eodem & veteres Pseudo-Apostoli ingenio errant. Cùm enim gratuitam peccatorum remissionem doceret Paulus, & salutem fide impetrandam sine operibus, illicò concludebant illi: *facienda sunt ergò mala, ut eveniant bona* Rom. III, 8. qvod *blasphemum & justâ damnatione* dignum ibi pronunciat Apostolus. Qvi alibi luculenter hoc qvicqvid objectionis est, diluit: *manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qvi enim mortui sumus peccato, qvomodo adhuc vivemus in peccato? Rom. VI, 1. 2. Peccabimus, qvoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ? Absit. v. 15.* Neq; nos immeritò confidenter pronunciamus cum eodem: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus le-*

Pseudo-apostolica,

 gis.-

gis. Legem ergò destruimus per fidem? Absit; sed legem stabilimus. Rom. III,28.31. Sic enim docemus, veram fidem, qvæ solùm justificat, *per charitatem operari, Gal. V, 6.* imò *mortuam esse, nisi habeat opera. Ut enim corpus absq; respiratione, sic fides absq; operibus mortua est. Jac. II, 18.26.* Itaq; si qvis sit, qvi libertate filiorum DEI, qvasi velamine malitiæ abuti velit, (1. *Pet. II, 16.*) eum tanqvam spretorem divitiarum bonitatis divinæ sibi ipsi thesaurizare iram in die iræ, asserimus ex *Rom.II,4.5.* Asserimus, vastari fidem & extingvi per peccata mortalia, neq; scortatores, neq; idololatras, neq; adulteros, neq; molles &c. regnum DEI possessuros esse, 1. *Cor. VI,9.10.* Falsum ergò est, doctrinam nostram calcar ad peccatum addere, qvâ reqviritur à qvovis spiritualiter sanato, ne peccet iterum, graviora aliàs perpessurus, *Joh.V,14.* & ut, *qvi justus est,* (per fidem, imputatamq; Christi justitiam,) *justificetur adhuc* (justitiâ inchoatâ) *Apoc.XXI,11.* A negatâ causalitate vel influxu operum bonorum in salutem, ad negandam eorundem in salvando necessariam præsentiam turpi paralogismo concludit Masenius. Cujus Sophisticæ collectioni multò firmiorem substituo istam: Qvi non tantùm bonorum operum necessitatem seriò ubiq; inculcant, sed summam etiam necessitudinem fidei ac operum, tamq; indissolubilem nexum esse docent,

apertissimè falsa)

docent, ut nec fides esse sine operibus possit, „
& per peccata fides pariter & gratia vitaqve „
æterna excutiatur, illi calcar ad peccandum „
neqvaqvam addunt. Faciunt autem illud „
Lutherani. Unde qvâ fide peccatorum & ingratitudinis patronos eos Masenius faciat, cuilibet manifestum est. Jam (2) dicta, qvæ addit, nos ne tangunt qvidem. *Audi*, ait, *Christi te corrigentis salubrem admonitionem:* omnis arbor, qvæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. *Audi Apostolos tam Paulum, qvàm Jacobum, qvia*, non auditores, sed factores verbi justificabuntur apud DEum; *&*: fides sine operibus mortua est. *Nam* beati mortui, qvi in Domino moriuntur; opera enim eorum seqvuntur eos, *juxta qvæ* judicandi audient: venite benedicti, *vel* ite maledicti. Audimus, ô bone, etiam te tacente. Qvid verò contra nos inde conficias, non capimus. Iis opponenda erant, qvi in verâ se fide versari fingunt, cæterùm semetipsos non tentant, si sint in fide, juxta *II. Cor. XIII*, 5. non verè Evangelicis, qvi cum timore & tremore operari salutem docent *Phil.* II, 12. Itaq; transmittimus, qvæ deinde contra illorum securitatem perorat, qvi vitæ æternæ, tanqvam rei nimis facilis curam penitus negligunt, neqve pericula salutis ejusq; momenta satis expendunt, sed voluptuariam tantùm & à Christi vitâ longè diversissimam vitam sectantur,

neq. adductis Script. testimoniis

firmiter probata.

ctantur, p.24.25. Monendus ſaltem eſt Lector, (1.) ne in præjudicium noſtrarum Eccleſiarum cum Maſenio hæc abripiat, qvæ ſolâ fide obtineri ſalutem & piorum qvemvis de ſuâ ſalute certum eſſe, Scripturæ ductum ſecutæ docent. Qvantum autem à carnali ſecuritate præſumtioneq; temerariâ divina certitudo differat, & qvàm bene conveniat timori filiali cum filiali fiduciâ, ſuo loco pleniùs docetur. Neq; fortè eſt, qvem lateat, qvantâ contentione contra Calviniſticam factionem diſputemus, facilè amitti gratiam DEI ac fidem poſſe, cautisſimeqve proinde ambulandum, ne fortè DEUs inſertos per fidem in oleam vitæ Jeſum Chriſtum, inq; eâ ſtantes, confringat, ſi efferantur animo, *Rom.* XI, *28. ſeqq.* (2.) Ne qvæ de vitâ æternâ per multas afflictionum anguſtias ac dumeta occupandâ copioſè dicuntur à Maſenio, ultra rationem ordinis ad rationem meriti aut medii neceſſarii, qvo impetrari ſalus posſit, extendantur. Neq; enim ſunt condignæ pasſiones hujus temporis ad futuram gloriam *Rom.* VIII, 18.

Cæterùm qvæ *p. 30.* inſpergit Maſenius de expiatione peccatorum per pœnitentiam, de dolore pœnitentium tollente dolorem æternum, de converſione æternæ posſeſsionis DEI meritoriâ &c. ſuis examinanda locis erunt.

EXA-

Examen

Consideration. IV.

p. 31-40.

De morte, judicio, & vitæ secutura æternitate.

Mors, judicium, æternitas ὀρμητήρια tum ad veram fidem inquirendam.

A*Lterum* jam *medium* fugiendæ damnationis proponit Masenius: *meditationem novissimorum*. Nihil moramur hoc ejus institutum. Qvin fatemur etiam, esse tria ista, qvæ *hac consid.* expendit, efficacissima ad veræ doctrinæ inqvisitionem ὁρμητήρια. Qvis non intelligit, qvàm necesse sit, eum cui decedenti in errore fundamentali æternum pereundum sit, impensè id operam dare, ut veram fidem addiscat, cujus beneficio effugere mortem & asseqvi vitam felicitatemq; perpetuam possit? Enim verò mortis certæ incertissima hora & sæpè imparatum opprimens, severitas judicii, qvo malè cogitata dictaqve ac facta omnia accuratissimè excutientur, ac secutura olim æternitas, ne cogitatione qvidem nostrâ, nedum metis ullis aut fine terminabilis vel levissimi hominem ingenii

 in

in eam ſolicitudinem conjicient, ut ſeriam ſibi cogitationem ſuſcipiendam exiſtimet de fide, qvæ per mortem placidam non ad judicium condemnatorium, ſed ad perenne gaudium perducat. Itaq; qvæ copioſè eam in rem verba fiunt à Maſenio, adeò non improbamus, ut confidamus etiam, ſi qvis ſeriò ſecum mortem, judicium, æternitatem reputet, hunc facilè in illius Eccleſiæ gremium deductum iri, qvæ docet, *per unius Chriſti verba* (miſſo humanarum traditionum aſſumento) *mortem non guſtari*, Joh. IIX, 51. *per ſolam fidem in eum, qvi miſit Filium*, (excluſo operum merito) *effugi judicium*, Joh. V, 24. *per fidem in Chriſtum obtineri etiam in mediâ morte vitam æternam*, Joh. XI, 25. 26. qvæ non dubitare jubet de ſalute æternâ fideles, ſed qvemlibet affirmare cum Paulo intrepidè: *ſcio, in qvem credo, & certus ſum, qvòd ipſe potens ſit, depoſitum meum ſervare in diem illum* II. Tim. I, 12. Viderit autem Maſenius, qvantopere penſi habuerint fidem orthodoxam ex Pontificibus etiam Romanis illi, qvi immortalitatem animæ vel negarunt, vel vocarunt certè in dubium, qvod Concilium Conſtantienſe *Seſs.* XI. apud Binium *Tom.* III. *Concil.* P. II. p. 1584. de Johanne XXIII. manifeſtè affirmat.

tum ad Lutheranam amplectendam.

Qvæ *Puncto II. p. 35.* de diſcuſſione operum non tantùm malorum, ſed & bonorum

norum in extremo judicio habet, iis tantùm applicanda erant, qvi absq; verâ in Christum fide ex hac vitâ discesserunt. Illa enim Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, cæterorumqve Scholasticorum sententia, qvam cum Jesuitis Masenius hîc seqvitur, & qvæ piorum etiam peccata sub censuram olim severissimi judicis vocatū iri censet, repugnat immutabilitati Dei, qvi qvod cōdonavit semel, perfectissimâ Christi satisfactione placatus, non revocabit iterum ad calculos, qvod semel rejecit post tergum (*Es.* XXXIIX, 17.) & longissimè à conspectu suo remotum (*Ps.* CIII, 12.) in profundum maris demersit, (*Mich.* VII, 19.) atq; ut nubem delevit, (*Esa.* XLIV, 22.) non accerset iterum aut reducet in conspectum: repugnat veritati DEI promittentis, se nolle recordari ampliùs peccatorum, qvæ pœnitentibus remisit, (*Es.* XLIII, 25 *Jerem.* XXXI, 34. *Ezech.* XVIII, 22, *Ebr.* X, 17.) repugnat delineationi processus judiciarii *Matth.* XXV, qvæ nullum peccatorum à piis commissorum scrutinium, sed commendationem virtutum memorat: repugnat manifestis Christi verbis: *Qvi credit, non judicatur. Qvi verbum meum audit, & credit ei, qvi misit me, non venit in judicium, Joh.* III, 18. *V*, 24. repugnat dignitati piorum, ad assessuram judicis Christi extollendorum *Matth.* XIX. 28. I. *Cor.* VI, 2. repugnat parrhesiæ piorum, qvi cum Paulo interrogare

Electorū opera an discutiendi in extremo judicio?

non erubescunt: *qvis accusabit electos DEI?* &c. *Rom. VIII, 33.* Alia ut omittamus, prolixiùs apud Bielenthalium in *enodat. hujus qvæst. Rostoch. 1617. editâ.* Gerhard. *Tom. IX. Loco de extr. judicio* § 65. *sqq* Feurborn. *Syntagm.* II. *Disf. XX* § 33. 34. p. 580. seqq. Dn. D. Qvenstedt. *Differt. de die Panrocrit. qv. V. &* VI. legenda. Frustrà ergò à Masenio urgentur illa Scripturæ loca, qvæ docent, omnes nos manifestandos coram tribunali

II. *Cor. V,* 10. *Rom.* XIV, 11. Christi, II. *Cor. V,* 10. *Rom.* XIV, 11. Enimverò manifestabimur omnes coram tribunali Christi, sed non ut judicemur omnes, & examinemur, sed ut pii qvidem ab impiis discernantur, absolvantur & in æternam gloriam solenniter immittantur. *Secundum judicium discretionis, qvo discernentur oves ab hircis, & triticum Domini à Zizaniis, nos omnes exhiberi oportet ante tribunal Christi. Secundum judicium autem damnationis in illud judicium Sancti non venient*, interprete Augustino *tract.* XXII. *in Joh. Tom.* IX. *opp. p.* 194. Conf. Balduin. *in* II. *Cor.* V. *P.* I. *q.* 3. *p.* 633. Hornej. *Disp. Theol. P.* II. *D.* VI. *S.* II. *th.* 55. *Rationem reddent de qvovis verbo otioso*, (qvod dictum ex *Matth.* XII, 36. hîc

Matth. XII, 36. profert Masenius,) non pii, qvorum graviora jam deleta sunt peccata, verùm impii, qvi remissionem peccatorum non consecuti in hac vitâ, non habebunt, quo vel verbum otiosum excusent. Proinde frustraneus

Masenii

Masenii metus est p. 36: *exprobratum iri ingratitudinem & malitiam omnem: ostensum iri vulnera tuis debita sceleribus, pro te subitos frustra cruciatûs, fusum sangvinem, mortem obitam, neus. qvæ licèt salutem conseqvaris, sæpè tamen desidiâ atq; ingratitudine tuâ neglexeris. Qvid tum dices? ad qvos te patronos convertes?* Metus Masenii Liberavit ab isto metu finaliter-credentes Scriptura Sacra. In verâ fide qvi decessit, is nec peccata ad tribunal Christi afferet; *mundatus enim est sangvine Christi ab omni peccato*, I. *Joh*. I, 7. & *tectus veste justitiæ comparet*, *Es*. LXI, 10. *Ap*. VII, 13. 14. neqve advocatos circumspicere habebit necesse, sed plenum intercessionis Jesu Christi fructum percipiet. Mirum verò tam anxiè patronos inqviri à Masenio in isto judicio. Qvis non immisericordes Sanctos pronuntiet, si toties auxilium & opem in illo die ferendam implorati deserant clientem, cùm maximè oportebat verba pro illo fieri? Qvis non miseros patronos esse censeat, per qvos, ne causâ cadat misellus cliens, perpetuò fuerit verendum? O nos felices, qvi *si peccaverimus, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, qvi propitiatio pro nostris, imò totius mundi peccatis est*, I. Joh. II, 1! O infelices, qvi suis confisi operibus inter spem & desperationem suspenduntur! *Qvantis*, ait Masenius p. 36. *premeris angustiis, dum qvæ in defensionem*

ſionem producentur bona opera, ambiguam de te cauſam inter ſpem ac deſperationem ſuſpendent? Prodit ſuo ſe indicio ſorex, & perverſitatem doctrinæ Pontificiæ manifeſtè incuſat, qvæ de merito operum multum gloriata, illaqve in defenſionem producens, homines ambiguos inter ſpem & deſperationem ſuſpendit; cùm fieri nunqvam posſit, ut per bonorum operum conſcientiam ſecuri de vitâ æternâ & felici judicii Divini ἐκβάσει reddamur.



EXA-

Examen

Considerat. V.

p.41-50.

De æternâ beatitudine ac damnatione, mediisq; hanc vitandi, illam asseqvendi per veram fidem, & salutis ardens studium.

Puncto II. p. 44. durior illa est sententia, qvam in fideles etiam, si deliqverint, fert: *neminem tam DEO amicum, etiam in vocatis ad veram fidem admissisq; in Ecclesiam Christi futurum esse, qvi si deliqverit, propitium DEUM habiturus sit. Qvia & filii regni ejicientur in tenebras exteriores.* Et post pauca: *En filios regni, qvi q; in Christi membris fuerunt, h.e. vere-fideles, si peccaverint, exterminandos, pœnisq; æternorum ignium excruciandos.* Verùm cùm *non vivat homo, qvi non peccet*, 1. Reg. IIX, 46. omnibus jam hominibus æternum paratum fuerit exitium. Nos ut præfractos qvidem peccatores in impœnitentiâ finali decedentes & respuentes Christi meritum æternis ignibus excruciatum iri non negamus, per *Ezech.* *Durior Masenii sententia in omnes, qvi peccant.*

Ezech. XXXIII, 13. *Joh.* III. 18: ſic fideles in peccatum abreptos ad deſperationem adigere illo fulmine meritò perhorreſcimus. *Si qvis enim peccet, habemus advocatum* &c. 1 *Joh.* II. Sic autem avocandus à deviis vitiorum erat animus, ne in præcipitia deſperationis impelleretur: ſic circumnaviganda ſecuritatis carnalis charybdis, ne in Scyllam incidere naviculа animæ Chriſtianæ. Dummodò palmitum inſtar per fidem veram maneamus in Chriſto, eqve eo ſalutarem ſuccum contra venenum peccati hauriamus, non eſt qvòd ignem timeamus æternum, qvi juxta Chriſti verba à Maſenio è *Joh. XV, 6* adducta eos tantùm manet, qvi in Chriſto non manent, h. e. qvi à doctrinâ Evangelii ſe dimoveri & abripi ad errores cum fidei fundamento pugnantes ſuſtinent, verbum, qvo fides alitur & augetur, contemnunt, mortalibus peccatis fidem & gratiam excutiunt, nec per ſeriam pœnitentiam de peccatis admisſis dolent, illorumq; remisſionem in Chriſto qværunt. Hi enim
Matth. VIII, 12. non ſecus ac filii regni, h. e. Judæi contemnentes oblatam gratiam à gentibus acceptatam (de fidelibus interpretari cum Maſenio, planè ἄτοπον. Vid. Polyc. Lyſer. *Harm. Evang. c. 53. col. 896. 897.* Gerh. *not. ad Matth.* VIII, 12. *p. 477.*) ejicientur in tenebras exteriores. De cætero *his, qvi ſunt in Chriſto* JEſu, *nulla metuenda condemnatio,* Rom.

Rom. VIII, 1. *neq, qvicqvam eos separare à dilectione DEi potest*, v. 35 39.

Eodem puncto p. 45. his etiam minatur exitium, *qvi religiosos simplicesq́, ac DEO dicatos homines, tanqvam insanos derident; fore enim tempus, cùm in planctum mutabitur risus eorum, & cum Babylone illâ omnium hæresium & sectarum matre, bibent de vino iræ DEi &c.* Ap. XIV, 10. Qvibus verbis si notare eos voluit, qvi ἐθελοθρησκείας Pontificias, & fictam ab illis perfectionem Christianam, ad qvam per commentitiam religionem votorum fingunt perveniri, refellunt, & verbo DEI repugnare ostendunt, iniqvus profectò judex est, eos condemnans, qvibus respondere potiùs debuerat. Sin hos compellat, qvi verè religiosos, h.e. DEo veræqve religioni, simplici fide, ac procul habitis hominum commentis adhærentes rident ac insectantur, id suæmet Ecclesiæ membris prædicit vel imprecatur, qvod ut per veram conversionem avertat ab ipsis DEUS, seriò vovemus. Erit profectò tempus, cùm in planctum mutabitur risus vester, qvi parvulum cœlestis Patris gregem cui is regnum destinavit, *Luc.* XII, 32. non ridetis modò, sed rapacium instar luporum devoratis, ferroqve vastatis & igne. Tempus erit, qvandoqve qvisqve vestrûm *bibet de vino iræ DEi, qvod mistum est mero, cum calice iræ ipsius & cruciabitur igne & sulphure in*

Anathema Masenianum.

conspectu angelorum sanctorum, & in conspectu agni, & fumus tormentorum vestrorum ascendet in secula, (*Ap*. XIV,10.) nisi Babylone illâ omnium hæresium & sectarum matre, juxta vocem cœlestem *Ap*. XVIII, 4. exiveritis, Babylone, inqvam, illâ, qvæ insidens belluæ 7. capitum, ac decem cornua habens, septem imposita montibus, ac circumdata purpurâ & coccino, poculum aureum in manu habet, plenum abominationibus & immunditiâ scortationis (spiritualis, seu idololatriâ,) qvo inebriavit gentes; cecidit autem præconio angeli superiori seculo per medium (Ecclesiæ) cœlum volantis, & annunciantis sedentibus in terrâ æternum Evangelium: (*Apoc*.XIV.10.) qvæ ebria est sangvine Sanctorum & martyrum Jesu, qvos innumero numero hæreticorum insignitos nomine trucidavit: qvæ Civitas magna est, habens regnum super principes terræ: ac notas omnes à Spiritu S. definitas Apoc. XIV. XVII. XVIII. XIX. accuratissimè plenissimeq; exprimit: qvamqve non aliam, nisi Romam esse posse, post Tertull. Eusebium, Hieronymum, ipsumqve Augustinum XVI. *C. D.* 17. XVIII, 2. 22. 27. Baronius, Ribera, Viegas, Bellarm. Malvenda, Lessius aliiqve fatentur: non aliam Romam, nisi Christianam, vel pseudo-Christianam potiùs, invictè demonstrarunt ex vi certibus textûs innumeri, è qvibus vel Cluver. *ailus*.

Babylon Apocalyptica.

*diluc. Apoc.Tom.*I.*tract.3*.p.65.*sqq*. Dounam. *de Antichr*. L.I.*c*.7. Gerh. *Conf. Cath. L*. II. *P*. I.*p*.699. *sqq* 800.*sqq*. Sim. Schard. *pecul. tract. de hoc argum*. Joh. Wolff. *Cent*. XVI, *p*.839. Kromaier. *Comm. in Apoc.p* 339. videri possunt.

Puncto III. Considerari vult Masenius: *quâ ratione potissimum tantum possimus obtinere beatitudinis bonum, & evadere malum damnationis*? Cùm olim ex Paulo & Silâ idem qværeret præfectus carceris: *Domini, qvid me oportet facere, ut salvus fiam*? hoc ferebat responsum: *crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu & domus tua*. Act. XVI, 31. Sed Masenius longè aliam praxin cum sociennis suis præit. *Odium mali studiumqve pietatis* unicum illi acqvirendæ salutis fugiendæqve damnationis medium est; de fide altum silentium. Scilicet ad *novam praxin* hoc pertinet. Apostolica enim illa, juxta qvam *non ex operibus justitiæ, qvæ fecimus nos, sed secundum misericordiam DEi salvamur*, Tit. III, 4. *& gratiâ per fidem, idq; non ex nobis; DEi enim donum est, non ex operibus, ne qvis glorietur*, Eph. II, 8. 9. exoleta jam est hujus farinæ Doctoribus. Neqve citra fraudem confudisse qværstiones distinctissimas Jesuita videtur, unam *de obtinendâ salute*, alteram de *non amittendâ*. Enimverò si Scripturæ magis, qvàm Tridentinorum Patrum voces audiamus, solâ fide obtinemus salu-

Praxis obtinendæ salutis Apostolica, exoleta Masenio.

confundenti distinctissima,

ſalutem, non operum vitæqve ſanctitate: *Si enim ex operibus, jam non ex gratiâ*, Rom. XI,6. At fidem ne amittamus, cumqve fide vitam ipſam, ſanctitati ſtudendum, idq; cavendum ſedulò, ne peccatis gratia DEI excutiatur. Pertinet ergò pietatis ſtudium & qvarumvis afflictionum, qvas DEus impoſuerit, tolerantia ad *reqviſita ſalvandi*; ad *media ſalutis obtinendæ* referri non debet. Qvâ de re cùm inferiùs facienda iterum verba fuerint nobis, tu illud hîc conſidera modò, Lector pie, qvàm aliena ſint à ſcopo Maſenii, qvæ hîc perorat, tum qvàm aliena ſint ab ejus mente Scripturæ, qvæ adducit, teſtimonia, poſtremò qvâ fide cum noſtris Eccleſiis agat. Oſtendere volebat Jeſuita, non qværitari cinerem, cùm qvæ orthodoxa fides ſit, diſceptatur: animæ hîc negotium agi, nec absqve ſalutis diſpendio negligi veræ fidei ſcrutinium. Itaqve fuerat demonſtrandum, poſtqvam vitæ æternæ deſiderio accenderat animum, qvàm neceſſaria ſit vera fides, ſine qvâ nec ad DEum pervenire qvisqvam, (*Ebr.*XI,6.) nec vivere piè poteſt. Sanctitatis commendari ſtudium ut alibi poterat, ſic à præſente loco alienum certè erat. Et cogitabit Lector: ſi pietatis ſtudio tantæ beatitudinis bonum obtinere, evadere malum damnationis licet; qvid opus, prolixè occupari fidei veræ falſæqve dijudicatione? Qvam hoc magis curæ ſibi eſſe

& ſcribenti alieniſſima tùm ab intentione, qvam præfert.

esse cupiet, si intellexerit, fidem veram esse unicum illud medium, qvo ad salutem perducimur; vicissim falsam fidem & qvæ DEI verbo repugnat, certissimâ ad æternam perniciem viam esse. Ac multò rectiùs ad hunc finem retulisses incarnationem Filii DEI, (consideremus enim jam probationes Masenianas) qvàm qvorsum augustissimum mysterium rapuit Jesuita. *DEus ipse, (inqvit p. 47.) homo factus venit in hunc mundum, ut exemplum vitæ nobis daret rectè instituendæ, suisq; etiam præceptis dirigeret, ne tantum incurramus damnationis malum, & beatitudinis tam immensæ bono excidamus.* Sanè Christum θεάνθρωπον nobis exemplum reliqvisse, ut inseqveremur vestigia illius, *1. Pet. II, 21.* & disceremus ab ipso, qvia ipse humilis corde *Matth. XI, 29.* præcepta etiam divina repetiisse, purgasse, inculcasse *Matth. V. & alibi*, nemo negat. At hunc tanqvam unicum vel præcipuum etiam finem adventûs Filii DEI in carnem ponere, ut exemplo institueretur vita, & dirigeretur præceptis, iis saltem digna assertio est, qvi id laborant, ut totam Evangelii doctrinam, & redemtionem, qvæ per Jesum Christum facta est, funditus evertant. Ideò *dedit Filium suum DEus, ut omnis, qvi credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, Joh. III, 16. ideò *venit Filius hominis, ut qværeret, qvod perierat, & daret animam suam lytrum pro omnibus,*

tum à fini incarnationis τῦ λόγυ,

bus Matth. XX,28. Luc. XIX, 10. I. Tim. II, 5. *ut per mortem destrueret eum, qvi mortis habebat imperium, h. e. diabolum, & liberos redderet eos, qvi metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti*, Ebr. II,14. 15. Conf. Gerh. *L. de Christo* §.*140.* Menzer. *T. III. Giesf. Disp II.* §. *11.sqq.* Ideò datum nobis Filium DEI, ut per exempli, qvod reliqvit, imitationem, & observationem præceptorum obtineremus salutem, Jesuitæ dixerint, Scriptura ubiqve tacet. Sed deducta haut dubiè ista sententia est ex venenatis fontibus persvasionis pseudo Apostolicæ de salute per operum merita impetrandâ, & alterius item opinionis de Christo Novi Testam. Legislatore, qvam passim in Arminianis & Socinianis, qvibus cum communem habent Pontificii, profligari videas. Neq; verò dicta Scripturæ, qvæ protulit Masenius, demonstrant, per *odium mali & amorem boni* à Prophetâ commendatum obtineri æternam beatitudinem. *Angusta porta & arcta via, qvæ ad vitam ducit*, qvid aliud est, qvàm vera & orthodoxa fides, qvæ per unicam illam viam januamqve salutis, (qvæ Christus est, *Joh. X,9 XIV, 6.*) in vitam æternam ducit: angusta qvidem & spinis obsita multarum tribulationum & persecutionum, qvales sustinent Orthodoxi à Papistis? Qvid aliud *spatiosa & lata via, qvæ*

tum à dictis Scripturæ, qvæ allegat ex Matth. VII,13.14.

qvæ in perniciem ducit, qvàm religio voluptatum ac divitiarum abundans, qvâ hodie proh! plurimi in Ecclesiâ Pontificiâ ad æternum exitium grassantur. Favet huic expositioni Augustinus *Serm. de temp. Barb.* (si is qvidē Augustini) *T. IX. p. 1001.* angustam portam *de foramine* intelligens, *qvod unus è militibus percutiendo latus crucifixi aperuit, per cujus angustias totus mundus verâ fide in cælum intrare possit.* Qvod si permittamus maximè, *viam abstinentiæ & castitatis, humilitatis, & omnis religionis, qvam viam ante nos Christus attrivit, qvâ viâ ad regnum intravit*, indicari, ut alibi Augustinus *tract. de qvatuor virtut. charit. T. IX p. 1047.* & Basil. M. *in Ps. I. Tom. I. p. 218.* & Lactant. *VI, 3. p. 332.* & alii exponunt: neqve sic tamen qvicqvam obtinebit Masenius. Via non est illicò causa obtinendi castelli, qvod per illam acceditur. Nullaq; conseqventia illa est, qvæ ab *ordine & modo*, qvem observat DEus in introducendis ad salutem hominibus, ad *medium salutis* ipsius obtinendæ procedit. Qvis passiones piorum medium gloriæ productivum vocet, qvanqvam & Christus per passionem intrarit in gloriam suam, *Luc. XXIV, 26.* & pii per tribulationes ingrediantur regnum DEI, *Act. XIV, 21.* Alter locus ex *Matth. XI, 12.* planè ἀπροσδιόνυσος est, qvem sic Masenius allegat: *Qvis per spinas ad cælum malit, qvàm per rosas incedere, si* *Matth. XI, 12.*

 optio

optio perveniendi utralibet viâ detur? Verùm aut hos, aut Christum fallere necesse est, cujus hæ voces sunt: regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Addit è Matth. XVI, 24: *Qvi vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & seqvatur me.* Patet ex contextu, priori loco sermonem esse de regno gratiæ & avidissimâ acceptatione Evangelicarum promissionum sub initium Novi Testamenti, qvomodo post *Hilarium*, *Chrysostomum* veteresqve alios rectè *Erasmus* exponit; non de regno gloriæ. Ad qvod si anagogicè applices etiam, fuerit tamen violentus raptus ille uni fidei ascribendus, qvæ Christum ejusq; meritum ad se rapit, neq; dimittit, nisi benedicatur spirituali & æternâ benedictione, *Gen. XXXII, 26.*

Matth. XVI, 24. Mandatum autem Christi de suimet abnegatione &c. implent Lutherani, cùm soli Christo tribuunt omnia cum Apostolo, suam verò justitiam, qvæ ex lege est, tam non jactant, ut pro damno etiam ac stercoribus habeant, *Phil. III, 8. 9.* neqve verè-piorum cœtum externâ felicitate æstimant, sed immissam divinitus calamitatē æqvissimo animo sustinent. Sed non erat omittenda tam commoda occasio, suggillandi Doctores nostros.

tum ab officio boni viri. Hi enim Masenio sunt (p. 47. 48.) *Pseudoprophetæ venientes in vestimentis ovium, malæ arbores agnoscendæ è fructibus, & in ignem mittendæ.* Hi sunt, *qvi fatentur, se*

nosse

nosse DEum, factis autem negant: qvi cùm non audiant Ecclesiam, sunt velut Ethnici & publicani; qvi blandam gratamq; carni doctrinam, verbi Divini specie ornatam populo venditant: qvi latam ac facilem offerunt viam, qvam salutis tamen esse, persvasum cupiunt, & qvæ sunt alia Φορτικὰ ἀκούσματα è veteri Papistarum praxi in hanc novam tralata. Ita si accusasse sufficiat, qvis innocens erit? Qvantò autem rectiùs Romanensium pellem ovinam Nic. Hunnius noster detexit? Hos verè pseudoprophetas dixeris, qvi Catholicorum DD. titulo ornati blanditiis verborum sanctæq; conversationis specie oves simulant, cùm intus lupi rapaces laniena modò & cædes ovium meditentur. Horum si consideremus fructûs, h. e. non mores tantùm pravos, qvi etiam in veræ Ecclesiæ Doctores cadere possunt, sed falsam doctrinam potissimum pravaq; consectaria excutiamus, qvæ ex ipsorum dogmatis fluunt, DEiqve cultum & pietatem veram impediunt (ut rectè sensum illorum verborum Barradius effert *Tom.* II. *Conc Evang. L. VII. c 30.* cui Cornel. à Lap. Tirinus, Conzen. *h. l.* nec non Bellarm. *L. V. de Grat. & Lib. arb. c. 10. §. hoc posito dico.* & Thom Stapleton. *L. X. de princ. fid. c. 1.* consentiunt:) manifestum fuerit, pseudoprophetarum elogium planè in eos qvadrare, qvorum doctrinâ gloriam DEI contaminari omnemqve vitæ enervari sanctita-

Matth. VII 15. 16. applic. ad Pontif.

tem, invictè Gerhardus noster *dispp. Acad. P.I. p.5 197. & 581-1107.* demonstravit, cum qvo Hopffneri *Saxon. Evang.* S. *II. P.* 1. *c.* 2. & 3. *p.* 191. *seqq.* & Hunnii *pellem ovinam R. E.* §. 129 *sqq.* conferre operæ pretium fuerit. Qvod si vitam ipsam contemplemur, dolendum qvidem est, non omnes dignè Evangelio, ad qvod vocati sunt, ambulare: (*Phil. I.* 27.) sed si hoc doctrinæ nostræ imputat Masenius, pseudo-Apostolorum insistit vestigiis, qvi Pauli doctrinam de justificatione per solam fidem, qvæ in nostris Ecclesiis sonat, calcar ad peccandum faciebant *Rom. III,* 11. *VI,* 1. Viderit autem Masenius, ex vitâ de veritate doctrinæ judicans, qvid de Romanensiũm fide habendum sit, de qvorum flagitiis & contaminatissimis moribus (Clericorum inprimis) non modò status imperii Noribergæ A. cIↃ IↃ XXII. congregati in gravaminibus suis, (vid. Goldast. *T. II.* Reichs-Satzung f. 197. sqq.) ipseqve adeò Adrianus VI Pontifex qverebatur (Hortleder. von ursachen des Teutschen Krieges *L. I. c.* 1. § 23. *p.* 8. Sleidan. *L IV. de Statu relig. p.* 82.) sed innumeri inter Papistas ipsos Scriptores minimè ignobiles, qvorum testimonia D. Borsaccus peculiari libro congessit. Conf. Gerh. *Tom. V. LL. de Ecclesiâ* §. 261. Höpffn. *Sax. Evang. S. I. c.* 7. *p.* 73. *sqq.* & B. Parentis mei Luther. Löseschlüssel §. 289. *p.* 241. *sqq.* Debebat oculo suæ Ecclesiæ hanc trabem prius

Sanctitas utrius Ecclesiæ major.

eximere, qvàm nostræ festucam. Graviter olim Lutherus noster wieder Hanß Worsten *Tom. VIII. I. G f. 434. a:* Summa: Es darff des Lebens halben keines disputirens / denn wir bekennen gern und frey / daß wir nicht so heilig sind / alß wir sollen. Allein / daß wir solch Vortheil haben / daß unß die Heintzen nicht mit guten Gewissen / weder für GOtt / noch der Welt tadeln können / sie seyen denn zuvor frömmer / weder wir sind. Sonst hat sie Christus schon verdammt / da Er spricht: Du Heuchler / zeuch zuvor den Balcken auß deinen Augen. Sollen sie aber den Balcken zuvor herauß ziehen / und beweisen / daß sie frömmer sind weder wir / so sind wir wohl ewiglich sicher. Denn wir nicht wider sie allein vom **Splitter** (so das **Leben** betrift /) sondern auch von den grossen **Balcken** (so die **Lehre** betrifft) zu thun haben. Und wir lachen nicht dazu / daß böses bey uns geschicht / wie sie thun in ihren Kirchen / alß Salomo saget Prov. 2. sie freuen sich böses zu

thun / und sind frölich in ihren verkehrten Wesen / wollens dazu mit Feur und Schwerd vertheidigen. Similia in *Postillis Domest. Dom.I. adv.p.6.7.* perorat. Tu cogita saltem, Lector pie, utra pars gratiorem carni doctrinam proponat: illane, qvæ peccata contendit expiari posse contritione, vel ejus saltem desiderio, confessione & satisfactione à Sacerdote impositâ: an qvæ veram fidem, qvâ solâ salvamur Apostoli judicio, & qvâ destituti in æternum pereunt, negat consistere posse cum peccatis contra conscientiam commissis, atqve hoc inculcant perpetuò, *non omnem, qvi dicit: Domine, Domine*, h. e hypocriticè de fide gloriatur, *sed eum tantùm, qvi voluntatem Patris cœlestis facit, ingressurum esse regnum cœlorum.*

Nostra, an Pontif. doctrina carni gratior?

Ineptiæ voti Masseniani.

In *Formulâ* seu *voti & juramenti*, seu *firmi propositi*, Masenius *p.50.* Lectorem suum obstringit, ut statuat: *velle se amplecti eam doctrinam, qvam comperiat esse Apostolicæ doctrinæ Ecclesiæq́ magis conformem, ideoq́ & in conscientiâ præ reliqvis tutiorem.* Lepidum profectò votum pro discernendâ religione. *Apostolicæ doctrinæ & Ecclesiæ* nomine haut dubiè intelligit Romana dogmata, & cœtum, in qvo illa vigent.

vigent. Statuere ergò Lector ac proponere sibi debet, anteqvam ad examen doctrinæ & Ecclesiæ, cujus veritas ex doctrinâ æstimatur, accedat, nolle se aliam amplecti doctrinam, qvàm Pontificiam. Apage offucias istas. Esto Lydius lapis scriptum DEI verbum, non ementita doctrina Apostolica, ex traditionum humanarum hausta commentis: non Ecclesia illa, cujus veritas falsitasve in controversiam venit. *Qvi secundum istam regulam incedunt, super eos sit pax & misericordia*, Gal. VI, 16. Utram proinde doctrinam reperies, mi Lector, in hoc qvoqve examine nostro Verbo DEI scripto conformem, ideoqve in conscientiâ præ reliqvis omnibus tutam, hanc unicè per DEI gratiam amplecti & ad finem vitæ usqve constanter retinere, firmiter statue ac propone. *Tu autem, ô Lux vera, Christe*, (lubet enim ita finire cum Masenio, eiq; simul & omnibus Papali cæcitate presfis illuminationē veram apprecari) *qvi in hunc mundum venisti, ut omnis, qvi credit in te, non pereat, sed habeat vitam æternam, illumina mentes nostras radiis divinæ veritatis tuæ, ne in hac viâ salutis aberremus: ut æternum tecum vivamus, glorificemus & laudemus te cum DEO Patre & Sp. S. per omnia secula. Fiat. Fiat.*

EXAMEN

Confideration. VI.

p. 51.--60.

De (1) vocatione Chriftiani hominis ad fidem, ejusqve (2) perfeverantiâ, & (3.) perfectione necesfariâ ad falutem.

PUNCT. I. p. 51.

QVòd divinum vocationis beneficium confiderari Mafenius jubet, & expendi, qvantum DEI donum fit, qvòd præ tot gentibus *nos, qvi non eramus populus, populum fuum effe jufferit, qvòd nobis, qvi non confecuti mifericordiam, mifericordiam impertire voluerit, ut vocati à tenebris in admirabile lumen fuum, virtutem annunciaremus ejus, qvi nos vocavit in genus electum, gentem fanctam, populum acqvifitionis (1.* Pet. II, *9.)* nemo improbet. Etenim fi ulla res eft, qvæ ad rectum DEI cultum fincerâ fide & vitæ fanctimoniâ præftandum nos adigere poffit, memoria vocationis noftræ & regenerationis hoc operari in nobis debet. *Hortor vos in Domino*, (ait Apoftolus *Eph. IV,* 1.) *ut dignè*

gnè ambuletis vocatione qva vocati estis, cum omni humilitate & mansvetudine &c. Et Philippenses (*c.I,27.*) jubet *conversari dignè Evangelio Christi*, ad qvod vocati erant. *Neq;* enim *ad immunditiem nos vocavit DEus, sed ad sanctificationem* 1. Thesſ. IV,7. 1. Pet. I, 15. 16. Atqve ideò *baptisati sumus in mortem Christi, & consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut qvomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vita ambulemus*, Rom. VI, 3. 4. Conf. Gerhard. *Schol. Piet. L.I. P.I.c. 7. & 9.* Ac nobis qvidem incumbit, hoc majores gratias agere immortali DEO, qvòd non tantùm verâ fide in baptismo nos donavit, sed per verbum eandem auxit & confirmavit, nec ullis hominum commentis offuscari aut everti in cordibus nostris passus est. Qvod proh dolor! multis millibus miserrimarum in Papatu animarum contingit, qvæ pabulo verbi spoliatæ à verâ in Christum fide in damnabiles de meritis operum sententias, vanasq; ἐθελοθρησκείας ac superstitiones seducuntur. Sed qvod *p.52.* absolutissimam Baptismi necessitatem fingit, vi cujus damnari planè omnes, infantes etiam, qvi absqve baptismo decedunt, necesse sit: id nec misericordiæ DEI, neminem nisi qvi media salutis malitiosè excusserit, damnantis, Christiqve in parvulos affectui (*Matth. XIIX, 14. XIX, 14.*) convenit satis, nec ex verbis Salvatoris, qvæ

Salus infantum non-baptizatorum.

Job. III, 5. qvæ è *Job III, 5.* urget Masenius, exsculpi potest. Res ibi Opt. Max. Doctori nostro cum principe Pharisæorum erat, qvi consilium hoc DEI de Baptismo spernebant, Luc. VII, 30. Huic ergò edicit, nullum ἀβαπτίστον contemtorem introiturum regnum cœlorum. Scilicet ordinem salutis exponit, ad qvem hominem magis, qvàm se ipsam alligare Divina sapientia voluit. De qvâ nimis abjectè sentit, qvi modum eam negat invenire posse, qvo fidem, sine qvâ impossibile placere DEO, in corde embryonis accendat, qvem ordinario salutis medio non culpa propria aut parentum, sed DEI ipsius imperscrutabile consilium privat? Num negabimus, eum, cui difficile non fuit, Johannem in utero matris delitescentem Spiritu S. & Messiæ salutari cognitione implere, *Luc. I, 44.* & latronem non-baptizatum perducere in Paradisum. *Luc. XXIII, 43.* (ad qvod exemplum utrumq; Augustinus provocat, ostensurus, aliqvos sine baptismo salvari, *Ep. LVII. ad Dardanum*, & *L. IV. contra Donatistas, de Baptismo, c. 22. Tom. II. Opp. p. 277. B.* & *Tom. VII. p. 432. A.*) tantâ pollere potentiâ, ut fide & salute infantem nec boni, nec mali gnarum donet? Num de voluntate dubitare nos sinunt manifesta Christi verba: *non est voluntas Patris mei, ut unus pereat de pusillis istis* Matth. XIIX, 14. Jam cùm ex DEI Patris voluntate embryones denascantur citiùs,

tiùs, qvàm nascantur, aut ordinario modo renascantur: qvis non intelligit, aut falsum esse, qvod Christus ait, aut salutem abjudicandam talibus negativè - (non privativè) ἀβαπτίστοις non esse? Enimverò existimandum non est, DEum immitiorem infantibus fidelium in N. T. esse, qvàm in Veteri fuit, ubi eos, qvi circumcisionis Sacramento vel præproperâ morte, vel itineris difficultate, (*Jos. V, 5.*) vel persecutorum furoribus (*Exod. I, 22. 1. Macc. I, 51. 64. Matth. II, 16.*) excludebantur, sine externo Sacramento regeneravit. Et sanè tot millia infantum salute excludere DEum, neq; sangvinis Christi pro minimis etiam effusi participes fieri voluisse, id verò μισάνθρωπον DEum argueret. Unde & Salvator noster, cùm *Marc. XVI, 16.* eum, qvi crediderit & baptizatus fuerit, salvari affirmasset, condemnationis postea causam non omnem baptismi ἀπουσίαν facit, sed qvæ cum ἀπιστίᾳ tantùm conjuncta sit, ut bene observat Bernhardus *Ep. LXXVII. ad Hugonem de S. Victore*, qvam Jac. Merlonus Horstius in editione suâ Epistolis, qvòd prolixior esset, exemtam, inter tractatûs retulit, *cap. 2. Tom. IV. Opp. p. 120.* Id autem ex professo ibi agit B. abbas, ut horrenda Pontificiorum hoc in negotio effata refutet. Qvod & eruditè præstitum à Gerhardo *L. II. Conf. Cath. P. II, a. 2. c. 1. p. 885. sqq.* Balduino *Cas. Consc. L. II, c. XI. cas. 3. p. 398. seqq.* Dannhauero

hauero *Hodos. p. 995. seqq.* & *Tom. II. Hodom. Pap. p. 511. sqq.* Vossio *Disp. VII. de Bapt. th. 17, sqq. p. 104.* Jac. Laurentio *fabulâ Papist. infernali tripartitâ p. 588 sqq.* Chamiero *Tom. IV. Panstrat. L. 5. c. 8. sqq.* & aliis.

Augustini de hac re sententia

Augustinum tamen hîc ad partes vocat Masenius. Qvi qvidem faciliùs errare potuit, qvàm veritati Divina suâ sententiâ præjudicare. Sanè non modò dubitanter loqvitur de hoc negotio alibi B. præsul, (vid. *L. I. de peccator. meritis & remiss. c. 15. sub fin. T. VII. p. 663.* & *L. III. de anima Orig. c. 13. T. VII. p. 1184.*) sed qvoties duriùs qvid pronunciat, contra Pelagianos ferè disputat: qvi nullum peccatum originale agnoscentes, negabant infantes peccatorum remissione, adeoq; baptismo opus habere, ceu ex *l. c. libri 3. de orig. animæ* manifestissimum evadit. Cùm his ergò cùm negotium sibi esset, nimium in alteram partem inflexit arborem, qvò eam rectam redderet, ceu loqvitur Rivetus *Cath. Orthod. tract. 3. qv. 4. §. 7.* & *q. 5. T. III. opp. 304. 307.* ubi rectè observat, si Jesuitæ hac in parte Augustinum judicem velint, necesse esse, ut duo qvoqve rejecta ab se cum Augustino statuant: (1.) Infantes non adipisci vitam æternam, nisi S. Eucharistiæ participes fuerint. Nam & hæc Augustini *L. I. de pecc. meritis c. 20. & 24.* itemqve Innocentii Papæ sententia erat, in utroqve à Jesuitâ

â Papistis teneri nō potest,

Mal-

Maldonato ad *Job.VI 53.* (qvo loco abutebantur illi) refutata. (2) Infantes absqve baptismo decedentes torqveri igne sempiterno. Sic enim Augustinus *de fide ad Petrum c.27. T. III.p.232.* decidit : *Firmissimè tene & nullatenus dubites, parvulos , qvi sine Sacramento S. baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Limbum autem infantum , tanqvam Pelagianum rejicit *L.I.de mer. pecc.c.28.* & *Serm. XIV. de verbis Apost.Tom X p.319. Nullus* , ait, *relictus est medius locus, ubi ponere qveas infantes. De vivis & mortuis judicabitur. Alii erunt ad dextram, alii ad sinistram. Non novi aliud. Si ergò dextra erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus : ecce in dextera regnum cœlorum est. Percipite*, inqvit, *regnum. Qvi ibi non est, in sinistrâ est. Qvid erit in sinistra ? Ite in ignem æternum.* Jam cùm in his deferant Papistæ Augustinum, qvid est, qvòd in isto errore pro normâ venditent ? Eqvidem Bitontinus Episcopus Corn. Mussus nullus dubitabat ab Augustino hac parte recedere, cùm in Rom.V. sic declamaret : *Non ergò nos moveat Augustinus vel tantillum. Hoc enim est illi peculiare, ut cùm aliqvem expugnat errorem , tantâ vehementiâ illum exaggeret, ut errori opposito ansam prabeat.* Cumq; illi Ambrosium, Hierony-

& à qvibusdam rejicitur ;

ronymum, Thomam, Bonaventuram (hi enim omnes à Jesuitarum sententiâ abeunt, qvorum verba apud Gerhard. *l. c.* ac cæteros allegatos Autor. legere est) opposuisset, addit: *absit, ut propter unius Augustini autoritatem à tantis Patribus discedam. Displicerem & ipsi Augustino, si tot tantisq; rejectis Patribus, illi uni adhærerem.* Hæc ille rectissimè. Unde constat, qvanti hâc parte sanioribus Papistis Augustini fuerit autoritas. Qvem duriùs adhuc Alb. Pighius tractat (*Controv. I.* sic scribens: *Augustini cur me multum non movet diversa sententia, inde est. Primò, qvòd nullâ Scripturæ, nullâ qvoq; Ecclesiasticæ definitionis auctoritate subnixam video. Deinde adactus fuit etiam ad planè absurda qvædam & penè evidenter falsa defendere.* Jam ad ipsum illum locum, qvem ex *Ep. 28. ad Hieronymum* produxit pro se Masenius, nuper admodum Honoratiss. præceptor ac Fautor meus, Dn. L. VAL. ALBERTI, Lipsiensium Cl. Professor Theologus ac Philosophus respondit in wolgegründeter Gegenerweisung / daß die Lutheraner in Schlesien von der Aug. Conf. nicht abgefallen *p. 38* epistolam illam & Pelagianis opponi, & si legas accuratiùs, dialecticè tantùm disputare de illâ controversiâ, cujus decisionem ab Hieronymo roget potiùs, qvàm proferat ipse. Et qvàm lubricum sit, hac in re Augustini stare judicio, inde colligat pius Lector, qvòd

Augustinus protestſ sentiens.

Bern-

Bernhardus pariter *cit. Epist.* & Lombardus *IV sent. d. 4. D.* Augustinum pro sententiâ orthodoxâ, qvam nobiscum defendunt ipsi, allegent. *Ille* enim de Augustino loqvens p.120. *Satis*, ait, *evidenter ostendit, fidelem & conversum ad Dominum non si neqviverit, sed si contemserit baptizari, fructu privari baptismatis. Ab his ergò duabus columnis (Augustinum loqvor & Ambrosium) crede mihi difficile avellor. Hic* verò non modò fuisse hanc Augustini mentem, qvam nos tenemus cum Scripturis, adductis illius locis probat, sed nec unqvam retractatam fuisse ab ipso, ostendit. Nos locum saltem ex *L. IV. de Baptismo contra Donatistas, c.22. Tom. VII. Opp. p.422.* ascribemus. Est autem iste: *Etiam atq; etiam considerans invenio, non tantùm passionem pro nomine Christi, id qvod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemq; cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neq; enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec qvia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Qvantum itaq; valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, qvod ait Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium*

 bapti-

baptiſmi non contemtus religionis,ſed articulus neceſſitatis excludit. De ipſorum Jeſuitarum qvorundam confesſione parum hîc ſolliciti qvidem ſumus, legi verò apud Rivetum l.c. *q.3. §.3.* & Gerhard. *l. c.* poteſt.

PUNCTO II.

Maſenius datæ fidei immemor

Ad perſeverantiam in fide Chriſtianâ, vel potiùs antichriſtianâ adhortatur. Neq; enim ungves Romanos celare poteſt. Namq; qvod *p.54.55.56.* ait de *hæreticis,qvi ſub vocabulo Chriſtiano Chriſtianæ doctrinæ reſiſtunt*: de *diaboli militibus, qvorum operâ infernalis leo qvondam,nunc draco utitur*: *qvi ad carnalem oculorum apertionem conantur adducere,ut interior oculus excæcetur*: de *ſeductoribus,qvi exierunt in mundum*: de *operariis ſubdolis transfigurantibus ſe in Apoſtolos Chriſti,qvorum finis erit ſecundum opera ipſorum*: *qvi poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulant, dominationemq́ʒ contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas introducentes blaſphemantes*: id omne ad eos pertinere vult, *qvi diſſentiunt à Spiritu Eccleſiæ ejus, cui promiſit DEus Spiritum veritatis in æternum*, ut Romanam Eccleſiam *p.56.* circumloqvitur: *& qvos ſub ſpecioſo verbi divini titulo,qvod pro ſuo arbitratu potiùs,qvàm veteris*

teris Ecclesiæ recepto sensu exponant, animas credulorum in æternum exitium præcipitare, ait ibidem. *Contra qvos audienda* DEI *verba, prout ab Ecclesiâ* (Romanâ) *accipiuntur, & captivato in obseqvium Christi intellectu credenda* imperat, *si qvis immunis ab hæresi, certus in fide, securus de vitâ æternâ esse velit.* Memorem hîc mendacem oportebat fuisse illius, qvod in instructione exegerat, *ne occupato animo accederet ad scrutinium controversiarum, qvi perduci ad veram fidem vellet.* Sed Masenius cùm prævideret, qvàm parum præsidii causæ suæ in qvæstionum ventilatione esset: sic præparat catechumenum suum identidem, ut obfirmato contra Doctores à Rom. Ecclesiâ dissentientes animo accedat ad examen istud. Ridiculum verò examen: in qvo regula priùs obliqvanda ad alterius partis contortam mentem, h. e. verbum DEI non alio sensu accipiendum, qvàm qvo accipi vult Ecclesia Romana, de cujus orthodoxiâ controvertitur. Hoc profectò non est, captivare intellectum in obseqvium Christi, sed hominum. Loqvitur Christus per Scripturam. Ex hoc ergò ore & verbis Christi de mente illius judicandum, non ex aliorum ingenio & interpretamentis, si qvis immunis ab hæresi, certus in fide, securus de vitâ æternâ esse velit. Qvam certitudinem & securitatem miror hîc ab jesuitâ promitti, cùm constet aliàs, qvàm laboret id ho-

minum genus omnem æternæ hereditatis spem dubiam reddere. Sed dummodò decipiatur Lector & assensum præbeat, nescio qvid non offert hic promissor, ad eum modum qvo

- - - - *pueris dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Nos non præcipitabimus cum Masenio sententiam ante causæ dictionem. Ipse intelliget Lector pius, ubi momenta ritè expenderit: utra pars resistat doctrinæ Christi, imqve diaboli adeò castris militet, infernalis illius Leonis & draconis, qvi non minùs fallaciâ doctrinæ simulataq; morum sanctimoniâ, qvàm persecutionum crudelitate hodiè in perniciem rapere miseras Christi oviculas laborat: utra excæcare interiorem oculum fidei soleat, illane qvæ ad Scripturæ obrussam probare Spiritus (1. *Joh. IV*, 1.) cuilibet permittit, an qvæ maximæ hominum parti usum lucernæ illius semitas nostras illuminantis (*Ps. CXIX.*) eripit. Intelliget, qvi hodiè sint pseudo-Apostoli, veterum illorum dogmata de justificatione per opera Legis (*Gal. V*, 2. *I. Tim. I*, 6.) de cultu angelorum, de necessariis & subopinione cultûs observandis certis dierum & ciborum discriminibus, afflictionibus spontaneis, humanisqve traditionibus aliis &c. (*Col. II*, 18, 21. & 23.) reno-

Accusat nos probri, cujus rea est Ecclesia Papalis.

renovantes, & se in Apostolos Christi, imò principem, qvem vocant, Apostolorum transformantes. Intelliget è praxi Rom. Ecclesiæ, qvinam sint illi, qvi in concupiscentiâ immunditiæ ambulant, annon *Pontifices, Episcopi, & Clerici Papales, qvi in libidinem ita aguntur præcipites, ut nec masculorum, nec pecudum turpissimos amplexûs sciant abhorrere*, ut Udalricus olim Augustanus Episcopus ad Nicol. I. jamdum seculo IX. scribebat. (Confer Wolff. *Tom. I. memorab. Lect. p.* 241. Sleidan. *L. XXI. Hist. sub fin. p.* 675. Balæum *Cent. VIII. c.* 27. *append.* Gerhard. *Comm. in II. Petri. p.* 263. *sqq.* Rivet. *castigat. notar. in Ep. ad Balsac c.* 3 *p.* 499. *sqq. T. III. Opp.* Jac. Laurent. *Grot papiz. p.* 15. *sqq.* Chamier. *panstr. t.* 1. *L.* 3. *c.* 6 *sqq.*) Intelliget, vix ullibi æqvè ac in Papatu regnare dominationum contemtum & audacem αὐθάδειαν, ubi Episcopi Romani potestatem in Imperatores, Reges & Principes sibi arrogant, eosqve de solio, si placeat, dejicere, imò subjicere pedibus audent. Vid. Laur. Banck. *de tyrannide Papæ c. XI. p* 318. *sqq.* & Sim. Schard. *pecul. libro de Paparum adversus Impp. perfidiâ.* Conf. & Hûlleman. *Breviar. c. XXII. th.* 15. 18. Dorsch. *Pentadec. D. XIV.* §. 43. Danh. *antichristos. p.* 733. *sqq.* Nos ex ipsâ controversiarum ventilatione judicium fieri de veritate aut falsitate doctrinæ malumus,

 qvam

qvàm ad exemplum Masenii multa in odium alterius partis præfari.

PUNCTO III.

Ad salutem an fides sufficiat sine B. O. ubi contra Masen. (1.) circa qvæstionem ipsã prænot. qværi (α) de necessitate non absolutè, sed ad salutem.

Non solam homini sufficere fidem ad salutem, sed bona insuper opera reqviri, Lectori suo vult persvasum. Qvam controversiam qvanqvam repetiturus infrà esset *Consid. XI p. 102. sqq.* tamen in antecessum imbuendum Lectorem iis putavit erroribus, qvibus acropolis fidei & salutis nostræ evertitur. Nos ut hîc eò brevius expedire negotium hoc possimus, qvod & copiosissimè à fidei promachis est confectum, & inferiùs recurret, primùm de qvæstione ipsâ monemus, non qværi hîc de necessitate operum *absolutè*, sed de necessitate *ad salutem*. Sic enim ex Scripturis docemus, in omni salvando prærequiri qvidem necessariaqve adeò esse Bona opera: tum ex naturâ fidei, qvæ sine operibus esse neqvit, tum ob mandatum, causasqve alias, qvas jam ad *Consid. I. punct. I.* tetigimus. Negamus autem ad salutem s. efficiendam, s. promerendam, s. conservandam, s. ullo alio modo necessaria esse opera. Itaq; non est, qvòd moveant qvempiam, qvæ *(p. 58. seqq. in affectu,)* perorat Masenius de æqvitate & necessitate studii bonorum operum, ut existimet, illam magis in Pontificiis, qvàm nostris

ſtris Eccleſiis urgeri, aut non attendi à nobis beneficia DEI, qvæ gratitudinem, amorem, vitæqve ſanctitatem poſcunt. Fallitur enim vel potiùs ſciens fallit Lectorem Maſenius, ſi negat, *illam nos ſeqvi fidem, qvæ per charitatem operatur, qvæq; fructûs bonorum profert operum, ſine qvibus fides mortua eſt, & placere DEO nō poſſumus, qvi fideles ac ſeductores falſos ex fructibus bonorum aut malorum operum dignoſcendos eſſe tradidit*, qvomodo Lectori ſuo p. 60. formulam præit. Agnoſcit præter alios Bellarm. ipſe (cujus verba ad *conſid. 3.* annotavimus) ex mente noſtrâ *fidem non eſſe vivam, nec veram, niſi fructûs bonos faciat, qvomodo ignis non eſt ignis, niſi calefaciat*; hoc ſaltem negari à nobis, *qvòd opera habeant ullam relationem ad ſalutem, qvaſi ſint merita, cauſæ, conditiones*, eaqve in re diſſidere à Romanenſibus, rectè cenſet. Cùm enim Scriptura fidei, qva tenus ſolum meritum Chriſti apprehendit, operibusqve opponitur, omnia hîc tribuat, *Eph. II, 1. 6.* &c. temerarium fuerit profectò, opera hîc noſtra intrudere. Noveris tamen bone Lector, qvod altero loco hîc præmonendum, in hac qvæſtione non de *mortuâ fide* qværi & *ab operibus ſeparatâ*, ſed *vivâ & per charitatem efficaci*. Veriſſimè enim Maſenius ſcribit p. 59: *tolle amorem & relinqve fidem, nihil reliqviſti.* Viderit autem Maſenius, qvomodo cum Synodo Tridentinâ

p. 79.

(β) *de fide non mortuâ, ſed vivâ.*

tinâ transigat, qvæ *Sess.* VI. *cap.* 15. *fideles quoq; fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, & alios, qvi lethalia committunt peccata*, agnoscit, & negat qvocunqve peccato fidem amitti. Apage vanam hanc fidei gloriationem. Cadaver fidei est, non fides, qvæ amore & operibus bonis destituitur. Nullibi esse potest animæ illa lux, qvin radios operum de se spargat. Atq; talem fidem ad salutem sufficere affirmamus, cujus vita per opera, non secus ac vita hominis respiratione se prodit, *Jac.* II. 26.

(2) *Assertio locorũ Scripturæ, qvibus orthodoxia innititur: Rom.* III, 28.

Qvibus verò fundamentis nostra orthodoxia innitatur, non exponemus h. l. prolixè. Ipse adduxit Masenius ea Scripturæ loca, qvorum robur convellere non potuit, & qvibus alia saltem dicta, qvibus mox satisfiet, (qvasi verò Scriptura hic secum ipsa pugnaret,) opposuit. Qvàm enim frivolum est, qvòd locum Rom. III, 28. ubi *nos justificari gratis per redemtionem, qvæ est in Christo Jesu ac per fidem in sangvine ipsius etiam sine operibus legis*, affirmat Apostolus, restringere ad Judæos & infideles laborat. Si Salmeronem audiamus *Disp. XXV. in Ep. ad Rom.* non debemus limitare, qvod ipse non limitavit Apostolus: qvi *vers.* 20. negat, *ullam carnem in conspectu DEI justificari ex operibus Legis*. Nec alium profectò scopum totis *capp.* 1. & 2. *Epist. ad Rom.* sibi præfixe-

præfixerat, qvàm demonstrare, omnium hominum eandem hîc conditionem esse, ac neminem gloriari posse. Hinc ut omnes peccato subjicit; sic eodem omnes modo justificari contendit. *Non est distinctio:* (qvare nec à Malenio fingenda fuerat:) *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI, & justificantur gratis per gratiam ipsius per redemtionem, qvæ est in Christo Jesu, v.22. 23.24.* Jam qvam alteri loco *Eph.*II,8. addit, limitatiuncula supervacanea penitus est: *omnes,* *qvi mortui sunt in delictis,* *gratiâ salvantur per fidem, non ex operibus, ne qvis glorietur.* Non hoc restringere est subjectum illius aphorismi, sed universalitatem ejus periphrasi qvadam docere. Nemo enim hominum est, qvin ante justificationem suam mortuus in delictis fuerit: *Omnes degeneraverunt, simul inutiles facti, non est, qvi faciat bonum usq; ad unum,* Rom. III,12. Unde Apostolus non modò Ephesios gentiles-qvondam mortuos in delictis fuisse ait *v.1.* sed se ipsum & omnes qvîscum sibi in hac epistolâ rem esse voluit, huic cumulo addit *v.3.sqq:* *Inter qvos & nos aliqvando conversabamur in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Et eramus naturâ filii iræ, qvemadmodum & cæteri. DEus autem -- cùm essemus mortui in peccatis convivificavit nos* &c. *Eph.* II,8.

Nec

Nec eſt, qvòd qvis excipiat, non tam ſubjecta, qvàm ſubjectorum ſtatum reſpicere Maſenium hac reſtrictione, & hoc velle: ſolâ fide ac gratiâ DEI à morte peccatorum primùm reſuſcitari hominem; non negari interim, ad ſalutem ipſam plenè obtinendam reqviri opera. Primò enim ſic concedet Maſenius, qvòd infrà negabit, ad juſtificationem (per hanc enim à morte peccatorum reſuſcitamur, & ab impietatis tenebris ad ſapientiam juſtorum convertimur, *Rom.* IV, 5. *Luc.* I, 17.) nulla præreqviri opera, qvod & Auguſtinus eo ſe loco affirmat, qvem ſui oblitus Jeſuita, hîc produxit: *Sciat ſe qvisqʒ poſſe per fidem juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Seqvuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum. Lib. de fide & oper. c.* 14. *T.* IV. *opp. f.* 68. Deinde omnem operum ἐνέργειαν à negotio ſalutis excludit tum disertis verbis: *gratiâ ſalvati eſtis per fidem, non ex operibus:* tum adjectâ clauſulâ: *ne qvis glorietur.* Si qvicqvam enim ad ſalutem conferant opera, licèt prima juſtificatio illis accepta ferenda non ſit, jam gloria fuerit relicta. Conf. *Rom.* III, 27. Qvid qvòd ipſa deniqve vita æterna hîc δῶρον, donum gratis donatum dicatur, qvod non per modum ſtipendii operibus noſtris bonis, ſicut mors malis debetur, ſed merum χάρισμα eſt *Rom.* VI, *ult.* Sed dudum hæc

res

res à Dd. nostris contra Pontificios pariter, & eos, qvi vel superiore vel nostro hoc seculo locutionem hanc *ἀντίγραφον* pacis præposteræ cum Papistis ineundæ studio defendendam susceperunt, demonstrata & asserta est.

Nos videamus modò, qvid pro se dicat Masenius noster. More suo Scripturam & Augustinum pervertit. Ex Scripturis *Jacobum, Paulum, Petrum, Christum* deniqve ipsum vocat ad partes. (1.) *Jacobi* verba profert, qvi *c.* II. *24.26. ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm* scribit, cùm *fides sine operibus mortua sit, non secus ac corpus sine spiritu.* Sexcenties occentatus à Papistis coccysmus, cui infrà *consid.* XI. ex instituto fuerit satisfaciendum. Hîc interim ex ipsâ comparatione adjectâ sensus verborum Apostolicorum deprehenditur: Ut corpus ex respiratione vivum cognoscitur, mortuum verò si Spiritu careat: sic fides per opera se non exerens mortua est, per opera verò vitam suam prodit. Conseqventer justificabitur homo coram iis, qvibus fides, (qvâ solâ coram DEO nos justificari, Paulus docet,) demonstranda est, non per fidem tantùm, sed & per opera, qvæ sola in sensûs incurrunt. (2.) Profert *Pauli* verba affirmantis, *Gal. V, 6. fidem per charitatem operari* debere. Qvod *τῶν ἀμφοῖν* largimur, & contra Pontificios ipsos

(3) Responsio ad (α) testimonia Jacobi Scripturæ, ex Jac. II. *24. 26.*

Gal. V, 6.

ipsos asserimus, qvi negant perpetuum fidei operumqve nexum. (3.) Qvòd *Petrus* jubet
II.Pet.I, 10. 2. *Ep.* I, 10. *per bona opera* (qvod tamen in fontibus non habetur) *certam facere vocationem nostram*, nihil ad rem facit. Nemo nostrûm negat, omnibus, qvos ad salutem vocavit DEus, hoc incumbere, ut bonis operibus studeant: qvò & seipsos confirment, & alios his veræ fidei testibus, stare se in gratiâ vocationis suæ. vid. Feuerborn. *Synt.* 2. *Diff.* 22. § 38 (4.) Postremò qvod Christi verba
Matth. VII, 21. *Matth.* VII. 21. attinet: *Non omnis, qvi dicit mihi: Domine, Domine, intrabit regnum cælorum, sed qvi facit voluntatem Patris mei, qvi in cælis est*: nemo non intelligit, qvàm malè *descriptio subjecti salvandi* cum *salutis conditione* confundatur. Tantùm qvi facit voluntatem Patris cœlestis, intrabit in regnum cœlorum, qvia qvi illam non facit, eum verâ fide destitui necesse est. Nullibi Salvator dicit, per executionem voluntatis Divinæ (legalis) intrari in regnum cœlorum posse. Deinde & *veram fidem* cum *vana de fide gloriatione* confundit. Dicere: Domine, Domine, eorum est, qvi tantùm de fide gloriantur, cùm interim se verè non credere, operibus contestentur. Ut taceam, illud *facere voluntatem DEi* de verâ fide intelligi posse. Hæc enim est voluntas DEI, ut credentes in eum, qvem misit ille, salvemur *Joh.* VI, 40. Non ergo ii, qví cùm diabolo

Christi

Christi Dominium agnoscunt, *Luc.* VIII, 28. *Jac.* II, 19. sed qvi Jesum in Spiritu S. vocant Dominum, 1. *Cor.* XII, 3. adeoq; verè credunt, intrabunt regnum cœlorum.

(β) *Loca Augustini.*

Sed jam Augustinum audiamus, qvi (1) XV. *de Trin.* c. 18. T. III. p. 464. B. *Sine charitate fides potest qvidem esse, sed non prodesse.* Resp. Fides vel *mortua* est, h. e. vana jactantia fiduciæ in gratiam DEI & meritum Christi, vel *viva ac vera*, in fiduciali apprehensione meriti Christi formaliter consistens. Illa absentiâ bonorum operum, hæc comitatu virtutum Christianarum, qvarum fœcunda mater est, cognoscitur. Illa sine charitate esse potest, non secus ac corpus sine respiratione. Non verò potest prodesse, qvia viva non est. Deinde, fides alia *historica*, alia *miraculosa*, alia *justifica* & salutaris est. Potest esse illa, & ista sine charitate, sed non prodesse, qvod Jacobus *c.* II, 19. & Paulus 1. *Cor.* XIII, 2. (cujus verba ibi præcedunt apud Augustinum,) docent. Ad salutem enim ea tantùm fides, qvæ Christi innititur meritis, prodest. Postremò non de inhærente nobis, sed qvæ DEO essentialis est, charitate, loqvi Augustinus videtur, per ea qvæ toto capite isto disputat, ostensurus, DEum charitatem esse. Sine hac autem charitate fides prodesse neqvit, ut qvæ sola ad DEum originem suam refert.

(2.) Libro

(2.) Libro de fide & oper. c. 14. T. IV. p. 62. C: *Cùm dicit Apostolus, arbitrari se, justificari hominem per fidem sine operibus Legis: non hoc agit, ut præceptâ ac professâ fide opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat se qvisq; per fidem posse justicari, etiamsi legis opera non præcesserint. Seqvuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. - - Qvoniam ergò hæc opinio* (addit Masenius: de solâ fide justificante, ex Pauli epistolis) *tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ, Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non qvalemlibet fidem, qvâ in DEUM creditur, sed eam salubrem planeq; evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: & fides, inqvit, qvæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, qvæ sufficere ad salutem qvibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Hæc ibi Augustinus, cujus dum verba Masenius profert, partim imprudentiam suam, partim impudentiam atqve malitiam prodit. *Imprudentiam* eâ parte, qvâ justificationem soli fidei adscribit B. Pater, & opera seqvi justificatum, non præcedere justificandum ait: negat autem solam (si qvidem vera, salubris & evangelica esse debeat) existere posse. Qvod utrumq; Pontificii impugnant. *Impudentiam* egregiâ

glossâ

glossâ, qvam medio textui Augustini, contra ipsius mentem, infercit. Qvam qvidem per extremam *malitiam* planè pervertit. Non enim doctrinam de solâ fide justificante, sed (α) eam opinionem, qvâ imbuti *opera justitiæ contemnunt*, & in peccatis perseverant, ut gratia fiat abundantior, & (β) vanam qvorundam gloriationem de fide, qvam operibus non ostendunt, convellere laborat. Contra hos direxisse alias epistolas intentionem, atqve astruere, fidem qvæ sine operibus est, nihil prodesse, observat, idemqve adducto gemino Apostoli loco è *Gal. V*, 6. 1. *Cor.* XIII, 2. confirmat. Opera autem ipsa ad salutem efficiendam, promerendam, conservandam &c. necessaria esse, non dicit, qvòd solâ fide illā apprehēdi non ignoraret.

(3) Ex Serm. XXII. (ita enim citat nil addens prætereà) ista repetit: *Domus DEi credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Resp. Nihil ad rem. Non enim de negotio justificationis vel salutis ibi qvicqvam. Virtutes theologicas inter se confert: ubi fundamenti rationem fides habet, cui spes superstruitur, charitas consummat omnia.

(4.) Lib. de nat. & grat. c. ult. T. VII. cc. 66: *Charitas inchoata, inchoata justitia* 1c: *charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* Hic inter justitiam

ſtitiam habitualem ſ. *inhærentem*, atq; *Legalem, & imputatam ſ. evangelicam* diſtingvendum. Si de illâ ſermo ſit, ut eſt Auguſtino, nemo negaverit, qvò major charitas ac perfectior fuerit, eò majorem qvoq; juſtitiam eſſe. Charitas enim Legis impletio, *Ro.* XIII, 10. Illâ verò juſtitiâ nullā carnē juſtificari poſſe, ſæpiùs Apoſtolus profitetur, *Rom.* III, 20. &c. (5.) Deniq; qvæ p. 59. ex *libro meditationum c.* 35, & *manuali c.* 18. repetit, neqve Auguſtini ſunt, Lovanienſium, Bellarmini, Eraſmi, Coci judicio, (conf. Gerh. *T.* I. *Conf. Cath.* p. 679.) neqve qvicqvam faciunt ad rem præſentem, ut ipſa docet inſpectio.

Exa-

Examen

Considerat. VII.

p. 60-72.

De (1.) Judice controversiarum fidei, & qvis facillimus has finiendi modus, deq; (2.) Ecclesiæ indefectibilitate, & (3.) Ejusdem criteriis seu notis characteristicis.

Puncto I.

Considerat: *Fierine possit, ut per verbum DEI scriptum tanqvam judicem ultimum controversiæ fidei finiantur: an rectiùs ab Ecclesiæ sive Pastorum ipsius judicio sententiaq; per verbum DEI traditum absolvantur?* Ardua profectò qvæstio, à qvâ omnes cæteras dependere, Bellarm. *L. III. de V. D. c. 3. init.* agnoscit. Cùm enim qvævis controversia ideò ventiletur, ut decidatur, videndum primùm de judice competente fuerit, qvi ad dirimendam litem aptus sit. Et in eo qvidem nobiscum consentit Masenius, (consentire certè videri vult,) solum Spiritum S. infallibilem ac summum judicem omnium controversiarum de fide esse. De eo lis manet, ubi vox hujus judicis litium terminatrix audiatur, ubi tribunal Spiritûs S., ut sic lo- *Scriptura judiciaria potestas*

I qvar,

qvar, qværendum? Num adeunda Scriptura, an verò ab Ecclesiâ ejusq; Doctoribus, vel potiùs homuncione unico, qvi Papa dicitur Romanus, ultima expectanda decisio? Tu bone Lector, qvisqvis es, expende ipse, annon securiùs ad eum judicem causæ ultimam cognitionem deferamus, ad qvem DEUS ipse, Salvator, Prophetæ & Apostoli tum exemplo suo & praxi, tum mandato & imperio nos remiserunt. Certè qvidem Christus, quoties ei cum Sadducæis aut Pharisæis, vel diabolo ipso congrediendum erat, ad Scripturam unicè provocabat, nusqvam ad Ecclesiam aut Doctores illius; qvorum errores & perversas interpretationes notavit etiam, eoq; satis docuit, qvantum eis fidei sit habendum, *Matth. IV. V. XV. XXII. &c.* Ejus exemplum imitati Apostoli sive vindicare doctrinæ suæ veritatem contra eos ipsos, qvi in cathedrâ Mosis sedebant, sive confirmare dogmata sua contra pseudo-Apostolos, sive extorqvere assensum auditoribus suis, eorumq; convincere potentissimè animos vellent, semper ad Scripturas provocabant. Vid. *Act. II,* 16. 25. 34. *III,* 22. *X.* 43. *XIII.* 33. *sqq. XV,* 15. *sqq.* & inprimis *c. XXVI,* 22. *XXVIII, v.* 33. Adde *Rom. III. sqq. Gal. III. sqq. &c.* DEUS ipse *ad Legem & testimonium* unicè ablegabat Israëlitas, nisi luce matutinâ, h. e. salvificæ veritatis cognitione (*II. Pet. I,* 19.) destitui velint, *Esa. IIX,* 20. Conf. Dorsch.

confirmatur (1.) praxi Christi, & Apostolorum:

(2.) Mandatis DEI,

Pen-

Pentadec. D.1. tota, inprimis § 33 *sqq.* Christus *ad Mosen & Prophetas Luc XVI, 29.* remittit: & *Joh.XII, 48. sermonem, qvem locutus est,* (tum in diebus carnis, tū per Prophetas & Apostolos, qvos qvi audit, Christum audit, *Ebr.I, 1. Luc.X.16.*) *judicem* constituit ejus, *qvi se non audit, in novissimo die:* ubi eadem judicis vox condemnabit hæreticos & impios, contra qvos hîc sententiam pronunciat: unde & Salvator addit: *Jam habere eum, qvi se spernit, judicem. sermonem sc. suum, secundum qvem olim condemnabitur. Ostendunt hæc dicta, verbum Christi judicare & in præsenti seculo pronunciando sententiam & in futuro judicio, promulgando eam,* ut benè observabat Hunnius noster, *Colloq. Ratisbon. Sess.IX. p.112.* Paulus verò doctrinam suam, qvam ex Spiritûs S. inspiratione de justificatione nostrâ literis consignaverat, canonem esse vult, secundum qvem incedere oporteat eos, super qvos pax & misericordia, *Gal. VI, v.16.* Nonne hunc judicem audire tutius est, à DEO ipso commendatum, qvàm obtrusum ab alterâ litigantium parte, & qvi pars simul ipse est? Annon tutius, DEI nutum, qvàm qvasdam rationis cœcæ argutationes seqvi? Qvales Masenius qvidem hîc attulit, immemor promissi, qvod in *Instruct. ad Lect.* dederat, velle se hoc libro ex Scripturis & veteris Ecclesiæ interprete Augustino potiùs, qvàm ex ratione ductis argumentis di-

Christi,

Apostolorum.

Masenius cur missâ Scripturâ & Augustino, rationum tantum

 mi-

argumentis pugnet? micare. Sive qvòd intelligeret conſcientiâ convictus, nihil inde pro ſe afferri poſſe: ſive qvòd prævideret, fore, ut cauſam ipſe ſuam proderet, ſi ex Scripturâ probare anniteretur Eccleſiæ ſeu Pontificis ſui de rebus fidei infallibile judicium. Si enim deſignatio hujus judicis, præcipuaq; adeò controverſia, è qvâ cæteræ pendent, ex Scripturâ dijudicanda eſt: qvis non videt, Scripturam potiùs pro ultimo judice, qvàm Eccleſiam haberi oportere. Sanè nondum ſe evolvere circulo potuerunt Pontificii, qvo circumſcribi ipſos in probandâ Eccleſiæ vel Pontificis autoritate & poteſtate judiciariâ demonſtrârunt orthodoxi. Hanc enim ex Scripturâ deducere cupiunt, de cujus ſenſu cùm lis movetur, explicationem ab eadem Eccleſiæ vel Pontificis autoritate petunt. Vid. Walther. *Offic. Bibl.* §. 59. Danh. *ideâ Boni diſp.* p. 174. & T. II. *Hodom. Pap.* p. 288. nec non *Antichriſtoſ.* p. 506. *ſqq.* Calixt. *de principio Theolog.* §. 22. *ſqq.* Nos ut de Scripturæ ſententiâ Scriptura ipſa certiſſimos reddit, qvæ non aliam ob cauſam, qvàm ob judicandi poteſtatem *judiciorum Domini* appellatione ornatur *Exod XXIV*, 3. *Lev. XVIII*, 4. *Pſalm. CXIX* 3. *& ſæpiùs*, *Pſ. CXLIX*, 9: ita nec *Auguſtinus*, qvid ipſe hac de re ſenſerit, obſcurè prodidit. Cùm dirimenda lis eſſet Catholicos inter & Pelagianos, non Eccleſiæ, ſed Scripturæ poſcebat judicium. *Si non ex Deo,* (cha-

Auguſtinus à nobis ſtans.

(charitas DEI & proximi est,) *sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex DEO, vicimus Pelagianos.* *Sedeat ergò inter nos judex Apostolus Johannes, & dicat nobis: Charissimi, diligamus invicem, qvia charitas ex DEO est:* Scribit *lib. de gratiâ & lib. arb. c.* 18. *T. VII. p.* 1318. Et alibi: *Ista controversia* (de reatu parvulorum) *judicem qværit. Judicet ergò Christus, & cui rei mors ejus profecerit, ipse dicat: hic est, inqvit, sangvis meus, qvi pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Judicet cum illo & Apostolus, qvia & in Apostolo ipse loqvitur Christus: Clamat, & dicit de DEO Patre: qvia proprio filio non pepercit &c. Lib. II. de nupt. & concup. c.* 33. *T. VII. p.* 859. Ubi contra Petilianum disputat, *lib. de unit. Eccles. c.* 3. *eod. Tomo p.* 513. ad Scripturæ itidem tribunal appellat: *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis. Sed audiamus, hæc dicit DOMINUS. Sunt certè libri Dominici, qvorum autoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus: ibi qværamus Ecclesi-*

 am,

am, ibi discutiamus causam nostram. -- -- Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. — — Ergò in Scripturis sanctis canonicis eam reqviramus. Ita in gravissimâ qvæstione de Trinitate, contra Maximinum Arianum, *Sed nec ego,* inqvit, *Nicenum, nec tu debes Ariminense tanqvam præjudicaturus proferre concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non qvorumcunq; propriis, sed utrisq; communibus testibus, res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione decertet. L. III. contra Maximinum Arianum, c.14. T.VI. p.733.* Idem velut ex instituto contradicturus Pontificiis, dum cū Donatistis depugnat *L.II. de Bapt. c. Donat. c.6. T.VII. p.395:* *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, qvod volumus, & qvomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes: hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanqvam de thesauris dominicis, & qvid in illâ sit gravius, appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Et *L.II. c. Crescon. c.21.*

*c.*21. *T.VII p.*233. disertè negat, Ecclesiæ judicium, ei qvod Christus in Scripturis loqvens fert, anteferri debere: *Non debet Ecclesia se Christo præponere*, — *cùm ille semper veraciter judicet, Ecclesiastici autem judices plerunq; fallantur.* Omittimus alia, è qvibus æstimare qvivis potest, Scripturasne, an Ecclesiam, eamq; Romanam qvidem, controversiarum ultimum judicem crediderit Augustinus. Videamus nunc, an habeant aliqvid verisimilitudinis saltem, qvæ à Masenio in contrarium afferuntur. Qvæ enim moverunt alii, à Gerhardo *Exeg. L. de Script.* §. 452. *Conf. Cath L. I. P. I. c.*3. *p.*85. *sqq.* & *Disp. Acad. p.*1467. *sqq.* Hülsem. *animadvers. in Bellarm. de V. D. c.*8 *p.*164. Danhauero *T. I. Hodom. Pap. p.*144. *sqq.* & *antichristos. p.*483. *sqq.* Calovio *T. I. Syst. Theol. p.*476. 684. *sqq.* Giessens. *T. VII. Disp.* 12. Seb. Schmid. *Syncris. c.*24. *p.*199. *sqq.* Dreiero *Disp. VII. & VIII. contra Pontif.* Riveto *Isag. ad Script. S. c.*19. *seqq.* & *Cath. Orth. Tr. I. qv.*8. & 17. Chamier. *Panstr. T. I. L. I. c.*13. *sqq.* Episcop. *Inst. Theol. L. IV. S. I. c.*6. *sqq.* discussa cum plenâ elucidatione controversiæ legi possunt. Actumq; de eâ plenè & copiosè orthodoxos inter & Papistas in *Colloqv. Ratisbon.* & peculiaribus

Hunnii, Rungii, Schröderi, Garthii ſuper hoc argumento ſcriptis.

Maſenius 4. capita facit, qvibus:

Urget Maſenius *primò* impoſſibilitatem, ut ſic vocem, decidendi controverſiam ex Scripturâ: unde conſeqvitur, eam pro judice haberi non poſſe, *p. 60. Deinde* Pontificiam praxin, cum Lutheranâ contendit, & qvantum hac præſtet, oſtendere ſatagit, *p. 61. Tertiò*, qvàm fallax ſit proteſtantium ratio interpretandi Scripturam, eq; eâ controverſias decidendi, experientiâ ipsâ docere cupit *p. 62. 63. Poſtremò* Judaicæ, Apoſtolicæ, veterisq; poſt Apoſtolos Eccleſiæ exempla profert *p. 64.* & ne planè deſeri ab Auguſtino videatur, locum illius *p. 65.* adjicit, qvi tamen eopſe textu ſui ſimilis eſt, h. e. ſententiæ noſtræ de judice controverſiarum non ſecus atqve in iis, qvæ ex ipſo modò produximus, favet.

I. Scripturã, cùm litis materia ſit, judicis ſuſtinere partes non poſſe, docet (1.) Ex naturâ rei.

PRIMÙM ergò, Scripturam, cùm litis materia ſit, judicis partes ſuſtinere non poſſe, tum ex *naturâ rei*, tum ex *Lutheranorum praxi* docere voluit. Ex naturâ rei. *Expende*, ait, *fierine posſit, ut cùm Scripturis omnibus de uno fidei articulo differentibus in medium collatis (id enim ad rectè judicandum neceſſe eſt,) de ſententiâ illius* (*illarum* opinor, ſcribere voluit:) *etiamnum inter partes controvertatur, definitio ex iis Scripturis habeatur, qvæ manent controverſa? annon in ipſis hic terminis appareat contradictio? cùm ejusdem*

Ubi

Scri-

Scripturæ sensus definitus esse, & controversus seu indefinitus neqveat? Qvod igitur hîc remedium aliud, nisi ut ad Ecclesiæ Pastores doctoresq; convertamur? Ego verò, expende, inqvam, (1.) qvàm piè censeat Scripturas dari differentes de certis fidei articulis? Pontificum Romanorum hic mos est, promulgare decreta contradictoria: qvomodo Nicolao I. Pelagium, Innocentio I. Concilium Tridentinum, Celestino III. Innocentium III, Johanni XXII. Nicolaum IV, Sixto Clementem, alios aliis contradixisse editis bullis, sive decretis novimus. Vid. Geth. *Tom. I. Conf. Cath.* p. 239. *sqq.* Nic. Hunn. *Pellis ovinæ* §. 123. p. 119 *sqq.* Calov. *T. I. System.* p. 383. 384. & qvi ipse pugnæ hujus Papalis exempla prodidit, Dilectus Leonis X. filius, D. Erasmus *annot. in I. Cor. VII.* p. 472. 473. At S. Spiritus semper sui similis est, neqve citra blasphemiam diversas proposuisse de eadem re, articulo præsertim fidei, sententias dicetur. Qvòd si differentiam verbalem saltem plurium de eadem re locorum intellexit Masenius: expende (2.) num piè satis de Scripturis sentiat, qvi sic ambiguas illas facit, ut ne ex plurium qvidem locorum collatione sensum haurire definitum posfis, sed maneat controversum semper, qvæ vera sit sententia. Scilicet hoc est, nasum cereum aut regulam plumbeam facere ex Scripturis, illaq; indubitata æternæ veritatis oracula in Pythii

expend.

(α.) an de certis fid. articulis Scripturæ dentur differentes:

(β) vel sic ambiguæ, ut per collationem non habeatur certus sensus?

Hunnii, Rungii, Schröderi, Garthii super hoc argumento scriptis.

Masenius 4. capita facit, quibus: Urget Masenius *primò* impossibilitatem, ut sic vocem, decidendi controversiam ex Scripturâ: unde consequitur, eam pro judice haberi non posse, *p. 60. Deinde* Pontificiam praxin, cum Lutheranâ contendit, & qvantum hac præstet, ostendere saragit, *p. 61. Tertio*, qvàm fallax sit protestantium ratio interpretandi Scripturam, eq; eâ controversias decidendi, experientiâ ipsâ docere cupit *p. 62. 63. Postremò* Judaicæ, Apostolicæ, veterisq; post Apostolos Ecclesiæ exempla profert *p. 64.* & ne planè deseri ab Augustino videatur, locum illius *p. 65.* adjicit, qvi tamen eopse textu sui similis est, h. e. sententiæ nostræ de judice controversiarum non secus atqve in iis, qvæ ex ipso modò produximus, favet.

I. Scripturā, cùm litis materia sit, judicis partes sustinere non posse, docet (1.) Ex naturâ rei. PRIMUM ergò, Scripturam, cùm litis materia sit, judicis partes sustinere non posse, tum ex *naturâ rei*, tum ex *Lutheranorum praxi* docere voluit. Ex naturâ rei. *Expende*, ait, *fierine possit, ut cùm Scripturis omnibus de uno fidei articulo differentibus in medium collatis* (*id enim ad rectè judicandum necesse est,*) *de sententiâ illius* (*illarum* opinor, scribere voluit:) *etiamnum inter partes controvertatur, definitio ex iis Scripturis habeatur, qvæ manent controversa? annon in ipsis hic terminis appareat contradictio? cùm ejusdem*

Ubi

Scri-

Scripturæ sensus definitus esse, & controversus seu indefinitus neqveat? Qvod igitur hîc remedium aliud, nisi ut ad Ecclesiæ Pastores doctoresq; convertamur? Ego verò, expende, inqvam, (1.) qvàm piè censeat Scripturas dari differentes de certis fidei articulis? Pontificum Romanorum hic mos est, promulgare decreta contradictoria: qvomodo Nicolao I. Pelagium, Innocentio I. Concilium Tridentinum, Celestino III. Innocentium III, Johanni XXII. Nicolaum IV, Sixto Clementem, alios aliis contradixisse editis bullis, sive decretis novimus. Vid. Geth. *Tom. I. Conf. Cath. p.* 239. *sqq.* Nic. Hunn. *Pellis ovina* §. 123. *p.* 119 *sqq.* Calov. *T. I. System. p.* 383. 384. & qvi ipse pugnæ hujus Papalis exempla prodidit, Dilectus Leonis X. filius, D. Erasmus *annot. in I. Cor. VII. p.* 472. 473. At S. Spiritus semper sui similis est, neqve citra blasphemiam diversas proposuisse de eadem re, articulo præsertim fidei, sententias dicetur. Qvòd si differentiam verbalem saltem plurium de eadem re locorum intellexit Masenius: expende (2.) num piè satis de Scripturis sentiat, qvi sic ambiguas illas facit, ut ne ex plurium qvidem locorum collatione sensum haurire definitum possis, sed maneat controversum semper, qvæ vera sit sententia. Scilicet hoc est, nasum cereum aut regulam plumbeam facere ex Scripturis, illaq; indubitata æternæ veritatis oracula in Pythii

expend.

(α.) an de certis fid. articulis Scripturæ dentur differentes:

(β) vel sic ambiguæ, ut per collationem non habeatur certus sensus?

cujusdam dæmonis perplexissimas illusiones commutare. Ac nos qvidem superiùs in examine Instructionis Masenianæ hac de re diximus. Nunc illud prætereà considerari velimus, (3.) an conveniat, ob qvorundam perversitatem, qvi de claro Scripturæ sensu tricari gaudent, Scripturam deturbare ex illo judicis subsellio, qvo ipse Spiritus S. eam reposuit? Et annon æqvius, ad ipsam hanc normam exigere omnium dissentientium opiniones? Enimverò si Philosophos au liamus, τῷ εὐθεῖ καὶ τὸ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών, ut habet Arist. *l. de animâ : ex recto & ipsum & curvum cognoscimus : judex enim amborum est regula.* Qvare non immeritò Optatus Milevitanus, magni in Ecclesiâ nominis & Augustino paulò antiqvior Scriptor *L. V. contra Parmen. de Schism. Donatist. p.*138. censebat, non posse rectiùs exortas inter Ecclesias lites sopiri, qvàm ex hoc immortalis DEI testamento. *Vos dicitis*, (ita scribit) *licet : nos dicimus, non licet. Inter* licet *vestrum &* non licet *nostrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis : omnes contentiosi homines sumus. Qværendi sunt judices : si Christiani, de utraq; parte dari non possunt : qvia studiis veritas impeditur. De foris qværendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis.*

(γ.) an ob qvorundam στρεβλότητα rectè denegetur Scripturæ hoc ἀξίωμα?

smatis. Ergò in terris de hac re nullum reperiri poterit judicium. De cœlo qværendus est judex. Sed ut qvid pulsamus ad cœlum, cùm habemus hîc in Evangelio? Testamentum, inqvam, qvia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est, qvod qvivis hominum habens numerosos filios. His qvamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus qvamdiu præsens in terris fuit (qvamvis nec modo desit) pro tempore qvicqvid necessarium erat, Apostolis imperavit. Sed qvomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens, ne post mortem suam raptâ pace, litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed qværitur testamentum: & qvi tumulo qviescit, tacitus de tabulis loqvitur. Vivus, cujus est testamentum, in cœlo est. Ergò voluntas ejus, velut in testamento, sic in Evangelio inqviratur. Etenim præsentia, qvæ modò facitis, jam futura conspexerat Christus. Hæc Optatus. Deniq; (4.) expende, si Scriptura ideò sententiam pronunciare neqvit, qvòd de ejus sensu utrinqve controvertatur: qvomodo Pontifex sustinere posit has partes: de cujus non sententiis modò, sed autoritate etiam, qvæ nullo hactenus idoneo documento demonstrata est, inter nos & Pontifi-

(δ.) qvomodo Pontifex sustinere illas partes posit eandem ob causam?

tificios disceptatur. Sanè verò in causâ propriâ ullum hominem judicem esse, omnia jura prohibent. Neqve negare Masenius potest, si maximè hunc judicem nobis obtrusum agnosceremus, iisdem artibus decreta ejus eludi à nobis, qvibus ipsi Scripturæ verba torqvent, posse. Vid. D. Seb. Schmid. *Syncris. Script. & R. P. p. 221. sq.* Qvanqvam verò fateamur, (5.) *in ipsis terminis contradictionem esse, si ejusdem Scripturæ sensus definitus & indefinitus esse dicatur*; negamus tamen, sensum indefinitum manere, si (*qvod ad rectè judicandum necessarium*, rectè censet Masenius) conferantur Scripturæ aliæ de eodem loco, qvi fortè subobscurior videri possit, clariùs exponentes, adhibitis piis precibus justoqve scrutinio secundum leges hermenevticas, qvas ipsa præscribit Scriptura, instituendo. Lege explicationem & vindicias hujusmodi συγκρίσεως πνευματικῶν, ab Apostolo 1. *Cor. II*, 13. postulatæ apud Dannhau. *Hermen. Sacr. p. 87. sqq. 342. sqq. 477 sqq.* Gerh. *Tom. II. Conf. Cath. p. 221. sqq.* & *Loc. de interp. Scr. c. 4. & 6.* Calov. *T. I. Syst. p. 469. sqq.* & *Crit. Sacr. p. 854. sqq.* Scitè Augustinus *II. de doctr. Chr. c. 6. p. 40. edit. Calixt.* *Ita Scripturas sanctas magnificè & salubriter modificavit DEUS, ut locis apertissimis fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil namq; ferè de illis obscuritatibus eruitur, qvod non planissimè alibi dictum reperiatur.*

(5.) *qvomodo Scripturæ sensus definitus sit & indefinitus?*

tur. Esto ergò, non possit pars Scripturæ obscurior & controversa judex esse, poterit tamen liqvida. Superestq; adeò (6.) ut concludamus deniqve, aliud remedium; neqve ad Doctores Pontificiæ Ecclesiæ, qvæ pars est, ceu judices supremos & infallibiles recurrendum illicò in dirimendis controversiis fuerit. *Nihil perinde Scripturam mihi videtur aperire, atq; ipsa Scriptura. Itaq; diligens attenta freqvensq; lectio, tum meditatio & collatio Scripturarum, omnium summa regula ad intelligendum, mihi semper est visa. Nam ex aliis Scripturis aliæ optimè intelliguntur, dum phrasis ipsa & spiritus familiaris fit, ut assvetis jam sermonibus intelligentia pateat. Itaq; obscuram aperta, dubiam certa interpretatur.* Ita Joseph. Acosta Jesuita Romanus *L. III. de Christo revel. c.21. p.* 125. ubi & Scripturæ exemplis & autoritate Augustini, qvod scribit, confirmat. Neqve Sixtus Senensis, si Scripturæ differentes in speciem se offerant, ad Doctores Ecclesiæ, ut judices, aut infallibiles indices veri sensûs, sed ad DEUM ipsum piis precibus accurrere jubebat *L. VIII. Bibl. S. hær. I. p.* 783: *Fatemur, multa in sacris literis inveniri, qvorum cùm eadem sententia sit, verba tamen apparenter discrepant: ita divinâ sapientiâ disponente ad exercitium fidei nostræ, ut dum eas ad concordiam reducere nescimus, oremus,*

(ζ.) *An necessario ad Doctores confugiendum?*

mus eum, qvi fecit utraq; unum, ut aperiat nobis apparentis contradictionis conciliationem.

(2.) *Ex ipsâ Protestantium praxi.*

Sed ex ipsâ tamen protestantium praxi (qvod alterum argumenti membrum,) constare Masenius putat, non posse ex solis Scripturis peti controversiarum decisionem. *Annon*, qværit, *ipsimet Protestantes post natas inter se de rebus fidei controversias ad sua Consistoria, Synodos, aut etiam Magistratûs velut Ecclesiæ moderatores confugiunt? Imò annon maxima Protestantium pars, qvotqvot illiterati sunt, suis tàm in verbi propositione, qvàm expositione Doctoribus credere tenentur? Et tamen hi definire sententiam S. Scripturæ indefinitam nisi suis verbis non possunt? Nunqvid igitur Catholici rectiùs ad illius Ecclesiæ Doctores, capita & Synodos vertuntur, à qvâ Scriptura ipsa S. conservata, suæ integritatis veritatisq; solum unicumq; habet testimonium? Cur illa non æqvè fidelis custos sententiæ, qvàm verborum Scripturæ habenda est?* Facilis, opinor, responsio est. Etenim qvòd (1.) subortis de fide controversiis ad sua Consistoria atqve doctores confugiant Protestantes, verum qvidem est; falsissima autem conseqventia, qvam inde nectit Jesuita, concludens, hos ideò pro judice non Scripturam, sed Synodos illas suas habere. Manet infallibiliter verax Summi judicis os Scriptura, è qvâ sententiam proferunt orthodoxi Doctores. Qvibus eatenus credendum modò, qva-

Qvantum Protestantes tribuant Consistoriis suis?

qvatenus sententiam Spiritûs S. proferunt Scripturæ convenienter. Fatemur, ex ore Sacerdotis legem reqviri debere, qvia angelus Domini est; at labia tamen ejus custodiant scientiam necesse est, *Mal.II*, 7. Invertendum ergò potiùs erat: qvi in rebus controversis sic confugiunt adSynodos suas verbiq; ministros, ut ab illis decisionem non nisi juxta verbum DEI scriptum reqvirant: hi pro judice primario controversiarum habere verbi ministros aut Synodos non possunt, sed Scripturam potiùs, à qvâ illi velut dependent, tum demum habendi pro discipulis Christi, si manserint in sermone illius, *Joh. VIII*, 31. Hinc ex orthodoxis nonnulli inter judicem controversiarum theologicarum αὐτοκρατορικὸν, summum ac principalem, ejusq; vocem; & judicem διακονικὸν, ministerialem ac inferiorem, cujus norma est vox judicis principalis, distingvunt. Gerh. *Exeg. de Script.* §. 452. Hülsem. *animadv. in in Bell. de V. D. c.*8. §.5. Qvòd (2.) addit Masenius, *maximam partem Protestantium, qvotqvot illiterati sunt, teneri ad hoc, ut Doctoribus suis tàm in verbi propositione, qvàm expositione credant*: si de cæco, qvalis in Pontificiis Ecclesiis regnat, assensu intelligit, manifestè fallit: si de ordinato obseqvio, qvod Christi oviculæ exhibent Pastoribus iis, qvorum vocem rectè dignoscere à mercenariis, didicerint, (*Joh. X*, 4.5.) nobis non adversatur. *atq; Doctoribus?*

Reci-

Recipiebant Berrhoënses sermonem Pauli cum summâ animi lubentiâ, sed & scrutabantur qvotidiè, num ita se haberent, qvæ prædicabat Paulus, *Actor. XVII, vers.* 11. Qvorundam verò non excusanda segnities, Ecclesiis ipsis objectanda neqvaqvam fuerit. Scilicet illiterati credunt Doctoribus suis; fidem autem suam non in Doctores, sed verbum scriptum, qvod illi prædicant, ipsi sedulò scrutantur, resolvunt. Sed *hi tamen*, ait (3.) Masenius, *definire sententiam Scripturæ indefinitam nisi suis verbis non possunt.* Qvidni verò possint Scripturæ obscuriorem locum unum, allatis alterius Scripturæ verbis illustrare, ex Augustini consilio, cujus hanc in rem verba è *II. de doctr. Chr. c. 6.* paulò antè repetebamus? Neqve verò necesse est, Scripturæ verbis conceptis consultisq; hoc fieri semper, cùm ea etiam, qvæ suis verbis ex Scripturâ per legitimas conseqventias deducit Ecclesiæ Doctor, sint infallibile DEI verbum, qvoad formale certè seu sensum salutiferum, si minùs ratione materialis, h.e. apicum & literarum, ut monitum superiùs. Hîc Athanasii saltem verba repetere placet è *lib. de Syn. Arim. & Seleuc. Tomo I. opp. f.* 703. *edit.* 1601: *Nihil id refert, si qvis voces in Scripturâ non repertas usurpet, qvamdiu pias sententias complectitur. Contrà hæreticus, tametsi voces suas è S. literis mutuetur, nihilominus suspectus omninoq; correptus*

Doctores qvomodo definire controversias per Scripturas possint?

ptus audiat à Sp. S: qvare tu enarras justificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Qvare major multò fides habenda iis, qvi sua ex Scripturis deducunt, qvàm qvi verba Scripturæ ad dogmata sua violenter abripiunt. Qvod à Pontificiis Doctoribus fit. Qvibus (4.) ut suppetias ferret Masenius, aliqvid sibi censuit intrudendum. *Numqvid igitur*, ait, *Catholici rectiùs ad illius Ecclesiæ capita & Synodos vertuntur, à qvâ Scriptura ipsa conservata suæ integritatis veritatisq́; solum unicumq́; habet testimonium? Cur illa non æqvè fidelis custos sententiæ, qvàm verborum Scripturæ habenda est?* Egregium argumentum, cui si redigatur in formam, nec caput sanum, nec pes, nec manus. Qvæ enim (α) *consequentia* est? A qvâ Ecclesiâ Scriptura S. conservata suæ veritatis integritatisqve unum solumq́; testimonium habet, ab ejus Ecclesiæ Doctoribus petenda vera & infallibilis Scripturæ interpretatio controversiarumqve decisio est. Siccine à *testimonio* de circumstantiis Historicis ad infallibile *judicium* de ipsâ divinâ veritate colligere licet? Et num notarii atqve testes perhibentes, hoc scriptum ultimam τοῦ δεῖνα esse voluntatem, ipsius illicò testamenti veri atq́; avthentici interpretes sunt judicesq́; litium, si qvæ oriantur? Hulsem. *breviar. c.I. suppl.*§.12. Audi verò (β) mirificam istius *consequentiæ probationem*: Qvæ Ecclesia

An à testimonio Ecclesiæ ad ejus interpretationem infallibilem V.C.

verborum Scripturæ, ea & ſensûs veri cuſtos habenda eſt. Jam mihi de Eccleſiâ Judaicâ ſubſume. Fuit illa (& qvis neget?) diligentisſima verborum Scripturæ cuſtos. Qvis enim neſcit, qvanto ſtudio omnes obſervaverint apices Maſorethæ, Iudæiq; cæteri, qvos non immeritò ſcriniarios noſtros & capſarios dixeris. Vide, ſi lubet, Dorſch. *P. I. Vindic. Exodi contra Bellarm. p. 44. ſqq.* Schikard. *de Jure regio Ebr. c. 2. theor. 5.* Cunæ. *de rep. Ebr. L. I. c. 18. p. 115. ſqq.* Simplicem verò Chriſtum, bardos Apoſtolos, qvi Doctorum Ebræorum interpretationes παρεοπαραδότους confutarunt, & ex Scripturâ ipsâ eruendum Scripturæ ſenſum cenſuerūt. Jam qvod (γ) in *antecedenti* aſſumitur, id, ſi rectè rem æſtimes, omnium falſisſimum eſt: *Ab Eccleſiâ conſervatam fuiſſe Scripturam, indeq; SOLUM UNICUMq; habere teſtimonium ſuæ (1) integritatis, & (2) veritatis.* Qvomodo verò ſolum unicumq; *veritatis* ſuæ (de hac enim priùs videamus,) teſtimonium haberet ab Eccleſiâ? Cùm ipſam illam facultatem teſtimonium perhibendi de veritate Scripturæ, qvæ competit Eccleſiæ, non aliunde qvàm ex Scripturâ probare posſint Pontificii? Qvâ ratione fateri ipſos ἑκόντ' ἀεκόντι γε θυμῷ oportet, jam Scripturam fide dignam eſſe, anteqvam Eccleſiæ accedat autoritas. Ipſa ſibi teſtimonium ſuæ veritatis

An Scriptura ab Eccleſiâ habeat unicè teſtimonium ſuæ veritatis,

tatis perhibet in legentis animo, dum non modò toties: *Jehovah dixit, verbum Domini*, similesq; divinæ characteres veritatis inculcat; sed efficaciâ etiam intrinsecâ mentes legentium ad assensum rapit ac permovet, ut *verbum illud DEI accipiant, non ut hominum verbum*, vel ut ab hominibus suæ veritatis testimonia accipit, *sed sicut & reverà est, ut DEI verbum, qvod & agit in nobis*, adeoq; Divinitatem suam abunde ipso effectu probat, *1. Thess. II, 13.* Ut probavit sanè in animo Victorini Rhetoris pagani, qvem Augustinus *L. VIII. confess. c. 2. T. I. p. 137* memorat, solâ legendi cupiditate, nullâ Ecclesiæ, qvam manifestè contemnebat, testificatione inductum Scripturas evolvisse, earumqve veritatem multò luculentiùs ex ipsis deprehendisse; convictum haut dubiè interno Spiritûs S. testimonio, *testificante Spiritu, qvòd Spiritus est veritas. Qvare si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI majus est, 1. Joh. V, 6. 9. 10.* Qvod Augustinus agnovit, de Scripturæ veritate non per Mosis autoritatem, sed internum Spiritûs S. testimonium se certum reddi professus *L. XI. Confess. c. 3. T. I p. 187.* Et qvis ferat, ultimam fidei nostræ resolutionem in testimonium humanum fieri? aut DEO ad nos loqventi credendum non esse, nisi jubeat Ecclesia? Sed vide hæc pluribus declarata à Gerh. *Exeg. L. de Script. § 38. seqq.* Calov. *T. I. Syst.*

 p. 460.

verborum Scripturæ, ea & sensûs veri custos habenda est. Jam mihi de Ecclesiâ Judaicâ subsume. Fuit illa (& qvis neget?) diligentissima verborum Scripturæ custos. Qvis enim nescit, qvanto studio omnes observaverint apices Masorethæ, Iudæiq; cæteri, qvos non immeritò scriniarios nostros & capsarios dixeris. Vide, si lubet, Dorsch. *P. I. Vindic. Exodi contra Bellarm. p. 44. sqq.* Schikard. *de Jure regio Ebr. c. 2. theor. 5.* Cunæ. *de rep. Ebr. L. I. c. 18. p. 115. sqq.* Simplicem verò Christum, bardos Apostolos, qvi Doctorum Ebræorum interpretationes παραδόσεις confutarunt, & ex Scripturâ ipsâ eruendum Scripturæ sensum censuerunt. Jam qvod (γ) in *antecedenti* assumitur, id, si rectè rem æstimes, omnium falsissimum est: *Ab Ecclesiâ conservatam fuisse Scripturam, indeq; SOLUM UNICUMq; habere testimonium suæ (1) integritatis, & (2) veritatis.* Qvomodo verò solum unicumq; *veritatis* suæ (de hac enim priùs videamus,) testimonium haberet ab Ecclesiâ? Cùm ipsam illam facultatem testimonium perhibendi de veritate Scripturæ, qvæ competit Ecclesiæ, non aliunde qvàm ex Scripturâ probare possint Pontificii? Qvâ ratione fateri ipsos ἑκόντ' ἀέκοντί γε θυμῷ oportet, jam Scripturam fide dignam esse, anteqvam Ecclesiæ accedat autoritas. Ipsa sibi testimonium suæ veritatis

An Scriptura ab Ecclesiâ habeat unicè testimonium suæ veritatis,

tatis perhibet in legentis animo, dum non modò toties: *Jehovah dixit, verbum Domini*, similesq; divinæ characteres veritatis inculcat; sed efficaciâ etiam intrinsecâ mentes legentium ad assensum rapit ac permovet, ut *verbum illud DEI accipiant, non ut hominum verbum*, vel ut ab hominibus suæ veritatis testimonia accipit, *sed sicut & reverâ est, ut DEI verbum, quod & agit in nobis*, adeoq; Divinitatem suam abundè ipso effectu probat, *1. Thess. II, 13*. Ut probavit sanè in animo Victorini Rhetoris pagani, qvem Augustinus *L. VIII. confess. c. 2. T. I. p. 137* memorat, solâ legendi cupiditate, nullâ Ecclesiæ, qvam manifestè contemnebat, testificatione inductum Scripturas evolvisse, earumqve veritatem multò luculentiùs ex ipsis deprehendisse; convictum haut dubiè interno Spiritûs S. testimonio, *testificante Spiritu, qvòd Spiritus est veritas. Qvare si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI majus est, 1. Joh. V, 6. 9. 10.* Qvod Augustinus agnovit, de Scripturæ veritate non per Mosis autoritatem, sed internum Spiritûs S. testimonium se certum reddi professus *L. XI. Confess. c. 3. T. I p. 187*. Et qvis ferat, ultimam fidei nostræ resolutionem in testimonium humanum fieri? aut DEO ad nos loqventi credendum non esse, nisi jubeat Ecclesia? Sed vide hæc pluribus declarata à Gerh. *Exeg. L. de Script. § 38. seqq.* Calov. *T. I. Syst.*

 p. 460.

p.460.581.596. sqq. & *Harm. Calixt.p.116.sqq.* nec non in *Crit. Sacr. p.275. sqq.* Kromaier. *Theol. Positivo-polem.art.1.th.1. p.16.sqq.* Rivet. *C.O. tr.I q.12.* &c. Nos Lectori hîc dijudicandum modò relinqvimus, penes qvos sanctior religio sit: num apud eos, qvi DEO in Scripturis loqventi, ideò qvia DEI verbum est, fidem habent; an apud hos, qvi nisi Ecclesiæ suæ accedat testimonium, non plus DEO loqventi in Scripturâ credunt, qvàm Tito Livio (sic enim Gvil. Bailius Jesuita scribit *Tract. I. catech. controv. q. 12.*) aut Æsopo fabellas narranti, ut qvidam blasphemè effutiebat apud Sleidanum *L.XXV. Comment.p.805.* cujus defensionem Miletus *discuss. 600. error. Hesbus. p.21.* & Card. Hosius *L. 3. autorit. Script. c. Brent. p. 271.* susceperunt.

& integritatis? Æqvè falsum & hoc, *integritatis* suæ testimonium unicum ab Ecclesiâ habere Scripturam. Ipse in Scripturis testatur Salvator, *nunqvam fore, ut apex vel titulus de lege pereat, Matth. V,18.* At is *testimonium ab homine non accipit, Joh. V,34.* Et qvale, qvæso, testimonium integritatis suæ accipit Scriptura ab Ecclesiâ Romanâ, cujus Doctores hoc omni conatu agunt, ut alibi Scripturæ Canonicæ multas pulcherrimas partes periisse, (ita Bail. *Catech.tr. I. q.3.*) alibi mutilatas, alibi nothis auctos accessionibus, alibi aliâ infectas maculâ corruptasqve

in

in fontibus Scripturas dicitent, qvarum proinde integritatem contra Huntlæum & alios βιβλιομάστιγας Doctores nostri, Glassius inprimis *L. I.Philol.S.* Calov. *Crit.Sacro p. 396-501.* Walther. *Harm. §. 8. sqq.* Dorsch. *Vind.Exod.P.I.p.42.sqq.* Krom.*L.c.th.5.p.58. sqq.* Dav.Christiani *disp.VI.antiJesuit.*aliiq; asseruerunt. Qvòd si concederemus deniqve,ab Ecclesiâ Catholicaȷ, ubiq; per terrarum orbem diffusâ Ecclesiam solum unicumqve habere testimonium suæ veritatis; concederemus & hoc Masenio,adEcclesiam Catholicam in interpretatione Scripturæ confugi debere, (qvorum utrumqve tamen falsissimum est;) nihil per hoc impetraverit pro suâ Ecclesiâ Masenius: Ea enim neqvaqvam Catholica,ac ne vera qvidem est, ut è progressu patebit.

II. Pontificiam praxin cum Lutheranâ contendit.

ALTERO hujus puncti membro expendere Lectorem suum Masenius jubet: *utra partium rectiùs in definitione sententiæ Scripturarum suum præstet officium? Protestantes*, ait, *promittere qvidem definitionem controversiæ ex claro puroq; verbo DEI; praxin autem illorum si respicias, variis interpretationibus & sententiis inter se qvoad fidei articulos dissidere, nec minùs qvàm Pontificios aliis verbis,aut ex ratione ductis conseqventiis definitam pro se sententiam conficere. Eo tamen discrimine, qvòd Romanenses nihil nisi traditum DEI verbum, à Veteris Ecclesiæ Do-*

Ectoribus majoribusq; suis pari fide, qvâ verbum DEI scriptum, acceptum usurpent, juxta Scripturæ monitum Syr. VIII, 11. & II. Thess. II, 14. Protestantes autem suis ex Scripturâ, ut ajunt, ductis consequentiis verbisq; uti malint, cùm tamen neqveant diffiteri, ratiocinationem sola se falli posse. Tutiùs proinde incedere Pontificios, qvi non modò sua ex S. literis consequentiis multò solidioribus firment; sed majorum etiam traditione, Ecclesiæ Catholicæ consensione, veterum deniq; Orthodoxorum Patrum sententiâ nitantur. Postremò Vincentii Lirinensis verba addit, nobisqve opponit.

Protestantium probationes unde sumtæ?

Hîc (1.) falsissimum est promitti à Protestantibus *ex puro claroq; DEI verbo*, h. e. è Scripturæ verbis formalibus, omni humanâ voce, omni conseqventiâ longissimè submotâ, probationes. Cùm enim dicimus, omnia qvæ ad salutem sunt necessaria, plenè & perfectè in Scripturâ contineri, id non est intelligendum, ac si totidem verbis haberentur in Scripturâ, qvæcunq; credimus; sed qvia vel expressè in eâ leguntur, vel ex expressis legitimâ deductione eruuntur, idqve necessariâ & evidenti conseqventiâ. *Etsi verbum ipsum* (qvod nos profitemur) *in lege scriptum non invenitur, res tamen ipsa invenitur*, dicimus cum Augustino ex *Ep.* 178. *T. II p.* 796. Et cum Hieronymo *in c. 1. ad Gal.*: *Ne putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in*

in medullâ; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Sed hâc de re jam suprà actum, suntq; ex Pontificiis ipsis non pauci ὁμόψηφοι, qvorum verba allegat Rivetus *isag. ad Script. S. cap. 17. T. II. opp. p.941. sq.* Non minùs falsum, (2.) *ex ratione ductis conseqventiis* conficere sententiam suam Lutheranos. Qvis ignorat, tota volumina Calvinianis & Socinianis, qvin & Arminianis opposita, qvibus docuerunt orthodoxi, nullas nisi famulas rationis esse partes in rebus fidei: nec ex ratione, sed ex solis Scripturis; non ἀλόγως tamen, sed per rationem illuminatam educi conseqventias in astruendis fidei mysteriis oportere? Qvod verò (3.) *de dissidiis interpretum circa dicta fidei articulos concernentia* inspergit, exemplo vellem declarasset. Considerandum enim hîc fuerit, tum qvales sint interpretes, qvi dissentiunt: tum qvale dissidium; deniqve & qvæ dogmata concernant loci controversi. Si dissentiant in doctrinâ interpretes, uti dissentiunt, Orthodoxi & Calviniani, qvos uno Protestantium nomine confundere Masenius solet: mirum non est, ea Scripturæ loca, qvibus fundamentales fidei doctrinas demonstrant orthodoxi, torqveri in diversum sensum ab hostibus veritatis, qvi à sententiâ Spiritûs S. Ecclesiæqve orthodoxæ abeunt. Deinde si & orthodoxi dissentiant in sensu alicujus dicti, qvod fidei exponit

Dissidia interpretum non unius generis.

ponit articulum: videndum, num dissentiant circa scopum illius, an in aliis qvibusdam, in qvibus si maximè diversum foveant sensum, salva maneat probatio dogmatis in illo loco à Spiritu S. confirmati. Atq; hîc Augustini tenenda regula è L.XI.deC.D.c.33. p.1110 edit. Coqv.: *Etsi voluntatem autoris indagare neqvimus, à regula tamen fidei, qvæ per alias ejusdem autoritatis S. literas satis fidelibus nota est, non aberrabimus.* Inprimis autem dispiciendum fuerit, an res ad salutem creditu necessaria sit, qvam interpretum orthodoxorum unus qvæsiverit in loco, in qvo alter nihil tale deprehendit. Multa enim, qvæ nullam cum fide salvificâ & salute connexionem habent, pro articulis fidei venditant Pontificii, ut alibi monetur. Qvorum verò cognitio ad salutem necessaria, ignorantia aut impugnatio damnabilis est, ea sic exposuit in diversis Scripturæ locis omnia Spiritus S. ut pia lectio cujusvis, etiam illiterati animo verum sensum suggerat, afferatq; sapientiam parvulis, juxta Psalm. XIX, 19. *In iis, qvæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, qvæ continent fidem moresq; vivendi*, ait Augustin. *L.II. de doctr. Chr. c.9. T.III p.25.* Sed jam (4.) nervum argumenti ipsum incidamus, qvod hoc est: *Qvi in indagando vero sensu Scripturæ nihil nisi verbum DEI Ecclesiæ Catholicæ per Doctores unanimiter consentientes traditum,*

pariq;

pariq; cum verbo scripto fide suscipiendum, juxta Scripturæ monita Syr.IIX,11.II.Thess. II,15. seqvuntur, ii haut dubiè rectiùs officium præstant, qvàm qvi suis ex Scripturâ ductis conseqventiis, qvibus falli se posse, ipsimet agnoscunt, innituntur. Illud verò Pontificii faciunt. E. Hîc ea præsupponat Jesuita, necesse est, qvæ à nemine, nisi fascinato opinionibus Pontificiis admitti possunt. Etenim (α) *dari hujusmodi traditionem* infallibilem exegeticam atq; dogmaticam, (de rituali & historicâ non qværitur. Vid. Chemn. *P.I.Exam.C.T.p.61.sqq.* Höpffn. *disp. de Ecclesiâ verâ ante Luth.th.XVII.*) inde ab Apostolorum ævo ad nostra tempora propagatam, dicit, non probat Masenius. Impossibilem eam esse fatebitur ultrò, qvi lingvarum & aurium humanarum vanitatem, humanæ memoriæ imbecillitatem, mentisqve inconstantiam, imò errores qvoq; & dissensiones Doctorum Ecclesiæ circa Scripturæ interpretationem cogitaverit. Itaq; corruit ultrò, qvod addit (β) *pari fide, qvâ verbum scriptum, eam accipiendam.* *Τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν*, commendat Apostolus 1.*Cor.IV,6.* Et *si angelus de cœlo prædicaverit Evangelium præter id, qvod accepimus, anathema sit, Gal. I, 8.9.* Cumqve ex Scripturâ possit ac debeat, ex instituto DEI, salus æterna haberi, *Joh.XX,ult. II. Tim. III,16.* non apparet, cui usui aliud verbum

An dentur Traditiones exegeticæ,

pari fide, qvâ verbum scriptum, accipiendæ?

non ſcriptum eſſe DEUS voluiſſet? Qvi tantum abeſt, ut traditiones tales pari fide cum Scripturâ recipi juſſerit, ut improbet potiùs vehementisſimè eorum inſtitutum, qvi per traditiones ſuas hoc efficiebant unicè, ut irritum fieret mandatum DEI, *Matth. XV, 6.* Conf. *Matth. V. 21. ſqq. 31. ſqq. 38. ſqq. Col. II, 8.* &c. Qvare in ipſo Trident. Concilio fuerunt, qvi agnoſcerent duriora verba eſſe, qvibus Scriptum ac traditum verbum *pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipiendum* eſſe (*Seſſ. IV. decr.* 1.) ſanciebatur: qvod de Jac. Naclanto Foſſæ Clodiæ Epiſcopo Vergerius *Epiſt. ad Regem Polon p.* 119. refert. Et commemorat P. Svavis *L. II. Hiſt C. T. p.* 138. non paucis Theologorum Patrumq; Cardinalis Cajetani arriſiſſe ſententiam, qvi *docebat factoq; ipſo comprobabat, novum aliqvem Scripturæ ſenſum, qvando cum textu concordat, & neq; cum aliis Scripturæ locis, neq; cum fidei doctrina pugnat, rejiciendum non eſſe, utcunq; torrens Doctorum ad alium ſenſum confluat: DEum enim Scripturæ ſenſum ſolis priſcis Doctoribus non alligaſſe.* Auguſtinus verò, qvàm diſpari loco ſcriptum verbum, & traditionem ex Majorum libris hauriendam haberet, *Epiſt. XIX. ad Hieron. T. II. p.* 70. apertè profeſſus eſt: *Solis eis Scripturarum libris, qvi jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo aliqvid erraſſe firmisſimè credam. Alios autem*

tem ita lego, ut qvantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, qvia ipſi ita ſenſerunt: ſed qvia mihi vel per illos autores canonicos, vel probabili ratione, qvod à vero non abhorreat, perſvadere potuerunt. Neq; profectò Cyprianus, duobus ſeculis Auguſtinum antegreſſus, *divinam ac ſanctam* aliam *traditionem* agnoſcebat, qvàm *qvæ aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum epiſtolis, aut actibus continetur, Ep. ad Pompejum non longè ab init. p. 332.* Origenes verò omnem rejicit Scripturæ ſenſum, qvi non ex ipſâ Scripturâ hauritur, eleganti hanc in rem ſimilitudine, *tract. 25 in Matth.* uſus: cujus, ut & aliorum PP. hanc in rem verba apud Calov. *T. I. Syſt. p. 308 ſqq.* legi poſſunt. Sed qvid multis? Annon ipſe Maſenius imparem autoritatem verbi traditi & ſcripti agnoſcere videtur, dum illam allegatis Scripturæ teſtimoniis ſtabilire laborat? Illorum ergò majorem neceſſe eſt autoritatem, qvàm traditionum, & ſensûs, qvem ſepoſitâ Eccleſiæ traditione inferunt, luculentiorem evidentiam certioremqve infallibilitatem eſſe, qvàm ejus, qvem interpretatio Doctorum indicat. Qvanqvam (γ) nihil qvicqvam præſidii in illis textibus traditiones ἄγραφοι habent. Nam ut præteream, verba illa Syracidæ *c. VIII. 11: non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: qvoniam ab ipſis diſces intellectum*, non eſſe canonica, ſed ex apocrypho libro

Vindic. Syr. VIII, 11.

libro desumta: nihil in illis de infallibilitate, aut divinitate Ecclesiasticæ traditionis. Moralis & homiletica præscribitur regula, & cur non aspernãda sit Seniorum conversatio, ac expetenda potiùs, docetur. Chamier. *Panstr. T. I. L. 9. c. 7. n. 18. & L. 16. c. 9. n. 3.* Paulus

II. Thess. II, 15.

verò Thessalonicenses *II. Ep. II,* 15, admonens, *ut teneant traditiones, qvas acceperant, sive per sermonem, sive per epistolam*, geminum modum, qvem ipse in eadem doctrinâ proponendâ servaverat, indicat, diversum qvid ab eo, qvod literis scripserat, per sermonem traditum, nullibi ait. Ac protestatur potiùs *Act. XXVI, 12: nihil se tam magnis, qvàm parvis tradidisse, extra ea, qvæ Moses & prophetæ prædixerant.* Vide qvæ accuratè ad hanc næniam responderunt Gerh. *exeg. de Script.* §. *404. & Tom. I. Conf. Cath. p. 382. 383.* Hulsem. *animadv. ad Bellarm. de V. D. c. 9.* §. *17.* Feuerborn. *Synt. 2. disp. 9. coroll. p. 232. sqq.* Balduin. *L. VI. Phosphoric. 7. p. 622. sqq.* Calov. *Syst. T. I. p. 313.* Rivet. *Cath. Orth. tr. 1. q. 9.* §. *3.* Chamier *Panstr. T. I. L. 9. c. 1. n. 28. sqq.* Episcop. *L. IV. Inst. Theol. S. I. c. 14.* qvi & reliqvis Papistarum argumentatiunculis abundè satisfecerunt. Est tamen adhuc Masenio, qvod oggerat. Qvid enim, (5.) *si ratiocinando fallatur interpres*, qvod fieri posse fatentur protestantes? Nonne labili ita & ruinoso fundamento ea innititur religio, qvæ è Scripturæ sensu per ratiocinationes collecto exædifica-

An falli possit Christianus interpres?

ædificatur? Sed bene habet. Distingvamus inter operam rationis sibi relictæ aut præoccupatæ etiam; & illuminatæ ex lecto auditove verbo per Spiritum S. verbo semper præsentem, & promissum à Patre petentibus *Luc. XI, 13*: item inter res ad fidem salutemq; scitu ac creditu necessarias, & qvæ tales non sunt. In illis tam perspicua pariter & efficax Scriptura est, ut adhibito pio scrutinio Christianus Lector infallibiliter certus esse possit, illuminante Spiritu S. per Scripturæ lucem oculos ejus *(Ps. CXIX, 105. II. Pet. I, 19.)* ut videat in hoc lumine lumen, (*Ps. XXXVI, 10.*) & simul obsignante testimonium in corde ejus, veram esse sententiam, qvam apprehendit. 1. *Joh. V, 6. Joh. III, 33. Eph.* I, 13. *I. Cor. II, 12. 16.* Itaq; ut mentem nostram sibi relictam necesse propemodum est, cæcutire & hallucinari in vero ac salutari sensu verbi Divini apprehendendo, ceu discipulorum Christi, populi ac Pharisæorum exemplis è *Luc. XVIII, 20. Matth. XIII, 13. Joh. XII, 37.* constat: sic illuminatam DEI Spiritu falli in eruendo sensu certo modo impossibile est. *Testimonium* enim *Domini fidele est, & sapientiam præstat parvulis*, *Ps. XIX, 9.* Conf. qvæ contra Gretserum de ἀσφαλεία veri sensûs apprehensi disputat Danhauer. *Herm. Sacr. p. 74 sqq.* (6) *Vincentii* deniqve *Lirinensis* verba, qvibus concludit Masenius, nihil pro ipso faciunt. *Qvisqvis*, ait, *hos* (Doctores)

Vincentii Lirinen. sis autoritas.

ctores) *in Ecclesiâ DEI divinitus per tempora & loca dispensatos in sensu Catholici dogmatis unum aliqvid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed DEUM.* At qvantum differant contemnere Doctorum consensum in sensu Catholici dogmatis,& eum pro normâ ac judice controversiarum nolle reputare, nemo non intelligit. Ut taceam,eum non esse Vincentium, cujus sententiâ stare nos oporteat, qvi non ignoramus, qvàm male Semi-pelagiano isti monacho cum Augustino, qvem testem antiqvi sensûs Masenius elegit,convenerit. Docuerunt hoc eruditisf. Vossius *L. I. Histor. pelag. c.9.p.39. sqq.* Rivetus *apologet. contra Grot. Sect.7.* & *in dialysi Grotianæ discusf. Sect. I,n.10.* itemq; *Sect. XIV. n. 13. Tom. III. opp.p.1060.1123.1206.* ut & in *Crit. Sacro L. IV. c.24.T.II.Opp.p.1140.* Jo. Dallæus *L.II.de usu Patrum c.2.p. 227.sqq.* qvi legantur. Adde &, si lubet Chamier. *T.I.Panstrat. L. 2. c. 9.* & *L.9.c.21.* & obiter Dorsch. *Collat. ad Concil. Francof.S.3.c.3 p 132.*

III. *Fallacias protestanticæ praxeos, experientiâ ostendere satagit: qvòd scil. semper eam*

TERTIUM seqvitur hujus puncti membrum, qvo hoc agit Masenius, ut ipsâ experientiâ constet, qvàm fallax Protestantium praxis sit. Res omnis in hunc nervum colligi potest: Qvicunqve judicem controversiarum implorant,qvi (1) controversias hactenus non tam decidit,qvàm multiplicavit,(2.) pro omnibus hæreticis sententiam

tentiam dicit,ac (3.) ne unum qvidem fidei articulum clarè definivit, illorum praxis fallacissima est. Fieri autem hoc à Protestantibus *p.62. 63. 64.* ostendere laborat. Videamus,qvàm benè. *(I.) Expende*, ait, *qvàm fallax illa Protestantium Scripturæ interpretatio sit, ex qvâ à Luthero cœptâ, tot statim pugnantes sententiæ à Zvvinglio, Carolstadio, Melanchthone, Calvino, Mennone aliisq; sectariis natæ sunt: qvi in contradictoriis opinionibus ad Scripturam tamen provocabant judicem, ad Spiritum S. in se loqventem, ad DEUM, ad conscientiam. Unde manifestum, qvòd vanissima hæc illorum ad verbum scriptum provocatio sit, cùm veritas secum ipsa pugnare neqveat, neq; hæc in S. literis rectè intellectis repugnantia fundari.* Respondeo. (1.) Expende, qvàm fallax Pontificiorum praxis sit, ex qvâ tot pugnantes sententiæ à Franciscanis, Dominicanis, Jesuitis, Jansenistis aliisq; sectariis natæ sunt: qvi in contradictoriis opinionibus (de immaculata an maculatâ? conceptione B. Virginis, de prædeterminatione ad actûs peccaminosos, de Papâ supra Concilium, &c.) ad Romanam Ecclesiam tamen provocabant judicem, ad Spiritum S. per Romanum Papam loqventem, ad DEUM, ad conscientiam. (2.) Ex illo interpretationis modo, qvem Lutherus non cœpit, sed monstratum ab ipsâ Scripturâ & usurpatum ab antiqvissimis Ecclesiæ Docto-

(1.) controversiæ multiplicata sint; qvod telum rectiùs in Papistas torquetur,

declinatur ab Evangelicis.

Doctoribus accepit, & à Scholasticorum scoriis repurgavit, enatas Cinglii, Carolstadii, Mennonis aliorumqve sectariorum pugnas erroresqve fuisse, crassissimum & planè dignum Jesuitâ mendacium. Scripturam juxta cynosuram ipsius Scripturæ & analogiam fidei interpretari, & eandem secundum perversam ingenii sui indolem pravamqve libidinem torqvere, longissimè differunt. Qvorum prius Lutherus ac orthodoxi cæteri fecerunt; posterius Zvvinglii cæterorumqve erroribus causa stetit. Qvi si (3.) ad Scripturam maximè judicem provocarunt, ad Spiritum S. in se loqventem, ad DEUM, ad conscientiam: Scripturam tamen condemnantem potiùs judicem fuerunt experti, qvàm absolventem; Spiritum habuerunt in se loqventem, sed qvi, ater esset, an albus, ipsi sæpe non dignoscebant satis: conscientia usi non rectâ, & ad filum verbi Divini compositâ, sed erroneâ, qvam convicti è Scripturâ exuere debebant potiùs, DEOque gloriam dare, qvàm veritati contumaciter resistere. Unde manifestum est, qvòd vanissima sit hæc illorum non minùs, qvàm Pontificiorum ad verbum scriptum provocatio, cùm veritas secum ipsa pugnare neqveat, neq; hæc in S. literis rectè intellectis repugnantia fundari. Scilicet (4.) cùm Scripturam judicem facimus controversiarum, totam intelligimus Scripturam, ratione non litera-

Qvomodo hæretici provocent ad Scripturam?

literarum modò, sed sensûs maximè θεληλάτου. Finge, verba sic torqveri ab hæreticis posse ut pro ipsis sententiam dicere videantur, sensus certè, cujus ipsa luculenta index est, repugnabit eorum φλυαρίαις. Qvorum ingenium Theodoretus in *opusculis contra varias hæreses, quæ T. II. opp.* habentur, graphicè descripsit: ὅταν εἴδωσι μὲν τὴν ἑαυτῶν κακοφροσύνην ἐμποδιζομένην ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀποδείξεως, παραγράφονται τῶν γραφῶν τὸν σκοπὸν, καὶ τὴν χρείαν. Ὅταν δὲ νομίσωσι συντελεῖν αὐτοῖς γυμνόν τι ῥητὸν πρὸς τὴν ἰδίαν ἐγχείρησιν ἀποτμηθὲν τῆς οἰκείας ἀκολουθείας, ἕλκουσιν αὐτὸ πρὸς τὴν ἰδίαν κατασκευήν. Hoc est: *Si videant, petitis è Scripturâ demonstrationibus stultitiam suam restringi, tum Scripturæ recusant & scopum & usum. Si qvando verò putant sibi favere, nudum aliqvod effatum à genuinâ recisum orationis serie ad suum propositum accommodant, trahunt ad sua confirmanda.* Nos (*s.*) argumentum invertimus, & qvàm felix, qvàm certa hæc Evangelicorum praxis sit, inde colligimus, qvòd illius beneficio non tantùm Pontificii errores omnes ac idolomanicæ superstitiones in manifestâ luce positæ, sed cæterorum qvoqve sectariorum, sive Cinglio, sive Mennoni, sive Socino, sive Weigelio, sive Arminio, sive aliis adhæserunt, omnium pestilentes errores liqvidissimè jam dijudicati sint. Itaq;

 non

(2.) omnibus hæreticis paratum patrocinium sit. non est qvòd (II.) urgeat Masenius, omnibus hæreticis præsidium in Scripturâ positum. Sic enim blasphemare pergit: *Et qvis fidat argumento & judici, qvo hæreticus etiam errorem suum defendit?* verbis præcedd. *viam* hanc vocaverat, *qvâ olim atq; hodiedum omnes incedunt hæretici.* Atq; huc pertinere vult *p. 63 extr.* ista Origenis *tract. 24. in Matth: Hæreticus sic ex lege, & Prophetis & Apostolis profert unusqvisq; mendacium, ut veritatem. Sed nos credere illis non debemus, nec exire à primâ & Ecclesiasticâ traditione: nec aliter credere, nisi qvemadmodum per successionem Ecclesiæ DEI tradiderunt nobis.* Alia item Vincentii Lerinensis, cujus qvantula nobis meritò autoritas sit, paulò ante diximus.

Ubi expend. (α) hæreticorum provocatio ad Script. At enimverò (1.) qvòd omnes hæretici *ad Scripturam provocant*, tantum abest, ut judiciario illius axiomati qvicqvam deroget, ut argumento sit potiùs, omnium, hæreticorum etiam, judicio hanc ei dignitatem competere. Sed non provocant modò, verùm (2.) *defendunt etiam sese hoc judice*, ait Masenius.

(β) defensio, Sanè verò non Scripturâ se defendunt, cujus nobilior pars sensus Christi, qvem pii Lectores tenemus, (*1. Cor. II, 16.*) impii hæretici pervertunt, ceu modò monebamus; sed cavillationibus suis detorsionibusqve. Optimè Augustinus *L. VII. de Genesi ad lit. c. 9 T. III. p. 597: Neq; non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi qvòd eas non rectè intelli-*

intelligentes, suas falsas opiniones contra earũ veritatem pervicaciter asserunt. Qvare si rectè ad leges suas provocat JCtus, etiamsi ex iisdem injustissimam causam sibi defendere videatur rabula: si Christum nemo vituperat, qvi ex Scripturis, tanqvam regulâ fidei ac morum confundebat Satanam, qvanqvam is iisdem Scripturis abuteretur nefariè *Matth. IV.* qvid est, cur non & nobis hic judex imploretur in causis dubiis, qvem certissimo suæ causæ damno & hostes veritatis appellant? Interim, (3) ait Malenius, *incerta victoria erit utraq; parte eam jactante?* Qvasi verò nudâ jactantiâ & gloriatione hæc res absolveretur; nec potiùs conscientiæ convictione & sententiæ manifestâ ex Scripturis demonstratione opus esset. Concilii autem Tridentini decretis qvid fiet? Qvibus triumfabant Ambrosius qvondam Catharinus & Alb. Pighius, qvorum sententiam de peccato originali condemnari Tridentino fulmine, communiter Papistæ sentiunt. Qvid ipsis fiet Apostolicis traditionibus? qvas & hi, qvi XIV die mensis Pascha celebrabant, & qvi secus, pro se allegabant, illi qvidem ad Apostolum Johannem, hi ad Petrum & Paulum provocantes, ut est apud Sozomen. *L. V. Hist. Eccl. c. 21.* Proinde (4.) *Origeni* hoc facilè assentiemur, non illicò credendum cuilibet hæretico verbum DEI jactanti, (probandi enim spiritûs, num ex

(γ) Victoria ex Script.

DEO sint, *1. Joh. IV, 2.*) neq; negabimus, à primâ & Ecclesiasticâ traditione abeundum temerè non esse. Concedemus, testimonium & argumentum à posteriori apprehensi veri sensûs esse consensum cum universalis Ecclesiæ traditione, (si qvidem talis haberi possit;) qvod Origenes fortè voluit; qvi si cum Vincentio de judice atqve regulâ ultimâ, deq; argumento à priori demonstrante veritatem dogmatis aut interpretationis intelligi voluit, non dubitabimus, eum hac parte, ut in pluribus aliis Pontificii faciunt, deserere. Dudum enim B. Gerh. *T. I. Conf. Cath. p. 571. sqq.* & Dorscheus tum *Indic. iniqvit. portione 3. §. 31. p. 73.* tum in *Dissert. de autoritate Eccles. consid. I. p. 7.* fraudes detexerunt illorum, qvi, ubi Papismo favere videtur Origenes, eum testem exceptione majorem, & Apostolis proximum magistrum; ubi Papismo suffragium non præbet, hæreticissimum scriptorem faciunt, qvod è Thomâ, Salmerone, M. Cano, Maldonato, Riberâ, Bellarmino, Baronio & aliis, luculenter ostendunt. Repetitqve è *vitis Patrum* Hulsemannus *tract. de correpe. frat. §. 8. n. 107. p. 54.* fuisse qvosdam monachos, sic abominatos Origenem, ut hominem ejus opinionibus infectum odoratu se discernere posse à bona fragrantiâ fratris orthodoxi putarent. Hîc qvia ad Vincentiam Lerinensem suum provocat Masenius, illius

Origenis autoritas.

illius saltem de Origene judicium repetere placet, è *Commonitorio c. 23. p. 124. edit. Calixt.* ubi censet *meruisse Origenem, dum gratiâ DEI insolentiùs abutitur, -- ut de se quoq; Ecclesiæ DEI diceretur: Si surrexerit in medio tui propheta, non audies verba illius prophetæ, qvia tentat vos Dominus DEus vester.* Conf. Gisb. Voet. *P. I. dispp. select. p. 452. sqq.* M. Z. Boxhorn. *Hist. Univ. p. 214. 509. sqq.* Theod. Beza *præfat. ad N. T.* pluresqve alii.

Superest (III.) gravissima dica, qvam judici nostro *p. 63.* scribit Masenius: *Inqvire,* ait, *num inter tot controversos fidei articulos, vel unicum ab aliqvâ Protestantium parte clarè integreq; definitum agnoveris, didiceris ve, qvo te adversus Catholicos ita tueri possis, ut dicas: En nostræ confessionis articulum purè ex S. literis propositum, qvi claram contra vos sententiam, & judice dignam pronunciat.* Inqvisivimus, ô bone, ac inter tot fidei articulos à vobis depravatos, ab aliis vocatos in controversiam, ne unicum qvidem reperimus, qvin à Spiritu S. sic definitus fuerit, ut verba illa, qvæ præis, usurpare de eo non possimus. Idq; vel ex hoc Examine constare putamus posse. Erat autem ingenui adversarii, non jactare modò talia, sed enumerare istos articulos, in qvorum judicio Scriptura deficeret. Qvæ hactenus protulerunt Pontificii, vel ad fidem non pertinent, vel si sint de fide, definita à Scripturis sunt.

(3.) *Nullus fidei articulus clarè definitus sit: utpote*

Qver tur Masenius, non definiri huc usqve ex Scripturâ (1 *sensum Symboli Apostolici*, (2) *numerum rerum creditu ad salutem necessariarum*, & (3) *discrimen librorum Canonicorum & apocryphorum S. Scripturæ.* Sic enim scribit: (1) *Sine definitione Ecclesiæ & verbo DEI tradito, nec ipsum qvidem Apostolorum Symbolum fidei suo satis est sensu definitum, ut intelligat fidelium vulgus legendiq; imperitum, verbane DEI puris, an prædicantium suorum sensu attemperatis nitatur.* Sed (α) nihil fortè, si rectè putes, confici poterat amplius, qvàm Symbolum, qvod Apostolicum vulgò audit, (Apostolorum esse, fabula est, à Walthero *Centur. Misc. c. 97. p. 647. sqq.* Calovio *Syncr. Calixt. p. 26 sqq.* Riveto *isag. ad Script. c. 26. n. 9, 10.* Perkinso *expos. symb. sub init. p. 3.* Chamier. *T. I. Panstr. L. 9. c. 10. n 9. sqq.* Voetio *T. I disspp. select. p. 64. sqq.* & Vossio inprimis *dissert. I. de Symb. p. 7. sqq.* Calixto etiam *disp. de autorit. Script. §. 45.* & *P. I. resp. c. Mogunt. n. 35.* aliisq; confutata:) pro regulâ fidei haberi non posse: cùm ambiguum sit nec ita definitum, ut vulgo constet de ejus sensu, nisi aliunde accedat determinatio. Qvod verissimum omninò est, & aliis etiam argumentis, insufficientiâ inprimis, & omissione dogmatum ad salutem necessariorum probari potest. Hoc fuerat (β.) ostendendum Masenio, demonstratio nem veri sensûs non posse aliunde nisi ex tradi-

(α) *de sensu Symboli Apostolici.*

traditione Ecclesiasticâ arcessi, neqve his partibus sufficere Scripturam: Qvod nos omninò putamus, petimusq; dari illum Symboli Apostolici articulum, cujus sensus in Scripturâ definitus non sit. Pergit Masenius: (2.) *Unde dispiciet vulgus, qvot qvalesq; articuli rerum ex S. Scripturâ credendarum ad salutem sint necessarii, qvando & ipsi Doctores Protestantium in hoc scrutinio deficiunt dissentiuntq;? Qvàm periculosa hac alea, qvando unico etiam fidei articulo rejecto perire necesse est!* Et *pag. 64: Manifestum est, litigari de articulis fidei ad salutem necessariis: qvinam illi & ubi satis per Scripturam definiti.* Qvæso vero (α) unde vulgus dispiciet, qvot qvalesq; articuli rerum ex traditione credendarum ad salutem sint necessarii? qvando & ipsi Doctores Romanenses in hoc scrutinio deficiunt dissentiuntqve, neqve adigi hactenus potuerunt, ut catalogum ederent traditionum, qvæ ad salutem essent necessariæ? Si tam periculosæ plenum opus aleæ: si unico rejecto fidei articulo pereundum est: qvid fiet miseris animabus sive Doctorum in Papatu, sive Laicorum? Qvot enim articulos fidei venditant Pontificii, qvos affirmari ab Ecclesiâ Catholicâ una pars Doctorum pertendit, altera negari? Nonne altera pars alteram ita præsentissimo damnationis periculo objicit? Alterutram enim à sensu Catholicæ Ecclesiæ abire necesse

(β) *de numero rerum ad salutem creditu necessariarum.*

necesse est. Cæterum (2) cùm qværitur, qvot articuli fidei sint ad salutem necessarii, observandum, non tam de numero numerante sollicitos nos esse magnopere, (fit enim ut hic duos constituat fidei articulos distingvendo, qvos alter compingit in unum, absq; reali dissensione;) qvàm de numero numerato, sive articulis ipsis, qvi & qvales illi sint, qvi citra dispendium salutis non ignorantur, vel impugnantur. Jam cùm Scriptura definiat, fidei, qvâ salus apprehenditur unicè, fundamentum esse universalem DEI gratiam & voluntatem salvandi omnes, qvi Christo ejusqve merito verâ cordis fiduciâ adhærent: hoc simul docet, dogmata omnia, qvibus vel negatis, vel ignoratis fundamentum illud consistere non potest, ad salutem necessaria esse, salvis tamen necessitatis gradibus. Laudabilis proinde nostratium Theologorum opera, qvi non modò dogmatum veritatem ex Scripturâ S. accuratè exponunt ac vindicant, sed eorundem necessitatem ex iisdem fontibus deducunt, & qvantum habeant momentum in fidei ac salutis negotio, ostendunt, nectendo qvasi ex dogmatibus istis catenas, qvarum solutâ unâ ansulâ, totam rumpi fidem ac everti necesse sit. Alienum esset ab instituto, in hunc campum excurrere, in quo studium probarunt suum præter Nic. Hunnium aureâ *diascepsi de fundamen-*

damentalibus fidei articulis, & Hulsemann. *dissert. de dogmatibus ad salutem necessariis* Dnn. Wittebergenses in gründlichen Beweiß/ daß der Reform. Lehre der Seligkeit nachtheilig sey *P.I c.5.&6.p.69.sq.* Danhauer. *Hodos.p. 1328. sqq. Antichristos.p. 436.-483. Sigaleon. p.182.sqq. inq, ei annexis tabb.* D. Jo. Musæus *de Convers. Disp. IX.c.* 4. §.77.*sqq.* D. Jo. Meisner. *Sect.II. irenici Duraani*, & alii. Sed qvid est, (γ) qvòd Protestantium Doctores in hoc scrutinio committit? Aut verè-Evangelicos intelligit, aut consvetâ sibi ambiguitate ludens includit Calvinianos, vix propiùs à sanâ doctrinâ Pontificiis ipsis abeuntes, aut eos etiam, qvi sub lætâ nominis Lutherani umbrâ delitescentes, corpus Christianæ fidei deartuant, Ecclesiamq; orthodoxam veritatis hostibus produnt. Hos frustrà & ἀπαιδεύτως committit Masenius. Illos verò si in hoc scrutinio dissidere invicem existimat, oppidò fallitur, & ut dissidium illud ostendat potiùs, qvàm incusationibus hujusmodi innoxios oneret, rogatur. In re conveniunt; si qvid occurrit discrepantiæ, modum tractandi concernit, alio magis explicitè & distinctiùs, alio concisiùs articulos fidei recensente; ita ut qvi pauciores numerat articulos, non excludat eos, qvos seorsim computat alius, sed suas secutus rationes redigat in pauciores classes. Omitto jam (δ)

An in eo negotio dissideant Dd. Protestantium?

qvod ab aliis responsum est expostulantibus Pontificiis, qvid sufficere crederent nostrates ad salutem homini simplici. Qvos ad Catechesin nostrarum Ecclesiarum cum *Form. Conc. p.571-634.* remiserunt, breviter summa doctrinæ salutaris capita complexam. Lege hic omninò Dn. D. Haberkornii *Anti Valerian. Disp. VI. Qv. 2.* & Danh. *deliqv. onirocr. Batav. p. 115. 116.* Tertium deniq;, qvod Scriptura hactenus non definivit Masenii judicio, lis est de discrimine librorum Canonicorum & apocryphorum. *Manifestum est*, inqvit, *litigari de diversis S. Scripturæ libris, qvorum alii ab aliis, sine judice Scripturâ, repudiantur, ii præcipuè, qvi aliqvid continent, novis confessionibus fidei contrarium. Has controversias qvis definiet, si Ecclesia, cui Spiritus veritatis promissus est, non audiatur?* Hîc (α.) ut omittam, abiri à statu controversiæ, neq; hanc qvæstionem esse de fidei articulo, vel conclusione Theologicâ ad salutem scitu necessariâ, sed articulorum potiùs principium concernere: (Walth. *offic. Bibl.* §. *61. 230. p. 34. 170.*) hoc tantùm observo (β) si Ecclesiæ stare judicio velit Masenius in hac qvæstione: num rectè excludantur Canone illi libri, qvos apocryphos dicimus, fore planissimè, ut ipse causâ cadat. Planum hoc fecerunt & multi & doctissimi Viri adductis tum Judaicæ Ecclesiæ autoritate, tum publicis documentis plurium

(γ) de discrimine libror. canonicor. & apocryphorum.

um Conciliorum, tum testimoniis Doctorum Ecclesiæ, ipsorumqve Pontificiorum, qvi ante tempora Concilii Tridentini scripserunt, nullum unqvam illorum librorum, qvos nos hodie (non ratione lectionis Ecclesiasticæ, sed demonstrationis Theologicæ) repudiamus, receptum ab Ecclesiâ in canonem fuisse. Legatur præter diligentissimi doctissimiqve Jo. Rainoldi *censuram libror. apocryphorum*, Gerh. in *Exeg.* §. 72. *sqq.* 174. *sqq.* & *Lib. II. Conf. Cath. P. I. a. 1. c. 1.* Calov. *Crit. S. p.* 243. 248. 254. *sqq.* & *T. I. Syst. p.* 761. VValth. *offic. Bibl.* §. 1239. *sqq.* Calixt. *Exerc. de numero librorum Script.* Hornej. *de Script. S. Disp. II. q. 2. n. 39. sqq. p.* 137. Dreier. *disp. anti-Pap. I.* Cham. *T. I. Panstr. L. IV.* Rivet. *Isag. c.* 7. & *Cath. Orth. tr. 1. q.* 13. Hos similesq; qui evolvet, non intelliget modò, qvantum à judicio Ecclesiæ abeant Pontificii hac in qvæstione; sed & qvâ fide (γ) Masenius illam, ut sic vocem, exauctorationem librorum apocryphorum illis tribuat, qvi novas fidei confessiones procuderunt: qvasi ob dogmata confessionibus suis contraria eos repudiassent Protestantes. Non primi hoc protestantes fecerunt, sed omnium temporum Ecclesia ante & post natum Christum Catholica, mota potissimùm defectu illorum κριτηρίων, qvibus θεοπνεύστους libros dignoscere Scriptura ipsa docet, è qvâ laudati scriptores ea lucu-

len-

lentissimè deduxerunt. Nos ad eos remittere hac vice Masenium, qvàm actum agere malumus. Patet interim ex hactenus dictis, ipsâ Scripturâ judice hos libros canone excludi, qvæ tam perspicuè de suâ θεοπνευςίᾳ & auctoritate Canonicâ testatur, ut sola etiam sibi eâ in re sufficiat, non indiga ecclesiæ testimonio, qvod humanam tantùm fidem gignit. Lege hîc qvoqve Dn. Calov. *Crit. S. p. 274. sqq.* qvi ad ipsam hanc objectionem *p. 281. sqq. 293. sqq.* solidè respondet. Conf. ejusdem *Syst. Theol. T. I. p. 595.*

IV. *Praxin nobis opponit Ecclesia (1.) Judaica,*

QVARTUM idq; ultimum hujus puncti membrum restat, qvo nobis praxin (1.) Judaicæ, (2.) Apostolicæ, qvæqve (3.) hujus tempora secuta est, Ecclesiæ nobis opponit. (1) *Vetus Synagoga licèt Scripturam haberet, ad suos recurrebat Sacerdotes, acqviescens illorum judicio*, ait *p. 64.* & allegat in margine *Deut. 16. & 17.* Sed priori capite nihil, qvod huc trahere ullâ specie possis. Qvæ enim *v. 18. 19.* manifestissimè de judicibus politicis loqvuntur, qvi in portis sedebant, judicabant populum, excæcari muneribus poterant, &c. Cæterum divinam Legem,

Deut. XVII, 8. sqq.

qvæ *Deut. XVII, 8. sqq.* habetur, ceu caput Medusæ objicere Lutheranis solent, ad qvod obmutescendum illis putant. Qvam si rectè inspexeris, deprehenderisqve, (α) ibi non de decisione controversiarum fidei, sed litis forensis aut ceremonialis, qvæ ad op-

pida-

pidanos judices vel assessores Synedrii parvi (de qvibus *cap. præc. XVI, 18.*) primùm deferebatur, adq; iis decidi non poterat, *v. 8:* neqve (β) de absoluto controversiarum judice, sed restricto ad legem scriptam, juxtaq; illam examinando *v. 10.* 11. sermonem esse: si cogites simul (γ) qvàm dispar sit ratio temporum ante canonem constitutum, qvibus adhuc immediatè inspirabat Vates suos Spiritus S. & temporum hodiernorum, qvibus illæ θεοπνευστίαι cessarunt, & finitus canon cum anathematis interminatione, si qvisqvam aliud præter id, qvod scriptum est, addere aut prædicare voluerit, *Gal. I, 8. Apoc. ult.* 18. 19: patebit, qvàm nihil faciat pro Pontificiis. Legat, si volupe est, Masenius *Dn. Seb. Schmidii Collegium prius Biblicum p.* 23 54. & intelliget, esse hunc locum inter præcipuos, qvi contra infallibilitatem summi Pontificis, & officium summi judicis, contra traditiones non-scriptas, autoritatem Conciliorum, & pro Scripturæ S. perfectione urgeri possunt: qvem pluribus vindicarunt Gerh. *Comm. h. l.* & *T. I. Conf. Cath. p.* 303. Balduin. *anti-Pazmann. L. VII. c. 6. p.* 707. Hutter. *LL. CC. p. 62. sqq.* Hulsem. *animadvers. in Bellarm. c* 8. §. 7. *p.* 169. Calov. *T. I. in V. T. p.* 581. Rivet. *C. O. tr.* 1. *q.* 8. *n.* 8. Chamier. *T. I. L. III. c. I.* Episcop. *L. IV. Instit. Theol. S.* 1. *c.* 7.

Pergit

(2.) *Apostolica, Act.XV.* Pergit Masenius: (2) *Apostoli licèt Spiritu DEI pleni in obortâ controversiâ Hierosolymis Ecclesiam definientem audiunt*. Act.XV. Sed qvid tum posteà? Ergò non secundum Scripturam, ut vocem Spiritûs S. summi in hoc Concilio præsidis (*v. 28.*) pronunciarunt? Atqvi ad verbum scriptum & Petrus *v.7.* & Jacobus *v. 16.* provocant? Qvòd si maximè non fecissent, nulla tamen foret consequentia ab Apostolis Spiritu DEI plenis (fatente Masenio) ad hodiernos Doctores, qvibus illud infallibilitatis privilegium non promissum, Scripturas autem adeundi mandatum impositum est? Vid. Garth. *de judice Controverf. p.302.sqq.*

(3.) *Christiana post Apostolor. tempora:* (3.) De praxi veteris Ecclesiæ scribit: *Prima ab Apostolis Ecclesia ortas de fide ex Scripturâ dissensiones suis in Synodis collecta definivit.* Bene. Definivit autem ex Scripturâ: cujus ubi non auscultavit vocem definitivam, graviter hallucinata fuit. Qvod ex omni memoriâ demonstraremus, si tam breviter id, qvàm facilè fieri posset. Vide interim, qvæ in compendio, & ex ipsorum Papistarum scriptis hanc in rem notata sunt à Gerh. *L. de Ecclesiâ* §. 237. Calov. *Syst. T. I. p. 412.416.* Dorsch. Religions-Scrupel *VII. p. 128. sqq.* Riveto *Cath. Orth. tr. 2 q. 6. n. 4. 5. 6. 7.* Nos expendamus jam illas controversias, qvas ex Scripturis definiri non potuisse Masenius censet, nisi Ecclesia in Synodis dixisset

xiſſet ſententiam. *Sabellius ex Chriſti dicto: ego & pater unum ſumus, unam tantùm in Deitate perſonam, operationibus ſolùm diverſis eſſe tradidit: quem fruſtrà ex altero Chriſti dicto:* Pater major me eſt, *refutare aggreſſi Patres tandem in Concilio Alexandrino damnarunt, ſuccesſitq́; Arius, & ex hoc elicere conatus eſt, quòd Filius Patre in deitate minor, ejusq́; creatura, & poſt ipſum eſſet; ſed Eccleſia deficiente certi ſensûs Scripturâ, quæ controverſiam definiret, hunc in Nicæno concilio rejecit. Paulus Samoſatenus ex eodem principio Chriſtum purum docuit eſſe hominem, Neſtorius ex eodem loco duas in Chriſto perſonas ſtatuit, Eutyches naturam DEi hominisq́; coaluiſſe poſt unionem ac fuiſſe unam tradidit. Quas controverſias non Scriptura judex, ſed primam Eccleſia in Synodo Antiochenâ, alteram in Alexandrinâ, tertiam in Chalcedonenſi definivit. Quid agimus, ſi tot tantisq́; exemplis, ſi ipſorummet proteſtantium uſu, ſi uſitatâ judiciorum viâ (in quâ non dubiæ leges, ſed homines judicant) non reſipiſcimus? Ut Scripturas S. ſcrutemur* (Joh.5.) *in controverſis, ubi claro definitoq́; ſenſu litem expedit, omninò eſt æquum: ut Eccleſiam negligamus, ubi illius ſenſus indefinitus controvertitur, iniquum damnoſumq́;.* Hîc (*a*) ut omittam, ſæpiùs contigiſſe, ut controverſiæ per Synodos non modò non dirimerentur, ſed novis inſuper litium acceſſionibus augerentur; quæ res Gre-

quæ controverſias definiverit in Synodis

Gregorio olim Nazianzeno duriorem censuram extorqvebat, *Epist. LV.* (al. 42.) p. 684. ad Procopium sic ex versione Billii scribenti: *Ego animo ita affectus sum, ut omnia Episcoporum concilia fugiam: qvoniam nullius concilii finem lætum faustumq; vidi, nec qvòd depulsionem malorum potiùs, qvàm accessionem & incrementum habuerit.* Hoc (β) moneo tantùm Masenium, si suum illum veteris sensûs testem Augustinum audire velit, multò majus robur esse Scripturarum, in dirimendis litibus istis, qvàm Synodorum. Sic enim ille *contra Maximinum Arianor. Episc. L.* III. *c.* 14. *T.* VI. *p.* 733. vocem ὁμοȣσίȣ ex Scripturis vindicaturus: *Qvid est homousion, nisi: Ego & Pater unum sumus. Sed nunc nec ego Nicænum* (qvod vocem hanc firmaverat) *nec tu debes Ariminense* (qvod repudiaverat) *tanqvam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non qvorumq; propriis, sed utrisq; communibus testibus, res cum re, causa cum ratione concertet. Utriq; legimus: ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Ipse est verus DEus, & vita æterna.* Falsissimum proinde (γ) est, ad ullius controversiæ decisionem Synodum fuisse absolutè necessariam. Habet Scriptura in se satis autidoti contra omnes hæresium pestes, nullius ad hoc indiga sive interpretis s. vindicis Concilii. Vid.

Calov-

Calov. *Crit. S.p 853.-869.* Hinc (δ) eſt, qvod nulla proferri Synodus verè-Chriſtiana poteſt, in qvâ non fuerit inqviſitum in fidei controverſias juxta normam ſermonis prophetici & apoſtolici firmioris omni apparitione, cui rectè fecerunt attendentes, tanqvam lucernæ in loco caliginoſo lucenti. *II.Pet.I,19.* (ε) Qvod Concilium Alexandrinum, Ario prius, condemnaverit Sabellium, Seculi III. hæreticum, eqvidem in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ necdum reperio. Qvæ enim Sec. IV. coacta Alexandriæ eſt impulſore Athanaſio Synodus gemina, Ario ſucceſſit, eiq; ſeſe oppoſuit. Vid. Socrates *L.3. c.5.p.259.* Magdeb. *Cent. IV. c. 9. p. 770. 831.* Cæterùm (ut errorem iſtum chronologicum condonemus Maſenio) non apparet, qvomodo Sabellium reale diſcrimen perſonarum in Divinis inficiantem *fruſtrà refutare aggreſſi Patres ex illo Chriſti Joh. XIV: Pater major me eſt,* fuerint. Non erat profectò, qvod reponere ad illud argumentum Sabellianus aliqvis poſſet: Qvorum unus altero major eſt, inter illos reale diſcrimen intercedit. Qvòd verò (ξ) ſuccedens Arius ex hoc elicere conatus eſt, Filium Patre in Deitate minorem ejusqve creaturam eſſe, non Scripturæ tribuendum eſt obſcuritati, qvæ apertè ſatis docet alibi, qvâ ratione Pater major Filio ſit, qvem ratione Divinæ naturæ ipſi planè ὁμοούσιον facit. Jam qvis (η) non

Alexandrinâ.

(Deitas Chriſti juxta Maſen. diſertè non habetur in Script.)

miretur os Jesuitæ, affirmare ausi, Arium, qvi veram Deitatem Christi mysteriumque adeò sacratissimæ Trinitatis negabat, ab Ecclesia in Concilio Nicæno rejectum fuisse *deficiente certi sensûs Scripturâ, qvæ controversiam definiret.* Vicistis iò Sociniani, triumfatis jurati SS. Trinitatis hostes, si Scriptura dogma præcipuum religionis nostræ, in qvo cardo salutis vertitur, ita non comprehendit, ut carere ulteriori auctoritate possis. Neq; immeritò gloriantur Sociniani Scriptores de Jesuitarum confessione, agnoscentium, dogma hoc Sacratissimum dilucidè determinateqve in Scripturis non proponi. Lege Dorsch. *Intervent. pro myst. SS. Trinit. c. I. p.* 11. *sqq.* qvi in *Detectione malæ fidei Papalis* ostendit, qvomodo omnia ferè Scripturæ loca, qvibus
Nicenâ. Deitas Christi demonstratur, enervatum eant, causamqve Catholicam adversariis prodant Pontificii. Vel nuper qvantopere *Christoph. Sandius* Nearianus, Masenii secum consensum jactaverit, ex impiis ejus *Interpp. paradoxis in* IV. *Evang. p.* 217. cognoscetur. Sanctior (θ) mens Nicænis Patribus, qvi non aliam ob causam Arianam sententiam condemnabunt, qvàm qvòd per eam *literarum sacrarum, qvæ verbi DEi æternitatem, immutabilitatem, ejus sapientiæ divinitatem docent, prorsus labefactaretur autoritas*, ut Alexan-

xander Alexandrinus in hoc Concilio ad Alex. CPlitanum scribebat apud Theodoret. *L.1.Hist.Eccl.c.3.* Qvi scriptor & Constantini Magni gravissima verba, qvæ in Concilio protulit, *ejusdem libri c. 7.* recenset: *Evangelici & Apostolici libri, nec non antiqvorum prophetarum oracula* σαφῶς ἡμᾶς, ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν, ἐκπαιδεύουσι, *manifestè nos instruunt, qvid de Divino Numine sit habendum. Proinde hostili positâ discordiâ sumamus ex divinitus inspiratis testimoniis explicationes qvæstionum.* Agnoscebat nimirum, summum judicem Scripturam, juxta qvam ipsa Concilii decreta sanciri & examinari oporteret. Unde mos natus, ut in Conciliis in mediû Scriptura collocaretur, qvò intelligeretur, semper ad hanc normam & vocem Spiritûs S. judicis esse respiciendum. Vid. Dorsch. *Exerc. ad Concil. Nic. Sect.* I.§.43.44 *p.60.sqq.* Transigat autem & (4.) cum Bellarmino Masenius, qvi sanior hac parte, disertè contineri in Scripturis conclusionem Synodi Nicænæ affirmat *L.II.de Concil.c.12 §. sic etiam: Cùm Nicænum, ait, Concilium definivit, Christum esse* ὁμοούσιον, *deduxit conclusionem ex Scripturis: in qvibus disertè continetur, unum esse DEUM, & Patrem esse DEum, & Filium esse DEUM: ex qvibus seqvitur necessariò, Patrem & Filium ejusdem esse substantiæ & Divinitatis.* Non deficiebat ergò certi sensûs Scri-

ptura, qvæ controverſiam definiret. Porrò (x) Paulum Samoſatenum à Synodo Antiochenâ, (Euſeb. VII, *26.ſqq.* Magdeb. *Cent.3. p.206.294.*) Neſtorium non modò à Synodo Alexandrinâ provinciali, (Magd. *Cent. 5. p. 820.*) ſed qvàm maximè ab Epheſinâ, qvæ œcumenica III. fuit, A. 432. (vid. Evagr. *L.*I.*c.*3.*ſqq.* Niceph. *L.XIV.c.*34. Baron. *ad A. C.*431. Magdeb. *Cent.V.p.881.ſqq.*) Eutychen à Synodo IV. Oecumenicâ, Chalcedonenſi (Evagr. *L.*I.*c.8.* Zonaras *T.*III. *p.38.* Magdeb. *Cent.V.p.931.ſqq.*) damnatos fuiſſe, ἐξαγώνιον eſt. Verùm (1) Scripturam non ſuffeciſſe extra Concilium illorum erroribus judicandis, & (2.) Synodos in judicio iſto diaconico ex auctoritate ſuâ pronunciaſſe, neqve Scripturæ ſe, tanqvam judici ſummo ſubjeciſſe, adeoqve (3.) ſic *fuiſſe judicem Ecclesiam, ut Scriptura ipſa non fuerit*, id verò demonſtrandum Maſenio potiùs, qvàm audè aſſerendum fuerat. (λ) Vix refutationem meretur, qvem inſerit, paralogiſmus, *ab uſitatâ judiciorum civilium viâ, ubi non leges dubia, ſed homines judicant*, ad auguſtisſimum Spiritûs S. tribunal colligens. Qvaſi non longius proſpicere potuerit Spiritus ſapientiæ, qvàm legislator, cujus ad omnes casûs eventuros ſe non extendit prudentia: neqve qvicqvam interſit inter judicem Civilem, à lege ſecundum qvam judicat, diſtinctum, & Spiritum S. qvem in officio critico

Antiochenâ,

Alexandrinâ

Chalcedonenſi

Collectio Jeſuitica à ratione judiciorum civilium ad judicium controverſiarum de fide.

tico arctissimè cùm verbo suo unitum statuere oportet; inter judicium fallibile ac coactivum extrinsecus tantùm, & infallibile conscientiarumqve convictivum: inter legem nudam ab homine profectam, & Spiritûs S. scriptam vocem, qvæ & legis rationem habet in ordine ad Ecclesiam, & judicis, si ad Spiritum S. cujus vox est, & controversias, qvas dirimit, respicias: deniq; qvasi inter divina & humana nihil discriminis intercedat. Qvid est à baculo ad angulum argumentari, si hoc non est? (μ) Restrictio verborum Christi *Joh. V, 39.* ad eas controversias, de qvibus Scripturæ sensus definitus est, merum est κρησφύγετον. Ubi enim claro definitoqve sensu litem expediet Pontificiis, si ne illis qvidem verbis: *gratiâ salvati estis per fidem, non ex operibus*: *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus Legis*, ac similibus clarè definiteqve litem nos inter & Pontificios componere censetur? Qvis non intelligit, qvando nullibi Scriptura tam manifesta est, qvin detorsionibus τῶν ἀστηρίκτων abripi in alia omnia possit, hunc fore mandati Dominici sensum ex mente Masenii: Nullâ in Controversiâ, sive de dogmate moveatur, sive de interpretatione & sensu Scripturæ, scrutamini Scripturas, semper ad Ecclesiæ, h. e. Romani Pontificis confugite ἀσύλιον. Logi! Logi! Qvos & è contextu ipso luculenter convellere Job. V, 39. Vindic.

lere, si operæ esset pretium, possemus. Namque in ipsâ illâ controversiâ, qvæ juxta Masenium, non est certo sensu in Scripturis definita: an JESUS sit Filius DEI ejusdem cum Patre essentiæ (qvod tum à Judæis disputabatur, ut ex antecedd. constat:) ad Scripturam Judæos remittebat Salvator. Sed tædet ineptiarum. Augustini tantùm loco satisfaciendum est, qvem sub finem hujus puncti allegat è *L. I. contra Crescon. Gramm. c.33.* (sic enim emendandum sphalma) *Tom. VII. Opp. p. 219.* *Qvamvis hujus rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, qvod universæ jam placuit Ecclesiæ, qvam ipsarum Scripturarum commendat autoritas.* Occupatur in eo argumento, qvod tum IV. illis contra Cresconium libris, tum contra literas Petiliani libris tribus evicerat: non esse re baptizandos baptizatos ab hæreticis. Hoc dogma primùm demonstrat ex Scripturis, (è qvibus maximè unitatem baptismi *Eph.* IV. 5. reqvisitam, & à Christo *Joh.* XIII, 10. significatam urget) qvas adeò pro judice hîc habet, ut c. 31. causâ cecidisse adversarios ideò censeat, qvòd nihil ex Scripturis pro se habeant afferre: & *L. 2. c. 21. p. 233.* Christum & Ecclesiam contendens, *illum semper veraciter judicare, Ecclesiasticos autem judices ut homines plerumq; falli affirmet.*

Locus Augustini vindicatur.

met. Tum factum ipsum exemplis stabilire annititur. Cumq; in Scripturis nullum tale reperiat, ad Ecclesiæ Catholicæ consvetudinem rectisſimè provocat. Negat ergò factum exemplis posse è Scripturâ ostendi; non negat, qvæstionem ipsam à Scripturâ dijudicari. Porrò Ecclesiam universalem, ut exemplar rerum agendarum Augustinus; Jesuita sub Ecclesiæ nomine Concilia πανόπτευσα, ut normam & judicem controversiarum commemorat. Ille Ecclesiam Scripturarum auctoritate commendat; hic Scripturam ejusqve verum sensum auctoritati Ecclesiæ subjicit. De cætero, Scripturæne an Ecclesiæ fasces in hoc judicio deferat Augustinus, ex iis, qvæ superiùs repetitis illius verbis commemoravimus, intelligitur. Qvibus plura addere ex eodem poteramus, nisi Garthius *de jud. Controv. p.* 601. 607. 612. 613. hanc operam occupasset.

Punctum II. p. 65. sqq.

Qvid contra Scripturæ judicium in dirimendis fidei controversiis Malenius dixerit, vidimus. Conseqvens est, ut expendamus, qvem ipse judicem Scripturæ, loco motæ, substituat. Is ipsi est *Ecclesia catholica infallibilis & indeficiens.* Puncto namq; hôc

An Ecclesia Catholica indeficiens sit, & errare neqveat?

Qvæstio (1) fraudulenta, hôc expendere jubet: *An Ecclesia hæc catholica suâ in fide indeficiens universè sit, & errare neqveat?*

Qvæstio fraudulenta, confusa, & præterea, si rectè intelligatur, nihil faciens ad rem. Fraudulenta, *primò.* Qvid enim intendat, cuilibet manifestum est, qvi noverit, qvomodo sub splendido Ecclesiæ catholicæ nomine unicum homuncionem, qvi Romæ præest, occultent. Si enim ex Masenio exqviras, qvam ex omnibus Ecclesiam catholicam putet, Romanam haut dubiè nominabit, ut nominavere disertè Bellarm. L. IV. *de R. P. c. 4.* L. III. *de Eccl. c. 10.* Pistor. *Hodeg. cap. de Eccl.* & alii. Deinde cùm Ecclesia è Clericis & Laicis constet, qvæstio fuerit, an omnes æqvè sint infallibiles? qvod de Episcopis tantùm affirmant Pontificii: qvia *tota auctoritas Ecclesiæ formaliter non est, nisi in Prælatis, sicut visus totius corporis formaliter tantùm est in capite. Ergò idem est, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare,* ut loqvitur Bellarm. L. II. *de Concil. c. 2. §. Secunda classis.* Porrò nec hoc simpliciter negant, cœtum Episcoporum in concilio coactorum errare posse; tum demùm negant, si Patres Concilii in definiendo seqvantur Pontificis Romani instructionem, quod *Libri cit. cap. 10. & 11.*

& ad tuendam R. P. infallibilitatem unicè comparata.

& 11. sibi ostendendum sumsit Rom. Eccl. Cardinalis. In hunc ergò red bit deniqve privilegium infallibilitatis, qvippe cui non minùs viventium Episcoporum, qvàm dudum defunctorum Patrum ipsorumq; Rom. Pontificum decreta tum ratione sensûs, tum ratione autoritatis subjiciunt, ut superiùs *ad instruct.* dictum. Et prodit suo se indicio sorex, dum *L.* IV. *de R. P. c. 1.* §. *Sed nec prima qvæstio* sic scribit: *In disputatione de verbo jam ostendimus, judicem controversiarum non esse Scripturam, nec seculares principes, nec privatos homines, qvamvis probos & doctos, sed Ecclesiasticos prælatos. In disputatione verò de conciliis demonstrandum erit, habere qvidem Concilia tam generalia, qvàm particularia judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tum demum esse ratum & firmum, cùm accesserit summi Pontificis confirmatio, proinde* (NB) *ultimum judicium Summi Pontificis esse.* Omitto Stapletoni, Valentiæ, Costeri, inq; Ratisb. Colloqvio Gretseri, aliorumq; ingenuas confessiones, qvibus Masenii dolus in apricum producitur, qvi non tam Ecclesiæ universali vindicare privilegium infallibilitatis voluit, qvàm Romano Pontifici, conseqventer non illam, sed hunc judicem constituit controversiarum. Legat pius Lector, qvæ de hoc mysterio fraudis noster Gerhardus disputavit *L. de Ecclesiâ* §. *105. 106.* repetita in

dispp. de Spiritûs S. judicio in rebus fidei §.34.-84.*P.II. dispp.Acad.p* 1598 *sqq.* Fraude qvidem non caret, qvòd tantopere formidant suum controversiarum judicem nomine suo propalare Pontificii, & modò Ecclesiæ appellatione ambiguâ involvunt, modò qvicqvam respondere detrectant. In Colloqvio certè Ratisbon. ultra sesqvihoram tergiversabantur aliqvid eâ de re proloqvi, donec vi argumentorum Hunnii & Hailbrunneri, qvin & mandato principum eò adigerentur, ut ex Actis Partis Pontificiæ Monachii 1602. editis, *p.8.sqq.* intelligimꝰ. Conf. Hunnii *anti-Tanner. c.2.* Solent nimirum, ut ex ipsomet Andradio olim observabat *fol.5.6.Exam. Conc. Trid.* Chemnitius, tricari in talibus Papistæ, ne simplicior populus intelligat, minus justo tribui Scripturis, nimium verò Pontifici Romano.

(2) *obscura, ratione tum prædicati,* *Deinde* confusæ obscuritatis meritissimo suo accusavi hanc qvæstionem: sive subjectum spectes, sive prædicata. Non enim duas modò qvæstiones miscet, qvarum altera de indeficientiâ Ecclesiæ, altera de immunitate ab omni errore moveri poterat; ac porrò qværi, num absolutè competeret Ecclesiæ hoc privilegium, num ex hypothesi tantùm observatæ regulæ in verbo præscriptæ; verùm suâ etiam plurimum interesse credebat, si turbaret in subjecto qvæstionis, neq; explicaret, qvid per *Ecclesiam* *tum subjecti.*

hanc

hanc catholicam intelligeret : num totam multitudinem fidelium vinculo salutaris fidei ac charitatis connexorum , ubiubi & qvocunqve tempore,qvocunqve statu , libero an presso vixerint,aut vivant ; (qvi sensus Augustino familiaris. Vide ejus loca ap. Gerh. *L.de Eccl* §. *II*.) an verò cum cæterâ sociennorum suorum turbâ ad solamRomanam Ecclesiam restringat : qvam nullo sensu catholicam esse mox ad *punctum 3.* ostendemus. Patet autem *tertiò*,positis his limitibus qvæstionem nihil facere ad rem præsentem , cùm eam multò præclariùs ipsismet Doctoribus Pontificiis Evangelici confirment. Per insignem enim calumniamMasenius scribit,*per nos fieri non posse, ut Ecclesia catholica indeficiens in fide sit , & errare neqveat : cùm ex hominibus constet , de qvibus dicitur : omnis homo mendax.* Eqvidem Ecclesiam Romanam non magis , ac aliam qvamvis speciale qvoddam infallibilitatis privilegium habere contendunt Orthodoxi, imò errasse gravissimè,aq; verâ fide defecisse ex Scripturis demonstrant. At Catholicam seu universalem Christi Ecclesiam tantum abest,ut errare in fundamento aut deficere penitus posse concedant , ut iisdem argumentis,qvibus hîc Masenius sine adversario pugnat,contra Socinianos , Arminianosqve utantur. Vid. Thumm. *impiet. Photin.p.525.sqq.* Calov. *Socin,proflig.S.IX. a. 1.* *con-*

(3.) aliena.

& cum calumniâ conjunctâ: qvasi nos Ecclesiam Cath.deficere posse statuamq.

controv. 1. *p.* 883. & *Consid. Armin. c.* 22. §. 9, *sqq. p.* 488. Scherzer. *Colleg. antiSoc. Disp.* 121. *p.* 982. 990. Addesis Gerh. *de Eccl.* §. 94. 107. Meisn. *de Ecclesiâ p.* 710. 744. &c. Sed qvid verbis opus? cùm ipsi protestantes *in Aug. Conf. art.* 7. hanc indeficientiam Ecclesiæ λευκάδι φωνῇ profiteantur: *Docent, qvòd una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Et Apolog. p.* 145: *Infinita pericula videmus qvæ minantur Ecclesiæ interitum. Infinita est multitudo impiorum in ipsâ Ecclesiâ, qvi opprimunt eam. Itaq; ne desperemus, sed sciamus, Ecclesiam tamen mansuram esse. Item ut sciamus, qvamvis multitudo sit impiorum, tamen Ecclesiam existere, & Christum præstare illa, qvæ promisit Ecclesiæ.* Atq; huc pertinent illæ promissiones Divinæ, qvas & nos pro perpetuitate Ecclesiæ catholicæ illiusqve immunitate ab omni errore fundamentali urgemus, *Matth. XXIV*, 24. *XXVIII*, 20. *Marc. XVI*, 20. *Esa. LIX*, 21.

An semper futuri orthodoxi Doctores in Ecclesiâ visibili Catholicâ? Exponitur vera sententia

Hæc de problemate ipso observare oportuit. Jam qvod prætereà elicere è qvibusdam Scripturæ locis satagit, semper fore orthodoxos Doctores in visibili cœtu, qvi Ecclesiæ catholicæ nomine veniat, id neqve ad illam considerationem de Ecclesiæ Catholicæ infallibilitate necessariò reqviritur, cùm incongruum sit, Doctores appellare Ecclesiam, & puriores sæpè docentium labiis

biis aures sint auditorum : neq; cum Scripturis convenit, è qvibus discimus, incidisse qvandoq; tempora, qvibus totus populus, ne Summo qvidem Pontifici excepto in idololatriam prolaberetur, *Exod. XXXII.* cumq; in eas angustias redigeretur Ecclesia, ut illuminatissimus Propheta Elias ex omni verè credentium cœtu unum se crederet superesse, *1. Reg. XIX, 14.* Et qvid aliud indicant Prophetarum illæ qverelæ, qvibus Doctorum pariter & auditorum corruptionem accusant *Jerem. II, 26. sqq. Ezech. III, 7. Esa. LVI, 10.* qvid illa prædictio Asariæ *II. Chron. XV, 3: transibunt multi dies in Jsraël absq; DEO vero, & absq; Sacerdote, absq; Doctore & absq; lege*: qvid, inqvam, aliud, qvàm non semper visibilem extare cœtum, in qvo purus DEI cultus vigeat, salvâ nihilominus Ecclesiæ (invisibilis puta) indefectibilitate? Latent enim in Baaliticâ illâ fece 7. millia virorum, qvorum genua non incurvantur Baali, *II. Reg. XIX, 18.* supersunt in extremâ corruptione Israëliticæ gentis clàm gementes & dolentes super abominationibus, qvæ fiunt in medio populi, *Ezech. IX, 4.* Lege Meisner. *de Ecclesiâ S. IV, c. 5. n. 3. q. 3.* p. 458. sqq. Gerh. *de Eccles. §. 94. 111. sqq.* Porrò intelligi non potest, cur Christus & Apostoli tanto studio Ecclesiam monuerint, ut ab errore sibi caveret, *Matth. XXIV, 23. sqq. Act. XX, 28. sqq. II. Cor. XI, 2. sqq. Apoc. II, 5. 15. 16.* cur Paulus Roma-

& confirmatur, ex Scripturis,

Romanæ qvoqve Ecclesiæ timeret sollicitè adeò *Rom.XI.20.sqq* si in errorem incidere ejus Doctores τῶν ἀδυνάτων erat. Qvis illa nescit tempora, qvibus *orbis terrarum ingemuit, miratus se Arianum factum*, ut Hieronymus contra *Luciferian.* loqvitur. *Arianorum* enim *venenum non jam portiunculam qvandam, sed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut propè cunctis Latini sermonis episcopis partim vi, partim fraude deceptis caligo qvædam mentibus offunderetur, qvidnam potissimum in tantâ rerum confusione seqvendum foret*, qvæ Vincentii Lirinensis verba sunt *c.6. commonitorii p. 214.* qvi paulò pòst exponit, qvomodo *profana ipsa Arianorum novitas non destiterit universa miscere atq; vexare, privata ac publica, sacra profanaq; omnia.* Confer, qvæ ex ipsis Pontificiis hanc in rem produxit Gerhard. *Conf. Cath. L.II.P.I.a.5.c 3.p.110.sqq.* Num verò audebit Masenius, affirmare, tum qvoq; errorem timeri non potuisse, qvia docentibus ad finem seculorum semper se affuturum Christus promisit? Num dicet, tum prævaluisse portas inferorum contra Ecclesiam, qvòd prolapsi visibilis Ecclesiæ Doctores ad errorem fuerint, & apud fideles occultos fides relicta? Cujusmodi paralogismos p. 66. texit. Qvibus breviter satisfaciendum.

& Hist. Eccles.

Object. Masenii resp. desumtis

Colli-

Colligit (1.) ex Matth. XXVIII. 20: *Si docentibus usq; ad finem seculorum Christus semper affuturus est: an error timeri poterit, cùm oderit omnes, qvi loqvuntur mendacium?* Bene. Ergò cùm loqvantur mendacium Doctores Pontificii, cum iis non est is, qvi illis tantùm Doctoribus se affore promisit, qvi docent gentes servare omnia, qvæ Christus mandavit, Lex autem hæc si impleatur, omninò error timeri non poterit. Qvare non absolutè hæc promissio Christi est accipienda, qvasi semper adesse velit fidelibus, qvicqvid sive doceant, sive faciant, (seqveretur enim hinc, nullam Ecclesiam particularem, imò fidelium neminem errare posse) sed conditionatè, si nimirum in sermone Christi maneant. Confer. Gerh. *L. de Eccl.* § 97. & *Tom. II. Conf Cath. p.* 1118. Garth. *de judice Controvers. p.* 512. 536. *ex Matth. XXVIII. 20.*

Colligit (2.) ex Matth. XVI, 18: *Si visibilis Ecclesiæ Doctores omnes ad errorem prolapsi essent, & solùm apud fideles occultos fides relicta, portæ inferorum contra Ecclesiam prævaluissent.* Pervelim audire probationem hujus conseqventiæ. Interest sanè plurimum inter Ecclesiæ Catholicæ durationem, & visibilem illius claritatem, aut indefectibilitatem particularis alicujus (qvalis Romana est) Ecclesiæ: inter Ecclesiam, qvæ fundata est super petram, & inter eos, qvi in Ecclesiâ non petræ, sed arenæ inædificant, *Matth.* VII, *ex Matth. XVI, 18.*

VII,26. Qvod discrimen Augustinus *in de unit.Eccl.c.18.T.VII.p.551.* indicat : *In his est Ecclesia*, scribens, *qvi adificant supra petram, id est, qvi audiunt verba Christi & faciunt: quia & Petro confitenti se Christum Filium DEi sic ait : Et super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Non est ergò in eis, qvi adificant supra arenam.* Pone, Doctores omnes visibilis aut particularis Ecclesiæ in errorem prolabi, nihil hinc seqvetur ampliùs, qvàm contra qvosdam vel præcipuos etiam in Ecclesiâ prævaluisse portas inferorum, & decessisse aliqvid visibili ejus splendori, qvi separabile est Ecclesiæ accidens : perpetuæ interim durationi catholicæ Ecclesiæ Christi nihil decedet, ad qvam propriè & adæqvatè pertinet promissio illa Salvatoris; qvam si maximè ad visibilem Ecclesiam accommodari patiamur, non simpliciter tamen & absolutè intelligenda fuerit, sed secundam qvid & Synecdochicè respectu electorum, qvi in Ecclesiâ visibili malis & hypocritis sunt permixti. Gerh. *L. de Eccl.* §.96. Hunn. *pell Ovin. Rom.* Eccl. § 290. *sqq.* Alsted. *Contin. Cham. T.V L.1.c.17. §.4.* (3.)

ex Es. LIX, 21. Ex Esa. LIX,21. qværit: *Qvomodo staret illa* DEI *de Ecclesiâ Christi promissio* : Spiritus meus, qvi est in te, & verba mea non recedent de ore seminis tui in sempiternum? *Absoluta hac nullisq; astricta conditioni* DEI *pollicitatio est; verba & Spiritus meus non recedent;*

cedent; & non faceret, qui dixit, ac potest? Optimè, inqvam, stabit. Loqvitur enim de perpetuâ Catholicæ Ecclesiæ conservatione, à qvâ ad absolutam visibilis cujusvis Ecclesiæ ab omni errore immunitatem, & incessantem orthodoxorum Doctorum successionem perperam colligitur. Alioqvi promissis non stetisset DEUS, si simpliciter visibili Ecclesiæ immunitatem ab erroribus & perpetuos verbi præcones fuisset pollicitus. Orientales enim Ecclesiæ, qvarum *præc. v. 19.* meminerat, dudum est, qvòd miserrimè interierunt. Ut omittam, hæc verba non tam de promissione, qvàm de fœderali ex parte nostri reqvisitâ conditione à qvibusdam non incongrue exponi. Gerh. *L. de Eccl. §. 97. extr.* Meisn. *de Eccl. p 731.* Sed *qvomodo* (pergit (4) noster Masenius) *ex ipsâ Protestantium sententiâ Ecclesiæ Christi proprium est, ut verbum DEI sincerè in illâ prædicetur, & Sacramenta administrentur, si istud tot seculis, errore & antichristo dominante neglectum sit?* Sed qvomodo, liceat vicissim ex adversario qværere, è Pontificiorum sententiâ Christi Ecclesiæ proprium est, ut temporali felicitate refulgeat per totum orbem, si in terræ cryptis delituit qvandoqve, & olim sub Antichristo, qvem fingunt, planè inconspicua reddetur? Nos distingvimus *tum* inter Ecclesiæ veræ *florentem* statum, cùm illæ notæ incurrunt in oculos, & *pres-*

ex ipsâ Protest. Sententiâ de notis veræ Ecclesiæ.

N *sum,*

sum, cùm humanos oculos fugiunt, solo DEo suos noscente, *II. Tim. II, 19: tùm* inter verbi sinceram prædicationem, lectionem, meditationem, Sacramentorumqve, baptismi inprimis administrationem *præcisè*, (qvæ notæ propriæ sunt Ecclesiæ catholicæ,) & inter publicam verbi prædicationem, apertam professionem, visibilem Sacramentorum administrationem, adeoqve floridum religionis exercitium *restrictè*, qvo non raro Ecclesia privatur. Calov. *Exeg. Aug. Conf. art. VII. c. IV* § 4. Et definitur præterea ex observatione B. Parentis mei *Isag. in libb. Symb. p. 306.* Ecclesia ab illis notis, non prout sæpe *esse solet*, sed prout in se & naturali suo statu *esse debet*; qvomodo & in Physicis Elementa, in Politicis rerump. variæ formæ in summâ suâ perfectione, in qvâ tamen perraro reperiantur, describi solent. Manebunt interim hæ notæ propriæ Ecclesiæ, ut si duas contendas particulares Ecclesias, in qvarum alterâ purè verbum doceatur, in alterâ errores dominentur, facile sit discernere, ac definire, qvæ vera sit Ecclesia, qvæ falsa. Qvasi finiturus qvæstiones suas addit: *postremò qvomodo (ut fatentur) apud fideles semper occultos fides subsistit, cùm fides ex auditu sit, auditus autem per verbum Christi? Et qvomodo audierunt sine prædicante?* Rom. X, 17.
ex Rom. X, 17.
Qvasi verò solus auditionis actus, nec verbum potiùs, qvod per aures ad cor descendit (ita

(ita tamen, ut lectum etiam producat salutares effectûs) fidem generet: aut qvasi aurum verbi Divini salvificam vim & efficaciam suam amiserit per admixtas ab ingenio humano scorias. Enimverò producit semen hoc cœleste fructûs progerminantes in vitam æternam, si terram inveniat bonam, licèt steriles avenæ & infelix lólium admixtum illi culpâ inimici sit. Ecce verò, qvid ad hoc Masenius noster excipiat. *Qvòd si prædicans hæreticus fuerit, qvomodo ab errante dicerent veritatem? Numqvid possibile est, colligere de spinis uvas, & de tribulis ficûs? Qvomodo potest arbor mala bonos fructûs facere? qvæ pars fidelis cum infideli, aut conventio Christi ad Belial? Certè Christus dicit: oves meæ alienum non seqvuntur, sed fugiunt; proprium autem pastorem seqvuntur, qvia sciunt vocem ejus.* ex Matth. VII, 16. seqq. Sanè ab hæretico, qvà tali, atq; ut errat, veritatem discere velle, est à cæco petere viæ veræ demonstrationem (*Luc. VII, 38.*) aut à spinis uvas, de tribulis ficûs, ex arbore malâ fructûs bonos petere. Habet tamen corruptum etiam ministerium efficaciam suam, DEoqve spirituales filios generat, qvatenus semen illud immortale, verbum DEI & Sacramenta, retinet, licèt Zizania misceat. Qvamobrem Salvator & audire jubebat scribas & Pharisæos, qvatenus in cathedrâ Mosis sedent, h. e. secundum Mosis, eiq; homogenea Prophetarum scripta do-

 cent;

cent; & ab eorum aſperſo fermento, h. e. falsâ doctrinâ, itemq; operibus malis caveri, *Matth. XVI, 6. 12. XXIII, 2. 3.* Namqve ut Sacramentorum virtus non à bonitate miniſtri, ſic nec verbi prædicati veritas & efficacia à veritate proponentis pendet. Verba Christi *Joh. X, 5.* exponunt ovium officium; at efficaciæ veritatis, qvam falſitate ſuâ contaminant paſtores alieni, nihil detrahunt. Sed nihil addendum prolixisſimæ accuratisſimæqve profligationi Donatiſtici hujus argumenti, qvam Celeberr. D. Joh. Muſæus *P. I. de Eccleſiâ, Diſpp. VI. VII. VIII. IX.* contra Wagnereckium, Erbermannum & alios inſtituit: qvem & *Diſp. II. contra Maſenii medit. Conc.* § 40. confer.

Donatiſmi an rei Lutherani?

In Affectu *p. 69.* ex Auguſtino duo loca repetit, ad qvæ non eſt, ut qvicqvam reponamus: neq; enim contradicunt nobis. Sola poſteriori loco infarta gloſſa falſitatem habet, qvæ Luthero (de Calvino ſui viderint) voces hujusmodi de Eccleſiâ tribuit, qvibus *ipſam fuiſſe nec eſſe amplius, apoſtataſſe & periiſſe de gentibus,* ipſe cum Donatiſtis ſenſerit. Nunqvam ſcripſit Lutherus, defiiſſe Eccleſiam, ſed preſſam à Papâ & offuſcatam tum commentis hominum, tum perſecutionibus variis, conqveſtus fuit; non Eccleſiam, ſed qvosdam de Eccleſiâ apoſtataſſe dixit. Donatiſmi rectius accuſes eos, qvi nullibi niſi in ſuâ parte verum verbi ſenſum & efficaciam

am esse posse contendunt. Vide Musæum *de Ecclesiâ P.I.D VII. §. 3. p 385.* Qvæ sub finem puncti hujus scribit, frigidiora sunt, qvàm qvæ orthodoxus confessor,& cui salus sua curæ,probare possit: *Etiamsi hæc Ecclesia aliqvando falli posset, & nulla me ad illam Scriptura vocaret, ad illam tamen in fidei controversiu,& Scripturarum interpretatione semper me convertam,qvia per ipsum rationis lumen atq; experientiam convincor, tutius semper esse,judicio doctorum ac sapientum virorum leges divinas humanasq;, qvàm proprio privatoq; interpretari sensu, atq; ex illis ferre sententiam.* Reqvirit Apostolus *Rom. XIV,* 5. sententiæ infallibilem πληροφορίαν à Christiano homine, qvæ auctoritatem divinam postulat: neq; tanti erat Apostolo, ab hominibus aut ab humano die judicari, 1.*Cor.IV,3.* Habeat in humanis legibus interpretandis aliqvod pondus auctoritas doctorum sapientumqve virorum: at in fidei dirimendis controversiis sola DEI auctoritas utramq; paginam facit. Neq; illicò pro privatô sensu ac interpretatione venditandum est.qvod privatus ex verbo DEI secundum ἀναλογίαν fidei *(Rom. XII, 6)* sentit. Qvinimò hanc Scripturæ fideiqve proportionem semper sibi constantem qvisqvis ob oculos habet, is haut dubiè tutiorem viam insistit, qvàm qvi pugnantes non rarò Do-

ctorum interpretationes aut cæcas decisiones Pontificum, ceu normam seqvitur.

PUNCT. III, p. 68:

Qvænam hoc tempore inter tot diversarum religionum Ecclesias orthodoxa censeri, & tutò adiri qveat? Eqvidem ad considerationem de judice controversiarum non pertinet hæc qvæstio, (judicanda enim veritas & orthodoxia Ecclesiæ est per vocem judicis, judex esse ipsa non potest;) interest tamen plurimum nosse, cuinam cœtui de tutò associes. Unde meritò necessariam inqvisitionem veræ Ecclesiæ docent Orthodoxi. Vid. Gerh. *L. de Eccl.* §. 2. Calov. *Socin. proflig. S. VIII. a. 1. c. 2.* & *Consid. Arm. p. 484.* Kromaj. *Theol. positivo polem. p. 1028.* Nos in hoc scrutinio, Mascnii legemus vestigia, qvi *primò* præsupponit qvædam ex mente protestantium, & Symboli Niceni *p. 68. deinde* orthodoxiam Ecclesiæ suæ, cæterarumq; omnium falsitatem demonstrare satagit (1) hæreticorum veræqve Ecclesiæ oppositione p. 68 (2) notarum qvarundam fabricatione & applicatione p. 69. 70. (3) ipsâ Protestantium de notis Ecclesiæ confessione, p. 71.

PRÆ-

PRÆSUPPONIT (α) Protestantium de notis Ecclesiæ sententiam, juxta qvam ea vera sit Ecclesia, *qvæ sincerâ verbi DEI prædicatione, & legitimo Sacramentorum usu conspicua deprehenditur.* Hoc ideò præstruit, ut possit deinceps ex suismet principiis confundere Protestantes, qvod qvàm feliciter illi successerit, postea intelligetur. Acceptamus hîc interim confessionem Jesuitæ agnoscentis, duas has notas Ecclesiæ constitui à Protestantibus. Bellarminus enim *de notis Ecclesiæ c.2. init.* & alii mirum hîc dissensum Evangelicorum somniabant: qvem ipsismet tamen Papistis multò veriùs impinget, qvi Cadmæos fratres inter se commiserit. Vid. Gerh. *Conf. Cath. T.II. p.1137. sq.* & *L. de Eccl. §. 147.* Meisner. *de Eccles. p.827.* (β) Prædicata, qvæ in Apostolico Nicenoq; Symbolis Ecclesiæ tribuuntur, repetit, secundum qvæ *illa Christi fuerit in terris sponsa Ecclesia, qvæ est una, sancta, catholica & apostolica. Hæc enim juncta,* ait, *minimè fallax signum constituent, ita qvidem ut affirmativè dicere liceat: Ecclesia, qvæ est, una, sancta, catholica & apostolica, est vera Ecclesia; negativè verò de singulis: Ecclesia, qvæ non est una, vera non est. Rursum Ecclesia, qvæ non est catholica, vera non est. Præterea Ecclesia, ubi non prædicatur sincerè verbum DEI, sed corruptè in rebus fidei, non est vera &c. Estq; hæc via inqvirendi expeditior: qvia bonum ex integrâ causâ,*

Ecclesiæ veræ notæ x mente Protest. & Symb. Niceni.

 sâ,

sâ, malum ex qvolibet defectu. Jam verò *qvanam hac Ecclesia sit, judicatu facile atq; obvium etiam rudibus esse debet. Qvâ enim rati ne aliàs simplices, idiotæ, agrestesq; homines orthodoxam ab heterodoxis Ecclesiam discernerent?* Hîc (1.) non urgebo magnopere, si altiùs expendas, eodem ferè recidere hæc epitheta Ecclesiæ, & notas Protestantium, vel certè illa ex his dependere, ut non fuerit, cur qvasi distinctas notas à Symbolis Ecclesiæ veteris assignatas recenseret. *Una* enim Ecclesia dicitur propter fidem unam, Eph. IV, 3. sqq. *Sancta* propter sermonem Christi sanctum, in cujus veritate sanctificantur fideles, Joh. XVII, 17. *catholica*, ob catholicam de Christo doctrinam Matth. XXIV, 14. *Apostolica* ob doctrinam Evangelii ab Apostolis voce primùm prædicatam & postea literis comprehensam, Marc. XVI, 15. 20. Act. I, 8. Cùm qværitur proinde, qvæ sit Ecclesia *una*, *sancta, catholica & apostolica*, hoc est: qvæ sit orthodoxa; à sinceritate doctrinæ, tanqvam ex notâ propriâ sumenda fuerit decisio. (2.) Illud magis miror, cur has notas in scrutinio Ecclesiæ non adhibuerit Masenius. Si enim *hac* prædicata *juncta minimè fallax signum constituunt* veræ Ecclesiæ, si *hac via inqvirendi expeditior est*: qvid est, qvòd impeditiorem insistens tramitem à nomine catholico, à sacerdotum successione, gloriâ miraculorum &c. qvæ signa maximè fallacia esse, mox consta-

constabit, accersere veræ Ecclesiæ determinationem satagit. Age igitur (3.) pie Lector, ac ne frustrà hæc præmiserit Masenius, de applicatione ipse cogita. Expende, utra Ecclesia *una* sit: num ea, qvæ super unum fundamentum prophetarum & apostolorum superextructa *Eph. II, 20.* servare laborat unitatem Spiritûs in vinculo pacis, *c. IV. 3.* atqve ab uno capite gratiæ justificantis & sanctificantis salutarem influxum in omnia membra percipit: an qvæ gemino superstructa fundamento Scripturarum prophetico-apostolicarum & humanarum traditionum, ac sub gemino capite, Christo & Pontifice, scinditur in varias partes qvoad multa fidei dogmata, de peccati originalis universalitate, de prædestinatione, de prædeterminatione voluntatis humanæ, de omnipræsentiâ carnis Christi, & infallibilitate, autoritate & potestate Romani Pontificis &c. de qvibus aliisqve mirè digladiati sunt superiori seculo, sicqve disceptant hodie scriptores Romanenses, ut hæreseos etiam sese mutuò postulent, utraqve parte neqvicqvam per decreta Tridentinæ Synodi & Pontificis Romani se tuente. Expende, qvæ *Sanctæ* mereatur titulum: num illa Sponsa, qvæ purissimo indumento justitiæ Christi induta est, nec suam ostentat justitiam, ma-

earum & applicatio.

culatam illam &infectam multis modis, sed eam, qvæ est ex fide Jesu Christi, *Es. LXI, 10. Phil. III, 9.* idq; operam enixè dat, ut purificata lavacro aqvæ, *Eph. V, 26.* & fide *Act. XV, 9.* sancta etiam & inculpata sit in charitate, *Eph. I, 4.* abnegataq; impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè, justè & piè vivat in hoc seculo, *Tit. II, 12:* an verò illa hominum farrago, qvi cor tribunali qvidem Divino justitiâ suâ, h. e. pannis mulieris menstruatæ (*Es. LXIV, 6.*) superbire gaudent, cæterùm sic vitam vivunt, ut nullum tam atrox, tamqve horrendum flagitium sit, qvod non ausint in se admittere summi etiam ipsorum antistites & Pontifices, qvos sanctitate maximè conspicuos decebat esse, at Sodomitas, incestuosos, adulteros, regicidas, veneficos ipsi Scriptores Pontificii loqvuntur. Expende, an *Catholica* ratione fidei & doctrinæ, (ratione enim loci sic dici non posse Ecclesiam particularem, palàm est) atqve adeò *Apostolica* rectè dicatur, qvæ à doctrinâ Apostolicâ S. literis consignatâ, cui nos strictè inhæremus, innumeris modis r cessit, ut aliis declaratum est, & vel ex hoc Examine, qvo dogmata nostra ac Papistica ad lancem verbi scripti expendimus, constare poterit. Conf. Meisner. *S. IV. de Ecclesiâ c. 1. 2. 3. 4.* Hulsem. *contra Hager. Disp. VI. q. 3.* Hanneken. *Irenico contra Heinric. p. 714.*

p. 714. sqq. Kromaier. *Theol. positivo-polem. art. 18. th. 12. p. 1050.* Colligamus autem jam cum Masenio: Ecclesia, qvæ est una, sancta, Catholica, & Apostolica, est vera Ecclesia. Nostra autem talis est. Ergo. Ac rursum: Ecclesia, qvæ non est una, vera non est. Qvæ non est Catholica &c. Item: Ecclesia, in qvâ non prædicatur sincerè verbum DEI, sed corruptè in rebus fidei, non est vera. De Romanâ verò subsumendum esse, *judicatu facile atq; obviam rudibus qvoq; esse poterit*, si ad obrussam revelatæ in verbo veritatis rem sint expensuri. Mirum verò (4.) à Masenio hoc judicium rudibus qvoqve idiotis & agrestibus qvibusvis relinqvi. Qvam inutilis ergò opera erat, declamare tantâ contentione de orthodoxia Romanæ Ecclesiæ, ejusq; corradere characteras undiqve, si jam cuilibet simplici, idiotæ agrestiqve homini judicatu hoc facile atq; obvium erat? Aut qvomodo discernere potest homo simplex, ubi prædicetur verbum DEI corruptè, ubi sincerè, cui omni probatione sinceritatis, ipsoq; Lydio lapide Scripturæ interdicitur, solus relinqvitur assentiendi stupor?

Hæreticorum notæ in nos, an Pontificios competant?

Seqvamur verò Masenium, & qvid pro orthodoxiâ Ecclesiæ suæ afferat, excutiamus. Triplicem, ut dixi, rationem ingreditur. Cùm primum esset, arbitrari, cuinam Ecclesiæ hactenus enumeratæ notæ competerent, ipse ex hæreticorum notis judicium

qvas Masenius petit

dicium fieri de verâ Ecclesiâ ante omnia cupit. *Hæretici*, ait, *sua semet origine factisq́; produnt. Origine qvidem, qvia monente Christo*, non intrant per ostium in ovile *Christi, h. e. via communi à majoribus strata*; sed aliunde, ut fures & latrones, *vastantes* Ecclesiam. *Factis verò manifestantur, qvando* ex fructibus eorum cognoscimus eos. Nam mala arbor malos fructûs facit. Matth. VII. *D. Petrus sic illorum mores describit II.* Ep *II, 10:* post carnem in concupiscentiâ immunditiæ ambulant, dominationemq́; contemnunt: audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere blasphemantes. *V. 19:* Libertatem aliis promittentes, cùm ipsi sint servi corruptionis. *Tum erit investigare, in qvibus hæc præ aliis manifestè emineant. Qva via ante seculum Romani Pontifices aliiq́; ejus* Ecclesiæ *Doctores, qva Lutherus, Calvinus aliiq́; ingressi sint? qvis viâ majorum abstiterit, virginum castitatem spreverit, dominationem ecclesiasticam civilemq́; contemserit, libertatem promiserit, sectas introduxerit, & scissâ in partes* DEI *Ecclesiâ, à catholicâ & universali secesserit? Hæc enim opinor, tàm clara cuivis prudenti ac ratione prædito sunt, ut volens cæcutiat, qvisqvis se negat intelligere.* Volens enimverò cæcutiat, qvisqvis se negat intelligere tum ex origine, tum fructibus hæreticæ pravitatis, in Pontificium cœtum utrumq́; competere. *Originem*

(1.) è Job. X, 1.

non ingredientes per ostiũ.

si

si spectes; qværo te, qvinam sunt illi, *qvi per ostium non intrant in ovile*, Joh. X, 1. Nonne hi, qvi viam à majoribus stratam cum Pharisæis jactant, qvibus id non immeritò hodieq; exprobret Salvator: *In vanum me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omisso præcepto* DEI *tenetis constitutionem hominum, ablutiones urceorum & poculorum* (sanctorum invocationes, consecrationes candelarum &c.) *aliaq; similia his facitis multa: bene rejicitis præceptum* DEI, *ut* παράδοσιν *vestram* (traditionem à majoribus acceptam) *servetis*. *Marc. VII, 6. sqq. Matth XV, 2. sqq.* Expende, Lector, annon à januâ aberret, & aliunde ascendat in ovile, *qvi viam communem à majoribus stratam seqvi* cum Masenio docet. Solus Christus sese ostium esse sanctissimo juramento confirmat, v. 7. Ipse *veritas*, *VIA & vita*, Joh. XIV, 6. neqve alibi, qvàm in Scripturis inqviri vult, *Joh. V, 39. Psalm. XL, 8. Act. X, 43. &c.* Per hoc ostium qvi non ingreditur, sed aliunde ascendit, fur est & latro. Jam Masenius cum suis per hoc ostium non ingreditur, sed aliunde ascendit, viâ scil. communi à majoribus stratâ. Viderit proinde, in qvem furis ac latronis appellatio, nobis per injuriam ab ipso imposita, competat. Enimverò si per Christum tanqvam januam introire dicuntur pastores illi, qvi nec in circumcisione, nec ullo legali opere

glori-

gloriantur, sed unicè in cruce Domini Jesu Christi, *Gal.VI*,14. qvi nullum ponunt fundamentum aliud, præter Jesum Christum, 1.*Cor.III*,11. qvi in nullo alio nomine salutem qværunt, qvàm in nomine Domini nostri J. C. *Act.IV*,12. cuilibet manifestum est, aliunde per Mariam, Franciscum aut alios Sanctos ascendere, qvi per eorum intercessiones & merita, aut propriam etiam sanctitatem ducere se in cœlos jactant, reverà præcipitant ad inferos deceptas oviculas; fures ac latrones animarum. Jam si *facta* consideremus, eq; fructibus æstimemus arborem, declaratum jam suprà ad p. 47. est, ubi eadem objectabat Masenius, sic comparatam Pontificiorum doctrinam esse, ut non possint non pessimæ vitæ fructûs inde propullulare, qvod factum etiam reverà, multi è Pontificiis ipsis fatentur, ut ibidem indicavimus. Et facilè qvidem permittemus bono cuilibet judicium, in qvam Ecclesiam magis competat illa è *II.Pet.II*,10.19. hæreticorum descriptio. (1.) An Lutherus, an Romani Pontifices rasiq; fratres post carnem in *concupiscentia immunditiæ ambulent*, intelliget, qvi autores evolvet, qvos hanc in rem *ad Consid. 6. punctum 2. sub fin.* citavimus. Leget de Julio III, Sixto IV. Leone X. & Cardinalibus non paucis, & maximâ cleri Romani parte ea, qvæ salvo pudore vix cogitantur. Qvòd si Johanni Barclajo, Pontificio

V. suprà p. 101.117.

(1) è *II. Pet. II*, 10. 19. *ambulantes in immunditia concupiscentiæ:*

tificio homini fidem habemus, non fuerint dexteriores infandarum libidinum magistri Jesuitis, qvamq; aliàs laudem affectant & veluti monopolium bonæ felicisqve institutionis, meritissimo suo in impuritatibus istis instillandis auferent. Vid. ejus *Satyr. L.V.p.454.458.* Qvod verò hominum genus (2.) *dominationem Civilem & Ecclesiasticam magis contemnere* censendum est, qvàm ii, qvi non modò super omnes in orbe Christiano Doctores eò usq; se efferunt, ut sibi hoc tanqvam fonti & causæ influenti debere cæteros Doctores jactent, qvòd & Christiani & Sacerdotes sint; (Hulsem. *breu.c.22. §.17.*) sed universim super omne Numen se extollunt, *II. Thess.II,4.* eamqve sibi potestatem arrogant, qvâ principes ac reges ipsosqve Imperatores, si dicto audientes non sint, dejiciant de solio, omniqve exuant potestate, qvin flagris excipiant etiam, & ceu mancipiis ad vilissimas operas abutantur. Lege Corn. à Lap. *in Matth.IV.17.p* 111. Baron. *A.1082.n.31.* & *ad A.1191.n.10.* Laur. Bank. *de tyrannide Papæ c.18.p.464.sqq.* & qvæ ex sangvinaria Pauli IV. Bullâ Hulsem. repetit *Breviar.c.XXII.§.15. Anti-Hager.p.595.sqq.* Nihil addo de exemtione è potestate Magistratûs, qvam contra jus omne, & manifestum Apostoli mandatum *Rom. XIII, 1.* omnem animam potestatibus supereminentibus subjectam esse jubentis, ejusdemqve

contemtores dominationû.

exem-

exemplum à Cæsare; judicari volentis *Act. XXV*, *11.* Clerus Papalis affectat, dum vel minimus ex ordine sacro tonsuræ privilegio politici magistratûs auctoritatem aspernatur; qvam extremæ corruptionis causam extitisse universa Germania in centum gravaminibus A. 1522. exhibitis censet *art. 31.* (Lege, si lubet, Meisn. *P. 3. philos. Sobr. S. 2. c. 3. q. 1. p. 993. sqq.* Gerh. *L. de Magistr. §. 440. sqq.* Dreier. *Disp. anti-Pap. XXIII. & XXIV.*) Omitto item cavillationes atq; injurias alias, qvibus gloriosum magistratûs ordinem afficiunt, qvas ordine B. Meisnerus *præfat. dedic. P. III. Philos. Sobr.* percensuit. Alia apud nos omnia, & verè gloriari qvondam poterat Lutherus noster in apologiâ ad Georg. Sax. ducem scriptâ, *T. VI. J. G. f. 6.* si nullâ re aliâ Magistratuum affectum demereri potuerit, certè qvòd illorum officium à contemtu & injuriis Papistarum vindicaverit, laude dignum esse. Provocamus præterea ad omnia nostratium de hoc argumento scripta, & vel ex uno contemtum dominationum demonstrari nobis petimus: qvos ipsa fidei nostræ Confessio August. *art. 16.* ab istâ calumniâ absolvit. Viderit interim Masenius, qvi Papalem tyrannidem, Cleriq; sui infrunitam licentiam, qvam fortè dominationis Ecclesiasticæ nomine significatam voluit, contra primum, qvem credunt Pontificii, Rom. Episcopum tueatur,

qvi

qvi ſic paſcere gregem Chriſti jubebat Clericos omnes, ut non dominium exercerent adverſus Clerum, ſed ut eſſent exemplaria gregis, 1. *Pet. V*, 3. (3.) *Audaces ſibiq; placentes* eos dixeris non immeritò, qvi ſic admirantur placita ſua, ut Scripturis S. non exæqvare modò, ſed anteferre etiam audeant, & non obſtante, e. g. qvòd Chriſtus Cœnam inſtituerit ſub utraq; ſpecie, & Eccleſia primitiva uſurpaverit ſub utraq; ſpecie, contrarium tamen ſanciant, prout in *Seſſ. XIII. Concil. Conſtantienſis* factum. (Oſiander *Cent. XV. L.* 1 *c.* 9. *p.* 461.) Dum verò (4.) Doctores noſtros *libertatem promiſiſſe, ſectas introduxiſſe blaſphemantes, & ſciſſâ in partes DEI Eccleſiâ à Catholicâ & univerſali ſeceſſiſſe ait*, calumniatoris partes ſtrenuè obit. Eqvidem DEI prædicamus bonitatem, qvi è ſervitute Babylonicâ, in qvâ captivati eramus per *Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*, Col. II, 8. eduxit animas noſtras; *inq; eâ libertate, in qvam per Chriſtum ſumus aſſerti, ſtamus, caventes, ne aut iterum jugo ſervitutis implicemur, aut libertatem in occaſionem carnis demus*, Gal. V, 1 13. Seqvimur monitum Apoſtoli: *Pretio emti eſtis: nolite fieri ſervi hominum*, 1. Cor. VII, 23. *Vivimus qvaſi liberi, & non qvaſi velamen habentes malitiæ, ſed ſicut ſervi DEI*, 1. Pet. II, 16. Cæterùm (*a.*)

audaces ſibiq; placentes:

libertatem promittentes:

libertatem seu licentiam talem, qvalem Petrus loco à Masenio cit. *II. Ep. II, 19.* indicat, & *vers. 18.* descripserat, *qvâ inescantur homines voluptatibus carnis*, promitti à nostræ fidei Reformatoribus, falsum est. Et sentiendi & vivendi libertatem ad verbum DEI alligamus, neqve illam hominum arbitrio, neq; hanc cupiditatibus carnis cum Pontificiis vendimus. Falsum*(β)* est, sectas per nos introduci, qvod in Pontificiâ Ecclesiâ fieri, ex antè dictis de unitate Ecclesiæ constat. Nunc Erasmum suum Papistæ audiant. *Si Divus Paulus ita stomachatur adversus Corinthios, qvòd ab his mutuarentur cognomina, à qvibus baptismum acceperant & Christi mysteriis primùm erant initiati, qvid diceret de nostræ tempestatis factionibus, qvâ mille cognomentis, mille cultibus, ceremoniis, regulis inter se dissident, qvi vocantur religiosi? Qvibus ex rebus qvantum Christianæ concordiæ nascatur inter hos, non libet commemorare.* Sic ille *Annot. in I. Cor. III. p. 445.* Et *in Matth. XXIV. p. 96. Cavendum est, ne ad nos qvoq; pertineant (verba illa :* Ecce hic Christus,*) qvi nobis orthodoxi videmur. Audimus monachos passim clamantes ; (de superstitiosis loqvor, non de piis) Ecce Christus hic est, nec hos tamen inter se consentire. Observantes dicunt, apud Coletas & Conventuales non est Christus, sed hîc est. Jacobitæ clamant, hic est Christus, apud Augustinienses non est.*

Sectas introducentes:

Rursus Benedictini clamant, hic est Christus, non apud mendicantes. Deniq; clamat hoc genus omne, hic est Christus. Sed qvid ait ipse Christus? Nolite credere. Falsum (γ) blasphemiæ nos ullius argui posse. Qvi alterum incusat criminis per mendacium, ipse reus ejusdem meritò habetur. His blasphemantes sectas tribuas, qvi DEO soli debitum honorem creaturis communem faciunt, tantum detrahentes illi, qvantum his addunt: DEI sapientiam, misericordiam, justitiam, veritatem ratione non unâ labefactant, verbum illius nomine nasi cerei, regulæq; Lesbiæ, & aliis id genus scommatis suggillant, nec plus fidei illi, si Romanæ desit Ecclesiæ suffragium, qvàm Æsopi fabellis aut Alcorano se tribuere profitentur: officium Christi mediatorium, qvod sibi solus vendicat, non daturus gloriam suam alteri, *Esa. LXIII, 3. I. Tim. II, 5. Act. IV, 12.* in Mariam Sanctosq; transferunt: nihil Christum inter & Franciscum discriminis, nisi qvod in tunicâ & cucullo consistat, relinqvunt cum Tursellino, cumq; Scribanio lac matris sangvini Filii præferunt, aut certè miscent: qvi DEum ipsum Sanctorum imperio subjiciunt; baptismo monachatum non exæqvant modò, sed præferunt, gloriæq; adeò DEI mille modis detrahunt. Vid. Gerh. *Disp. I. sqq. de Gloriâ DEI.* Danh. *Tom. I. Hodom. Pap. p. 1093. 1151. sqq.* & *Colleg. Decal.*

blasphemantes:

D.IV.§.4. Hulsem. *Disp.XVIII.c. Hager. q. 1. p.866 sqq.* & *Breviar. c. XII.* §. 18. *p.* 172. &c.

Schismatis autores:

Falsum (δ) nos *scissâ in partes DEI Ecclesiâ à Catholicâ & universali secesisse.* Secessio illa in partes iis haut dubiè debetur, qvi à pristinâ puritate pioqve universalisEcclesiæ sensu deficientes variis ad verbum DEI additamentis, superstitionibus variis,& idolomaniâ Ecclesiam infecerunt, qvod succesivè factum àPontificiis,Hunnius,Höpffnerus,Mornæus, Kromaierus, alii ex instituto ostenderunt. Et agnovit Georg. Cassander,gravissimus inter PontificiosDoctor,*Consultat.art.XIV.sub fin. p.* 85. sic scribens: *Accusandi sunt nostri, qvi inani titulo inflati,eoq; ad dominium abutentes hominibus non malis huic Ecclesiastico ordini detrahendi & ab eo deficiendi occasionem dederunt.* Et *art.VII.p.*47: *Non negarim multos initio pio studio ad acriorem reprehensionem multorum manifestorum abusuum impulsos fuisse,& præcipuam causam hujus calamitatis & distractionis Ecclesiæ illis asſignandam, qvi inani qvodam fastu Ecclesiasticæ potestatis inflati rectè & modestè admonentes superbè & fastidiosè contemserunt & repulerunt. Qvare nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto,nisi ab iis initium fiat,qvi distractionis causam dederunt.id est,ut ii,qvi Ecclesiasticæ gubernationi præsunt,de nimio rigore aliqvid remittant, & Ecclesiæ pacis aliqvid concedant,*

at

ac multorum piorum votis & monitis obseqventes, manifestos abusûs ad regulam divinarum literarum, & veteris Ecclesiæ, à qvâ deflexerunt, corrigant. Jam cùm corruptelarum istarum per omnia secula frustrà qværeretur emendatio, coacti fuerunt ingenui confessores, non à catholicâ, necà Romanâ qvidem respectu illorum capitum, qvæ illa adhuc secundum verbum DEI docet, sed à defectione saltem & erroribus in Ecclesiam Rom. introductis discedere. Qvæ separatio sanè non Schismatica est, sed pristinæ à verâ fide secessionis meta & ad Christum perfecta regressio, qvam Paulus olim reqvirebat: *obsecro, vos, fratres, ut observetis eos, qvi dissidia & scandala præter doctrinam, qvam vos didicistis, gignunt, & declinate ab illis*, Rom. XVI, 17. Et vox cœlestis Apoc. XVIII, 4: *Exite ex Babylone, populi mi, ne communicetis peccatis ipsorum.* Cæterùm à cœtu externo nec Lutherus, nec alii illius parastatæ seipsos separarunt, (qvod vel humillimæ Lutheri ad Albertum Moguntinum, Hieronymum Brandeburgensem, ipsumqve Leonem X. literæ doceant;) sed anathematismis & immani tyrannide fuerunt ejecti, ut cum Davide conqverendum illis fuerit hodieq; sit ex I Sam. XXVI, 19: *Qvam ob causam Dominus perseqvitur servum suum? Qvid feci, aut qvod est malum in manu meâ? Maledicti sunt filii hominum in conspectu Domini,*

qvi ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. Lege hic Höpffner. *Saxon. Evang. S.I.P.I.c.2.p.26.sqq.* Hulsem· *breviar. suppl.c. 17.th.* 11. Carpz. Löseschüssel *p. 89. sqq.* Gisb. Voet. *desper. causa Papatûs L.* III. *S. 3. p. 703. sqq.* Falsûm deniq; (*s*) qvod obiter miscet *de virginitatis contemtu.* Nec à Petro illa hæreticorum nota proposita, nec à Luthero spreta virginitas fuit. Impia sub opinione cultûs ac meriti suscepta & à qvibusdam ipsi etiam Baptismo exeqvata vel prælata castitatis vota (vid. Dn. L. Alberti Gegenerweisung p. 48.) meritò damnavit, vindicavit conjugium à Papistarum contumeliosis dicteriis, & horrenda Cleri Romani flagitia palliari fictæ virginitatis velo solita detexit. Virginitatem tantum abest ut contemserit, ut conjugio etiam ceu donum nobilius disertè prætulerit *Tom.* II. *Altenb. p.* 387. ceu Brochmando *Confut. apolog. Speculi Brandenb. p.* 2452. ostensum. Idem Gloriosi Majores nostri *Apol. Aug. Conf. p.* 243. profitentur: *Non æqvamus conjugio virginitatem. Sicut enim donum dono præstat: ita virginitas donum est præstantius conjugio* &c. Similia *p.* 249. legere est. Conf. Chemnitius, qvi & hanc ὑπεροχὴν virginitatis præ conjugio præclarè deduxit *P.* III. *Exam. C.T. tit. de cœlibatu & virginit. c.2.p.459. sqq.* & *P.* II. *LL. p. 491. sqq.* Et hanc qvoq; Lutheri accusa-

Virginitatis contemtores.

cusationem solidissimè non ita pridem confutavit Dn. D. Tenzel. *in Anti-Frommio p. 495. sqq.*

Jesuitica nota vera Ecclesiæ expenduntur: qvales sunt

Primum probationis Malenianæ caput vidimus. Seqvitur, ut alterum expendamus. Scilicet notas qvasdam veræ orthodoxæqve Ecclesiæ memorat, easqve in solam Romanam competere Lectori suo vult persvasum. Sed illæ sic comparatæ sunt omnes, ut vel pro notis perpetuis & adæqvatis haberi non possint, si à puritate doctrinæ separentur, vel de Ecclesiâ Romanâ non nisi falsò affirmentur, qvod à Gerhardo *L. de Ecclesiâ c. XI.* per plures sectiones, & *Conf. Cath. L. II. P. I. p. 1173. sqq.* Meisnero *de Eccl. S. V. c. 3. p. 829. sqq.* & aliis est ostensum. Inculcat (I.) *Splendorem & claritatem externam.* *Cum Augustino* (ita scribit *p. 69.*) *de orthodoxis cogor dicere ex S. literis*: in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum. *Hinc fit, ut Ecclesia vera neminem lateat. Unde est illud, qvod in Evangelio ipse dicit*: non potest Civitas abscondi super montem constituta. *Ideoq; connectitur in eodem Psalmo*: in Sole posuit tabernaculum suum, *id est, in manifestatione.* (Augustin. *contra lit. Petil. L. II. c. 32. T. VII. p. 108.*) Sed (1.) ab universalitate præconii Apostolici, omnes terræ angulos eaq; etiam loca, ubi nihil minùs,

(1.) Claritas externa.

Ps. XIX, 5.

nùs, qvàm vera Ecclesia est, pervagati (de qvo Psaltes *Ps.XIX*, 5. vi interpretationis Paulinæ *Rom.X*,18. loqvitur, ceu in præcedd. observat Augustinus) ad splendorem Ecclesiæ perpetuum minùs rectè colligitur.

Matth. V, 14. (2). *Matth. V*,14. Christus, si sensum scruteris literalem, non de Ecclesiâ, sed Apostolis loqvitur, qvos uti verbis præcedd. Soli ac luci comparaverat, sic jam eorum doctrinam vitamqve obviam omnium conspectui, esse debere testatur, ceu post Chrysost. & Theophylactum DD. Pontificii pleriqve, Burgensis, Barradius, Jansenius, Maldonatus, Tirinus, C. à Lap. (apud Gerh. *L. II. C. C.P.*I.*p. 1101.*) exponunt. Qvanqvam verò ad Ecclesiam per accommodationem Augustinus applicet, rectè tamen Gerhardus *L. de Eccl.* § 80 *extr.* observat, in disputatione contra Donatistas hoc fieri, qvi in unâ tantùm orbis parte remansisse Ecclesiam contendebant, qvos verò sibi ex freqventiâ & celebritate Ecclesiarum, qvæ tunc erant, convincendos censuit: unde perpetuus Ecclesiæ splendor malè colligitur.

Ps.XIX,5. (3.) Allegoria verborum *Ps.* XIX,5. *Soli posuit tabernaculum suum in cœlis*: qvam Donatistis similiter opponit Augustinus, ut ostendat, neqvaqvam in uno orbis angulo Ecclesiam includi, cùm multæ sint particulares per orbem conspicuæ, ex errore vulgatæ versionis, qvem Arias, Liranus, Tirinus, Vatablus, Sixtus

tus Sen. agnoſcunt, (Gerh. *C. C. t. 2. p. 1098.* Sixtin. Amama *Antibarb. p. 451.*) originem traxit, neqve tamen Pontificiis qvicqvam favet, ut poſt Whitaker. *Opp. f. 456.* Balduin. *Phoſph. Cath. p. 777. ſqq.* Grauer. *P. VI. in Aug. Conf. p. 231. ſqq.* aliosqve Venerandus Affinis & in Chriſto Parens noſter, D. Mart. Geierus, Reverendiſſ. ac Summus Eccleſiæ noſtræ Theologus, docuit *Comm. in Pſalmos T. I. p. 318.*

Inculcat (II.) Nomen Catholicum. *Unum* (pergit) *nomen Catholicum, veram cuiq; Eccleſiam oſtendit; qvod qvibus tribuatur, qviq; fruſtrà ambiant, cuivis apertiſſimum eſt.* Miſera verò collectio à nomine ad rem ipſam. Qvaſi non fuerint etiam, *qvi dicunt, ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ,* ut ait Sp. S. *Apoc.* II, *9.* & *c.* III, *1. 9: nomen habes, qvòd vivis, & mortua es.* Et ſi unum nomen catholicum veram cuiqve Eccleſiam oſtendit, qvid alias notas addi attinebat? Sanè verò ſic facile fuerit oſtendere, nec Apoſtolicam qvidem Eccleſiam, qvippe hac notâ deſtitutam, verám fuiſſe, qvando nondum auditum erat Catholici nomen, qvod circa Annum Chriſti CCCIV. demum exortum occaſione Schismatis Meletiani, Epiphanius *hær. 68. p. 322.* maximè verò ob hæreſin Arianam publicâ Gratiani, Valentiniani, Theodoſii

(2) Nomen Catholicum.

Ejus origo,

Impp. autoritate invaluisse, Sozom. *L.* VII. *c.4.* & Tripart. *L.IX.c.7.* docet. Unde epitheton hoc à primis Symboli Apostolici conditoribus usurpatum fuisse, non immeritò dubitatur. Vid. B. Parentis mei *Isag. in libb. Symb. p. 46.* Porrò si usurpatio hujus appellationis veram Ecclesiam designat, non fuerit dubitandum, qvin Donatistarum ipsorumqve Arianorum cœtus pro verâ olim Ecclesiâ haberi debuerit. De illis enim Augustinus *Epist.48. T.*II. *p. 177.* & *brevic. collat. cum Donat. collat. diei 3. cap.2.* T VII. *p 567. sqq.* de his Epiphan. *hær.37.* & ex eo Baron. *A.C.357.n.3.* refert, qvòd usurparint hoc nomen de cætibus suis, denegaverint autem orthodoxis. Sed enim, *cùm omnes hæreses se Catholicos dici velint, aliosq; præter se hæreticos nominent*, ut Augustinus loqvitur verbis ab ipsomet Jesuitâ productis: manifestum satis est, non è nomine, sed re conjunctâ nomini de veritate Ecclesiæ judicari oportere, ac meritò Pontificiis responderi à nobis, qvod olim à judice Donatistis apud Augustinum in *alleg. collat. diei 3*: *qvantò magis se catholicos dicunt, tantò magis causam suam agant, ut eo modo probare possint, se esse Catholicos.* Lege Gerh. *L. de Eccl. c.* XI. *sect.*I. *totâ*, §. 148. *sqq.* Et *tom.* II. *C.C.p.*1142. *sqq.* Neq; verò est, qvòd ab Augustino nobis hîc metuamus. Qvæ enim ex *c.7. de utilitate credendi* (T. VI. p.102.) repetit,

& affectata ab hæreticis possessio.

petit,

petit, sic comparata sunt, ut in Pontificios optimè convertantur. *Christianorum cùm sint hæreses plures, atq; omnes se Catholicos dici velint* (ut proinde è nomine Catholico nihil colligi posfit,) *aliosq; præter se hæreticos nominent*, (ut hodie Papistæ, qvibus nihil freqventius in ore, qvàm hæreseos nomine diffamare dissentientes,) *una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina* (Lutheranorū, Martinistarū, Qvintevangelicorū, Biblistarū &c.) *imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis qvæ negare non audent, appellentur*: ut cùm non modò Ecclesia ipsa à capite Papistica, à loco Romana appellatur, sed specialiores etiam appellationes monasticen professi admittunt à magistris sectarum suarum petitas. Nihil autem in his verbis, qvod orthodoxis objicias. Fatentur & illi unam Catholicam, h. e. universalem Ecclesiam per totum orbem diffusam, cujus membra & partes sunt omnes cœtûs, qvi vocem Pastoris sui Jesu Christi in Scripturis sonantem audiunt, & Sacramenta juxta ejusdem institutionem usurpant, ubicunqve terrarum degant. Huic Ecclesiæ, vel particularibus sub illâ contentis hæreses diversa nomina imposuerunt. Illud maximè, qvod jam per seculum & amplius nobis à Papistarum, (ut olim orthodoxis Athanasianorum, ab Arianorum) calumniis hæsit, qvod nos ut diacriticum qvidem & discretivum admittimus, sin à Luthero, ut

Nomen Lutheran.

novæ

Digitized by Google

novæ doctrinæ conditore deducatur, fiatq; adeò Schismaticum, seriò cum Luthero ipso (*T.II. J. G. f 81. & T. VII. W. G. f. 372.*) detestamur. Conf. Höpfn. *Sax. Evang. S. I. P. I. c.3. p. 48. sqq.* Gerh. *de Eccl. § 156 160. Tom II. Conf. Cath. p. 1151.* Selzer. Gegenbericht *p. 84. sqq.* Verbo: Impositum nobis ab hæresi (Augustini Stylo) hoc nomen est, non à nobis sumtum. Neqve plus præsidii in altero loco fuerit, qvem è *Lib. de verâ relig. c. 7. T.I. p. 706.* profert. *Tenenda est nobis Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, qvæ catholica est, & catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve ipsi qvoq; hæretici & Schismatum alumni, qvando non cum suis, sed cum extraneis loqvuntur, nihil aliud, qvàm Catholicam vocant.* Ubi (α.) non nudum nomen Catholicum pro infallibili Ecclesiæ notâ venditat Augustinus, qvod Jesuita volebat, sed de nomine, qvod rem conjunctam habet, disertè loqvitur, *illius tenendam Ecclesiæ communicationem* svadens, *qvæ Catholica est, & catholica nominatur.* Catholicam autem definiebant veteres, ἥ τις διδάσκει καθολικῶς, καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, *qvæ docet catholicè & perfectè omnia dogmata, qvæcunq; homines tenentur credere,* ut Cyrillus *catech. 18.* loqvitur. Æstimat proinde Hipponensis nomen Catholici ex doctrinâ,

Catholici definitio,

non

non versâ vice ex nomine doctrinam aut Ecclesiæ veritatem. Deinde (β) nec in primâ acie qvidem collocat hanc denominationem, sed postremo potiùs, & postqvam aliunde jam veritas doctrinæ Ecclesiæqve demonstrata jam est, ut ex tertio loco, qvem subjecit Masenius, mox intelligetur. Porrò autem (γ) eâ lege à nomine isto colligit, ut Catholica nominetur non solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Expendat jam, an ab omnibus inimicis Ecclesia Romana Catholica appelletur. Sanè ne Græci qvidem hoc permiserint, qvi sibi hoc nomen acriter vindicant, & cujus jam olim in sede Constantinopolitanâ Patriarchæ *Universalium & œcumenicorum* titulo honorabantur, ut ex *L.7. C. de Summâ Trinit.* item *novellâ* 3.5.7.16 42. constat. At nostri, dudum est, cùm demonstrarunt, qvocunqve demum sensu catholicum intelligas, sive qvalitativè, ut loqvuntur, & ratione dogmatum, sive qvantitativè & ratione locorum, temporum, personarum; Priori sensu non aliter competere in Pontificium cœtum hoc nomen, qvàm in stupratam virginis qvadrat appellatio; posteriori implicare contradictionem, Ecclesiam, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου ῥωμαίων, *qvæ in diœcesi Romanorum subsistit*, eoqve particularis est, (sic enim Ignatius olim Rom. Ecclesiam circumloqvebatur) universalem appellari. Vid.

Ea appellatio an Rom. Ecclesiæ ab omnibus concedatur?

Vid. Gerh. *L. de Eccl.* § *150.151.152.158.* Balduin. *Comm. in Rom.* I. *P.* I. *Q. 1. p. 18.* Kromai. *Theol. positivo-polem. p. 1050. sqq.* Alsted. *T. V. Panstrat. Contin. Chamieri L. 2 c. 21. 22.* inqve primis Hulsem. *Breviar. c.* XVII. *th. 23.* & *Anti-Hager. Disp.* VI. *q. 3 §. 3. sqq. p. 240. D.* XVII. §. 17. *p. 771.* & *Disp. XIX. per totam ferè.* Politica hujus tituli in Camerâ Imperii usurpatio, qvâ illa hodie non secus ac olim Hierosolyma, postqvam jam defecerat, Sanctæ nihilominus Civitatis nomine veniebat, *Esa.* I, 21. *Matth.* IV, 5. multò minùs nos convincet, veram esse Pontificiam Ecclesiam, qvàm Pontificii persvaderi sibi patientur, verum nos Evangelium prædicare, qvòd Evangelicorum titulus ibidem nobis tribuatur. Höpffn. *Sax. Ev. p. 188. sq.*

Augustini locus de characteribus veræ Ecclesiæ expensus.

Inculcat (III.) alium Augustini locum, qvo plures Ecclesiæ veræ notas, qvas Pontificii jactant, confirmari posse confidit. Est is c. 4. contra epist. Manich. T. VI. p. 117: *Multa sunt, qvæ in ejus (Ecclesiæ catholicæ) gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet autoritas miraculis incohoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio, tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, qvod non sine causâ inter multas hæreses ista Ecclesia*

ſia ſola obtinuit. Iſta igitur tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula rectè hominem tenent credentem in catholicâ Eccleſiâ. Scilicet hîc *populorum conſenſum*, *gloriam miraculorum*, *ſanctitatem vitæ*, *antiqvitatem*, *continuam ſacerdotum ſucceſſionem*, poſtremò & ipſum *Catholicæ nomen* notas veræ Eccleſiæ indicari cenſet Maſenius. Ideò enim ſubjicit p. 71: *Qvis non videat, tot ſigna veræ Eccleſiæ ab Auguſtino numerata hodiedum in ſolâ Romano-catholicâ Eccleſiâ reperiri, qvæ & univerſitatem orbis totius, & in fidei articulis conſenſionem, & miraculorum gloriam, & ſucceſſionem perpetuam ſola obtinet, eſtq; Scopus, in qvem omnium temporum locorumq; hæretici ſua tela collimarunt?* Ego verò valdè vereor, ut qvicqvam proRomanenſibus hîc faciat Auguſtinus. Namqve ut omittam (1.) de Eccleſiâ Catholicâ disertè loqvi B. Patrem (non magis autem de Romanâ, qvàm aliâ qvavis:) hoc qvidem (2) certum eſt, non de *infallibilibus* τεκμηρίοις, qvibus convincitur animus hominis, ut fide divinâ credat, hunc cœtum ad Eccleſiam catholicam pertinere; ſed de *probabilibus* σημείοις, qvibus convictus de Eccleſiæ veritate animus ulteriùs confirmatur, ſermonem eſſe Auguſtino. Illa enim ſi inqviras ex eo, doctrinam cum Scripturis conſonam memorabit. *Sunt certè libri dominici, qvorum autoritati utriq; conſentimus, utriq; credimus, utriq;*

utriq; servimus. Ibi qværamus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram, scribit *lib. de unit. Ecclesiæ c. 3. T. VII. p. 513.* Ubi & post pauca: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari. - - Si autem Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum divinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, qvicqvid attulerint, & undecunq; recitaverint, qvi dicunt: Ecce hic Christus, ecce illic: audiamus potiùs, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri dicentis: nolite credere. Illæ qvippe singulæ in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur; hæc autem, qvæ ubiq; est, etiam ubi illæ sunt, invenitur. Ergò in Scripturis sanctis canonicis eam reqviramus.* Similia plura passim isto libro inculcat: è qvibus nos illa saltem *cap. 16. p. 546.* repetimus: *Non dicimus propterea nobis credere oportere, qvòd in Ecclesiâ Christi*
NB NB. *sumus, qvia ipsam, qvam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut qvia nostrorum collegarum conciliis prædicata est, aut qvia per totum orbem in locis Sanctis, qvæ freqventat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt. - Qvæcunq; talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, qvia in Catholicâ fiunt: non ideò ipsa manifestatur catholica, qvia hæc in eâ fiunt.* Finge verò (3.) pro notis genuinis & adæqvatis Ecclesiæ

clesiæ ista omnia habuisse Augustinum, sin ge ad Romanam Ecclesiam applicuisse; nulla tamen fuerit ab Ecclesiâ Romanâ, qvalis tum erat, ad hodiernam conseqventia. Qvantum enim intereſt inter Ecclesiam puram & extremè corruptam: tantum inter Romanam, qvalis Augustino vivente erat, & hodiernam. Ut si qvid eximium & honorificum de suâ Ecclesiâ Augustinus aliiqve Patres dixerint, id ad nostram potiùs doctrinæ consangvinitate illi conjunctam, qvàm ad Romanensem hodiernam pertineat. Tenebat illa sanè ea dogmata, in qvibus verè fideles per orbem universum habebat consentientes, plantata miraculis fuerat, poterat ad ea usqve tempora ostendi successio sacerdotum, (qvanqvam variantibus ipsâ hac de re ejus temporis scriptoribꝰ. Vid. Nic. Hunn. *Pelle Ovinâ* §. 647. *sqq. & pecul. tabulâ*, qvâ ad calcem istius libri intricatissimam Pontificum successionem ex collatione Historicorum ostendit. Gerh. *L: de Eccl.* §.197. & *Tom. II. Conf. Cath. p. 617. sqq.*) nomen deniq; catholicum observantiâ catholicæ fidei ac doctrinæ tueri poterat. Hodie diversa omnia, qvando & fideles è Babylone detectis illius abominationibus exierunt, & miraculis, qvibus ad primam Ecclesiam adducebantur gentiles, successerunt mendacia prodigia & signa iniqvi illius, de qvo Paulus vaticinatur *II. Thess. II, 8.* & suc-

D[...] & inter Ecclesiam Rom. [...] terem & novam.

P cessio

cessio Pontificum sæpiùs interrupta per diuturnam vacationem, per Schismata Anti-Paparum, per illegitimam occupationem, hæreticamqve multorum Pontificum defectionem à fide: (Lege hîc qvoq;Gerh.*ll.cc.*& Hunn.*l.c.*§ *603 sqq.*)ut taceā de æternâ maculâ, qvam Johannæ Papissæ nefarius partus Ecclesiæ Papali inussit, nullis alastorum Romanensium undis lustralibus eluendam, cuj9 testes tantùm non innumeros ex ipsis Pontificiis Joh. Wolff. *Lect. memor. Cent. 9. p. 224. sq.* & Gerh. *de Ecclesiâ* §. 197. & *C.C. t. 2. p. 629. sqq.* produxit: Conf. Danh. *antichristos. p. 904. sqq.* Dorsch. *P. II. Vindic. Exodi Disp. 5.* § 4. *p* 80. Calixt. *de Conjug. Cler. p. 338 sqq.* Muller. *dedic. antiJansen* Voet. *tom. V. dispp. select. p 445. sqq.* Mornæ. *in Historiâ Papatûs p. 152. sqq.* Willet. *de antichr. p. 164. sqq.* Deckerus & Maresius *pecul. scriptis*, &c. Deniqve & nomen Catholicum decoxit, postqvam ad hæreticas opiniones à catholicâ doctrinâ defecit, & post distractionem imperii nomen Catholicum sensu Augustiniano acceptum expirare penitus necesse fuit, ceu eruditè Casaubonus *Ep.* DCCX. (qvam nomine Regis Angliæ ad Card. Perronium scripsit) *p.* 907. & Henr. Höpffner. *Sax. Evang. S. II. P.I. c. 1. p. 181. sqq.* declaravit. Scilicet (4.) si ab omni Ecclesiæ ætate præscindas, neqve præsupponas doctrinæ veritatem ceu infallibilem veræ Ecclesiæ notam: omnia ista sic comparata sunt, ut neqve pro notis propriis & ad-

& adæqvatis veræ Ecclesiæ haberi posſint, neqve in Rom. Ecclesiâ reperiantur, & postremò si rationem probè ſubducas, noſtræ potiùs, qvàm Pontificiæ Ecclesiæ conveniant. Qvod postremum tamen non urgebimus magnopere, qvi nolumus ſignis iſtis veritatem Ecclesiæ metiri. *Primò* enim ſi ex *conſenſu populorum* & gentium veritatem Ecclesiæ æſtimare debeat homo Christianus, eò deducetur, ut Arianam, Muhammedanam, atheiſticam hominum farraginem pro verâ Ecclesiâ habeat. Nemo enim neſcit, miratum olim totum orbem fuiſſe, ſe Arianum factum, ut antè ex Hieronymo diximus, hodieqve Mahometiſmum toto ferè Oriente latè dominari, atheiſmum verò omnes proh dolor! terras & nationes hodie pervagari. Qvis ante diluvium Cainicum cœtum, qvis in Iſraelitico regno Baaliticæ impietatis defenſores, qvis Chriſti in terris obambulantis ætate Judaicam Synagogam hoſtiliter ſeſe Chriſto opponentem multò latiùs fimbrias ſuas extendiſſe neget, qvàm veritatis orthodoxæ confeſſores? *Qvænam, precor, utilitas eſt,* (ita olim Chryſoſt. *hom. XL. ad popul. Antioch.*) *multum eſſe fœnum potiùs, qvàm paucos lapides pretioſos? Non in numeri multitudine, ſed in virtutis probitate multitudo conſiſtit. Elias unus erat, ſed totus mundus non erat dignus, qvi rependeretur ipſi.*

(3) *Conſenſus populorũ omnium: qvi nec nota eſt veræ Eccleſiæ,*

Itaqve tantum abest, ut ex multitudine censeri Ecclesiam suam voluerit Dominus, ut *pusillum* potiùs *gregem* prædixerit fore, *cui Pater regnum destinavit, Luc. XII, 32.* & *populum pauperem atq; egenum, qvi sperabit in nomen Domini, Zephan. III, 12.* (Conf. *Esa. I, 8. 9. VI, 13.*) multitudinem verò non credentibus, sed pseudoprophetis tribuerit *Matth. XXIV, 11: multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* Conf. *II. Pet. II, 2.* Unde & Hieronymus olim Critobuli pelagiani consensum plurimorum jactantis argumentum invertebat *L. III. contra Pelag. p. 310: multitudo*, ajebat, *sociorum neqvaqvam te catholicum, sed hæreticum esse monstrabit.* Et sanè inter Antichristi notas à Johanne recensetur illa totius propè orbis fascinatio: *admirata est tota terra bestiam, & adoraverunt eam omnes, qvi inhabitaverunt terram* Apoc. XIII, 8. 14. XVII, 1. 2. 15. *Qvis igitur sanâ mente præditus non malit in paucorum esse numero per angustam portam ingredientium ad salutem, qvàm associari multis illis per latam ad interitum ruentibus?* qværebat Athanasius in disceptatione, qvam his opposuit, qvi in veritate dijudicandâ solius judicio multitudinis feruntur, *T. II p. 247.* Et ipse Augustinus exprobret Masenio vanam istam gloriationem Enarrat. in Psalm. XXXIX T. VIII. p. 348: *Si justus es, noli numerare, sed appende; stateram affer æqvam, non dolosam, qvia justus*

justus appellatus es. - - Vide contra pauca grana qvantam paleam leves. Sunto ergò per nos leves paleæ longè lateqve circumvolitantes, Pontificii, nos purum triticum. Qvanqvam verò non negemus, qvò pestilentius malum illud Pontificiæ superstitionis ac tyrannidis est, eò latiùs grassatum fuisse, & magnam corporis mystici partem gangrænæ instar (*II.Tim.II*,17.) occupasse, penitus tamen frontem perfricuisse Masenium necesse est, dum *universitatem orbis totius* jactat. Faciat cui volupe est, periculum, & vel ea expendat terrarum loca, per qvæ regnum Christi dilatatum Philippus Nicolai ostendit *L.I. de regno Christi, c. I.* & deprehendet procul dubio, ne dimidiam qvidem partem orbis potestati Pontificis Romani subditam esse, aut illius agnoscere in rebus fidei dictamen. Aut enim de Papâ nihil inaudiverunt, & homo an monstrum sit, parum pensi habent, ut Ecclesiæ complures in Asiâ, Ciliciâ, Armeniâ, Palæstinâ, Persiâ, Tartariâ & insulis orientalibus, in Africâ item, Tauricâ Chersonensi, Ægypto, Æthiopiâ: aut Rom. Pontificis tyrannidi acriter resistunt, ut Græcæ Ecclesiæ; aut jugo pressæ Papalis tyrannidis, Papales tamen errores modis omnibus rejiciunt, ut Waldenses olim aliiqve martyres, aut jugum deniqve hoc planè excusserunt, ut plurimæ per Germaniam, Hungariam, Poloniam, Galliam, Helvetiam provinciæ,

nec Rom. Ecclesiæ competit;

Sed Bellarm. judicio, nostra potius.

ciæ, integra item Daniæ, Norvagiæ, Sveciæ, Britanniæ regna, confœderatæ provinciæ Belgii &c. V. Gerh. *de Eccl.* §.185.186. Certè qvidem Bellarminus hujusmodi amplitudinem nostræ doctrinæ agnoscit, dum T. I. Controv. præfat. *neminem ignorare* ait, *pestem Lutheranam in Saxonia paulò antè exortam mox Germaniam penè totam occupasse, inde ad Aqvilonem & Orientem profectam, Daniam, Norvvegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse; tum ad occidentem & meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima qvondam regna brevi tempore populatam: ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usq; penetrasse:* imò *ad Græcos, ad Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausam* Orat. T.IV. Controv. præfixâ affirmat. Eqvidem non jactamus nos illam amplitudinem. *Non enim stare sine assertoribus non potest religio*, (nostra) *aut eo esse comprobabitur vera, si astipulatores habuerit plurimos, & auctoritatem ab hominibus sumserit. Suis illa contenta est viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur, nec spoliatur vi suâ, etiamsi nullum habeat vindicem, imò si lingvæ omnes contrà faciant, contraq; nitantur, & ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent*, ut Arnobius *contra gentes* L. III. p. 122. disputabat. Viderit tamen Masenius, qvi universitatem orbis totius jactet.

Certè

Certè qvidem tot regna, & provincias Pontificem Romanum per o‍las orbe non excluder.

Secundò MIRACULA Augustinus à præsente Ecclesiâ nusqvam reqvisivit. Eo certè loco, qvem è *c.4. contra epist. fundam.* adduxit, apertè de miraculis Ecclesiæ primitivæ loqvitur, dum Ecclesiæ autoritatem *miraculis inchoatam* ait. Et solet ita alibi qvoqve disputare B. antistes, necessaria fortassis miracula fuisse, cùm primum ad fidem perducendi homines essent, (1. *Cor. XIV. 22.*) hodie verò planè cessavisse. *Possem* (inqvit *XXII. C. D. 8. init.*) *dicere, necessaria fuisse priusqvam crederet mundus ad hoc, ut crederet mundus. Qvisqvis adhuc prodigia, ut credat, inqvirit, magnum est ipse prodigium, qvi mundo credente non credit.* Eadem, sed copiosiùs diducta *lib. de utilit. cred. c. 16.* & *de verâ relig. c. 25.* ubi inter alia notanter: *miracula in nostra tempora durare non permissi sunt, ne anima semper visibilia qværeret, & eorum consvetudine frigesceret genus humanum, qvorum novitate flagravit. T. I p. 718.* Ubi verò contra Donatistas, qvi cum Judæis signa qværebant (*1. Cor. I. 22.*) *mirabiliarii* ideò ab eo *tract. XIII in Joh.* dicti, disputat, apertè negat ex miraculis, ceu notâ veram Ecclesiam dignosci debere. Verba jam suprà ascripsimus, è c. 16. de unit. Ecclesiæ. Nunc indidé ea reperimus, qvæ planè nostrorum ficiorũ miracula qvadrant: *Removeantur*, ait, *ista*

(4.) *Miracula. Hu qvanrum tribuendum. Augustinus*

vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, qvæ dicuntur, (qvalia Pontificiorum miracula pleraqve esse M. Canus *L. XI. LL. c.6.* fatetur:) *aut si hæreticorum aliqva mira facta sunt, magis cavere debemus, qvòd cùm dixisset Dominus, qvosdam futuros esse fallaces, qvi nonnulla signa faciendo etiam electos si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans, & ait: ecce prædixi vobis.* p.544. T.VII. Qvæ verba cùm Andradius *L.II. defens.fid.Trid p.44.* protulisset, concludit tandem: *falsa profectò sunt hæc* (miracula stupendaqve prodigia) *plerunq;, infirma etiam semper Ecclesiæ veræ indicia*: Non dubitamus proinde Pontificios iisdem verbis, qvibus Augustinus Manichæos, alloqvi è L. XIII. c. Faustum c.5.T.VI.p.282: *Miracula non facitis. Qvæ si faceretis etiam, in vobis caveremus perinstruentem nos Dominum, & dicentem: exurgent multi pseudo-christi & pseudoprophetæ, & facient signa & prodigia multa, ut fallant, si fieri potest, etiam electos: Ecce prædixi vobis. Usq; adeò nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum autoritatem, qvæ fidem suam in rebus ipsis probat.* Patet nimirum hoc egisse omni studio B. Patrem, ut ostenderet (1.) non ad suam, multò minùs præsentem, sed ad primam Ecclesiæ in N.T. ætatem miracula pertinere, qvando adhuc serperastris, (qvæ C. Mussi similitudo est,) ducenda

da erat Ecclesia-infans, qvæ adultæ obsunt potiùs, qvàm prosunt. (2.) Periculosissimum esse, veram Ecclesiam ex iis signis æstimare velle, qvæ etiam in gentilibus, etiam in pseudo-prophetis, etiam in ipso antichristo comparent. De gentilium miraculis ex Valerio Max. *L. I. c.8.* Tacito *Hist. IV, 8.* Livio *L. VII. Hist. Rom.* Spartiano *Hadr. c.25.* Vitâ Apollonii Thyanæi, Augustino *L. X. de C. D. c.16 & ibi Job. Lud. Vive*, Elmenhorst. *observ. ad Arnob. p.120. 121.* & aliis constat. De Pseudoprophetis extant in Sacris exempla *Exod. VII. Luc XI, 19. II. Tim. III, 8.* extat divinum monitum Devt XIII,1: *Cùm surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum, & venerit signum & portentum, qvod locutus est ad te dicendo: eamus post deos alienos: non audies verba prophetæ illius, qvia tentat vos Dominus DEus vester*: Extat Christi prædictio *Matth. VII, 22.* & *XXIV, 24.* De magno verò illo antichristo Romano Paulus & Johannes prædicit, *fore illius adventum secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniqvitatis*, II. Thess. II, 9. *bestiam illam magnam septem capitum facturam signa magna in conspectu hominum, & seducturam habitantes in terrâ propter signa, Ap. XIII, 13.* Unde & Josephus Acosta Jesuita *L. II. de temp. noviss.*

& Scripturæ ipsis judicio?

c. 18. & 19. agnoſcit, antichriſti characterem ſigna & prodigia fore. Cujus *Libro 3. c. 3. p. 78.* digna eſt confesſio, qvæ hîc legatur: *Omnibus miraculis antichriſti*, ait, *qvamvis multa, qvamvis magna ille præbeat, intrepida opponet Eccleſia fidem Scripturarum: atq; hujus veritatis teſtimonio inexpugnabili omnes illius præſtigias tanqvam nebulas clariſſimâ luce disjiciet.* Et poſt pauca: *Signa qvidem infidelibus data ſunt, Scripturæ fidelibus. Idcircò primæva Eccleſia miraculis abundavit, cùm eſſent infideles vocandi: at ultima Eccleſia, cùm fideles jam vocati ſint, plus Scripturâ, qvàm miraculis nititur. Qvin etiam audacter dixerim, miracula omnia vana eſſe & inania, niſi Scripturâ approbentur, h. e. doctrinam habeant Scripturæ conformem: Scriptura verò ipſa per ſe invictisſimum veritatis argumentum eſt.* Sic ergò non veræ & Chriſtianæ ſed antichriſtianæ Eccleſiæ notis ſeſe jactitant Pontificii. Sed dudum hæc lis perorata eſt à B. Dannhauero noſtro, cùm Mirabiliario Moguntino capiſtrum injecit exqviſitis ſuper hoc argumento ſcriptis, cum qvibus D. Gerhard. L. *de Eccleſiâ §. 271. 286.* Hunnius *pelle ovinâ §. 781. ſqq.* Höpffn. *Sax. Evang. S. I. P. I. c. 6. p. 61. ſqq.* Dorſch. Religions-Scrup. X. & XIV. & in *vindic. anti-Bellarm. in Exod. P. II. Diſp. I. totâ*, Lyſer. *Harm. Evang. c. 59. p. 1046. ſqq.* River. *C. O. tr. 2. q. 7. §. 31. ſq.* Dn. D. Niemann. *diſp. inaugur.*

de

Google

de miraculis, an ex iis veritas doctrinæ Pontificiæ probari possit, pluresq; alii conferantur. *Tertiò* de *spe & charitate* Rom. Ecclesiæ, Hunn. *pell. ovin.* §.738.*sqq.* legatur; de nomine verò Catholico nolumus τὸ πεπραχθὲν πράττειν. *Quartò vetustatem*, intelligit Augustinus primam & veram, cumqve doctrinæ cœlestis sinceritate conjunctam, non mentitam & post primam ortam, qualis Judæorum erat, qvibus ad antiqvitatem provocantibus respondebat Salvator: *olim non erat sic*, Matth. XIX, 3. 4. De tali enim si loqvatur Masenius (ut solent Pontificii, qvibus semper in ore contra veritatis Doctores sunt illa Judæorum & Atheniensium: *qvænam hæc nova doctrina?* Marc. I, 27. Act. XVII, 19.) audiat DEum ipsum: *In statutis patrum vestrorum nolite ambulare, & judicia illorum ne observetis, nec idolis illorum polluamini. Ego sum Jehova DEus vester: in præceptis meis ambulate, & judicia mea observate ac facite ea.* Ezech. XX, 18. 19. Audiat Augustinum suum, qvi Lib. de Qvæst. Vet. & N. T. CXIV. p. 830. T. IV: *Inventis, ait, aspersit qvædam prastigia Satanas, per qvæ illiceret homines ad morem. Et sic factum est, ut per traducem antiqvitatis commendaretur fallacia, & excusaretur turpis inventio.* Et ibidem p. 832: *Pagani antiqvitatis causâ verum se tenere contendunt: qvia qvod*

(5.) Spes & charitas.

(6.) Antiqvitas.

qvod anterius est, inqviunt, falsum esse non potest. *Qvasi antiqvitas aut vetus consvetudo præjudicet veritati.* *Possent enim homicidæ, aut molles, aut adulteri vel cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, qvia antiqva sunt, & ab ipso mundi initio cœpta.* Audiat hoc antiqviorem Cyprianum L.II.Ep.3.p.56: *Non debemus attendere, qvid aliqvis ante nos faciendum putaverit, sed qvid, qvi ante omnes est, Christus prior fecerit.* Audiat hujus præceptorem Tertullianum lib. de velandis virgin c.1. princip: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim ferè consvetudo initium ab aliqvâ ignorantiâ vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consvetudinem cognominavit. Si semper Christus & prior omnibus: æqvè veritas sempiterna & antiqva res. Viderint ergò qvibus novum est, qvod sibi vetus est.* *Hæreses non tam novitas, qvàm veritas revincit. Qvodcunqꝫ adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus* con-

consvetudo. Conf. Gerh. *de Eccl.* §. *162. sqq.* Höpffn. *Sax. Evang. p. 51. 213. sqq.* Hunn. *pell. ovin.* §. *265. sqq.* *Quartò* de *successione Episcoporum* paulò antè monitum. Affert eam Augustinus non ut firmum & apodicticum argumentum, aut propriam ac necessariam veræ Ecclesiæ notam, sed ut qvandam persvasionem ad alliciendos & præparandos Donatistarum, qvibuscum ipsi eo in loco negotium, animos. Addit enim disertè, *si doctrinæ modò veritatem ostendere adversarii possent, præponere se eam velle omnibus illis rebus, qvibus in catholicâ Ecclesiâ teneatur.* Unde & *libro sæpiùs cit. de unit. Eccl. c. 16.* contra eosdem disputans scribit, *se nolle Ecclesiam probare vel ex successione Episcoporum, vel ex auctoritate conciliorum, sed ex Scripturis canonicis.* Facerent hoc Pontificii, neqve nos multum de successione Episcoporum inter ipsos essemus litigaturi. Jam certum est, multò accuratiùs Synago-

(7.) Successio Episcoporum.

nagogam Judaicam ſacerdotes ſuos usqve ab Aarone deduxiſſe (Niceph. *II. H. E. 4.*) qvàm Romanam Eccleſiam à Petro ſuos Pontifices. Nec qvisqvam Jeſuitarum tamen tam, opinor, inſulſus fuerit, ut Judaicam Eccleſiam Apoſtolicæ præferat, qvæ nullam hujusmodi ſucceſſionem jactare poterat. Scilicet Ambroſio meritò *non creduntur habere hæreditatem Petri, qvi fidem Petri non habent* : (*L. I. de pœnit. c. 6. Tom. I, p. 156.*) *nec cathedra ſacerdotem facit, ſed ſacerdos cathedram*, Chryſoſtomo, vel qvisqvis autor eſt operis imperfecti in Matth. (*ad c. 23. homil. 43.*) judice. Pulcherrimeqve olim Greg. Naz. *Orat. de laudibus Athanaſ. T. II p. 502.* ubi Marco ſucceſſiſſe Athanaſium ait, eumq; οὐχ ἧττον εὐσεβείας, ἢ προεδρείας αὐτοῦ διάδοχον, *non minus pietatis, qvàm primariæ ſedis ſucceſſorem* appellat : addit : τῇ μὲν γὰρ πολλοστὸς ἀπ' ἐκείνου, τῇ δὲ εὐθὺς μετ' ἐκεῖνον εὑρίσκεται, ἣν δὴ καὶ κυρίως ὑποληπτέον διαδοχήν. Τὸ γὰρ ὁμόγνωμον καὶ ὁμόθρονον. Τὸ δὲ ἀντίδοξον καὶ ἀντίθρονον. καὶ ἡ μὲν προσηγορίαν, ἡ δὲ ἀλήθειαν ἔχει διαδοχῆς : *Ut enim ſi hanc ſpectes, remotiſſimus ab eo futurus eſt : ita ſi illius rationem habeas, ſtatim illi proximus reperietur. Qvæ qvidem propriè ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qvi eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem qvoq; ſedis particeps eſt. Qvi autem contrariam doctri-*

doctrinam profitetur, adversarius qvoq; in sede censeri debet. Atq; hæc qvidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet successionis &c.

Sed de isto qvidem Augustini loco satis, si non abundè. Ad Masenium redimus, qvi (IV.) inculcat *consiliorum Evangelicorum* observationem. Hæc enim in qvâ vigent Ecclesiâ, eam pro verâ habendam esse, Augustini *primùm* loco, *tum* mandato Salvatoris, *postremò* Apostolorum exemplo conficere se posse existimat. Augustini verba ex *c.17. de utilit. cred. T. VI. p.* 114. ista sunt: *Vulgus marium fœminarumq; in tam multis diversisq; gentibus & credit & prædicat, qvòd continentia usq; ad tenuissimum victum panis & aqvæ, & non qvotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia: qvòd castitas usq; ad conjugii prolisq; contemtum, qvòd patientia usq; ad cruces flammasq; neglectas, qvòd liberalitas usq; ad patrimonia distributa pauperibus, qvòd deniq; totius hujus mundi aspernatio usq; ad desiderium mortis intenditur, -- Cùm igitur tantum auxilium DEI, tantum profectum fructumq; videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, qvæ usq; ad confessionem generis humani ab Apostolicâ sede per successiones Episcoporum frustrà hæreticis circumlatran-*

(8.) Consiliorum Evangelicorum observatio, neqvicqvã confirmata

(a). Augustini loco.

latantibus & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnandis culmen autoritatis obtinuit ? cui nolle primas dare vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Reputet verò secum Lector (1.) qvot impia absurdaqve ac passim ab Augustino acerrimè impugnata dogmata ex doctrinâ de consiliis Evangelicis, tanqvam ex venenato fonte promanant : v. g. qvòd observatione legis vitam æternam obtineamus, h. e. vi Paulinæ conseqventiæ *Gal. II, ult.* qvòd Christus frustrà mortuus sit : qvòd non modo facilè mandata DEI implere, sed plura etiam perfectioraqve, qvàm DEus in lege reqvirat, præstare possimus, qvem Pelagianum errorem Augustinus tum passim, tum *Epist. ad Hieron.* confutat : qvòd non hi, qvi in præceptis DEI, ut Abraham, Job aliiqve, qvos Spiritus S. perfectionis elogio ornat, sed qvi in hominum traditionibus ambulant, perfecti sint habendi : qvòd à Christo in monte inculcata *Matth. V.* monita de vindictâ, de dilectione inimicorum &c. impunè & citra salutis detrimentum omitti possint, qvæqve alia sunt hujusmodi, qvibus contraria omnia Augustinus docet. Vid. Chemnit. *P. II LL. de discrim. præcept. & consil. c. 3. p. 284.* Höpffner. *Sax. Evang. p. 200.* Num credemus, tam sibi non constitisse accuratissimum Doctorem, ut ea proba-

probaret, ex qvibꝰ tam crassi errores, in qvibus refellendis totus est, necessitate irrefragabili consequvuntur? Nimirum (2.) longissimè differunt abstinere ad tempus, ut precibus rectiùs vacare possis, cibo, eligere spontè præ conjugio cælibatum, erogare bona in pauperes, crucem divinitus impositam patienter sustinere; & : abstinentiâ à certo cibi genere expiare peccata velle, ad cælibatum voto, qvod retractari non possit se astringere, ut majorem obtineas perfectionem, qvàm qvæ in lege reqvisita sit, eleemosynis cœlum redimere velle. Prius Augustinus de Christianis primitivæ Ecclesiæ prædicat; posterius Masenius notam vendit at veræ Ecclesiæ. *Si ita traderetur doctrina de externis illis exercitiis, utcunq; posset tolerari, scil. qvòd per se non sint cultus vel merita, multò minùs supra præcepta seu perfectio: sed pro diversitate donorum suscipi, ut liberiùs & expeditiùs iis qvæ ad veram pietatem pertinent, vacari posset. Ita enim Paulus I. Cor. VII 35. I Tim IV, 8. disputat. Sed ipsi hoc non volunt, sed pugnant pro perfectione & supererogatione meritorum in talibus operibus*, ut benè observat Chemnit. *l. c. p. 281.* Qvare (3.) jam olim Jo. Gerson agnovit, hanc opinionem de Pontificiorum consiliis pugnare cum Augustino, cujus liber *T. VII.* extat *de perfectione justitiæ*, qvo totum illum errorem velut ex professo eversum ivit. Satis

(γ) *Christi mandato Matth. XIX, 21.* de Augustino. Pergit: *Notæ illæ Christi voces sunt*: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & veni, seqvere me (Matth. XIX, 21.) *in paupertate, castitate & cruce ferendâ.* Notæ sanè sunt, sed pro consiliis Evangelicis nihil faciunt, nedum ut ea notam esse veræ Ecclesiæ ostendant. Nam (1) mandatum ibi Christus dabat, non consilium, mandatum autem (2.) speciale ad avarum istum & jactabundum juvenem pertinens, cui demonstrare sic volebat, qvantum adhuc à dilectione, qvalem in lege suâ DEus reqvirit, abesset, cùm ne perdere qvidem terrena ista bona ex dilectione erga mandantem DEI Filium sustineret. Tantum ergò (3.) abest, ut Christus hîc patrocinetur consiliis Papisticis, ut potiùs ostendat, qvantopere fallantur, qvi Pharisaicâ opinione imbuti se putant omnia servasse legis præcepta. Lege hîc Chemnit. *l. c. p. 293. sqq.* ubi veram horum verborum analysin ex analogiâ fidei & circumstantiis textûs eleganter eruit. Neqve verò (4.) *Dare pauperibus*, est, monasterio invidendis ac regiis sæpè divitiis abundanti bona sua addicere; (5.) *Christum* verò *seqvi* vel idem significat ac imitari Christum, qvomodo Bellarm. *L. V. de monach. c. 7. §. sextum argum.* interpretatur; atq; sic præceptum generale, non consilium est, ut *I. Cor. XI, 1. Eph. V, 1. I. Pet. II, 21, Matth. XVI, 24.* vel Christum in discipula,

pulatu & ministerio sectari, qvomodo *Luc. IX, 59. Marc. IX, 38.* accipitur; atqve sic mandatum fuerit speciale, neqvaqvam ad alios temerè trahendum, cùm ipse Salvator aliis id interdicat *Marc. V, 18. Luc.* IX, 58. Vid. Gerh. *Conf. Cath. T. III, p. 288. sqq.* & *L. de Evang.* §. 97. 98. Hulsem. *Manual. contra Hager. D. V. Q. 1. §. 6. p. 148. sqq.* Deniqve (d) Apostolorum exemplum suæ applicat Ecclesiæ gloriatus: *In qvâ verò Ecclesiâ illi sint, qvi cum Apostolis dicant*: Ecce nos reliqvimus omnia, & secuti sumus te, *qvis nesciat?* Enimverò in eâ Ecclesiâ non videntur esse, ubi (1) qvi Petri Apostolorum principis successores haberi cupiunt, non modò patrimonio Petri, qvod vocant, & donationibus Constantini Magni, Mathildis &c. se debere mentiuntur; sed totius etiam mundi regnis qvasi possessionibus suis cum diabolo *Luc. IV, 6.* superbiunt, potestatem sibi plenissimam in universam terram arrogantes, adeò ut Alexander VI. novum orbem Regi Hispaniarum, Bonifacius VIII. Galliæ regnum Alberto I. donare auderent. Vid. B. Patrui mei, Bened. Carpzovii JCtorum Summi Commentar. *de Lege regiâ, C. II, S. VI. n. 20. sqq. p. 109.* Ludov. de Monte Sperato *Vindic. Pacis Osnabrug. art. 3. §. 23.* Dannhauer. *antichristos. p. 734. sqq.* Casaub. *Epist.* 624. Dreier. *Disp. antiPap. XV. & XVI.* Gvil. Barclaj. *de potest. Papæ c. 12.* Petr. Molin. *de*

(d) Apostolorum exemplo: cui dissimillimi sunt Pontifices,

temporali potest. Pontif. Wesseling. *de jure Superioritatis R.P.c.12.p.64.* Alia longè Salvatoris nostri conditio, cujus se vicarios Rom. Episcopi jactant, qvi secuturo se pauperiem suam memorabat *Matth. VIII, 20.* Jam (2). Cardinales & Episcopos Rom. Ecclesiæ cogita, eorumqve opulentissimos censûs, opes principales, & qvæ inde conseqvitur, infrunitam luxuriam: neqve hos, opinor, omnia reliqvisse, Christumqve secutos dixeris. Nempe jam olim Petrus Damiani Card. Hostiensis, cujus (notante *ad A.C.1028.* Baronio) tanta erat in Ecclesiâ æstimatio, ut qvæ ipse facienda moneret, tanqvam oracula divina pii qviqve perciperent, hoc opulentæ & luxuriantis paupertatis genus in suis Episcopis notavit *opusc.31.* qvod contra munerum cupiditatem scripsit, *c.6.* unde aliqva Magnificus ac Summus Vir, D. Casp. Zieglerus, Patronus noster in *Episcopo Milite cap.XI.§.20.* repetiit, qvem conferre & *cap.X.§.4.9.sqq.* operæ pretium fuerit. Adde Conring. *Epp. de variâ doctrinâ, XIX.p.140.sqq.* & qvæ eruditorum phœnix, Desid. Erasmus, Pontificiorum superiori seculo doctissimus de divitiis, regnis, luxuriâ, armis Episcoporum prolixissimè qveritur *Chil III. Cent.3.adag.I.p 541.sqq.* ubi inter alia: *Ornatam & cohonestatam vocant Ecclesiam, non cùm in populo gliscit pietas, cùm vitia decrescunt, boni mores augescunt, cùm sa-*

Cardinales & Episcopi,

era doctrina viget; verùm cùm auro gemmisq; lucent altaria: imò cùm his neglectis, prædiis, famulitio, luxu, mulis, eqvis, sumtuosis ædibus vel magis palatiorum substructionibus ac reliqvo vitæ strepitu, satrapas æqvant sacerdotes. Atq; hæc adeò videntur recta, ut in ipsis Pontificum diplomatibus inseratur hujusmodi elogium: Qvoniam ille Cardinalis tot eqvos, tot purpuratos alens domi vehementer ornat Ecclesiam DEI, concedimus illi qvartam Episcopi dignitatem. Et in ornamentum Ecclesiæ jubentur Episcopi, sacerdotes & Clerici purpurâ sericisq; vestiri. O miram Ecclesiæ dignitatem! Qvid superest, posteaqvam etiam honesti vocabula perdidimus? Neq; enim libet interim eorum meminisse, qvi censum Ecclesiasticum in impios usûs magno plebis offendiculo profundunt. Similis ejusdem *annot. in 1. Pet. V. p. 533.* similis Cardinalium in consilio de emendandâ Ecclesiâ Paulo III. dato & Vergerii operâ Argentor. 1555. edito, similis Lud. Vivis *in Augustin. XVII. C. D. 5. & XIX. 19. p. 442. 818.* similis Duareni *L. I. de Sacr. Minist. Eccles. c. 4.* similis aliorum qverela fuit. Et qvid multis? Ipsi hi (3.) qvi paupertatis voto se obstringunt, si rectè rem putes, DEO hominibusqve illudunt. Neqve enim bona sua relinqvunt, ut Christum seqvantur, sed si abundarint opibus, perpetuam sibi mercantur alimentationem; si verò pauperes fuerint, loco paupertatis non ne- *Monachi.*

 cessa-

cessaria modò vitæ instrumenta, sed superflua illo voto acqvirunt. Ut verè Hieronymus *ad Nepotianum* scripserit: *Nonnulli sunt ditiores monachi, qvàm fuerant seculares: & Clerici, qvi possideant opes sub Christo paupere, qvas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, qvos mundus tenuit antè mendicos.* Qvis latissimas Jesuitarum, Dominicanorum aliorumq; ordinum possessiones, qvis concertationes de fundis, & qvibus sese circumueniunt, fraudes nescit? Qvas, non defuerunt, qvi in medio Papatu notarent. Graviter Lud. Vives in Augustin. *C.D.VII, 26 p.683:* *Qvid si nunc viderent Augustinus & Cicero ditissima & amplissima sodalitia ab iis poscere stipem, qvibus deceret potiùs sua impartiri, qvibus redundant & affluunt? Cùm intereà qvi dedit, arrodat siccum & cibarium panem, oleribus mensam instruens & fictilibus vasis aqva duntaxat plenis, liberis circumseptus pro qvibus noctes & dies sollicitus operi intentus agit; qvi accepit opulens mendicus candido & siligineo pane, perdicibus capisq; generoso vino ac leni se obruat.* Et rotundiùs Erasmus meth. Theol. p.139: *Ipsis mundi visceribus immixti monachos se vocant, & regium luxum affectantes mendicitatem prætexunt.* Conf. Chemnit. *P.II.L.L. tit, de paupertate c.2 p.369 394.* Gerhard. *Conf.Cath.T.III.p.302.sqq.* Intelligis hinc, opinor, Lector Christiane, minimè omnium

mnium Clerum Papalis Ecclesiæ eos esse, qvi cum Apostolis dicere possunt: *Ecce nos reliqvimus omnia, & secuti sumus te.* Contrà verò si rectè expendas verborum sensum, *Matth.XIX,27.* qvæ vi contextûs loqvuntur de iis, qvi ob confessionem nominis Christi (*v.29.*) & annunciationem Evangelii (*Marc. X.29.*) vocati specialiter, vel vi adacti non domos modò, sed parentes etiam & uxores (nullo aliàs religionis prætextu deserendos *Marc.VII,12.Matth XIX,6.*) *relinqvunt*, h. e. semper relinqvere parati sunt, habitualiter potiùs, qvàm actualiter sumto verbo, ut ex collat. *Luc XIV,26 Matth.X.*37. manifestum evadit; vel, ut Hieronymus *Epist. ad Pammach. super obitu Paulinæ* exponit, relinqvunt, si non qvantum ad possessionem, saltem ratione voluntatis, qvomodo & Apostoli illo adhuc tempore, qvo dereliqverant omnia, Christumqve secuti erant, τὰ ἴδια possidebant *Matth.IX,10. Marc.I,29. Joh. XIX, 27. XXI,3.* suasqve uxores habebant, *Matth.VIII, 4.Marc.I,30. Luc.IV;38.1.Cor, IX,5.* Ita, inqvam, si Apostoli-principis verba intelligas, prout intelligere par erat, non dubitabimus gloriam talis derelictionis magis penes nos, qvàm Pontificios staturam.

Loci Matth. XIX, 27. sensus.

ULTIMUS superest Masenii, in hoc puncto conatus ex ipsis protestantium principiis Lectorem suum ad Ecclesiam Rom. deducturi. *Jam verò* ait p.71. *qvomodo convertam*

An protestantium argumenta deducere qvempiam ad Eccles. Pontif. possint?

vertam me alio, si ab ipsis qvoq; protestantium argumentis qvo veram describunt Ecclesiam, eodem ducar? Ostende verò qvomodò à protestantibus deducaris. *Agnoscunt fidem Christi salvificam nunqvam in ejus periisse Ecclesiâ: agnoscunt sinceram verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem orthodoxæ Ecclesiæ propriam.* Ita sanè. Sed qvid tum? *Unde & invictâ consequentiâ seqvitur hæc nunqvam intercidisse, cùm sine his fides & salus electorum stare non potuerit: nam fides ex auditu, audire verò non potuerunt sine prædicante. Deinde nisi qvis renatus fuerit ex aqvâ & Spiritu, non potest intrare in regnum DEI. Qvò se ergò fidei salutisq; suæ cupida vertet anima, nisi ad illam Ecclesiam, in qvâ hæc tantum constanter viguisse deprehendit?* Res in vado, & jam ad Masenii *p. 66.* extr. expedita. Enimverò non intercidit penitus sub tyrannide Romanâ verbum cum Sacramentis neqve adeò in illo cœtu Ecclesia Christi omninò extincta est. Qvamvis enim publica prædicatio & apertus Sacramentorum usus corruptus esset, servavit tamen DEus sua sibi septem millia, & sanctum semen in mediâ illâ corruptione. Exeruit enim sub corruptissimo etiam ministerio verbum divinam, qvâ pollet, salvandi vim apud hos, qvi profunditates Satanæ non penetrarunt. Conf. Hopffner. *Disp. I. de Apostas. R.E. §. XV. p. 72. 73.* Jam post-

poſtqvam & ſordibꝰ illis, qvas aſperſerat Doctorum perverſitas, purgatum eſt verbum, detectusqve cultus Baaliticus per Eliam noſtræ ætatis, meritò ſe ad illam Eccleſiam vertet anima pia, in qvâ publicè per DEI gratiam puram verbi prædicationem, & Sacramentorum legitimam inſtitutioniqve conformem adminiſtrationem vigere deprehendit. Hanc viam qvisqvis prævio Scripturæ S. lumine inierit, non poterit à verâ Eccleſiâ aberrare. Qvam felicitatem Maſenio Pontificiisqve cæteris cum Maſenio ſeriò apprecamur: *O redemtor generis humani, Jeſu Chriſte, via, veritas ac vita noſtra, fac ut mundus univerſus ad tam manifeſtam lucem oculos aperiat. Illumines vultum tuum ſuper nos, & miſerearis noſtri, ut cognoſcamus in terrâ viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum!*

EXAMEN

Considerat. VIII.

p. 72-82.

De verâ Christianor. fide ejusq; naturâ ac proprietatibus.

Masenii scopus in hac Consid.

PArthorum instar Masenius hîc aliò tendit arcum, aliò jaculatur. Sanè si illius sensa scruteris intimiùs, deprehendes, de aliis potiùs qvibusvis, qvàm de *unitate* & catholicismo veræ fidei, (qvem *puncto I.* considerare jubet:) de *simplicitate* fidei & Nicodemicæ aut Capernaiticæ curiositatis rejectione, (qvam *puncto 2.*) de fidei deniqve *firmitate* soliditateqve omnis hæsitationis experte (qvam *puncto 3.* præscripserat) illum exposuisse. Qvæ nos capita contra varios hæreticos ipsosq; Pontificios omni conatu defendimus. Nunc ipse institutum suum premit, inqve punctis singulis pauca præfatus de iis, qvæ extra controversiam posita considerare jubebat, ad alia illicò delabitur, non alio, ut apparet, consilio, qvàm ut decepto Lectori persvadeat, ipsam fidei unitatem, simplicitatem ac soliditatem impugnari ab orthodoxis, dum

ex

ex Scripturis potiùs, qvàm *successione locali*, (hanc enim 1. *puncto* ceu κριτήριον veræ fidei propinat) aut *Ecclesiæ Doctorumq; consensu* (de qvo *punct.* 2. agit) æstimare fidem malunt, postremò *qvemq; de suâ salute certum esse* volunt, qvod dogma *puncto* 3. impugnandum sibi sumsit. Qvanqvam autem de *verâ fide* acturum decuerat exponere ante omnia, qvid eâ voce sibi vellet, cùm nemo nesciat, qvantopere in illâ Scholastici tricentur, (Vid. B. Meisner. *Tom. III. Witteb. Disp. VII.* §. 14. 15. p. 411. 412.) maluit tamen hoc omittere Masenius, ut feliciùs in casses suos agere impeditum Lectorem posset. Nos tria saltem ista præmittimus, qvæ ad rectiùs intelligendum totum negotium facere videntur. (1.) Fides vel accipitur *objectivè*, notatqve doctrinam cui assentimur verâqve fiduciâ adhæremus, vel *subjectivè*, notatqve fiduciam ipsam cum notitiâ & assensu prævio. *Aliud sunt* (ita Augustinus *XIII. de Trinit. c. 2. T. III. p. 406.* & ex eo Lombardus *III. Sent. d. 23. C.*) *ea qvæ creduntur, aliud fides, qvâ creditur. Illa enim in rebus sunt, qvæ vel esse, vel fuisse, vel futura esse creduntur: hæc autem in animo credentis est, ei tantùm conspicua, cujus est, & tamen nomine fidei censetur utrumq;*. De fide priori sensu intellectâ exaudiendum *1. punctum* Masenii; *cætera duo* de fide qvâ creditur. Porrò (2.) Fides, ut habitus sive actus est in animo credentis existens, *tribus* qvasi

FIDEI (1) nomen ambiguũ.

(2) Partes.

qvasi *partibus seu actibus* constat: notitiâ, assensu, & fiduciâ, qvorum primus objectum sibi præsens habet, (unde ab eo fides salutaris appellationem *scientiæ, sapientiæ, cognitionis* sortitur, *Esa. LIII*, 11. *Job XVII*, 3. *Job. XIX*, 25. *Joh. VI*, 69. *Luc. I*, 77. 1 *Cor. I*, 24 1. *Tim. II*, 4. &c.) alter ratificat, tertius suum facit, Pauli exemplo *Gal. II*. 20. *Rom.* VIII, 38. 39. I. *Tim.* I, 15. 16. unde ὑπόστασις *Ebr.* XI, 1. πληροφορία, *Rom.* IV, 21. *Ebr.* X, 22. παῤῥησία *Eph.* III, 12. *Ebr.* IV, 16. 1. *Joh.* III, 21. πεποίθησις II. *Cor.* III, 4. similibusqve nominibus aliis appellatur, qvæ firmam immotamqve cordis fiduciam notant, cujus specialiores actûs B. Henr. Höpffnerus exposuit *pecul. dissert. ad calcem Comment. in Ps. XCI.* & *isag. in salutarem usum S. Cœnæ, tract.* II. *p.* 89. *sqq.* Atqve hanc fiduciam non minùs, qvàm notitiam reqviri ad fidem salvificam, invictè contra Pontificios solum ac cæcum assensum fidei relinqventes, ostenderunt nostrates, è qvibus jam B. Meisnerum modò *T.* III. *Disp. Witteb.* VII. §. 23. -69. & Danh. *Hodos. p.* 1317. 1340. *sqq.* citasse sufficiat. Confer &, si vacat Menzer. *Disp. V. anti-Pistor.* B. parentis mei Luther. Höfeschl. *p.* 207. *sqq.* Calov. *exeg. A. C. art.* IV, *c.* 7. & *antiGrot ad Matth.* XVII, 20. (3.) Ut *actûs* fidei variant, sic & *objectum* diversimodè constitui potest. Si enim *assensum* solùm consideres in fide, objectum fidei fuerit *omne & solum verbum DEI*, sive omne illud, qvod

(3.) *Objectum.*

&

& qvatenus in Scripturis revelatum est; primariò verò doctrinæ Christianæ capita, qvæ articuli fidei nuncupantur. Atqve huc *alterum considerationis Maseniana punctum* spectat. Id enim de motivo assensûs tractat: qvod non sunto speculationes rationis nostræ, cui sæpè falsum videtur, qvod Scriptura verissimum docet; sed duæ illæ voces: *DEus dixit*. *Fiducia* verò, qvam attendi omninò in justificationis negotio necesse est, pro objecto habet *meritum Christi*, *& specialem DEI gratiam*, qvâ omnes credentes, meqve adeò ob satisfactionem Filii sui justificare & salvare promisit, in cujus indubitatâ apprehensione formalis ratio salutaris fidei consistit, Scripturâ indice *Joh.* I, *12.* *Act* X, *43.* *Gal.* III, *14.* 1. *Tim.* VI, *12.* *Ebr.* IV, 16. &c. Hanc de fiduciali solius gratiæ misericordiæqve divinæ in Christo fundatæ apprehensione, qvæ metum omnem excludit, *puncto* 3. Masenius perstringit. Ad cujus specialius examen age jam procedamus.

Punctum I.

Duobus absolvitur. *Primò* veræ fidei proponit qvædam γνωρίσματα in θέσει, *p. 72. 73.* qvæ *deinde* in affectu *p. 74. 75.* ad ὑπόθεσιν transfert, & Pontificiæ Ecclesiæ applicat. Videamus de utroqve.

(4) γνωρίσματα *seu characteres à Masenio*

Primò

(α) *in θέσει propositi:* *1. Universalitas.*

Primò considerari vult, *veram Christi fidem (1.) unam esse debere omni loco ac tempore, atq; iccirco catholicam seu universalem omniumq; temporum ac locorum eandem vocari.* Verum hoc sanè est, & ex subjectâ ratione, qvam à verbi ipsius immutabilitate Masenius accersit, loco item Paulino *Eph.* IV, 4. luculenter conficitur. Viderint autem Pontificii, num pro catholicâ veraq; adeò fide, qvam ipsi profitentur, haberi possit, qvam neq; convenire cum verbo DEI, (qvem internum Catholicismum Doctores vocant,) neqve cum veteris Ecclesiæ doctrinâ, neqve cum sententiâ verè fidelium ubivis terrarum degentium, toties demonstratum est. Viderint gnathones aulæ Romanæ, annon ipsi hanc fidei *unitatem immutabilitatemq;*, tollant, dum Ecclesiæ Vejoviqve suo potestatem faciunt novos indies fidei articulos condendi, qvod è Stapletono *Relect. princ. fid. Controv. V. q. 2. a. 4. p. 514.* aliisqve constat. Viderint, annon fidei *universalitatem* ratione temporum & locorum infringant, qvi notitiâ SS. Trinitatis & mediatoris unici Jesu Christi privant fideles Vet. Test. qvæ multorum in Rom. Ecclesiâ Doctorum est sententia. Viderint, annon Apostolico mandato, qvod ex *1. Cor.* I, 9. hîc inculcat Masenius, refragentur, qvi in tot factiones circa res fidei scinduntur, uti suprà, cùm unitatem Ecclesiæ suæ crepanti Masenio responderemus, ostensum.

sum. Nunc cognoscamus, qvæ porro veræ fidei γνωρίσματα proponat. Est ipsi vera fides (2) *voce magis, qvàm scripto per Apostolos commendata.* Pellucet fraus traditionum apostolicarum, qvibus hic præsidium, sed gratis qværit. Esto enim, propagaverint Apostoli vivâ magis voce, qvàm scripto fidem veram qvamdiu ipsi superstites ex mandato Christi *Matth. XXVIII.* & *Marc. XVI.* per orbem universum prædicabant Evangelium omni creaturæ: prævidebant tamen haut dubiè Spiritu DEI illuminati, qvàm impurè fluere fontes divinæ veritatis per traditionum canalem putrescentem ævi diuturnitate necesse foret. Itaqve scripto summam universæ doctrinæ suæ ad posteros transmittere voluerunt, ut per Scripturam illam crederemus, & credendo in nomen Jesu Christi Filii DEI, vitam haberemus æternam, *Joh. XX ult.* (3.) Est signis & miraculis denotata. *Ut manifestè etiam pateret*, (ita pergit) *qvinam essent credentes, adjecit: Signa autem eos, qvi crediderint, seqventur &c. Marc.* XVI. Differt nimirum in hoc Ecclesia primitiva & plantanda, de qvâ hic loqvi Christum & textus ipse docet, & Barradius, Jansenius, Maldonatus Jesuitæ agnoscunt, à nostri temporis Ecclesiâ, qvod in illâ miraculorum divinorum, qvæ posteà cessarunt, gloriâ distingverentur verè-fideles ab infidelibus. Hodie tantum abest, ut veræ fidei nota

2. Oralis traditio.

3. Miracula.

nota haberi signa debeant, ut ne Pontificii qvidem serio ausint affirmare, omnibus fidelibus hanc competere potestatem. De cætero nos, qvi primitivæ Ecclesiæ doctrinam, à qvâ recesserunt Pontificii, tenemus, in communione etiam & possessione miraculorum ab illâ patratorum sumus. Dorsch. *P.* II. *vindic. in Exod. Differt. I.* §. 11. *p.* 16. Tenzel. *contra Fromm. p.* 1152. (4.) Est in Romanis demonstrata, & inde in totum orbem propalata. *Hæc verò fides, ait, ab Apostolis statim, ut Christus præceperat, toto orbe est divulgata, de qvo Paulus suo jam tempore Romanis gratulatur DEOq́ refert gratias:* primum qvidem, *ait*, DEO meo gratias ago per Jesum Christum pro omnibus vobis, qvia fides vestra annunciatur in universo mundo. *Unde apparet qvòd Romanorum fides jam ante epistolas Apostolicas vulgatas solâ Evangelii Christi prædicatione toto orbe sparsa fuerit, cùm Paulus primus præcipuusq́ earum scriptor sit.* Veteris Romæ fides Romam hodiernam hoc magis in ruborem, nisi frontem omnem perdidisset, dare debebat, qvo turpiùs à majorum gloriâ degeneratur. Cæterùm qvod hîc de Romanis, idem de Thessalonicensibus alibi dicit Apostolus, 1. *Thess.* I, 8. ut nihil prærogativæ Ecclesia Romana ex h. l. jactare merito possit. Neqve à traditione infallibili per viros θεοπνεύστους ante completum canonem ad traditionem ad nostra usqve tempo-

4. *Sedes Roma.*

tempora, qvibus per scriptam credendorum normam prospectum est, rectè colligitur. Conf. Gerh. *notis ad Rom. I, 8. p. 27.* Weller. *ad h. l. p. 39.* (5) *Est hæc fides* (pergit Masenius) *ad hæc nostra etiam tempora per successio Doctores Apostolorum propagata. Ipse enim dedit quosdam Apostolos, qvosdam autem Prophetas, alios autem pastores & doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, donec occurramq in unitatem fidei, Eph. IV, 11. Si ad hanc unitatem spectandam omnes illi à DEo sint dati; patet, qvantum sublatis prophetis, Apostolis & Evangelistis, Ecclesiæ pastoribus doctoribusq; talis Ecclesiæ, & fidei qvæ catholica est, h. e. omnium locorum ac temporum, sit tribuendum.* Sanè ingens est Pastorum Doctorumqve dignitas, & in coagmentatione corporis Christi utilitas incredibilis. Sed probè hic videndum, ne pro *pastoribus talis Ecclesiæ & fidei, qvæ Catholica est,* seqvamur mercenarios aut lupos etiam dispergentes potiùs oves, qvàm in unitatem fidei salvificæ cogentes. Probè expendendum, num voce Christi utantur, qvalis in verbo scripto sonat; num per solum Christum, qvalis descriptus in S. literis, ingrediantur in ovile, qvæqve alia sunt veri pastoris κριτήρια, qvæ si qvis excutiat curiosiùs, non dubium, qvin à Papalis Ecclesiæ Doctoribus ad nostros sese sit conversurus. Deinde non

Digitized by Google

procudenda fuerit è propagatione verbi Divini per pastores, qvam omninò admittimus, aliqva Pastorum infallibilitas, neqve veritas certæ alicui cathedræ sic alliganda, ut ex successione Pastorum de veritate doctrinæ judicare potiùs, qvàm ex doctrinâ verbo DEI consonâ dissonave Pastores arbitrari ac discernere velimus, qvod Masenius intendit, qvem Esaiæ vaticinium, qvod ex *c. LIX, 20.* iterum
V. pag. 192. affert, nihil juvat, ut jam ad *pag. 66.* ostensum. Alloqvitur enim ibi DEus universam Ecclesiam, illiqve perpetuam Spiritûs sui assistentiam promittit. Cujus promissionis veritas ministerio etiam visibili cessante sese exerit in iis, qvi licèt occultè in verâ fide perseverant. Hunn. *demonstr. minist. Luther. p. 170. sqq.* Nauci proinde est collectio, qvam inde Masenius texit, subjiciens: *Ubi igitur inveneris talem* Ecclesiam, *qvam ab ipsis usq; Apostolis Doctores Pastoresq; suos ubiq; terrarum penè recensere compereris, à qvâ hæreticos diversis seculis temporibusq; semper exiisse constet, non verò constet, à qvâ ipsa Ecclesiâ unqvam manifestè discesserit, in hac Spiritum DEI ejusq; in fide veritatem reperiri nè dubites, contraq; ubi hæc defuerint, vanam esse illorum fidem intelligas.* Aliam Christus verè-fidelium notam indicat, *si manseritis*, inqviens, *in sermone meo, verè discipuli mei estis, Joh. IIX. 31.* Nusqvam ex pastoris conditione aut antecessoribus de verâ fide judicandum præcepit. Evenit profectò

fectò non rarò, ut vestigia decessorum deserant successores, *& sectas introducant perditionis*, ceu Ecclesiæ suæ Petrus prædicit *II. Ep II, 1.* eratq; Pauli simile de successoribus suis vaticinium. *Ego scio, qvoniam intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loqventes perversa, ut abducant discipulos post se*, Act. XX. 29 30. *Si* ergò *maximè talem Episcoporum successionem confinxerint hæretici, ipsa doctrina eorum cum Apostolicâ comparata ex diversitate & contrarietate suâ pronunciabit, non esse alicujus Apostoli autoris, neq; Apostolici, qvia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici viri non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qvi ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicaverunt.* Verba sunt Tertulliani *lib. de præscript. c. 32 p. 210.* Sanè si hæc vera sit collectio, fuerit & illorum Pontificum vera fides, qvi fatentibus ipsismet Papisticis Scriptoribus prolapsi in hæresin sunt, qvales Liberius & Felix Ariani, Honorius Monotheleta, Johannes XXIII. atheus &c. Qvantò rectiùs Tertullianus censet *lib. cit. c. 3.* *Si Episcopus, si diaconus, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regulâ fuerit, ideò hæreses veritatem videntur obtinere? Ex personis fidem probamus, an ex fide personas?* Omitto jam (antè enim ejus rei injecta mentio) catenam illam Rom. Pontificum à Petro usqve sibi

 succe-

succedentium miserè laceratam esse. Respondeat nostro Hunnio Masenius, si lubet, qvi hanc qvoqve *pellem ovinam* Romanæ Ecclesiæ à §.*599.ad 686.* sic detraxit, ut difficile fuerit consuere laceratam. Cæterùm ut leve & frivolum est, de veritate fidei ex successione Pastorum velle pronunciare: ita insolens & iniqvum, condemnare illicò veram fidem, si non constet de perpetuâ & non interruptâ illius per pastores propagatione ad tempora nostra: qvod Masenius tum verbis adductis, tum *initio affectûs p. 74.* profitetur. *Agnosco & profiteor*, ait, *ô DEus meus, veram fidem esse non posse, nisi constet, ab Apostolis toto orbe, & omni tempore ad nos usq; per Doctores Pastoresq; illam esse sine discessione ab Ecclesiâ catholicâ propagatare.* Ut ultimum fidei motivum, sic & unica norma revelatio Divina est. Huic qvæ congruit fides, pro verâ habenda est, sive constet liqvidò de perpetuâ illius propagatione, sive minùs. Hinc enim unicè dijudicare velle veritatem fidei est Divina suspendere ab humanis. Certissimum qvidem ex Scripturis est, nunqvam in Ecclesiâ DEI sic extinctam veram doctrinam fuisse, qvin in delitescentibus saltem septem millibus, qvi non curvarunt genua Baali, viguerit. At in unius alicujus (v.g. Romanæ) Ecclesiæ pomeriis inde usqve ab Apostolis propagatam per publicos Doctores semper fuisse, nec ex Scripturis ostendi potest (qvæ

de

de pseudoprophetis potiùs in mediâ Ecclesiâ surrecturis vaticinatur) & ipsi Historiæ repugnat, qvæ non minùs de apostasiâ Rom. Pontificum, qvàm de interruptâ continuatione succesfionis tantopere jactatæ testatur, ut mox cognoscemus. (6.) Ultima supereft veræ fidei nota, qvam verbis modò adductis Masenius insinuat, qvòd vera fides & Ecclesia ea sit, *à qvâ semper hæreticos diversis seculis temporibusq; exiisse constet, non verò constet, à qvâ ipsa unqvam Ecclesiâ manifestè discesserit.* Et hanc qvidem notam postea Rom. Ecclesiæ applicat; qvàm verè, mox videbimus. Nunc ista saltem observamus. (a) Cùm duplex sit communio Ecclesiastica, alia externa in professione ejusdem fidei, & usu eorundem Sacramentorum; alia interna, in verâ fide, charitate & Spiritûs S. participatione consistens, qvæqve solis Sanctis invicem intercedit, cùm priori illâ hypocritæ qvoqve fruantur: nusqvam Scriptura Sacra veræ Ecclesiæ vel doctrinæ notam facit externam communionem: nusqvam hæreticorum characterem separationem ab externâ communione Ecclesiæ. Neq; enim aut Elias, aut Christus ejusq; Apostoli, qvòd ab Ecclesiâ Judaicâ (è qvâ per plura secula & Baalitæ, & Sadducæi & alii hæretici exierant,) discederent, illicò hæretici erant, aut illa veram fidem habebat. Sanè & malignantium cœtûs ipsaq; diabolorum

6. Schismatis absentia.

Resp. unitati ſervandæ ſtudent, *Pſ. II, 2. Eſ. V, 18. Luc. XI, 18.* cùm è contrario veræ Eccleſiæ prædicta ſint Schiſmata, *Act. XX, 29. I. Cor. XI, 9. I. Tim. IV, 1. &c.* (β) Per Eccleſiam, à qvâ exitur, aut univerſalis & catholica intelligitur, aut illius pars aliqva viſibilis, ſeu particularis Eccleſia. Illa uti inviſibilis ipſa eſt, ſic inviſibilis qvoq; communio, qvæ ipſi & membris ejus intercedit, ac deſertio ipſius Eccleſiæ in apoſtaſiâ à verâ fide Chriſti & charitate conſiſtens. Hanc itaq; Eccleſiam qvi deſerunt, omninò pro hæreticis habendi erunt, licèt maximè in cœtu viſibili Eccleſiæ degant. *Qvicunq;* enim (ita Hieron. alicubi) *aliter Scripturam intelligit, qvàm ſenſus Sp. S. flagitat, qvo conſcripta eſt, licèt de Eccleſiâ non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt.* Adde Hülſeman. Breviar. *c. XVIII, th. 16.* Ut autem particularis Eccleſia deficere poteſt: ſic non modò poſſunt, ſed qvandoqve debent eâ exire pii, qvorum diſceſſus ex hujusmodi cœtu tantum abeſt, ut in argumentum hæreſeos rapi debeat, ut potiùs pro reditu ad veram illam & catholicam Eccleſiam ſit habendus. (γ.) Qvi ab Eccleſiâ aliqvâ particulari, qvalis Romana eſt, exeunt, aut ipſi ſunt cauſa Schiſmatis, dum unionem internam ſolvunt, falſasqve invehunt doctrinas: aut ad exeundum adiguntur ab illâ ipsâ Eccleſiâ, qvæ à verâ fide defecit, niſi vel approbare falſitatem, vel experiri extrema velint. Patet ergò non ita illi-

illimitatam esse istam fidei Ecclesiæqve veræ notam, illamqve demum Ecclesiam pro verâ habendam esse, à qvâ in verâ fide permanente hæretici communionem internam solventes exiverunt, neqve constat, eam unqvam communionem internam Ecclesiæ catholicæ deseruisse. Qvod verò de Romano-Catholicâ Ecclesiâ multis modis probatum est.

Etenim ut jam ad alterum hujus puncti membrum procedamus: frustrà est Masenius, dum constituta modò veræ fidei γνωρίσματα Romano-Catholicæ convenire, Lectori suo vult persvasum. Ita tamen ut duorum tantùm disertam faciat mentionem. (1.) Agnoscit ac profitetur *p.74. non constare sibi posse, à qvâ Ecclesiâ orthodoxâ, illa, qvam hodie Catholicam dicimus, exiverit, & ubi ista relicta sit? manifestum verò esse, qvòd Lutherus, Zvinglius, Calvinus, Menno, aliiq; hoc tempore, qvi Evangelici aut Reformatores dici volunt, à Romano-Catholica egressi, diversitate fidei ac doctrinæ ab eadem separati sint. Jam igitur*, addit, *ut statuam, qvi inter hos orthodoxi, qvi heretici censendi, fac ó mi DEos, ut tua illustratus gratia agnoscam.* Verùm enim verò (α) à qvâ Ecclesiâ orthodoxâ *exiverit Romana*, constare Masenio facilè poterat. Hunnius sanè abundè ex ipsorummet Pontificiorum scriptis docuerat peculiari opusculo, *de apostasiâ Rom. Ecclesiæ*, qvomodo à primâ illâ & Apostolicâ Ecclesiâ fa-

(β) *In ὑποθέσει, ad Rom. fidem applicari: ut 1. qvòd Schisma non fecerit:*

cto discessu ad Ethnicismum, Judaismum, hæreticorumqve ab Ecclesiâ veteri damnatorum impuritates Romana Ecclesia defecerit. Et qvid aliud Doctores nostri agunt, dum dogmata Pontificia non ex scriptis modò Apostolicis, qvi omnium certissimum de fide Apostolicæ Ecclesiæ testimonium dicunt, sed Ecclesiasticâ etiam antiqvitate solidè confutant, qvàm ut ostendant, qvàm longè ab Ecclesiâ catholicâ Apostolicaqve recesserit Romana? Qvanqvam verò iniqvissimum sit, evidentem postulare demonstrationem: qvis, qvo die, qvo Consule Romanas in Ecclesiam corruptelas invexerit, cùm clam hominibus Zizania seminet Satanas, *Matth. XIII, 25.* & in mysterio errores introducat antichristus, *II. Thess. II, 7.* atqve satis sit, ab initio sic non fuisse, *Matth. XIX, 8* non pauci tamen ostenderunt eundo per omnia secula, qvomodo subinde Romana apostasia sumserit incrementa. Qvod præter B. Chemnit. *Exam. C. T.* Mornæum *Myster. iniqvit*, aliosqve, B. præceptor noster, D. Hieron. Kromayer. *geminâ disputationum decade* præstitit. Sed ne è talibus scriptis intelligant simplices, à qvâ Ecclesiâ ad qvos errores defecerint, qvi se Catholicos mentiuntur, interdicendum iis fuerat non minùs omnibus orthodoxorum scriptis, qvàm ipsismet avthenticis veritatis cœlestis tabulis. Stupidissimum esse necesse est, qvi has fraudes non videt: qvibus Herodi similem se Paulus

IV. pri-

IV. primus Indicis librorum prohibitorum autor cum Successoribus probavit. Ut enim ille tabularia nobilitatis Judaicæ exussisse fertur, ne alienigena videretur: sic illi Scripturam pariter sacram, & qvicqvid inde pro nostræ Ecclesiæ veritate docuerunt editis libellis orthodoxi, sub pœnâ gravissimâ prohibuerunt legi: qvin igni etiam carnificum more exusserunt, ne ipsi apostatæ, aut novorum dogmatum auctores, ut sunt reverà, viderentur, utq; jactare securiùs possent, non constare sibi posse, à qvâ Ecclesiâ Romana recesserit. (β) *Ubi relicta sit Ecclesia, à qvâ recessit Romana*, qvanqvam nec ipsum necessarium sit ostendi, (ut Elias profectò ostendere non poterat, ubi relicta esset Ecclesia, à qvâ recesserant Baalitæ,) ostendi tamen potest. Sanè extiterunt omni ævo in medio etiam Papatu, qvi Papalibus erroribus se opponerent, veramq; doctrinam nostram propugnarent, Impp. Reges, Principes, Status, Martyres, Doctores, infantes, in qvibus Ecclesia conservata fuit. Superest in Flaciano *Catalogo testium veritatis* aliisqve id genus scriptis abunde testimoniorum, qvæ consensum etiam publicorum Doctorum & publicorum cœtuum cum doctrinâ nostrâ ostendunt. Hulsem. *brev. c. 17. supplem. th. 9.* Sed copiosè hoc argumentum & ex instituto pertractavit Dn. D. Haberkorn. *in Anti-Forero, ejusq; vindiciis*, Höpffner. *analysi qvæ-*

 stionis:

stionis: ubi fuerit vera Ecclesia ante Lutherum, Dorsch. Religions-Scr. *XIV. & XV.* Dannh. *Hodos p. 114. sqq.* Dedekenn. *Vol. I. consil. Theol. P. 1. S. II. p. 31. sqq.* Meisner *consult contra Les. p. 346. sqq. 568. sqq. &c.* (γ) Ad ἔγκλημα de Lutheri exitu è Rom. Ecclesiâ (cum qvo per insignem calumniam Zvvinglius, Calvinus, Menno aliiqve Schismatis autores conjunguntur, qvi semetipsos à catholicâ Ecclesiâ rupto unionis internæ vinculo separarunt) iterum respondere supervacaneum: qvem non à Catholicâ & invisibili Ecclesiâ per universum orbem diffusâ se separasse, sed à Romano-Papisticâ, qvà Papistica est, ejectum fuisse, supra etiam observavimus. Istud verò (δ) mirari qvis posset, cur DEI imploret gratiam Jesuita, ut statuere possit, qvi inter hos (Papam, Lutherum &c.) orthodoxi, qvi hæretici sint censendi. Nam si ille Luthero imputatus ex Ecclesiâ Catholicâ discessus invictum erat argumentum fidei falsæ, non apparet, qvorsum opus sit peculiari illuminatione de re, qvæ jam dubia ampliùs non erat.

2. Qvòd propagatione orali per Apostolorum successores gaudeat.

Deinde (2.) doctrinæ propagationem per Apostolos eorumqve successores ad nostra usq; tempora urget: De hac enim si constiterit, causam nullam esse, qvò minûs Lutheri fidem amplectatur Lector Pontificiâ multò faciliorem. En ejus verba *p. 74: O si mihi qvis ostenderet Doctores Pastoresq; illos,* qvi

qvi vel ante Lutherum, vel ante Calvinum paria cum iisdem in rebus fidei ab illis ad Apostolos usq; tradidissent, qvantò facilior observatu eorum nobis ad salutem fides esset, qva neq; abstinentiam in cibis, neq; continentiam sacerdotibus, neq; confessionem catholicis usitatam peccatoribus, neq; gehennæ aut purgantis ignis à morte timorem in fide illâ morientibus præscribit. Ubi cuivis hoc fas est credere, qvod ex Scripturâ sacrâ suo ingenio spirituq; colligit, neq; alterius hac in re arbitrium sectari, ubi sola fidei in DEum fiduciâ sibi qvisq; salutem possidere persvasus, proscripto omni excidendi vitâ ac salute metu securus agit. Qvantò fides jucundior hæc faciliorq;, si per Apostolorum eorumq; ad nos usq; successorum ora ad ædificationem magis Ecclesiæ Christi in Germania, qvàm illius unitatis rupturam descendisset? Sed (1.) expendat Lector, annon potiori jure hoc postulare à Pontificiis possimus, ut ostendant pastores doctoresqve illos, orthodoxos qvidem habitos ab Ecclesia (pseudo-apostolos enim, Simonianos, Carpocratianos, Encratitas, Hieracitas, Novatianos, Angelicos, Collyridianos, Manichæos, Apostolicos, Nudipedales, Messalianos, Donatistas, Pelagianos, Catharos, similesqve alios Patriarchas jure meritoqve laudarint. Vide id demonstratum à Gerh. *L. de Ecclesia* §. 230. Hunn. *apostas. R. E.* à §. 655. *ad finem libri*, Rivet. *Cath. Orth. qv. 1. proœm. T. III. p. 12. sqq.*) qvi

qvi ante Bonifacium III. paria cum iisdem tradidissent, sanè qvæ è Scriptoribus Ecclesiasticis pro se adduxerunt, rem non conficiunt, ac omni eos antiqvitate dudum denudarunt nostrates. (2) Votum hoc Masenii ad decipiendum tantùm Lectorem comparatum est, cui persvasum ita vult, nunqvam demonstratum esse consensum veterum cum nostratibus. Permittant Papistæ suis Lectionem nostratium, & plus, qvàm ipsi velint, demonstratum invenient, eadem cum Lutheranis Ecclesiæ Patres docuisse. (3) Absurdum verò, ne dicam, impium est in rebus fidem, aut cultum, aut salutem spectantibus unicè ad majores respicere: ita ut ad subscribendum te paratum offeras, dummodò constet, fuisse ante te alios Doctores, perpetuâ serie qvi sic docuerint. Qvid ergò erat, qvòd Christo & Apostolis ipsis fidem adhiberent Christiani primæ Novi Testamenti Ecclesiæ, cùm antecessores in Cathedrâ Mosis alia ferè omnia docuissent? Eqvidem Christianus convictus de verbi Divini consensu parum pensi habebit, qvid Doctores Pastoresqve illi, qvibus Pontificii nituntur, ajant negentve, mandati qvippe divini memor, Ezech. XX, 18. *in viis patrum vestrorum nolite ambulare* &c. (4) Qvæ de *facilitate fidei Lutheranæ* subjicit, partim causæ nostræ nihil detrahunt, partim manifestâ falsitate laborant. Prioris generis sunt *abstinentia à certis*

Ἐγκλήματα fidei nostræ intentata refelluntur.

à certis cibis, continentia seu cœlibatus potiùs sacerdotum, qvos parum continentes, omnes sciunt, *peccatorum omnium specialissima, eoq; impossibilis enumeratio*, *purgatorii* metus. Hæc enim cùm in verbo DEI non contineantur, eiqve repugnent etiam (qvod inferiùs ostendemus,) meritò tanqvam hominum commenta repudiantur, neqve ad fidem qvicqvam faciunt. Manifestè verò falsum est (*α*) *nullum gehennæ metum in fide illa* (seu professione Lutheranâ) *morientibus præscribi*. Hoc eqvidem docent Lutherani, eum qvi credit in Filium DEi, non perire, sed habere vitam æternam; sic enim à Salvatore suo edocti sunt *Joh. III, 16. V, 24. XI, 25.* at neminem in fidei seu doctrinæ Lutheranæ professione morientem damnari posse, nemo Lutheranorum docuit. Namqve ut dubium non est, multos in Ecclesiâ Romanâ simplici fide in Jesum unum mundi Salvatorem expirantes salvari, qvi licet vixerint in externâ Pontificiæ Ecclesiæ communione, tamen in die mortis exustis stipulis retentoq; solo fundamento, præter qvod aliud poni non potest, salvantur qvasi per ignem, *I. Cor. III, 11. seqq*: ita vicissim plurimos fidem orthodoxam professos damnari certum est, qvi veram ac salutarem fiduciam in DEI gratiam meritumq; Christi peccatis mortalibus excutiunt, neqve è laqveis Satanæ resipiscunt, *II. Tim. II, ult.* Falsum, (*β*) apud nos *fas esse cuivis*

cuivis credere, qvod ex Scriptura S. suo ingenio Spirituq; colligit, neq; alterius hac in re arbitrium sectari. Detestamur ubiq; τὴν ἰδίαν ἐπίλυσιν, qvam in Pontificiis deprehendas, à privato Papæ sui spiritu animatis, (Danh. *Hermen. S p. 468. 480.*) eamq;, qvam ipse infallibilis sensûs sui interpres Spiritus S. in Scripturis suppeditat, mandato omnibus scrutinio (*Joh. V, 39.*) eruendam interpretationem approbamus. Non nostrum ingenium, sed Spiritûs S. Scripturas per Scripturas evidenter explicantis arbitrium sectamur, ut suprà monitum. Falsum (γ) ulli orthodoxorum venisse in mentem, qvòd *solâ fidei in DEum fiduciâ sibi qvisq; salutem possidere persvasus securus agere possit proscripto omni excidendi vitâ ac salute metu.* Aliud fiducia in Christum, qvæ vi objecti apprehensi salvat: aliud fiducia vel persvasio fidei ipsius, qvæ tantum abest, ut salvet, ut ne fides qvidem ipsa, ut actus est, id præstet, qvod contra Arminianos docemus. Vid. ex multis Dn. Calov. *Armin. p 245. sqq.* Neqve salvifica fiducia omnem (filialem etiam, *Phil. II, 12.*) sed servilem tantùm metum & anxiam dubitationem de salute excludit. Qvâ de de re mox ad *punctum III.* videbimus. Atqve fides hæc omninò jucundior faciliorqve (nec enim diffitemur) per Apostolos eorumqve veros ac legitimos successores ad nos usqve in reædificationem ruptæ per apostasiam

siam Romanam Ecclesiæ Christi non in Germaniâ modò, sed orbe universo, descendit, neqve contrariam unqvam vel Masenius, vel qvisqvam Jesuitarum probaverit. Qvare sibi dicta potius habeat Masenius, qvæ ex Augustino *T. VI. contra Jud. pag. & Arianos, c. 20 p 67.* adjicit. De *fide* enim is & *Ecclesia catholica, qvæ non in angulo est* (aut certis orbis partibus præcisè demonstrari potest) *sed ubiq; tota* (& per totum orbem dispersa) loqvitur. *Si qvis ab eâ discesserit, atq; in hæreticorum errorem se tradiderit,* (ut factitatum à Pontificiis) *ut fugitivus servus judicabitur, non ut filius adoptivus, nec ad vitam æternam resurget, sed potiùs ad damnationem.* Qvam ut effugiat pius qvivis veteris catholicæ fidei observatione, *qvæ in petrâ* unicâ Jesu Christo, non in arenis traditionum humanarum *fundata sola catholica est ac dici meretur,* DEum obsecramus.

Punct. II, p. 75.

Considerare jubet, *fidem veram circa omnia à DEO revelata, quantumvis ardua, cum magnâ simplicitate ac subjectione intellectûs debere versari omni curiositate inqvirendi submotâ, cur hæc aut ista sint, aut qvemadmodum esse possint, qvæ non videntur nobis qvandoq; esse possibilia aut rationi nostræ congrua, ac satis esse has duas voces debere: DEus dixit.* (5.) *Simplicitas fidei.*

Osten-

Ostendit id deinde gemino philosophorum axiomate: *ex nihilo nihil fit.* Et: *qvæ sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se.* Qvorum hoc in mysterio SS. Trinitatis, (vide verò, si vacat, qvid hîc ex Pontificiis scriptoribus disputet nostras P. Slevogt. *disp. de principio Syllogizandi in divinis*, §. 12. *sqq. p.* 260. *seqq. dispp. Academicar.*) illud in mundo ex nihilo condito falsum sit. Ubi ne pugnam philosophi & Theologi, aut rationis & fidei, contradictoriamq; & duplicem veritatem statuas, distingvendum inter rationem sibi relictam, qvæ objecta ignorat; & superiori virtute illustratam: inter abusum & usum philosophiæ: tenendæ item cautelæ cæteræ, qvas apud Grauerū *in tr. de una & simplici veritate*, Jac. Martini in Vernunfft Spiegel/ Danh. *id. Boni Disp. p.* 330. Meisnerum *P. I. Philos. Sobr. init.* & *Tom. III. dispp. Witteb. p.* 512. Calov. *Theol. Nat. & revel. p.* 181. *sqq.* & *Tom. I. Syst. Theol. p.* 67. *sqq. T. II. p.* 36 *sqq.* Scheibler. *proœm. Metaphys.* Sperling: *Inst. Phys. proœm. qv.* 5. *p.* 21. Neldel *præt. Log. p.* 632. plurimosqve alios habes. Porrò & Augustini verbis idem confirmat Abrahæqve exemplo ex *Ebr. XI*, 17. qvæ rectè habent omnia, & à nostris prolixè contra Socinianos, Arminianos & Calvinianos docentur. Videri possunt contra Socinianos & Arminianos Meisner. *Consid. Theol. Photin. p.* 306-357. Calov. *Socinism. p.* 93. *sqq. Arminianism. p.* 50. 275. & Tom.

à nostris custodita:

& Tom.I. *Syst.p.363.604.677.* Scherz. *antisor. p.17.sqq.* Hoornbeck *Socinism. confut. p 90. sqq.* Contra Calvinianos Schlüsselburg. *L.I.Theol. Calv. p.* 117 Meisner. 1. Calvin. Prob *p.298.seq.* & *P.I. Philos. Sobr. p. 44. nec non Tom.III Witteb.Disp X.tota.* Weller.*disp. IV.contra Mason. §.9. sqq.* Hulsem. *Calvin. irreconc.p 58.sqq.* Danh. *Hodom. Calvin. p. 35. sqq. Salve Reform.p.*347 *sqq.* & *Mysterios. p. 13.710.715.724.* Seld. *Top. Calvinn.* Musæus *contra Vedel. de usu princip. rat.* &c. Nos ab ictu omni hîc securi sumus, quê si intentat Masenius, non Evangelicos, sed Calvinianos feriet. Tria tamen ista Lectori nostro expendenda relinqvimus. (1) Annon fortassis hac in herbâ angvis delitescat: h. e. *annon sub simplicitate fidei* soli verbo DEI innixæ, neqve causas aut modum scrupulosè scrutantis *portentum fidei implicitæ, vel cæci assensûs*, qvi unicè in Ecclesiæ Romanæ vel Pontificis sententiam ultimò resolvitur, *occultet*. Auget hanc suspicionem, qvòd ad Ecclesiam catholicam remittit Lectorem, si certus esse velit de vero Scripturæ sensu. Noverit hîc Lector distingvere inter *simplicitatem* circa *modi causæve indaginem* (de qvâ unicè & rationes Masenii, & dictum Augustini, & exemplum Abrahæ intelligendum) & *ignorantiam* circa *rem ipsam*, qvæ veræ fidei planè repugnat, cùm illa per notitiam à Scripturâ ipsâ definiatur, ut sub initium hujus consid.

à Pontificiis torrupta.

S obser-

nec observari in praxi soluta.

observabamus. (2) *Annon Pontificii in hoc Museniii monitum impingant* sæpissimè, dum (α) *dogmata sua rationis fundamentis superstruunt.* Ut cùm ex Politicis regimen Ecclesiæ monarchicum probatum eunt, qvòd monarchia sit optima reip. forma,(Bellarm. *L.I.de R P.c.2,* Conf. Dorsch. *P.II Vind.Exodi p.98.)* cùm satisfactiones humanas pro peccatis,(Bellarm. *L.IV. de pœnit. c.5.*) cùm sacrificium missaticum (Greg. de Valent. *L.II.de missâ c. 4.*) Purgatorium (Bellarm. *L.I. de Purgat. c. 11.*) consilia perfectionis (*L.II.de monach.c.12.)* transsubstantiationem & concomitantiam (*L III.de Euchar. c. 22.*) aliaqve dogmata sua ex eo, qvòd rationi naturali consentanea sint, probant. (β) *Nostram* verò *doctrinam solidè in Scripturâ fundatam ob rationis judicium rejiciunt.* Negant, v.g. justitiæ Christi imputationem, qvòd rationi repugnet: (*L.II.de justif. c.7. §. qvartò.)* negant, solâ fide justificari hominem,qvia hoc sit supra,præter, imò contra omnem rationem:(*de notis Eccles. c.11. §. sectarii nostri temporis.)* ut alia omittam. Credo enim ex disputationibus Sententiariorum, Summistarum , Qvæstionariorum, Qvodlibetariorũ satis constare, num regulâ Divini verbi, an rationis decempedâ mysteria fidei metiantur ipsorum Doctores. Sanè jamdum Aventinus, Agrippa aliiqve ex ipsismet Pontificiis conqvesti fuerunt , fontes cœle-

cœlestis veritatis qvæstionum & opinionum cœnosis rivulis miserè à suis contaminari, omnemqve Philosophiam & Theologiam sic confundi, ut neutra maneat integra. Nec ignoramus tempora illa ignorantiæ, qvibus ex Aristotele dogmata fidei plebi in Papatu propinabantur. vid. Gerh. *Conf. Cath. L. I. P. II. c. 15.* Himmel. *de Theol. Schol. p. 696. 712 sqq.* Meisner. *Scholar. academicar. p. 472. sqq.* Calov. *dedic. T. I. Syst. Theol* & *ejusdem libri p. 76. sqq.* & *Paed. Theol. p. 316 sqq.* & *T. II. Opp. Philos. p. 617. 799.* Jo. Cunr. Dieteric. *Antiqq. Bibl. p. 1011.* &c. Sed qvid opus, multa coacervare, cùm Greg. de Valentia, celebris Jesuita *L. XII. anal. fidei c. 5. p. 151.* inter documenta ad Scripturam intelligendam & res fidei decidendas hoc recenseat, ut consulatur ratio naturalis? Et expendat deniqve (3.) Lector, num in rebus fidei hæ duæ voces: *DEus dixit*, sufficiant illi, qvi dixisse hoc DEum, atqve hunc dictorum sensum esse, ab Ecclesiâ demum certior fieri cupit. Certè qvidem fides, qvæ *ἀσφάλειαν* suam in Ecclesiæ suffragio fundat, DEum hoc dixisse testantis, illi non satis sunt hæ duæ voces: *DEus dixit.* Fides verò Pontificia, qvalem Masenius hic commendat, in verbis DEI non subsistit, sed ad Ecclesiam progreditur. Sic enim p. 76. Masenius: *Nulla certitudo* (DEum hoc dixisse) *potest esse major, qvàm à catholicâ Ecclesiâ, cui verbi DEI custodia est credita.* Cogitet

ergò pius qvivis, num Evangelii, qvi in Scripto DEI verbo subsistimus, tanqvam ultimo controversiarum judice suiq; ipsius interprete longè certissimo, an Pontificii sensum Scripturæ ab Ecclesiæ demum interpretatione suspendentes, majori simplicitate intellectûs versentur circa credenda.

An sensus Scripturæ non aliunde, qvàm è Rom. Ecclesiæ interpretatione infallibiliter habeatur? Expenditur (1) Masenii sententia:

In cæteris, qvæ supersunt hoc puncto, talem se gerit Masenius, qvalem initio hujus capitis describebamus. Id enim unicè agit, ut persvadeat Lectori, *non posse sensum Scripturæ certiùs aliunde haberi, qvàm à Catholicâ h.e. Romanâ Ecclesiâ.* Cùm finxisset tamen, se eam fidei simplicitatem commendaturum, qvæ in solo verbo DEI acqviesceret. Pleraqve jam *præced. Consid.* examine excussa sunt. Breviter tamen percurremus, ne qvicqvam relinqvatur intactum.

Rem ipsam sic proponit: *Unde cuilibet æqvo judici expendendum relinqvo: an cùm de sensu sententiaq; verbi scripti controversia oritur, non conveniat, Ecclesiæ catholicæ judicium & semper custoditam sententiam præferre reliqvis sive privatis, sive aliarum Ecclesiarum judiciis?* Ambigua, fateor, qvæstio, & qvalibus Sophistæ ludere solent, cum ἐλέγχῳ τῷ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιοῦντι deceptum

ptum eunt antagoniſtas. Præſupponit enim aut involvit ſimul, Eccleſiam Romanam, qvalis jam eſt, Catholicam eſſe, ac tenere ſententiam ſemper in verè-Catholicâ Eccleſiâ cuſtoditam, deniq; & prærogativis ſuis præ aliis Eccleſiis particularibus gaudere; noſtros verò Doctores in interpretatione Scripturæ privato & ſuo qvemqve abundare ſenſu. Qvæ omnia precariò aſſumuntur, maximamqve partem confutata in præcedd. ſunt. Sanè verò ſi intelligatur qvæſtio (1.) de Eccleſiâ *catholicâ* ſive universâ, ſeu homogeneâ Eccleſiæ Catholicæ parte, qvalis Eccleſia *Papalis*, ut Papalis, haut eſt, ejusq; (2) judicio non *autocratoricè* & autoritativè aut canonicè controverſiam decidente, (qvod ſoli Spiritui S. ejusq; in Scripturâ ſonanti voci competit,) ſed *diaconicè* ex Scripturâ de ſenſu Scripturæ pronunciante, tandem & (3) de ſententiâ *ſemper & ἀπ' ἀρχῆς à fidelibus cuſtoditâ*, non per falſos Doctores *clanculum in Eccleſiam introductâ*: non dubitamus affirmare, hujusmodi Eccleſiæ judicium ſententiamqve præferri debere privatis qvorumvis judiciis. At verò ut Rom. Eccleſiæ, aut ejus potius Epiſcopo, qvi non rarò ἀναλφάβητος eſt, (in hunc enim abire omnem poſtremò analyſin, ſuperiùs demonſtratum,) tribuamus judicium Scripturâ ipsâ ſuperius, ejusq; ſenſum infallibiliter determinans, utq; illius ſententiam præferamus

omnibus *privatorum*, non *privatu* tamen, h. e. è privato ſpiritu & pro arbitrio confictis, ſed ab eodem ſpiritu, à qvo profecta eſt Scriptura ipſa, monſtratis expoſitionibus, (vid. Gerh. *L. de Script. interpr. §. 101. 102. & Comm. in II. Petr. p. 163*) μέγα λίαν αἴτημα eſt: nec vel ex Auguſtini, vel Scripturæ teſtimoniis, vel rationibus, ad qvas ſe recipit Maſenius, confici poteſt. Qvin & ex Pontificiis ipſis contradixerint ii, qvi ſic cenſuerunt: *ſimplici potiùs ruſtico & infanti & aniculæ, qvàm & Pontifici maximo & 1000 Epiſcopis credendum, ſi contra Evangelium iſti, illi pro Evangelio verba facerent*: qvæ Pici olim Mirandulani apud Gerh. *Conf. Cath. L. II. P. I p. 232.* confesſio erat, qvi ibi Gerſonis etiam & Marſilii Patavini & Panormitani gemina adduxit. Sed de eo viderint ipſi; nos de Maſenianis argumentis.

(2) Maſenii argumenta: ex Auguſtini teſtimonio:

(γ) Auguſtini verba è *c. 14. de utilit. cred. T. VI p. 111.* urget qværentis: *cur non apud eos potiſſimum reqviram, qvid Chriſtus præceperit, qvorum autoritate commotus, Chriſtum aliqvid utile præcepiſſe jam credidi? Tune mihi meliùs expoſiturus es, qvid ille dixerit? qvem fuiſſe aut eſſe non putarem, ſi abs te mihi hoc commendaretur eſſe credendum? Hoc ego credidi famâ celebritate, conſenſione, vetuſtate roborata. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium*

bium est, qvin nihil dignum autoritate profe-ratis. Qvæ igitur ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum, & à nobis disce, qvid dixerit. Non repetam jam, qvæ de Ecclesiâ Romanâ, qvalis Augustini ævo erat, dicuntur, hodiernæ, qvæ ab illius fide ac doctrinâ longissimè deviat, applicari minimè posse: Hoc saltem reputet Lector, qvid cui opponat B. Pater. Non sanè explicationem Scripturæ per Ecclesiæ testimonium illi, qvæ per Scripturam fit. Huc enim qvando devenit, tantò huic qvàm illi majorem autoritatem tribuit, qvanto divina humanis antecellunt: qvod supra pluribus textibus ex ipso productis ostendimus. Contendit autem unius (Romanæ, qvæ tum à veritate revelatâ nondum adeò defecerat,) Ecclesiæ explicationem cum testimonio alterius cœtûs (v. g. Manichæi) atqve demonstrat, causam non esse, cur isti hominum feci plus fidei tribuas, qvàm Ecclesiæ Romanæ, qvæ catholica tum appellari poterat per rationes, qvibus deinde cessantibus appellationem ipsam desiisse suprà ex Casaub. & Hopffnero observabamus. Probabile ergò illud argumentum ipsi est & persvasorium potiùs, qvàm apodicticum & infallibile apprehensi ex Scripturâ veri sensûs. Scilicet eadem ratione urget Ecclesiæ autoritatem in Scripturæ expositione, qvâ intelligi voluit, cùm se autoritate Ecclesiæ commotum co- *pag. 126.*

gnovisse ait, qvòd Christus aliqvid utile præceperit. Hoc verò de χειραγωγία tantùm & ministerio, non de præcipuo primarioqve fidei motivo intellectum volebat, ut ostensum Gerhardo *Exeg. L. de Script.* §. 51. Calov. *Crit. S. p. 302 sqq.* Fallit proinde Lectorem suum Masenius, cùm ex h. l. Augustini colligit *p. 77: Planè in omni de fide ex Scripturis controversiâ intellectus noster judiciumq; Ecclesiæ Catholicæ judicio submittendum erit: si in conscientia tuti esse velimus.* Neq; ullis fidiculis ex Augustini verbis hoc extorqveri potest, neq; conscientia nostra tranqvillior aliunde reddi potest, qvàm per ipsius DEI in Scriptura loqventis vocem: qvam si apprehendas, fieri non potest, qvin sensum eundem, qvem Catholica Ecclesia, h. e. veri fideles sanum certumq; esse profitentur. Aliud verò, eundem sensum Scripturæ tenere, qvē Ecclesia: aliud, sensum Scripturæ exigere & sine ulteriori examine recipere ab Ecclesia. Qvod si probè observatum fuerit, nec alter ille Augustini locus, qvem subnectit, qvicqvam habere difficultatis poterit. Tutissimam is eam sententiam dicit esse, *qvæ roborata est universalis Ecclesiæ consensione.* Addamus nos ampliùs, indubiè certam eam esse. At si primam inqviras veritatis hujus causam, ideò veram certamqve esse, qvod Ecclesiæ sic placuerit, nusqvam Augustinus dixit, qvi ad Scripturæ tribunal, si tales incidant lites, ultimo appellat, & *L. II. contra Fau-*

Faustum c.5.T.VI. p.250. profitetur, *licèt in Conciliorum decretis & Episcoporum scriptis inveniatur eadem veritas, quæ in S. Scriptura, longè tamen imparem esse auctoritatem, nec ullò modo canonicæ S. Scripturarum excellentiæ coæqvari.*

(2.) Adversarios suos, planè ut *consid. praced.p.61.* ex suamet praxi convincere laborat, dum pergit: *Qvod adeò non divinis tantùm literis, sed rationi* (modò autem disputaverat, veram fidem rationi nihil, omnia duabus vocibus: *DEus dixit*, tribuere:) *experientiæq; omni conforme est, ut in controversa ex Scripturis sententia ad suas adversarii qvoq; Catholicorum Synodos recurrant, & si harum definitio non admittatur à qvibusdam repugnantibus, ad Magistratûs Principumq; potentiam confugiant, ut his demum privati nolentes volentes suum cogantur judicium submittere, & qvod Sacræ catholicæq; Ecclesiæ autoritati non deferunt, hoc vel suis Synedriis, vel seculari potestati deferre, licèt inviti, cogantur.* ὐδὲν πρὸς ἔπος. Non confugiunt protestantes ad Synodos, tanqvam ad simpliciter necessarios & infallibiles judices controversiarum aut indices divini sensûs tales, qvorum interpretatione aut sententiâ standum absolutè sit. Norunt ex Scripturâ, hanc prærogativam soli DEI verbo convenire. Hæc una amussis, ad qvam Synodorum omnium decreta examinan-

ipsa nostratium praxi.

(Qva Synodorum & magistratuum potestas

 minan-

definiendo sensu Scripturæ?) Vid. suprà p. 142.

examinanda sunt. Cui si consona deprehendantur, alligari omninò ad ea, ut certissima, possunt publicè docentes, non qvasi certitudo ab autoritate Synodorum pendeat; sed qvia sancita doctrina verbo DEI conformis est. Qvam conformitatem cùm deprehendere cuilibet privato DEI auxilio, liceat (*spiritualis enim omnia judicat*, I. Cor. II, 15:) qvis dubitet, qvin in fide & timore Christi congregati pii eruditiq; viri (de utriculariis fistulis, qvales sonabant in Conciliabulo Tridentino à Pontifice Rom. inflatæ, non loqvor) collatis inter se sententiis felicissimè possint? Placet hæc verbis venerandi Doctoris nostri, Dn. Abr. Calovii efferre. *Qvanqvam unus tantùm legislator noster sit, Jesus Christus, cujus lex per se divina est; - tamen cum de sensu hujus legis & legislatoris controversiæ incidunt, in Synodis rectè ea non ventilantur tantùm, sed deciduntur qvoq; ex ipsa legis litera divina & Scripturæ παραφωνίᾳ & collatione mutua; qvod verò non autoritate pratoria, aut nuda suffragiorum multitudine fieri debet, sed pensi habita autoritate infallibili Scripturæ Sacræ, qvæ una & sola controversiarum judex constitui debet.* Sic ille *Arminianism.* C. XXIV. §. 37. *p.* 552. Et discere ex *ejusdem cap.* §. 42. *p.* 557. Masenius poterat, qvousqve obligent decisiones Synodicæ: scilicet non tam ad

fidem,

fidē, qvàm ad *doctrinā publicā*, non qvidē ut cogaris simulare, vel dissimulare id, qvod credis, sed ne habeas potestatē id aliis inculcandi & docendi publicè, qvod decisioni Synodicæ repugnet. Falsum ergo est, qvod ait, *cogi apud nos privatos per Magistratûs Principumq́; potentiam, ut nolentes volentes suum judicium submittant Synodorum decisioni.* Cogere judicium, conscientiam, religionem, eorum est, qvi gravissimo scelere (ut rectè Maximil. II. Imp. judicabat, apud Goldast. *T. II. Constit. Imp. p. 204.* Bernegg. *Qvæst. 191. ad Tacit Kr. 7.* Strauch. *Sleidan. contin. p. 114*) dissentientes igni ferroq́; nisi ad suam se fidem convertant, persequuntur, qvam Catholicorum doctrinam esse, ipsi non dissimulant, graviter eam ob causam à nostris passim confutari: qvibus proinde malè istas sordes Pontificias aspergit Masenius. Produxisset verò *exempla, qvæ hoc seculo multis locis explorata ante oculos versari* jactat, neqve nudâ, eaq́; falsâ, accusatione nostram onerasset Ecclesiam. Ostendisset, qvando ad principum autoritatem confugissent Doctores nostri, qvi nolentes volentes privatos coegissent judicium submittere. Alius ἀναγκασμὸς, (*Luc. XIV, 23.*) alia arma nostræ militiæ sunt, non carnalia, sed potentia DEO, (*II. Cor. X, 4.*) qvibus non coguntur nolentes per magistratum

ſtratum,ſed per DEI Spiritum, ut ex nolentibus volentes fiant,ducuntur. Utqve Eccleſiæ catholicæ ultimum ac deciſivum judicium meritò negamus : Ita multò minùs Synedriis vel ſeculari poteſtati illud deferimus. Hoc eqvidem ſedulo cavent Synedria magiſtratusq; noſtri, ne falſa doctrina publicè ſpargatur; at ut corporali poteſtate qvenqvam ad ſic aliterve credendum cogant, iniqvisſimum ἔγκλημα eſt.

Lectoris judicio : (3) Ad judicium ipſius Lectoris provocat : *Tu expende, qvi potisſimùm ex his in captivitatem redigant intellectum ſuum in obſeqvium Chriſti, qvi ſecuriori frui conſcientia, factiq; ſui rationem faciliorem DEO ſupremo judici reddituri ſint?* Neq; verò nos pii Lectoris illuminatum judicium deprecamur. Expendat qvilibet,qvi potisſimum in captivitatem redigant intellectum ſub obſeqvium (non hominũm , ſed in Scripturis loqventis) Chriſti, qvi ſecuriori frui conſcientiâ factiq; ſui rationem reddere posſint: utrum hi,qvi ſimplici fide amplectuntur omnia , qvæ planè perſpicueq; in Scripturâ definita leguntur, ad qvam unicè Spiritus S. *Eſ.IIX. Gal.I,8.&c.* nos remittit : an qvi ab ore hominum nullo privilegio infallibilitatis (oſtendant enim ,) inſtructorum pendent: nec DEO dicenti credunt , niſi dixiſſe hoc DEum ex hominibus cognoverint?

(4) Elumbem paralogismum ab autoritate Ecclesiæ de qvæstione *historica*,(autorem libri secundarium concernente) in generandâ fide humanâ: ad autoritatem Ecclesiæ de qvæstione *dogmatica* (qvà sensum salutarem & dogmata inde extructa) fidem generante divinam repetit: *Si de Mose ejusque sententia in scriptis relicta qvæstio: cur non par fides illi habeatur Ecclesiæ, qvæ hoc illum sensisse, qvàm qvæ scripsisse suprema autoritate testatur?* En egregios sensûs divini interpretes Scripturâ ipsâ certiores, Christianismi universi hostes, Judæos! Hi enim superiori autoritate!, qvàm ipsimet Pontificii testantur, Mosen hos, qvos habemus, libros scripsisse. Cur non par fides illorum habeatur Synagogæ, qvæ hoc illum sensisse, (v. g. per angelos creatum hominem, ventum aqvis innatasse &c.) qvàm qvæ scripsisse, testatur? Hem Jesuiticum acumen, & lemas plusqvam Saturnias! *Turpi paralogismo;*

(5) Augustini votum ascribit è *XII. Confess.c 25.* utinam sincero animo, & emendare seriò immanem in dissentientes crudelitatem, & monopolium Divinæ veritatis, qvod affectant Pontificii, desiderante: *O lumen ignorantium, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram,* (non ferro omniqve suppliciorum genere extinctos cupiam) *qvi superbi sunt, nec noverunt Mosi sententiam sed amant suam, non qvia vera est sed qvia* *Augustini voto:*

qvia sua est. (Multoq; magis eos, qvi non suam, non Ecclesiæ, aut Pontificis, sed DEI ipsius, sensa sua per Mosen liqvidò satis aperientis norunt & amant, non qvia sua est, sed qvia vera est.) *Domine, tremenda sunt judicia tua. Quoniam veritas tua nec mea est, nec illius; sed omnium nostrûm, qvos ad ejus communionem publicè vocas,* (qvid clariùs contra privatum P. R. sensum loqvi potuisset B. Pater?) *terribiliter admonens nos, ut nolimus habere eam privatam, ne privemur ea. Nam qvisqvis id, qvod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi* (ut Romanus Pontifex, vel Clerus certè) *propriè vindicat & suum vult esse, qvod omnium est,* (Scripturam ejúsq; interpretationem) *à communi propellitur ad sua, h. e. à veritate ad mendacium.* Et post pauca: *Si ambo videmus verum esse, qvod dico, ubi qvæso, id videmus?* (In Ecclesiæ vel Pontificis Rom. decretis, respondisset sine dubio Masenius; at qvantò aliter nobiscum Augustinus?) *Nec ego utiq; in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, qvæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate.*

Nec (6.) verba Augustini è *Conc. I. in Ps. 48.* prolata nobis opponi possunt: qvæ eos tantùm feriunt, qvi *eloqvia divina ad sui cordis perversitatem detorqvent,* non ad Scripturæ ipsius & fidei amussim expendunt.

Qvid

Qvid verò (7.) si Christus ipse ad Ecclesiam nos remittat? Hoc qvidem Masenio velit. *Ipse* (ait *p. 78.*) *in rebus controversis unitatem fraternam scindentibus nos jubet adire atq; audire Ecclesiam, ut sit illi sicut ethnicus & publicanus, h. e. incredulus atq; impius, qvi id facere noluerit Matth. XVIII. 17.* Loqvitur ibi Christus (α) de Ecclesiâ verâ, qvalis Romana amplius non est, & (β) particulari, vel cœtu publico, qvi illicò adiri potest (cui infallibilitatem nec ipsi, puto, Pontificii tribuere ausint,) ejusq; (γ) judicio non absoluto, sed qvasi subdelegato & restricto ad normam verbi divini, neqve (δ) controversias de fide vel sensu Scripturæ, sed privatas offensas inter fratres componente: ut bene Hunnius *Colloq. Ratisb. Sess. VI init.* observavit, qvem & *Tom. III. Opp. p. 418.* vide, & conf. Balduin. *phosph. Cath. L. VI c. 10 p. 642.* Hutter. *LL. p. 552.* Danh. *T. I. Hodom. Pap. p. 334. 546.* Calov. *T. I. Syst. p. 397.* Cham. *T. V Panstr. L. 1. c. 15. §. 6.* Ames. *T. II. Bellarm. enerv. L. II. c. 2. th. 6.* &c. Collige verò: Ecclesia qvælibet vera audiri debet, cùm peccatorem corripit, sub pœnâ excommunicationis. E. Ecclesia Romana, h. e. Pontifex pro certissimo & infallibili sensûs divini interprete haberi unicè debet. Qvid est nugari, si hoc non est?

Christi testimonio Matth. XVIII. 17:

(8.) Augustinus *tr. 18. in Job. T. IX.* cautam verbi tractationem commendat, *ne Scriptura*

iterum Augustini testimonio:

Digitized by Google

pturæ bonæ intelligantur non benè, & qvod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseratur; ultimam resolutionem in Ecclesiam minimè svadet.

(9.) *Non solùm Scripturam S. sed & universalis Ecclesiæ judicium de ea venerandum esse*, rectè dicit Masenius, & ex *IV. de Trinit. c.6.* confirmat. Aliud verò est, Ecclesiæ universalis judicium de Scripturâ venerari: aliud, Ecclesiæ non particularis modò, sed falsæ insuper judicio unicè sensum Scripturæ æstimare.

(10.) Ex Augustino locus restat, qvi habetur *Conc. 3. in Ps. XXX. T. VIII. p. 182*: *Diversæ hæreses, diversa Schismata personant. Lingvæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum DEI, Ecclesiam catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione lingvarum.* Sed præterqvàm qvòd is catholicam Ecclesiam, qvæ tabernaculum DEI est, non cœtum malignantium, qvalis Synagoga Romana, tenere jubet; non Ecclesiam, sed Scripturam regulam veritatis vocat, à qvâ in tabernaculo DEI non discedendum. *Secundum hanc regulam qvi incedit*, protegitur in tabernaculo DEI à contradictione lingvarum, *& super eum pax & misericordia, Gal. VI, 16.*

(11.) Ul-

(II.) Ultimum locum Salvatoris, charissimiq; ipsi discipuli verba occupant. *Novi, (ait) falli illos non posse, qvi ad Ecclesiæ tuæ Catholicæ Doctores recurrunt, qvibus dixisti*: qvi vos audit, me audit, *Luc. X, 16. Johanne etiam teste I.Ep. IV, 6.* qvi non est ex DEo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis & erroris. *Nos, inqvit, ut intelligeremus, eum de Ecclesiæ Doctoribus secum post reliqvos jam Apostolos Ecclesiæ DEI præpositis loqvi.* Mirum, non vidisse Masenium, ita singulis Doctoribus infallibilitatis tribuendum privilegium: qvos errare tamen posse, omnes hactenus, qvod sciam, Pontificii concesserunt. Proinde non absolutè possunt illa Salvatoris verba, si præter Apostolos θεοπνέυςυς ad cæteros etiam Ecclesiæ Doctores extendas, intelligi; sed sub hypothesi, si *à Christo missi ea doceant omnia, qvæ Christus præcepit*, Matth. XXVIII, 20. adeoqve *ex DEO sint*, ut Johannes addit. Si enim legatus ab instructione Principis deflectat, solus ipse, non per eum princeps audietur ampliùs. Neq; audiendi sanè erant, qvi ab ipsis Apostolis exiverant, *I. Joh. II, 19.* imò si *Paulus ipse vel angelus dè cœlo aliud annunciarit Evangelium præter id, qvod acceperant ab ipso Galatæ, anathema* pronunciatur, *Gal. I, 8.* Conf. Schröder. *de jud. controv. c. 8. p. 289.* Stegmann. *de jud. Contr. p. 221. 227. sqq.* Gerh.

Verbis Christi & Johannis Luc. X, 16. I. Joh. IV, 6.

L. de Minist. §. 88. Tenzel *contra Fromm. p. 980. sqq.*

Punct. III. p. 79.

(b) Firmitas & ἀσφάλεια fidei: (α) à Masenio postulata:

Considerare jubet, (1.) *firmam & sine omni hæsitatione debere esse fidem, quia infallibili promissioni immutabiliq; Sapientiâ & veritate DEI innititur.* Idqve è *Gal. I, 8. Rom. IV, 19. Eph. III, 12. 17.* confirmat. Addit autem (2.) *cum hac fiduciâ locum habere debere timorem Domini, ut qvi initium sit Sapientiæ, Prov. I, 7.* Hæc si veræ fidei nota est, facile erit arbitrari, nostra, an qvam inculcant Pontificii, fides vera sit. Eqvidem totus discursus Masenii eò videtur colli mare, ut persvadeat Lectori, fidem nostram talem esse gratiæ DEI persvasionem, qvæ omnem DEI timorem, omnem pietatem, & piam solicitudinem excutiat. Sed qvàm vera sit ista accusatio, postea cognoscetur. Nunc primò monendus est Lector, ut perpendat, num *firma sit & sine omni hæsitatione fides illorum*, qvi per omnem vitam non minùs de perseverantiâ finali æternaqve salute, qvàm de præsenti gratiâ dubitandum homini esse contendunt. Nostra qvidem

(β) à nobis a constrata

hæc est sententia, fidelem qvemvis fide divinâ per verbum & Sacramenta ordinariè accensâ posse infallibiliter & absqve omni hæsitatione certum esse, qvòd propter meritum

ritum Christi verâ fiduciâ apprehensum in gratiâ DEI peccata remittentis sit, & auxilio divino in eâ fide ad finem usq; vitæ perseveraturus, atq; adeò salutis æternæ particeps futurus sit, dummodò ipse media salutis, de qvorum oblatione dubitare promissiones divinæ non permittunt, petulanter non excutiat. Hanc doctrinam nostrates non obscurè *Art. 4. 12. 13. 20. Aug. Conf.* clariùs autem *Apolog. ejusdem p. 82.* & *Form Conc. Epit. art. 3 p. 585.* inculcarunt: demonstraruntq; alibi ex promissionum Evangelicarum, juramento etiam firmatarum immotâ veritate *Ez. XXXIII, 18. Joh. III, 16. 1. Joh. V. 24. Ebr. VI, 16. 17.* ex Sacramentorum, h. e. signaculorum fidei officio, *Rom. IV, 11 I. Pet. III, 21.* ex Spiritûs S. veracitate, testimonium perhibentis in cordibus fidelium, & clamantis: Abba Pater, *Rom. VIII, 14. sqq. Gal. IV, 6. Eph I. 13 IV, 30.* ex certâ precum exauditione, *1. Joh. V, 14. 15.* ex ipsâ naturâ fidei justificantis, qvæ πεποίθησις, ὑπόστασις, πληροφορία est, eæ autem voces dubitationem omnem excludunt; exemplis etiam piorum, qvi non ex speciali revelatione, sed communibus principiis (unde & nobis in exemplum *Ebr. XI.* & alibi proponuntur) & de præsenti gratiâ, & de gloriâ futurâ certi fuerunt, & ita certi, ut gloriarëtur in tribulationibus, scientes, qvòd neq; mors, neq; vita &c. separare illos pos-

sit à dilectione, qvæ est inChristo Jesu. vid. deAbrahamo*Ro.IV,18.sqq.*Jobo,*Job.XIX,25.sqq.* Paulo *Rom.VIII,31.sqq. Gal. II,19. 20. I. Tim.I,*16. qvi & cæteris fidelibus eandem certitudinem tribuit *Rom. V,1.2.3.VIII.* 1. *Eph.III,12.* qvæ omnia solis radiis scripta argumenta non minùs feliciter à tenebris, qvas offundere Pontificii conati sunt, liberarunt, qvàm firmiter immoteqve ostenderunt, hæsitatione Pontificiâ omnem fidem, (qvæ sine fiduciâ nulla est) omnem conscientiæ tranqvillitatem, omnem amorem DEI,*I.Joh.IV,18.* omne solatium, deniqve gloriam divinæ bonitatis, potentiæ & veritatis (*I. Joh.V,10.Rom.IV,20.*) funditus aboleri & everti. Vid. Luther. *in Gen. XXI. & XXVI.& Gal.*IV.Chemnit. *P. I. Exam. C. T. p.166.sqq.P. II. Locorum Theol. p. 689. sqq.* Saccus *tract.de certitud. justif.* Meisner. *Anthropol. Disp. XXIX,& XXX.* Gerh. *L. de justif.*§.81.-108. Danh. *Hodos.p.1360.sqq.*& *Tom. II.Hodom.Pap.p.129.383.sqq.* Dn. Bebel. *pecul. exerc. de certitud. gratiæ & justif. A. 1671. eruditè conscriptâ,*Kromaj. *Theol. positiv-polem.p.665.sqq.* & qvi instar omnium esse poterat, primo nominandus loco, B.Höpffner. *de justif. Disp. VI.VII.VIII.* Vel unum ex his inspecturus Lector deprehendet, veram esse fidem nostram vel Masenio judice (*firmam* qvippe *& sine omni hæsitatione,*) falsam verò vel nullam potiùs Pontificiorum, cui nihil

nihil firmitatis, mera autem hæsitatio dubitatioq; subest. Qvanqvam enim fortè cum Bellarm. *L.3. de justif. c.11. §. postremam rationem* & Forero *P.III. antiq. Papat. p.893.* negare velit, *esse Catholicos scriptores, qvi doceant, oportere homines perpetuò dubitare & hæsitare de suâ reconciliatione cum DEO, ac* timorem saltem filialem ab se reqviri jactet; evincunt tàmen non modò hypotheses qvædam Pontificiæ, v.g. de spe salutis in propriis meritis ponendâ, saltem ex parte, de postulatâ formidine contrarii, & maximè de hæsitatione circa ministri baptismũ, ordinationem, intentionem, è qvâ necessariam dubitationem de gratiâ & remissione peccatorum rectè deducunt Bresser. *L. II. de Conscient. c.15. p.207.212.* & Tanner. *T. II. Theol. Schol. D.VI. Q.IV. dub.5. n.117. p.* 1311. (ut omittam jam sententiam qvorundam de absolutâ electione & reprobatione, è qvâ necesse est oriri dubitationẽ de gratiâ & salute, vid. Dorsch. *P.* II. *Vindic. Exodi p. 256. sqq.* Gerh. *Disp. I. de gloriâ DEI.* §.34. Danh. *T.II. Hodom. Papp. 6. sqq.*) sed & ingenua plerorumq; Papistarum confessio, non posse homines in hac vitâ habere certitudinem de suâ justitiâ, iis exceptis, qvibus DEus speciali revelatione hoc indicare dignetur, qvam communem sententiam Bellarm. *L.III. de justif. c.3.* appellat. Conf. Meisner. *anthrop. D.XXIX. §.12. sqq.* Höpffner. *De ju-*

(γ) à Pontificiis impugnata.

stif. D.IX.c.5. aph. 2. p. 815. Concilium certè Tridentinum clariùs dubitationem inculcat, qvàm ut ulli effugio locus sit, *Sess. VI. cap. 9.* imò ἀσφάλειαν fidei & firmitatem, omnesq; qvi eam docent, anathematis fulmine ferit *ejusdem Sess. can. 13: Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam* (condonandum hoc ἁμάρτημα stupidis Patribus, nec assecutis mentem protestantium, qvi talem certitudinem in justificato potiùs, qvàm justificando reqvirunt:) *necessarium esse, ut credat certò & absq; ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Et can. 15: *Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* Videat Masenius, qvomodo hoc fulmen effugiat (si seriò qvidem rem agit, nec ludit Lectorem suum,) dum *fidem in cognitis meritis Christi fundatam magnam generare fiduciam, & firmam atq; sine omni hæsitatione esse* oportere contendit. Fuere sanè, qvi seriò idem defenderent, qvos inter in ipsâ Synodo Trident. Ambr. Catherinus, & Ant. Marinarius agmen ducunt, de qvibus ap. P. Svavem *L. II. Histor. C. T. p. 181.* legi potest (de Dnn. Walenburchiis Calov. *Exegem. Aug. Conf. art. IV. c. 8. § 20.* de aliis Gesh. *Conf. Cath. L.* II. P.

II.P.III.*a.23.c.5.* videantur,) ac sæpè talia vis veritatis ipsismet Jesuitis extorsit, (ut C. à Lap. *in Eph.*III, *12.* Conzenio *ad Rom.* IIX. *q.3,p.327.* &c.) qvæ Pontificiæ dubitationi meritò opponas. Sed ista vel ad privatas, nec approbatas omnibus opiniones referuntur, vel ἀστηρίκτους καὶ αὐτοκατακρίτους arguunt, vel deniq; sic exponuntur à Romanensibus, aut torqventur etiam, ut tam utile sibi vectigal non eripiatur. Prodidit, ringentibus Pontificiis, horribile illud secretum magnus Chemnitius, & curtantopere pro hæsitatione illâ suâ depugnent, declaravit. *Non sanè nulla sunt causa,* (ita is *Exam.C.T.P.I.p.166.*) *qvare tam acriter Pontificii de retinendâ dubitatione digladiantur: intelligunt enim totam negociationem Pontificiæ nundinationis hoc fundamento niti. Conscientia enim qvarens certam aliqvam & firmam consolationem, qvando audit ipsam fidem, etiam qvando in promissione Christum mediatorem apprehendit, debere dubitare de remissione peccatorum, cogitat se velle cumulare tam multa & tam varia opera, ut juxta Poëtam, si non prosint singula, plura juvent. Hinc ultra opera divinitus mandata, electitii cultûs sine fine & modo excogitati fuerunt. Hinc vota, peregrinationes & invocationes Sanctorum, fraternitates, opera indebita, opera supererogationis, nundinatio missarum, negotiatio indulgentiarum, & breviter tota illa*

(*Dubitatio Palladium Papalis Curia.*)

Lerna superstitionum Pontificiarum. Cumq; in agone conscientiæ in illis omnibus non inveniret certam & firmam consolationem: excogitatum tandem est purgatorium, & proposita redemtiones suffragiorum post mortem. His regni sui vectigalibus timent publicani Pontificii. Vident enim fore, ut minuantur & intercidant, si homines ex verbo DEi doceantur, fidem esse fiduciam, quæ in promissione Evangelii inveniat, accipiat & possideat certam & firmam consolationem de reconciliatione cum DEO. Hinc illa lacrymæ, hinc tentationes pro stabiliendâ dubitatione. Cùm ergò tota Curia & religio Romana superstructa huic hæsitationi sit, cogitari facilè potest, qvid de firmitate fidei Pontificiæ habendum sit.

(d) Cum filiali timore conciliata:

Verùm enimverò, si hujusmodi certitudinem gratiæ & salutis tribuas fidei, qvalem inesse fidelibus suis Lutherani ajunt, timor DEI exulabit orbe, latè regnabit securitas & impietas. Scilicet hoc velit & magno mercetur Masenius noster. Huc enim tendit *alterum* istud *membrum*, initio hujus puncti annotatum à nobis, ad cujus jam examen pes promovendus nobis est. *Cum hac tamen fiduciâ,* ait, *timor Domini locum habet* &c. En Caipham vaticinantem de Lutheranorum fide. Hæc enim in firmâ & hæsitationis experte fiduciâ

fiduciâ consistit. Pontificia solo assensu contenta est, pro fiducia autem dubitat & fluctuat. Omninò autem cum fiducia tali timor Domini locum habet. Qvi enim dolores conscientiæ ob peccatum ex lege sic sensit, ut nullum sibi intelligat, nisi in gratia DEI Christiq; merito præsidium esse, jamq; fide vera justificatus pacem habet cum DEO per Dominum nostrum Jesum Christum, *Rom.* V, 1. timet utiq;, ne tam benignum Patrem iterum offendat, restitutamqve pacem conscientiæ amittat. *Liberatus de manu inimicorum suorum servit Deo* ἀφόβως *sine timore*(servili)*cum sanctitate & justitiâ coram ipso cunctis diebus vitæ suæ*, Luc. I, 74. 75. Et qvia novit, fieri posse, ut *terra, qvæ cœlestem imbrem imbibit, spinas proferat, reprobetur & deseratur*, Ebr. VI, 7. 8. ideò *purgatus, à veteribus delictis suis satagit, ut per bona opera firmam reddat vocationem & electionem suam*, II. Pet. I, 9. 10. & *adhortatur semetipsum per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur fallaciâ peccati: qvia particeps Christi factus est, si tamen initium substantiæ* (ὑποστάσεως, *fidei*) *usq; ad finem firmum retineat*, Ebr. III. 13. 14. Fidem sine bonis operibus, qvorum initium timor Domini est, esse posse, Pontificium dogma est, in Concil. Trid. *Sess.* VI. *cap.* 15. sancitum. Nos ne pro verâ qvidem fide haberi posse putamus, cui timor Domi-

ni absit. Nec enim lux illa in animâ nostrâ esse potest (*Eph.V,8.14.*) nisi radios hujusmodi de se spargat, *Matth V,16.* Manifesta igitur impostura est, interpretari doctrinam nostram de fide justificante, quæq; inde conseqvitur, certitudine gratiæ ac salutis, qvasi calcar ad peccandum. Qvod qvidem Malenius usitatâ Pontificiis Scriptoribus calumnia persvasum cupit Lectori. *Tu igitur expende, inqvit, annon manifesta sit impostura, asserere, qvòd fides sit certa fiducia & persvasio de remissis sibi peccatis, & vitâ æternâ per Christum donatâ. Id enim si verum sit, talis fidelis non poterit damnationem timere, cùm ex fide certus de suâ debeat esse salute, & fide verâ juxta plerosq; nunqvam qveat excidere.* Subjicit deinde ex Augustino & Scripturis ea loca, qvibus non ad hæsitationem & dubitationem, sed ad timorem filialem piamq; sollicitudinem, ne excidamus gratia semel partâ, excitamur, *Matth.X,28.Rom.XI,20. I.Cor.X,13. Phil.* II, *12:* Simonis item & Nicolai ex credentibus apostatatarum exempla ex *Act.*VIII, 13. *VI, 5.* qvanqvam illi qvidem Nicolao injustè infamis apostatæ notam inurat. Vid. Dannh. *Christeid.p.528.* Cluver. *Diluc. apoc. T.*II.*p.76.* Sibel. *homil.*XI.*in Apoc.* II.*p. 98.* Hotting. *P.I.Hist.Eccl.p.44.* Sed hæc qvidem ad nos planè non pertinent, & pudere debebat novæ praxeos conditorem tam putidi

(e) Ab accusatione Malenii vindicata.

di

di commenti sexcenties à nostris confutati: qvi ad ravim usq; distingvendum clamaverunt inter *falso jactatam fidem* Epicuræorum & impœnitentium, qvi pessimè viventes gratiam DEI neqvicqvam sibi pollicentur; & *veram piorum fiduciam*, cujus signum & effectus inseparabilis est filialis timor DEI; monuerunt, non confundendas esse qvæstiones de *præsente gratiâ*, & *futurâ gloriâ*. De illâ enim *absolutè* certi esse possunt fideles ob impletam jam conditionem gratiæ & justitiæ omnibus credentibus promissæ; de hac non nisi *sub hypothesi* non excussionis mediorum salutis. Hac enim qvanqvam semper oblatum iri ex parte DEI infallibiliter norint, (semper dabit Pater Spiritum S. petentibus &c.) cavendum tamen sibi intelligunt, ne per peccata fidem pariter & salutem amittant. Ostenderunt autem id etiam, qvantum intersit inter *timorem filii* de hæreditate non dubitantis qvidem, (*Rom.* VIII, 16. 17.) sed tamen parentem debitâ reverentiâ proseqventis, & caventis, ne hæreditate excidat, (*Phil.* II, 12.) & inter hæsitationem, *dubitationem*, anxietatem *servi* operum suorum (qvanqvam jam debitorum *Luc.* XVII, 10.) vanâ opinione ebrii & titubantis: vel inter timorem *vigilantiæ* & *diffidentiæ*: (Vid. Dannh. *Hodom. Pap.* T. II. p. 393. Hulsem. *Manual.* p. 798. sqq. &c.) docuerunt præterea, minimè omnium

mnium procedere collectionem à *necessitate cavendi lapsum ad probabilitatem dubitandi* de futurâ perseverantiâ, neq; seqvi: ille potest fieri fur, latro &c. igitur causas habet dubitandi, an de præsenti sit vel etiam permansurus probus, ut loqvitur Hülsem. *Breviar. c. XIV. th. 9. Conf. supplem. th. 8. sqq.* Expendat jam Lector, annon manifesta impostura sit, asserere, qvòd posito, fidem hominis jam justificati certam fiduciam & persvasionem esse de remissis peccatis, vitaq; æternâ per Christum oblatâ, & certò conferendâ, si intra ordinem divinum permanseris, nec te ipsum petulanter indignũ reddideris gratiâ, nemo talium fidelium possit damnationem timere aut fide excidere. Calvinianis has clitellas, non nobis, qvi & salute excidere verè fideles posse, nec minùs exitiosam Calvinianam de absolutâ electione præsumtionem, qvàm dubitationem Pontificiam, & utramq; ad damnationem, sed diversâ viâ ducere, censemus. Atq; illis qvidem rectè opponas, qvæ ex Augustini *Ep. 107. & c. 38. de sancta virginit.* Masenius adduxit. Qvi de cætero animum longè ab incertitudine & dubitatione Pontificia alienissimum toties profitetur, qvoties certissimam salutis spem commendat. Ut Serm. XXIIX. de verbis Dom. T. X. p. 112: *Omnia tibi peccata di-*

(ζ) Augustini suffragiis roborata.

dimissa sunt. - Ideò præsume non de operatione tuâ, sed de Christi gratia. Gratia enim Salvati estis, Apostolus ait: Non ergò hîc arrogantia est, sed fides. Prædicare, quod acceperis, non superbia est, sed devotio. Eandem in sententiam Enarrat. Psalm. LXXXIIX. p. 974. T. VIII. ex veritate DEI adjurantis probaturus certitudinem gratiæ: *Hoc promisit DEus, hoc dixit DEUS. Si parum est, hoc juravit DEUS. Qvia ergò non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de qvo non potest dubitare.* In exposit. qvarund. propos. ex Ep. ad Rom. n. 58. T. IV. p. 1202: *Qvod ait, certus sum, & non dixit, opinor: plena fide tenuit, qvòd neq; mors ulla, nec vita temporalis promissa, nec cætera subseqventia possunt credentem à charitate DEi detorqvere.* L. II. de Symbolo ad Catech. c. 10. T. IX. p. 1117: *Qvisqvis fideliter credit, & professionem fidei suæ, in qva remittuntur omnia peccata,* indubitanter *tenet atq; amplectitur, præparet voluntatem suam voluntati DEi.* Similia è *L.* II. *c.* 7. & *L.* IV. *c.* 7. & plura etiam apud Gerh. *L. de Justif.* § 92. Calov. *Arm. c.* XIV. §. 4 *p.* 338. & *Exeg. A.C. art.* IV. *c.* 8. §. 6. Bebelium *de Certitud. salutis* § 27. habentur. Certè qvidem adeò animum stylumqve à Pela-

Pelagianis, qviqve illorum partes tuentur hodie dubitationis patroni, abduxit, qui à multis absolutæ electionis patronus, licèt immeritò, haberetur. Qvâ de re Vossius *Hist. Pelag.* L. VI. *th.* 10. *sqq.* *p.* 571. *sqq.* & è nostris Hûlsem. *de Auxil. Grat. p.* 284. 295. 323. *sqq.* Dorsch. *P.* II. *Vindic. Exodi p* 262. Dnn. Wittebergenses *Antapolog p.* 398. *sqq.* Calov. *Disp.* IV. *tota Syncret. Calixt. p.* 249. *sqq.* & *Arminianism. p.* 406. *sqq.* monuerunt.

Postremò & temerariam præsumtionem de certitudine salutis cum Masenio deprecamur, sed ita ut nec dubitationem Papisticam propiùs abesse velimus. *Absit, ô mi DEUS, absit illa de me confidentia aut veriùs præfidentia, qvâ statuam, me non posse fide meâ, tuaq; gratiâ ac salute promissâ excidere, ut hac fretus securitate inter qvoslibet vitæ lapsûs de tuâ præsumam misericordiâ, & apprehensâ tantùm per fidem Christi justitiâ omnia scelera sub spe impunitatis patrata, obtegi existimem.* Absit autem, ô mi DEUS, absit & illa de te diffidentia, qvâ dubitem, tuâ gratiâ, Filiiq; tui merito omnes vitæ meæ lapsûs sic obtectum velatumq; iri, ut de tuâ gratiâ, & perseverantiâ usq; ad finem vitæ, vitaq; adeò

æternâ

æternâ certissimo mihi esse liceat. *Sanè enim doctrinam ejusmodi*, qvæ ad desperationem ducit, æqvè ac alteram illam, *qvæ ad impunè peccandum calcar addit*, *non ex Schola Christi, sed diaboli prodire necesse est.* Est inter Tanaim qviddam socerumq; Vigelli.

EXA-

EXAMEN
Considerat. IX.

p. 82.-92.

De

Visibili in terris Ecclesiæ capite, an (1.) unum illud ac (2.) necessarium, & (3.) qvi illi non subsunt, salvari qveant?

ARcem causæ Pontificiæ vel, ut Bellarm. *præfat. lib. de R.P.* loqvitur, *summam rei Christianæ* petit hæc consideratio. Salvô enim primatu Pontificis inconcussa perstat res Romana, qvam corruere necesse fuerit, si hæc acropolis aliqvid patiatur detrimenti. Tolle Pontificem, tolle Antichristũ. Truncus fuerit resp. antichristiana capite exciso, unde omnem succum vitalem haurit. Qvare in hoc Medusæ capite asserendo hoc majorem operam ponit Malenius, qvò plus præsidii sibi repositum in eo intelligit. *Primùm* in antithesi occupatur, & eluere verissimas Protestantium accusationes laborat, qvi Pontificem Antichristum illum magnum à Spiritu S. II. Thess.

Theſſ. II. & alibi prædictum eſſe, invictè demonſtrarunt. *p 82.-86.* *Deinde* non modò conveniens fuiſſe, ſed planè neceſſarium, viſibile aliqvod caput Eccleſiæ præfici; *p 86-90.* *Poſtremò*, neminem ſalvari poſſe, qvi huic capiti non ſubſit, *p. 90. 91.* contendit. Experiamur, qvàm accuratè ſingula iſthæc momenta expendat.

Puncto I.

Primùm proteſtantium mentem exponit, & qvaſi tribus argumentis confirmat *p. 82.* qvibus mox *p. 83. 84.* reſpondere ſatagit; ac poſtremò in eos, tanqvam inſanos calumniatores ac portentoſæ falſitatis reos convictosq; qvibus nec mens, nec fides, nec religio inſit, inſanè debacchatur *p. 85.*

An Pontifex Rom. ſit Anti-Chriſtus?

Proteſtantes, inqvit, *unum caput viſibile* Eccleſiaſticum, *qvalis eſt Rom. Pontifex, usq; adeò averſantur, ut populo hactenus perſvadere conati ſint, antichriſtum hunc eſſe, qvi in templo DEI ſedens Chriſti regnum religionemq; evertat, homo peccati ac perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne qvod dicitur* (DEUS) *aut qvod colitur, oſtendens ſe, tanqvam ſit DEus, cùm ſuper omnes mundi principes, regesq; ac Epiſcopos ſe extollat.* Sanè ita eſt. Averſantur proteſtantes viſibile aliqvod Eccleſiæ caput, qvia norunt, Chriſtum Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus omni

U domi-

dominatûs usurpatione ex æqvo interdixisse *Matth. XX, 25. sqq. Marc. X. 42. Luc. XXII, 25.* sibiq; soli hoc reservasse ἀξίωμα, qvòd sit Ecclesiæ suæ caput, de qvo postea *puncto II.* Lege interim, si lubet, B. Meisner. *disp. de Regim. Ecclesiast. q. 5. p. 322. Scholarum Academicar.* Pontificem verò Romanum, antichristum illum magnum esse à *Daniele* Prophetâ, *Paulo* Apostolo, *Johanne* Theologo prædictum, ideò affirmant, qvòd luce meridianâ clarius est, omnes ab illis indicatas notas in ipsum competere, ceu demonstrarunt Georg. Dounam. aliqvot libris de antichristo, Maresius *differt. de antichristo & 2. libris de antichristo revelato*, Sutliv. *L. V. de Pontif. Rom. per totum*, Andr. Willetus & Danæus, item Fr. Junius, Gabr. Pouelus peculiaribus de hoc argumento scriptis, Chamier. *T. II. Panstrat. L. 16.* & ex nostratibus Luther. *pref. in Dan.* Theod. Thummius *in Papâ-Antichristo, ejusq; continuatione & vindiciis*, Brochmand. *V. libris de antichristo*, & *T. 2. Syst. Theol. artic. de Pontif. Rom. sect. 3. p. 813. sqq.* Hunn. & Balduin. *in II. Thess. II.* alter etiam *tract. de Antichr. contra Sciopp.* nec non *Phosph. Cath. contra Pazmann. L. X. toto*, Gerhard. *Conf. Cath. L. II. P. I. a. 3. c. 6. p. 524. sqq.* Phil. Nicol. *L. I. de regno Christi c. 7. sqq.* Theol. Saxonici Hauptvertheid. des Augapffels *c. XCVI.* Danhauer. *antichristos. p. 934. sqq.* & omninò *Tom. I. Hodom. Pap. à p. 580.*

p.580. ad 748. Hülsem. *breviar. c. 21.* Wilh. Lyser. *disp. de Antichristo, in II. Th. II.* Geier. *Comm. in Dan. p. 924 sqq.* Kromajer. *de Apostas. Rom. Eccl. Dec. II. disp. ult.* aliiqve: ad qvos remittere, qvàm sublegere aut repetere prolixè nimis, qvæ eruditè pieqve disputarunt ipsi, malumus. Masenio nostro tria placuit argumenta excerpere, inq; refellendis iis experiri ingenii aciem. *Unum* à descriptione Paulinâ II. Thess. II. *alterum* à fastu Pontificis in locum Christi sese ingerentis, *tertium* deniq; à dogmatibus Papalibus Christi doctrinæ planè oppositis accersitum: qvæ posteriora duo argumenta ipsum nomen suggerere videtur. Ἀντίχριστος enim & vicarium & adversarium Christi notat: qvorum alterum affectat Rom. Pontifex, alterum opere ipso luculenter comprobat. Age autem, videamus de tribus istis argumentis, & qvid ad ea Masenius noster reponat.

Tria argumenta pro nostrâ sententiâ à Masenio prolata.

1. *Descriptio Apostolica II. Thess. II.* clarior est, qvàm ut solidi qvidqvam dici contra qveat. Inter signa adventûs Dominici ad judicium refert Apostolus tum *apostasiam*, tum *revelationem antichristi* εἰδικῶς & specialiter sic dicti pro insigni & eminenti seductore, qvi minoribus antichristis, sive doctoribus qvalitatem

I. Ex descriptione Paulinâ, II. Thess. II. Ubi prædicitur partim apostasia,

tem personæ & doctrinæ Christi labefactantibus, antonomasticè præfertur, *I. Joh. II,18.22. IV,3. II. Joh.7.* Et voce qvidem ἀποστασίας non tam defectionem à Rom. Imperio, ut hîc qvidem Ambrosium in partes vocans Masenius *p.83* contendit, (qvanqvam non negemus, imminutionem Rom. Imperii portas bipatentes Antichristianæ tyrannidi aperuisse) qvàm, ut Augustinus *XX.C.D.19.* (observante ibidem & Coqveo p.900.) aliiq; magis ex more ac stylo Spiritûs S. interpretantur, defectionem à Christo ejusq; fide indicavit, qvomodo ipse Apostolus eandem apostasiam 1. *Tim. IV, 1.* explicuit, & in seqq. per efficaciam erroris, mysterium impietatis &c. reddidit. Vid. Balduin. *Comment. h. l. p. 1216.* Hulsem. *brev. c.22.§.10.11.* Danhau. *antichr. p.173. seqq.* W. Lyser. *de antichr. ad Num. V not. 2,* Mares. *Dissert. de antichr. p.46.* Ex hac autem defectione orituram prædicit retectionem antichristi, fraudumqve ac mendaciorum illius, qvibus aliqvandiu occultè & in mysterio dementavit orbem Christianum; tandem regnum suum erexit, inqve eo impunè ac palàm grassatus est. Hunc sic describit Apostolus, ut qvasi vivis coloribus deformasse Pontificem Romanum videatur. Nam qvæ de ingenio Antichristi & studiis, itemqve de revelatione ejusdem commemorat, sic in Papam qvadrant, ut potiori jure *nec mentem,*

partim revelatio antichristi, cujus nota omnes in P. R. qvadrant, ut, qvòd

em, nec fidem, aut religionem qvis inesse dixerit ei, qvi dubitet, Rom. Pontificem antichristum esse, qvàm qvo Antichristi hostibus id Masenius imputavit *p. 85.* Expendat enim Lector, annon jure meritissimo (1) ἄνομος (1.) ἄνομος. *iniqvus vel exlex* appelletur, qvi *nulli se legi subjacere, nullo jure ligari posse* jactat: qvi *plenitudinem* sibi arrogat *potestatis supra omnia jura, secundum qvam de jure potest supra jus dispensare: est supra jus, contra jus, extra jus. Si maximè furtum, homicidium, adulterium aut aliud ex se malum commiserit, interpretari debemus, qvòd divino instinctu fiat. Imò factum à Papâ* (horret scribere calamus,) *reputatur factum à DEO. Nam Summus Pontifex qva facit, facit ut DEus, non ut homo.* Collegit hos similesqve plures Canonistarum flosculos Dounam. *L. V. de Antichr. c. 6.* & VVhitaker. *de Rom. Pontif. qv. 5. p. 711.* (2.) *Homo peccati & filius perditionis,* (2.) *homo peccati, & filius perditionis.* qvi (ut de horrendis Pontificum plerorumqve sceleribus ab ipsismet Papistis sæpiùs deploratis, tactisqve superiùs à nobis non dicam, de qvibus præter anteà citatos Baronius ipse *ad Ann. 931.* Chamier. *t. I. Panstr. L. III. c. 6.* Laurent. *Grot. Papiz. p. 15. sqq.* legi possunt,) ex ratione statûs & jure dominationis Papalis, licèt aliàs fortè non pessimo

 sit

ſit ingenio, peccare cogitur tyrannicâ & ad regicidia etiam graſſante dominatûs propagatione, lanienis orthodoxorum, conſcientiarum torturâ, ſacrilegâ SS. Bibliorum & calicis Dominici prohibitione, variâ idololatriâ, ad qvam Jerobeami alicujus aut Achabi inſtar everſo vero DEI cultu omnes adigit regni ſui cives, &c. qvorum ſcelerum neceſſitatem qvaſi invincibilem multi ex Pontificibus ipſis faſſi, ut de Innocentio IV. Pio II. & V. Adrianoq; VI. (de qvibus in compendio repetiit Danhauer. *T. I. Hodom. Pap. p. 635.*) aliisq; conſtat. (3.) Ἀντικείμενος seu *adverſarius*, qvi Christo ejusqve perſonæ (humili, pauperi, miti: ſuperbiâ intolerabili, crudelitate, ferociâ,) officio, (novos mediatores introducendo, ſponſum ſe & caput Eccleſiæ jactando, remiſſionem peccatorum auro venalem exponendo, &c.) Verbo (Laicis Scripturam eripiendo, falſa proponendo, tradendo electitios cultûs, affuendo commenta humanarum traditionum,) Legibus (contra eas diſpenſando, & contrarias promulgando,) corpori myſtico (ſive veræ Eccleſiæ, eam perſeqvendo,) ſeſe modis omnibus opponit. Specimen hujusmodi adverſitatum habet Æg. Hunn. *in II. Theſſ. II. p. 64. ſqq.* Conf. Dounam. *L. III. de Antichr. inprimis c. 5. & 8.* Jo. VVolf. *T. II. Lect. memorab. p. 711.*

(3) ἀντικείμενος.

p.711.746.sqq. (4) *Extollitur supra omne qvod dicitur DEus, aut qvod colitur.* Non enim *veri* tantùm *DEI* verbum sibi subjicit, tum ratione autoritatis, tum ratione sensûs, (qvâ de re Erasmus qveritur *in 1. Cor. VII. p. 471: Pleriq́;*, ait, *Theologi tantum autoritatis tribuunt Rom. Pontifici, ut possit abrogare, qvod ab Apostolis, atq́; adeò ab ipso Petro sit institutum: nec desunt, qvi vocent in qvæstionem, num jus habeant, & adversus Evangelicam doctrinam statuendi qvippiam: nec prorsus abnuunt, qvin aliqvâ ratione possit, si non abrogando, qvod statuit Christus, certè vel interpretando, vel astringendo, vel relaxando.*) Veri DEI ordinationes evertit, conjugium à DEO institutum omnibus, qvi continere neqveunt, magnæ hominum parti prohibet, novos fidei articulos, qvorum nec vola nec vestigium in S. literis, condit; sed etiam extollit se super πάντα λεγόμενον Θεὸν, omnem magistratum, *qvi dicitur DEus*, (I. *Cor.* VIII, 5. *Psalm.* LXXXII, 7. *Job.* X, 34.) ipsumqve σέβασμα seu sacram Cæsaris (qvi σεβαστὸς *Act.* XXV, 21. 25.) Majestatem: non ratione ordinis tantùm, sed qvoad originem etiam & radicem potestatis, unde se Soli, Cæsarem Lunæ à Sole lumen mutuanti comparat, pro arbitrio Imperatores ac Reges exuere dignitate ac

(4.) ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα θεὸν λεγόμενον, ἢ σέβασμα.

ac imperio, ipsorum calcare colla, eorumq; uti ministerio in apportandis ferculis, humeris sellæ, cui insidet, subjiciendis, tenendo stapede, ductando eqvo &c. qvæ omnia notissima sunt, neq; ab ipsis scriptoribus Pontificiis negantur, è qvibus Gerh. *T.* II. *C.C.p.808.809.* L. Banck *de tyrannide Papæ c.17.p.471.sqq.* Maresf. *antichr. revel. L. 1. c. 24.* Dounam. *L* IV. *c. 2. & 3.* Danh. *Hodom. Pap* I, 731. & ante hos, Statûs Protestantes *in caussis recusati Concilii Tridentini* repetierunt. Qvomodo se super *fictitios suos deos*, h. e. Sanctos (qvi ab hujus qvasi supremi Numinis canonizatione pendent) & cætera Romanæ Ecclesiæ σεβάσματα efferat, Dounam. *L.* IV, *c.4.* ostendit. Angelis (qvi & ipsi λεγόμενοι θεοὶ in Sacris) Concilium Remense Pontificem Innocentium præferre non dubitavit. Vid. Christoph. Arnoldi *Spicileg. ad Ursini Exerc. de Zoroastre p. 39.* Et notæ sunt Clementis VI. blasphemæ ineptiæ, qvi Bullâ ab Hoornbekio *sub finem Examinis Bullæ Urbani* VIII. *de Festis p. 275.* repetitâ, qvâ Jubilæum ad annum qvinqvagesimum contra decretum Bonifacii VIII. restrinxit, *angelis imperat, ut animam peregrinantis Romam pro indulgentiis & decedentis, à Purgatorio absolutam in Paradisi gloriam introducant*, qvam impiam temeritatem meritò Schola Parisiensis corripuit,

puit, teste H. Corn. Agrippâ *de Vanit. Scient. c.92.* ubi & ipse vanitatem illam salsè ridet. Sed qvid multis? Cùm ne ipse qvidem Masenius dissimulare hunc Antichristi characterem potuerit. *Tenentur* (ait p.84.) *vi hujus directionis in fide & religione omnes etiam Reges ac Cæsares Pontifici subesse, si in Ecclesiâ & inter oves Christi censeri velint, juxta promissionem à DEO per Isaiam factam c. XLIX, 23:* Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. *Et qvid mirum, si ad pedes illius se prosternant, qvem post Petrum Christi esse in terris vicarium* (ἀντίχριστον, seu vice-Christum) *agnoscunt: cùm æqvum sit, in Legatis Dominorum personam venerari?* Nempe defendenda erat elatio Pontificia super πάντα λεγόμενον θεὸν καὶ σέβασμα, ne tam luculentus character Antichristi periret. Debebat Pontifex principibus ac Regibus, maximè Imperatori, qvem *hominem à DEO secundum soloq; DEO minorem* Tertullianus ad Scapulam scribens appellat, cum priscis Romæ Episcopis, (qvi Imperatorem, ut *Dominum suum* colebant, ceu videre est è Gregorii Magni *L.II. Ep.61. L.IV. Ep.31.32 L.VI. Ep. 30. &c.*) humillimum cultum: atqve expendere, qvæ de Donato Optatus olim Milevitanus scripsisset *L.III. de Schism. Donatist. p. 85: Cùm super Imperatorem non sit, nisi solus*

(*ubi, qvàm bene podolatria papalis à Masenio defensa? ventilatur.*)

DEus, qui fecit Imperatorem, *dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam qvasi hominum excesserat metas, ut se, ut DEum, non hominem æstimaret, non verendo eum, qvi post DEum ab hominibus timebatur*: Nunc ipse versâ aleâ non modò talem cultum ab Impp. & Regibus admittit, sed religiosam adeò adorationem, & eandem qvidem, qvam Christo-homini deferunt Romanenses, ὑπερδουλείαν exigit, genu flexionibus & pedum osculis declarandam. Sic enim Ceremoniale Romanum *L.I.Sect.5.p.51.* Imperatorem instruit: *Ut primùm Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens veneretur: & iterum cùm appropinqvat ad gradûs sedis, genua flectat: demum cùm ad Pontificis pedes pervenit, eos devotè osculetur.* Omnia ad Petri exemplum scilicet, cujus *Act.X,25.* talem cultum recusantis humilitatem dum considerant innutriti fidei Pontificiæ doctissimi Viri, D. Erasmus *ad locum illum*, & Polyd. Vergilius *L.IV. de inventor. rerum c.13*: non poterant ab se impetrare, qvin de improbitate Papali conqvererentur: *Ubi sunt igitur*, exclamat Erasmus, *qvi non modò ingenuos, verùm etiam summos monarchas ad oscula non pedum dico, sed calceorum, non admittunt modò, sed cogunt?* Et Virgilius: *Voluit procul dubio centurio pedes apostoli exosculari, sed pater mansvetudinis plenus id fieri non est passus, dicens: Surge, nam*

nam & ego homo ſum. O vocem memorabilem atq; ſalutarem! Si bene multi ſe hodie qvoq; homines eſſe perpenderent, qvi propterea qvòd ſacerdotio præditi ſint, planè ſe reliqvorum mortalium longè poſt hominum memoriam imperioſisſimos dominos præbent. Sed malunt nimirum monſtrum hominis, Caligulam (V. Seneca *L.* II. *de benef. c.* 12.) hac parte imitari Romani Pontifices, aut ſuperbos & inhumanos qvosdam Cajum ſecutos principes, qvibus ferè arriſiſſe hoc genus vilisſimi oſculi, J. Lipſius, mango aliàs ſuperſtitionis Papalis *L.* II. *Elect. c.* 6. ait, qvàm Petrum, aut Danielem etiam (*c.* II, 46.) aut alium piorum qvemvis. Vide, qvæ contra inſaniam iſtam à Joſ. Stevano Valentino potisſimum aſſertam Gerh. *C.C. tom.* II. *p.* 955. *ſqq.* Danh. *Antichriſtoſ. p.* 795. *ſqq.* Rivet. *Jeſuitâ Vapul. c.* 28. *T.* III. *Opp. p.* 576 *ſqq.* Jac. Capell. *de poteſtate Sedis Rom. c.* 24. *p.* 199. *ſqq.* Cloppenburg. *Syntagm. p.* 675. aliiqve eruditè ſcripſerunt. Verba Eſaiæ è *c. XLIX,* 25. dum huc traxit Maſenius, vel ludere Lectorem, vel qvantum in torqvendâ Scripturâ poſſent Pontificii (nam & ante eum C. à Lap. ſic expoſuerat, Danhauero *Hermen. p.* 503. hoc nomine caſtigatus,) declarare voluit. Non Pontificem ibi Propheta alloqvitur, aut adorationem illi promittit, ſed Sioni (*v.* 14.) h. e. Eccleſiæ preſſæ afflictæqve ac ſterili numeroſam prolem, in aggregatione

(*Eſ XLIX, 25. vindic.*)

tione gentium, solatia ac beneficia varii generis, deniq; honorem etiam ac reverentiam ab ipsismet illis, qvi persecuti hactenus Ecclesiam fuerant, pollicetur, ceu totus contextus pariter & parallelus locus *c. LX, 14. sqq.* docet. Qvid verò hoc ad πολολατρείαν Papalem? Qvam nec ille *vicariatus Christi* evincit. Nam (α) principium petitur, neq; is à nobis unqvam admittetur, nunqvam ostensus, & (β) à Masenio ipso infringitur. Expresse enim *p. 83.* protestatur, *non Pontificem officium & locum Christi, sed hoc solùm occupare, qvod D. Petro Christus demandavit.* (γ) Ineptè concluditur à dignitate ministerii communi ad prærogativam unius solius. Sanè suo & Collegarum Successorumqve nomine Paulus ait II.*Cor.V,20.* πρεσβεύομεν, h. e. legatione fungimur. Proinde si vicariæ Christi partes aut legationis officium pedum oscula reqvirit, nil habebit sibi peculiare Ro. Pontifex. Ineptissimè autem (δ) à dignitate incommunicabiliter Christo propriâ ad ejus derivationem. Adorari Christo tam proprium est, qvàm proprium fuit, obedientem fuisse pro nobis Patri ad mortem crucis, ut patet ex catenâ ignominiæ & gloriæ à Paulo connexâ *Phil.* II, *8.9.10.* Jam qvæ Rex propria sibi servat, non sine crimine læsæ Majestatis in vicarios derivantur. Aut caussam dicat Pontifex, cur non & vicariis suis & le-

& legatis à latere eadem pedum oſcula vendicet? Cauſam dicat Maſenius, qvi Socinum refutantes ſocii ſui, Smiglecius, VVujekus & alii, ex adoratione Deitatem Chriſti demonſtrent, cùm ipſi nudo homini divinos honores Chriſto debitos decernant?

Porrò autem (ς) ne à ſede antichriſti aberres, aut Neronem, aut Judæum qvendam, aut Mahomedem pro Antichriſto hîc prædicto vendites, *in templo DEI ſeſſurum* cum vaticinatur Apoſtolus, *tanqvam DEum, oſtendentem, ſe tanqvam ſit DEus.* Ut vel hinc intelligatur, Papam Rom. Antichriſtum eſſe. *Is ſeſſurus*, h. e. dominaturus & regnaturus erat, (hoc enim phraſis illa importat. Vid. Hulſem. *brev. c. XXII, th. 7.* Gerh. *T.* II *Conf. Cath. p. 691.* Danh. *T. I. H. P.* p. 610.) *in templo*, non ſanè Hieroſolymitano dudum devaſtato, nec unqvam reparando juxta prædictionem *Dan.* IX, *ult. Matth.* XXIII, *36.* (qvod ſi maximè reparaturus eſſet antichriſtus, non magis tamen templum DEI vocaſſet Apoſtolus, qvàm templum Jovis aut Dianæ eo nomine fuiſſet dignatus, obſervante Gvil. Eſtio *h. l.*) ſed in templo *DEI*, h. e. Eccleſiâ, qvæ & aliàs templum ac domus DEI appellatur, ut *Apoc.* III, *12.* XI, 1. I. *Tim.* III, *15.* I. *Cor.* III, 17. &c.

(ς) *Sedens in templo DEi,*

17.&c. qvæ interpretatio Estio qvoqve, Cajetano, Jo. Fero, Thomæ, Valentiæ, Svaresio, aliisqve ap. Gerh. *T.* II. *C C. p. 796. seq.* Leonh. item Coqveo placuit ad Augustinum *de C. D. XX*, 19. commentanti, nec ipsi adeò Augustino improbatur, qvi *l. c.* legi potest. Conf. Balduin. *Comm. h. l. qv. 8.* Dannh. *H. P.* I, 613. *sqq. antichr. p. 209 sqq.* Chamier. *T.* II. *L.* 16. c 4. Sanè hoc templum DEI occupavit Rom. Pontifex, *tanqvam DEus*, divina jura & axiomata sibi arrogans, & *ostentans se, tanqvam DEUM.* Non enim DEum tantùm se vocari à gnathonibus suis per hyperbolas satis insolentes permittit, illoq; titulo delectatur, qvod Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. exemplis planum fieri poterat; sed & ipse DEI titulum sibi impudentissimè vindicat, ut ex epistolâ Nicolai Papæ ad Michaelem Imp. *dist. 96. c. satis evidenter* liqvet, & ab aliis copiosè est ostensum, è qvibus nunc Gerh. *t. 2. C. C. p.* 741. *sqq.* Meisner. *Scholar. Academ. Disp.* IV. § *34. sqq. p. 262 sqq.* Mares. *L. I. antichr. revel. c. 23. p. 460. sqq.* Chamier. *t. 2. Panstr. L. 16. c. 18. 19.* Jac. Capell. *de potest. sedis Rom. c. 25. p. 205. sqq.* L. Bank *de tyrann. Papæ p. 318. sqq.* Jac. Laurent. *Grot. Papiz. p. 19. seqq.* evolvi petimus: qvorum postremus sic rectè concludit *p. 32: Qvi se vocat & vocari sinit DEUm in terris, vice deum, DEi vicarium, omnipotentia Pontificia*

& ostentans se, tanqvam DEum.

Conser-

Conservatorem, ter optimum ac ter maximum, Supremum in terris Numen &c. qvi se adorari patitur religiosè, suppliciter atq; ut Christianorum DEum (id verò *omne* de Papâ adductis Pontificiorum scriptorum disertis verbis ostenderat,) *is DEO se æqvat, inq; templo DEi se ostendit, ut DEum.*

(6) *Venturus cum miraculis mendacibus.*

Sed & (6.) *Adventus antichristi est secundum operationem Satanæ* (tum in occupatione sedis Papalis, in qvam operâ Satanæ evecti Sylvester II. teste Wiero & Guthberleto, Benedictus IX. teste Balæo, Alexander VI. & Greg. VII. teste Petro Asylo: tum in ipso regimine, qvod non pauci necromanticis artibus moribusq; Satanicis nobilitarunt. Vid. Botsacc. *tract. de sanctit. Rom. Eccles.* Cham. *t. 2. L. 16. c. 16.* Hunnii *pellem ovinam* &c.) *in virtutibus, signis & prodigiis mendacibus*, qvibus hactenus vel falsis in se, vel certè fallacibus & à patre mendacii ad persvadendum mendacium & errorē compositis seduxit eos, *qvi charitatē veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittente DEO ex justo judicio efficaciam erroris, ut crederetur mendacio,*

dacio. Lege hîc Dounam. *L.* VI. *de Antichr.* *c.* 1. Chamier. *T.* II. *L. XVI. c.* 14.

Postremò (7.) qvæ de *revelatione atq; interitu Antichristi* adjicit Apostolus, partim impleta sunt hactenus, partim impletum iri brevi, speramus. Facta sc. est ἀποκάλυψις seu *revelatio filii perditionis, qvi jam tempore Pauli* in pseudoapostolis aliisqve hæreticis, ad qvorum perfidiam postea Rom. Pontifices defecerunt, *operabatur mysterium iniqvitatis*, in occulto tamen, nec dum apertâ vi ac tyrannide, dum majestas imperii, (qvam innui *v.* 6. 7. Augustinus *l. c.* Chrysost. Theophyl. Hieron. &c. censent,) tyrannidi Papæ obstaret: qvo impedimento sensim remoto liberiùs grassari ille cœpit, majora subinde capiens augmenta, & veluti virilem togam in Bonifacio III. & secutis Episcopis sumens: [Lege hîc de ætatibus revelati & qvasi in lucem editi Antichristi Balduin. *b. l. p.* 1210 Kromajer. *in Apoc.* 18. *P.* 1. *porism.* 1 *p.* 433. Danh. *Antichristo l. p.* 947. *sqq* & *Tom.* I *Hod. Pap. p.* 626. *sqq.*] ita tamen ut momentum revelationis istius non magis scitu necessarium sit ad demonstrandum Papam-antichristum, qvàm dies nativitatis Jesu aut lapsûs luciferi cognitu necessarius est, ad hoc, ut illum Christum, hunc diabolum

(7) tempore Pauli jam operans in mysterio,

detentus aliqvandiu,

lum esse cognoscas. Danh. *H. P. 604.* Hülf. *brev. c. 22.* §. *3.* Balduin. *de Antichr. c.* Sciopp. *c. 1.* *Eum Dominus Jesus* ἀναλίσκει *atterit & consumit Spiritu oris sui*, dum confessores veritatis, etiam in medio Papatu, & olim & nunc animosè ad sangvinem usqve contradixerunt, maximè autem à tempore M. Lutheri, qvi divino Zelo ante hos sesqvicentum & ampliùs annos ἀντικείμενον illum aggressus totum iniqvitatis mysterium orbi revelavit, potentia Antichristi à Spiritu oris Christi per verbum Evangelii atteritur, qvem ut *Dominus Jesus illustratione adventûs sui* brevi καταργεῖν vel *abolere* penitus velit, toto pectore precamur. Lectori cum Masenio *p. 84. extr. coram DEO arbitrandum* relinqvimus, *an indignissimum sit, hoc argumento (ut catera*, ex Daniele & Johanne potissimum, qvia sic placuit Consideratori nostro, *in alium locum rejiciantur,*) *Pontificem antichristum fieri* per eos, qvibus eventus liqvidissimam prophetiæ Paulinæ interpretationem suggerit. *Omnis enim prophetia* (juxta Irenæum *L. IV. c. 43. p. 252.*) *priusqvam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cùm autem venerit tempus, & evenit qvod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liqvidam & certam expositionem.*

atterendo Spiritu oris Jesu,

& abolendus illius adventu.

Videamus autem, qvid cum suis Masenius ad tam manifestam demonstrationem

Exceptiones Maseni diluuntur

respondeat. *Respondent igitur Romani* (ait *p.83.*) *loqvi Paulum de Antichristo, qvi sit homo unus, ut manifestè verba præ se ferunt, & sedebit in templo Jerusalem, qvod sub Paulo dicebatur templum DEI, Romano nondum condito & Thessalonicensibus cognito. Deinde Antichristus negabit, alium, præter se, Christum DEUM esse: qvia extollit se super omne, qvod colitur, & ut Johannes ait* (1. Ep.II,21.) hic est Antichristus, qvi negat Patrem & Filium. *Et hunc Antichristum Judæi pro suo Messiâ suscepturi & adoraturi sunt, qvi Rom. Pontificem aversantur. Deniq; veniet primùm discessio, utiq; à Rom. Imperio, ut D. Ambrosius, & revelabitur homo peccati, & tunc instabit dies judicii. Qvorum nihil Pontifici qvadrat.* Et rursum p. 84. extr: *Nec locus regni congruit, qvi erit Hierosolyma, nec tempus, qvod erit finis mundi, & trium annorum cum medio,* Dan.VII, 25. & Ap. XI, 2.3: *nec persona, qva erit Messias Judæorum, & una unica,* Joh.V,43. (*non enim de antichristis multis, nempe hæreticis, qvi sub Apostolis jam venerant,* II.Thess.II,7.I.Joh.II,10. *sermo est,*) *duosq; Christi testes prophetantes & mira operantes tollet* Ap.XI,3. *qvem deniq; Jesus interficiet Spiritu oris sui.* ΣοΦὰ Φάρμακα.

(1) de unitate Antichristi. Loqvitur sanè Paulus de Antichristo, qvi sit *unus*, unitate autem non *monadicâ*, ad eum modum, qvo Sol unus est, sed *successivâ*, qvomodo Phœnix (*si vera est fabula,*) unus est,

eſt, unus in Monarchiâ Rex, unus in Imperio Cæſar, unus in diœceſi Epiſcopus, unum in Eccleſiâ juxta Papiſtas caput. Talem enim manifeſtè verba Apoſtoli indicant Antichriſtum, qvi jam tum operatus fuerit in myſterio, vivente Apoſtolo, & interficiendus demum in adventu Chriſti noviſſimo ſit, qvod unius unici hominis eſſe neqvit. Danh. *H.P.I 590. Antichriſto f 946.* Balduin. *Comm.h.l.qv.7.* Cham. *T. II. L. 17. c. 1. & 2.* & qvi hîc inſtar omnium eſt, Dounam. *P.II.ad demonſtr.3. Lesſii p.498-524.* Et qvomodo tam multa & ſtupenda, qvæ Antichriſto ſuo tribuunt Romanenſes, tot populorum debellatio, tot provinciarum regnorumqve peragratio, tot gentium toto orbe ſeductio ab uno homine ſpatio trium annorum cum medio abſolvi potuiſſent? Qvod qvidem *tempus* Antichriſti non magis ex *Dan. VII, 24.* aut *Apoc. XIII, 5.* qvàm unitas Antichriſti numerica & individualis illiusve cultus inter Judæos ex *Joh. V, 43.* oſtendi poteſt. Qvid enim, ſi de Turcico imperio loqvatur Daniel? ut ſanè intelligendum non noſtrates modò cenſent, Lutherus *præfat. in Dan.* Balduin. *de Antichr. contra Sciopp. p.13. ſqq.* & *phoſph. L. X. c. 8. p. 955. ſqq.* Gerh. *L. de Extr. Jud. §. 91.* & *L. de Magiſtratu §.137.* Brochm. *de Rom. Pontif. p. 323. ſqq.* Æg. Hunn. *T. I. Opp. p. 1428.* qvibus ſubſcribit & Reverendiſſ. Affinis noſter,

(1) de tempore antichriſti.

Dn.D.Geierus *Comm. h.l. p.*575. sed ex ipsis etiam Pontificiis non pauci, Geiero ibi laudati. Qvid si per annos ac dies apud Danielem & Johannem *Apoc. XI,3. XII,6.14. XIII,5.* anni angelici, qvorum qvilibet dies annum solarem constituit, (ut Vinarienses *notis Biblicis ad h.l. Dan.*) vel incognita nobis computandi ratio intelligenda? Nos cùm nihil hîc probatum à Masenio sit, non est qvòd moremur allegata illa loca, ac de cætero illorum subscribimus modestiæ, qvi in talibus vaticiniis agnoscunt limites ipsâ obscuritate divinam sapientiam posuisse, cùm nostrum non sit scire tempora & momenta, *Marc. XIII. Act. I.* Certè qvidem communem computandi rationem minimè omnium cogitari hîc posse, accuratè viri docti demonstrarunt, è qvibus videantur Gesner. & Winckelm. *h. l.* Balduin. *de Antichr. p.* 17. *sqq. & contra Pazmann. p.* 956. Muller. *Anti-Jansen.* §.582. Gerh. *C. C. T. II. p.* 783. Cham. *T. II. L.* 17. *c.* 7. §.6. Danh. *Antichristos. p.*257.

(3) *Ex Joh. V, 43.* Verba Christi è *Joh. V,* 43: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis:* nec unam personam certam, neqve antichristum magnum, nec præcisè Judæum, aqve Judæis pro Messiâ habendum probant. Qvæ tamen omnia hinc elicere Masenius voluit. Non unam præcisè personam, qvia generaliter loqvitur: *Si qvis alius vene-*

venerit ;qvæ verba *sunt generaliter affirmantis,q.d. qvisqvis alius suo nomine venerit, eum recipietis : adeò perversi estis judicii*, ut rectè παραφράζει Maldonatus Jesuita , cui alter ejusdem gregis, Barradius , Jansenius item & Salmero consonant. Et addit, qvasi alterum Masenii postulatum confutaturus Maldonatus : *Qvare magis convenit ,ut non solùm de antichristo , sed de omnibus falsis prophetis generaliter interpretemur , qui currebant,cùm non mitterentur. Familiare enim Judæis erat , eos potiùs , qvàm veros recipere prophetas.* Qvod inde etiam patet , qvòd ibi non prophetiam de re sub finem mundi eventurâ Salvator edat categoricè, sed hypotheticè tum viventibus Judæis suam perversitatem exprobret,qvorum temporaAntichristus non attigit,ne ex Papistarum qvidem mente. Deniqve à pseudochristis, qvales plures surrexisse postChristi tempora novimus, (vid. *Matth. XXIV, v. 24.*) ad magnum illum antichristum ineptè concluditur. Vid. vindicias hujus loci apud Balduin. de antichr. *c.5. p. 103.* Meisn. *P. II. Philos.Sobr.S.1.c.4.q.5.p.647.* Thumm. *Contin. Papæ-Antichr.c.12.& 14.p.149.171.* Danh. *antichristos.p.123.* Dounam.*p. 512.sqq.* Ad postulatum deAntichristo proMessiâ agnoscendo respondebimus , si priùs fidem illi undecunqve fecerit Masenius. Lector interim,qvæ Lessio Dounamus *p. 530.sqq.*

(4) de Loco regni antichristiani.

respondit idem asserenti, conferre po[t] *Locum* regni antichristiani Hierosolym[is] fore, & speciatim qvidem in eâ templ[o] Salomonis, seu Zorobabelis veriùs, non p[ro]bat (*a*) qvòd illud sub Paulo dictum fu[erit] templum DEI, Romano nondum condi[to]. Non enim de continenti, sed contento, [i.] e. Ecclesiâ ipsâ & mentibus hominum [lo]qvitur, ut antè ostensum: neqve (β.) qv[od] ex *Apoc. XI, 3. 8.* profertur *de interfectio[ne] duorum testium in plateis Civitatis magn[æ,] qvæ vocatur spiritualiter Sodoma & Æg[y]ptus, ubi Dominus noster crucifixus est*. Fin[ge] enim duos testes, Eliam & Enochum esse, finge per Civitatem magnam Hierosol[y]mam intelligi; nondum hinc firmiter co[n]cluseris, Hierosolymis templum Antichri[sti] fore. Occidi enim testes possunt autor[i]tate antichristi in qvavis civitate illi subj[e]ctâ, ubi ejus sedes tamen non sit: sic[ut] Christus Romani Imperatoris autoritat[e] Hierosolymis morte affectus est, ceu rect[e] colligit Dounam. *p. 583*. De cætero novi[mus], & fabulosam esse, nec omnibus Papi[s]stis approbari illam duorum testium h. [e.] confessorum veritatis & oppugnatorum Antichristi (qvi duo dicuntur tum propte[r] paucitatem, tum propter numerum testi[um] in qvovis negotio divinitus reqvisitorum, tum propter allusiones certas) in Enochum & Eliam transformationem, de qvâ V[ide]

Apoc. XI, 3. 8.

Gerh.

Gerh. *L. de Extr. jud.* §.108. & *Conf. Cath. T. II.* .769. Hulſem. *Breviar. c. XXII,* §.4. Calov. *ad Matth. XVII,10 & in Malach. IV,5.* Certum præterea eſt *civitatis magnæ* nomine potiùs Babylonem apocalypticam ſignificari, ceu ex *c. XVII,9.18.* liqvidò conſtat, qvam plurimi etiam Papiſtarum vi conſtricti veritatis de Româ intelligunt; (teſtes vide ap. Gerh. *C.C. t. 2. p. 799. ſqq.* & confer Dounam. *L. I, c. 7.* Cluver. *Tom. I. Diluc. apocal. p. 65. ſq.*) ea enim *ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus eſt* propter horrendas libidines, idololatriam, tenebras plusqvam Ægyptiacas; ubi & Dominus crucifixus eſt non tantùm per peccata enormia, (*Ebr. VI,6.*) ſed maximè in membris ſuis, (*Act. IX, 4. Col. I,24:*) qvam interpretationem, ut de Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo taceam, qvi Hieroſolymam intelligi poſſe diſertè negant, improbare ex Pontificiis vix poterunt, qvi narratiunculam de Chriſto Romæ obviam Petro facto, ſeqve ibi crucifigi iterum in Petro velle affirmante pro verâ cum Salmerone, Bellarmino, Onuphrio, Blondo habent. Legatur hîc enucleatio vaticinii de duobus teſtibus interficiendis & per aliorum Doctorũ ſurrogationem reſtaurandis à B. Kromajero noſtro *Comment. in Apoc. p. 244 ſqq.* breviter & nervosè propoſita, ab Joh. autem Cluvero, ac honoratiſſimo Collegâ meo, Dn. Jo. Andr. Lucio, copioſius *in Commen-*

tariis apocalypticis deducta. Conf. Balduin. *de Antichr.c. 6.p. 145.sqq.* Neq; verò vim
(5) Ex I. Joh.II, 21. Paulini vaticinii effugit, qvando ait, *Antichristum negaturum omnem alium præter se, Christum DEUM esse: qvia extollit se super omne, qvod colitur, & ut Johannes ait* I. Ep. II, 21: *hic est Antichristus, qvi negat Patrem & Filium.* Etenim nec ab elatione super omne Numen ad negationem professam omnis Numinis: nec ab Antichristo generatim dicto aut Orientali etiam, ad magnum illum Antichristum occidentalem: deniq; nec à negatione occultâ, indirectâ, eâ item, qvæ factis fit, ad apertam, & qvæ disertis verbis, rectè colligetur. Vid. Thumm. *Contin. Papæ-Antichr. p 9.167.* Balduin. *de Antichr.c.5.p.101.* Danh. *Antichristos. p.128.sqq.* Cham. *T.2.L.17.c.11.n.4.* Tu jam arbitrare, bone Lector, qvâ fronte Masenius hanc verbi divini doctrinam *calumniandi insaniam, ac cæcitatem à rabie atq; odio in summum Ecclesiæ caput excitatam* fuerit interpretatus: & annon Masenio potiùs calumniæ in urere notam possimus, dum *doctrinæ nostræ nec vestigium in Sacris esse literis* (verum dicturus, si de utopico Papistarum antichristo locutus esset,) *eamq; velut articulum fidei venditari* contendit. Mendacii eum arguant clara nostratium verba, qvi ubi de momento hujus dogmatis incidit qvæstio, disertè scribunt, *non esse hunc articulum fidei salvi-*

salvifica, sive ex necessitate præcepti divini, sive ex necessitate medii ad salutem consequendam scitu necessarium ; sed pertinere tantùm ad veram & solidam explicationem vaticiniorum, quæ in Scripturâ S. Spiritus S. annotari voluit. Vid. Gerh. *Conf. Cath. T. II, p.* 688, 950. Nic. Hunn. *diasceps. de artic. fundam.* §. 65. W. Lyser. *disp. de Antichr. qv. 2. ad Num. 2.* Hulsem *Breviar. c. 22.* §. 1.

Nos pergamus, & qvid ad II. argumentum respondeat, qvod à *fastu Pontificis Christi locum involantis* accersunt Protestantes, videamus. Ajunt nimirum Protestantes (interprete Masenio *p.* 82.) ideò Romanum Pontificem Antichristum esse, qvòd *debitum Christo in Ecclesiâ locum occupet, licèt hic solus caput sit, & qvivis fidelium ejus corporis membrum. Multi enim unum corpus sumus in Christo. Nam DEus ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, qvæ est corpus ipsius: estq; fundamentum, præter qvod aliud statui non potest. Rom. XII, 5. Eph. I, 22.* Hæc cùm verissima certissimaqve sint, in eas angustias redegerunt Masenium, ut aut inani effugio illudere Lectori, aut vicarias Christi partes tanto conatu assertas hactenus Pontifici à suis, negare cogeretur. *Nec Pontifex,* ait p. 83. *officium & locum Christi, sed hoc solum, qvod D. Petro Christus demanda-*

II. *E fastu Pontificis Christi locum involantis.*

Christi vicariatus Pontifici negatus à Masenio.

mandavit, occupat. Ubi qvidem parum sibi constare Masenius videtur. Si enim officium locumqve Christi non occupat R. P. qvomodo *Christo, postqvam visibiliter in terris Ecclesiam rexerat, in munere surrogatum?* qvomodo Christi in terris vicarium? qvomodo *Christum in Pontifice adorari*, p. 84. & 86. dicere potuit? Porrò aut hoc demandaverat Petro Christus, ut suas vices cum successoribus obiret, aut non commiserat. Si prius sentit Masenius, nemo non videt, qvàm turpiter se dederit, dum officium locumqve Christi illi opponit officio, qvod demandaverat Salvator Petro. Sin vicariatum illum Petro commissum negat, vereor ne exiguam gratiam ineat à sociis, qvi pro hoc Palladio Rom. Ecclesiæ tanqvam pro aris ac focis depugnant. Certè qvidem plusqvàm externam directionem vendicant, qvam unicè Masenius illi relinqvit istis verbis, qvæ statim subjicit: *Ille* (Christus) *caput universale tam in cœlo triumphantis, qvàm in terrâ militantis Ecclesiæ est, manetq;, illic influens præsensq; per gloriam, hîc per gratiam in fideles singulos, tanqvam caput in membra, & sic nobiscum erit usq; ad consummationem seculi. Pontifex solùm externam illam directionem, in visibilib9 Ecclesiæ membris etiam necessariam, qvæ Petro commissa à Christo in cœlos ascensuro fuit, dum ait: pasce oves meas, hoc jam vitâ ac munere defuncto occupat. Christi promissio vana* non

secum ipso pugnante.

Externa tantùm directio Ecclesiæ Pontifici relicta à Masenio

non fuit: Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves &c. Bonum factum, qvòd improbat impudentissimorum gnathonum voces, qvi non dubitarunt Rom. Pontificem *Ecclesiæ Sponsum ac fundamentum, summum Sacerdotem Novi Test. Leonem de tribu Juda, & radicem Jessæ, Regem Regum, & Dominum dominantium*, appellare, atq; tribuere ei omnia, qvæ de Christo sive in Veteri, sive in Novo Testamento edicta sunt, adeò, ut etiam unicum illum Dominum *Eph. IV, 5* indicatum Rom. Pontificem esse contendant. Lege Dounam. *L. IV. de Antichr. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* Laurent. *Grot. Papiz. p. 35. sqq.* Gerh. *T. II. Conf. Cath. p. 742.* Danh. *H. P. I. 619. sqq.* Rivet. *C. O. tr. 2. q. 5. n. 7.* &c. Verùm nec externa illa & monarchica directio vel à Christo commissa Petro, vel ab hoc ad Pontifices transmissa concedi potest. Qvicqvid enim prærogativæ Petro in Scripturis tribuitur, id vel commune ipsi cum aliis Apostolis est, vel excellentiam concernit virtutum & donorum, qvibus Petrum instructum præ reliqvis Apostolis fuisse, non negamus: ceu per inductionem locorum à Chamiero *T. II. Panstr. L. XI.* ex professo est ostensum: cui Joh Valkenier, *Speculo Papismi c. IV. § 3. sqq.* Willet. *Controv. 4. general. c. Bellarm. cap. 2 p. 19. sqq.* Dreier. *Disp. AntiPap. IX.* inprimis Sutliv. *de Pontif. L. II. toto*, aliiqve addi possunt.

contra alios Papistas.

Expensa argumenta Masenii pro primatu Petri, (1) ex Scriptura:

sunt. Certè qvòd Christus *pascere oves* suas Petrum in cœlum ascensurus jubet *Joh.*
Joh. XXI, 15 *sqq.* XXI,15 *sqq.* rem non conficit. Idem enim & aliis Episcopis atq; Presbyteris à Sp. S. per Paulum & Petrum imperatur, *Act. XX, 28. I. Pet. V. 2.* fitq; non dominãdo super Clerum, qvod disertè Petr*9* *l.c.* & Salvator *Matth. XX. 26.* interdicunt, sed docendo & Sacramẽta administrando. Licèt ergò specialiter hîc Petrum compellet Christus & ternâ qvidem vice, ne per trinam ejus abnegationem labefactata dignitas videretur, ut Cypriano, Augustino *tr.* 123. *in Joh.* & *Serm.* 149. *de temp.* Cyrillo *L.* XII. *in Joh. c.* 64. Ambrosio *c.* 9. *apol. Dav.* Nazianzeno *Orat.* 39. Isidoro *L.I. Ep.* 103. & aliis observatum: cæteros tamen hautqvaqvam excludere voluit, qvibus idem officium *Matth.* XXIIX, 19. *Marc.* XVI, 15. demandavit. Vid. Luth. *T.* VIII. J. G. *p.* 262. *sqq.* Gerh. *Harm. resurr. c.* XI *p.* 459. *sqq.* Meisner. *P.* II. *Philos. Sobr. S.* 1. *c.* 1. *q.* 4. *p.* 62. *sqq.* Hunn. *pell. ovin.* §. 569. *sqq.* & *demonstr. minist. Luth. p.* 220. *sqq.* Danh. *antichristol. p.* 857. *sqq.*
Matth. XVI, 18. 19. Calixt. *Concord. L.* VII. *c.* 6. *p.* 428. *sqq.* Cham. *T.* II. *Panstr. L.* XI. *c.* 12. 13. 14. Sutliv. *de Pontif. L.* II. *c.* 5. Porrò nec Christi promissio vana fuit, cùm Petrum allocutus *Matth.* XVI, 18. 19. *super hanc petram*, de qvâ modò professus fuerat sententiam nomine Apostolorum (*v.* 13. 16. *coll. Joh.* VI, 69. *Matth.* XIV, 33.) *ædificaturum* se promisit *Ecclesiam*. Ædificati enimverò sumus super fundamentum Prophe-

Prophetarum & Apostolorum, lapide angulari existente Jesu Christo, *Eph.* II, 20. Non vana promissio, cùm *Petro claves regni cœlorum promisit*, ipsi & cæteris unà Apostolis posteà exhibitas *Matth.* XIIX, 18. Qvanqvam enim hîc solum Petrum alloqvatur, qvòd is solus nomine Apostolorū, qvos v. 13 Salvator interrogaverat, respondisset v. 16; non tamen rem promissam ad solum Petrum pertinere voluit: qvæ h. l. potestas remittendi ac retinendi peccata est, ut *Joh.* XX, 23. exponitur, non monarchicus aliqvis primatus. Mirum verò persvadere sibi Pontificios, posse ullas tenebras tam claro loco offundi, qvem tot Doctores vindicarunt hactenus, ut supervacaneum videatur, unum alterumve huc citare. Vid. tamen, si lubet, Dn. D. Seb. Schmid. *disp. ad h. l.* & è defunctis Luth. *T.* VIII. J. *G. p.* 250. *sqq.* Gerh. *Conf. Cath. T. I. p.* 291. *sqq. T.* II. *p.* 557. *sqq.* Meisn. P. II. Philos. *Sobr. S.* 1. *c.* 1. *q.* 3. *p.* 53. *sqq.* & *c.* 4. *S.* 1. *q.* 4. *p.* 628. *sqq.* ut & in *depuls. Excub. Pap. p.* 223. *sqq.* Gesner. *T.* I. *disp. Witteb.* IX. Hunn. *pell. ovin.* §. 541. 562. *sqq.* Chamier. *T.* II. *L.* XI. *c.* 2. *sqq.* & *c.* 8. *sqq.* Sutliv. *L.* II. *de R. P. c.* 2. 3. 4. Casaub. *Exerc.* XV. *n.* 12. Danh. *antichristol. p.* 97. *sqq.* &c.

(2) *Ex Augustino,*

Augustini loca tria hanc in rem Masenius producit. Unum è *Qv. ex novo Test.* 75. *T.* IV. *p.* 750: *Ecce Satanas expostulavit, ut vos ventilet sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu tandem conversus*

versus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? pro Petro rogabat, & pro Johanne & Jacobo non rogabat? ut cæteros taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in Præposito populus aut corripitur aut laudatur. Responderi poterat facilè, nullam ex hac intercessione prærogativam colligi posse, qvæ non & eadem Apostolis cæteris communis fit, cùm *pro Petro orans Christus pro omnibus Apostolis orasse dicatur.* Sanè non minùs hi, qvàm cæteri fideles omnes perseverantiam suam Christi intercessioni debent *Joh* XVII. *20.* qvam qvòd specialiter Petro hîc promittit Christus, non summitatem illius, sed gravitatem lapsûs indicat. Porrò nec *confirmatio* illa *fratrum* de dominio monarchico intelligi potest, cùm aliàs idem & Paulo & Timotheo tribuendum foret, qvibus & ipsis confirmatio Ecclesiarum tribuitur *1. Th.* III, *2. Act. XV, ult. Rom. I, 11.* Conf. Gerh. *C. C. t. 2. p. 572.* & *Harm. Evang. c. 174. p. 81.* Chamier. *t. 2. L. 11. c. 17. n. 10. sqq.* Sed non opus, multum de illo loco laborare, cùm satis constet inter doctos, opus illud *qvæstionum in Vet. & Nov. Test.* non ab Augustino, ac ne à Catholico qvidem, sed hæretico homine profectum, judicio Bellarmini *de gratiâ primi hom. c. 3. & L.* II. *de Sacram. c. 10. L.* I. *de missâ c. 6.* cui Erasmus, Becanus, Viegas, Ang. Roccha, Espensæus, Azorius, Pererius, Turrianus,

rianus, & alii pollicem premunt. Conf. Coci *Censuram p. 344. sqq.* Gerh. *Tom. I. C. C. p. 676.* Rivet. *Crit. S. L. IV. c. 13. T. II. p. 1137.* Dorsch. *Pentadec. D. XII. §. 70. p. 426.* & *Syllog. Semestr. p. 135 : 142.* Scherz. *de peccato in Sp. S. c. X. §. 6.*

Alterum ex *Ep. CLXV. ad Generosum* producit, ubi sic scribit *T. II. p. 751.* Beatus antistes: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, qvantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens*, &c. *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.* At qvi reputaverit secum, Augustinum (1.) loqvi ibi ex hypothesi, qvam alibi negat, (ut suprà p. 237. ostensum) & hîc Donatistis tantùm κατ' ἄνθρωπον disputans opponit: (2) Petrum ibi considerare, non ut Apostolorum antesignanum, sed ut personam totius Ecclesiæ referentem: (3.) ipsam illam interpretationem de Petro-petrâ postea retractasse *L. I. Retract. c. 21. T. I. p. 3.* facilè intelliget, parum in eo præsidii Masenio esse posse.

Tertius *L. II. c. lit. Petil. c. 51. T. VII. p. 122:* *Cathedra tibi qvid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qvâ Petrus sedit, & in qvâ hodie Anastasius sedet: vel Ecclesia Hierosolymitana* (hæc enim à Masenio omissa addamus, ut intelligatur, nihil hîc Romanæ sedi peculiare præ aliis

Ecclesiis tribui,) *in qvâ Jacobus sedit, & in qvâ hodie Johannes sedet, qvibus nos in catholicâ unitate connectimur, & à qvibus vos nefario furore vos separastis? Qvare appellas cathedram pestilentiæ Câthedram apostolicam?* (qvalis Augustino h.l. non minùs Hierosolymitana, qvàm Romana:) *si propter homines, qvos putas legem loqvi & non facere: numqvid Dominus J.C. propter Pharisæos, de qvibus ait: dicunt, & non faciunt, cathedræ, in qvâ sedebant, ullam fecit injuriam?* Hîc & (1.) de cathedrâ Rom. veteri loqvitur, qvæ nondum à doctrinæ puritate, ut hodierna, defecerat, & (2.) eam cum Petiliani Donatistarumqve Synagogis contendit, & (3.) manifestè fatetur, posse in verâ cathedrâ sedere Pharisæos, qvi Legem & additionibus non optimis, & moribus pravis dehonestent. Qvid verò hoc ad Petri, qvid ad Pontificis dominatum Monarchicum?

Qvare cùm hujusmodi dignitatem Petro commissam Masenius ostendere non potuerit, intelligere est, qvàm firmo successorum ille dominatus fundamento insistat. De qvo *p.84.* sic perorat noster, ut (1) necessitatem innuat hujusmodi successoris-monarchæ; de qvâ *seq. puncto* cùm dicendum proposuerit Jesuita, eò differri res poterit. (2) Æqvitatem ποδολατρείας Pontificiæ (scil. ad prædecessoris exemplum *Act.X,25.*) ostendere laborat: qvam antè

Disparitas Petri & Papæ excusata Masenio.

antè notatam *p. 313.* jam dimittimus. (3) Imparitatem simplicitatis Petrinæ & luxûs Papalis excusat. *At cur, inqviunt protestantes, tam Petro hodierni Pontifices dissimiles? ubi in illo gemmæ & aurum, thronus & purpura?* Et meritò ita inqviunt non Protestantes modò, sed multi saniores in ipso Papali regno. Agnovit utiq; Thomas, memorante C. à Lap. *in Act. III. 6. p 94.* tantùm virtutis Petrinæ deperiisse Pontificibus, qvantum accrevit divitiis potentiæqve. Ac suprà nobis Petri Damiani, Erasmi, Lud. Vivis de luxu Papali qverelæ notatæ. Qvid verò pro deploratis nepotibus Masenius noster? *Nondum, respondent Romani, Reges ac Cæsares subditi* (en ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πᾶν σέβασμα!) *tantum decus poscebant.* Qvasi non magis potentiæ ostentatione opus fuerit, cùm defendenda Ecclesia esset ab insultibus gentilium Imperatorum. Sed *vilem hi totusq; jam orbis Christum in Pontifice adorans lacernam fastidiunt.* Et fastidiebant profectò olim qvoqve Judæorum principes ac Romani Impp. in Christo ac Petro: nec tamen aut Petrus aut Christus fastidium hoc luxu temporali abstergendum sibi putabant. *Accessit* autem (pergit) *& temporalis Principis ad pastorale pedum tuendum ornandumqve majestas. Non soli hodie piscatores regnant. DEO, crescente Ecclesiâ, suo in legato major cultus debetur. Plebs sui similes sine hono-*

Pontifex Petro prælatus à Masenio.

honore aversatur. Huc nondum processerat Cleri Rom. Impudentia, ut majorem honorem Pontifici suo, qvàm Petro misero qvippe piscatori, ceu per contemtum Masenius vocat. deberi profiteretur. Jam postqvam semel verecundiæ limites excesserunt Jesuitæ, probè & gnaviter eos impudentes esse oportet. Ac ne calumnia desit: *ipsi Protestantium Superintendentes exemplo esse possunt.* Incertum, an contemtûs an superbiæ ac splendoris exemplum faciat nostrates Superintendentes. Utrinqve sanè falsus: cùm non honoratum minùs apud nos sacrum illum ordinem, qvàm à superbiâ luxuq; omni alienum, omnes norint. Calumniare audacter; semper aliqvid hæret, ait ille. Cujus monitum in secando tertio nodo sibi præter oculos posuisse Masenius videtur.

III. E pugnâ dogmatum Papalium & Christianorum.

III. Namqve argumentum nostratium ex *pugnâ dogmatum Papalium ac Christianorum* accersitum cum indicasset initio considerationis his verbis: *prætereà* (ajunt Protestantes, Papam) *evertere Christi doctrinam, & Scripturam S. mandatis hominum postponere, suamq; his dictaturam præferre, definiens* (hîc Priscianus pœnas repetat, ut lubet,) *qvid sit credendum, ut populus ejus verbum pro DEI verbo cogatur accipere, conculcare merita Christi ejusq;*

ejusq; justitiam, & hominum peccatorum meritis tanqvam cœlum aperientibus plus tribuere. Sanctos DEI creaturas, loco DEI colere atq; invocare, suos etiam, qvod de bestia dictum, charactere confirmationis in fronte signare. Qvæ an ejusmodi sunt, ut horroris sunt plenissima, jure nobis expendendum est, & si falsa esse deprehendantur: meritò ejusmodi calumniatores, omni magis peste sunt detestandi, contraq; Romani, si vera, fugiendi: Postea ita se gerit, ut obmutescendum ei fuisse credas, nisi in convitiis confugium posuisset. Hîc enim *cæcitatem*, hîc *rabiem atq; odium in summum Ecclesiæ caput*, hîc *calumniandi insaniam*, & nescio qvæ plaustra convitiorum in innocentes spargit. Cumq; ad argumentum unicè ista reposuit *p. 85*: *Igiturne fieri potuit, ut Christus & Apostoli S. literas & religionem Christianam vix qvinq; propagarint seculis qvam deinde Antichristus per dena & ampliùs defenderit? & qvidem ut sacras literas prorsus tueretur inviolatas, qvibus sciebat, veram Christi religionem esse reconditam? Cùm tamen esset Christi hostis capitalissimus, qvi brevi potuisset tempore Scythis, Hunnis, Vandalis, aliisq; barbaris irruentibus, & sacra omnia profanantibus, Christi verbum scriptum, nomen cultumq; prorsus obruere?* (qvasi verò Antichristo veritatem religionemqve Christianam impugnanti non restiterit DEus ipse, eamqve fortissimè contra

hostes qvosvis, ne interiret, asserere potuerit: qvasi non advigilaverit divina pronœa, ne jota vel apex periret de Lege, neqvicqvam ringente variasqve falsationes mentiente Antichristo Romano :) totas effundit habenas: *Estne rationabilis in orbe homo, qvi tam insanè calumniantibus, tamq; portentosa ex S. literis commiscentibus aut mentem, aut fidem, aut religionem inesse dixerit? aut qvicqvam illis credendum putet, qvos tantæ falsitatis reos convictosq; nondum videt erubescere? I, talibus salutem tuam curandam crede, & nega te apertis oculis ruisse ad exitium sempiternum. O vilis anima, & perire digna, qvæqvis hæc pro DEI Evangelio tibi obtrudi patieris, atq; his sordibus calumniarum oblectatus fueris!* Tantæne animis cœlestibus iræ? Qvid aliud hîc reponamus bacchæ bacchanti, qvàm sua ipsius verba? *Verè acuerunt lingvas suas, sicut serpentes. Venenum aspidum sub labiis eorum. Qvid dicam, nisi qvod Christus? Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Et si Christus ipse obtrectatorum Lingvas, qvantumvis innocens, vitare non potuit, qvid illius vicariis* (non putatitiis illis & ementitis, sed veris, h. e. Evangelii ministris) *aliud expectandum*? Viderit autem Masenius, annon summo jure Romanos fugiamus, si objecta illa horroris plenissima dogmata vera deprehendantur, ad qvæ nihil profectò respondere

spondere præter calumnias ausus est: meritoq; ejusmodi calumniatores omni magis peste, ipsomet judice, detestandi.

Punct. II. p. 86.-90.

An conveniens fuerit aut necessarium tale in Ecclesiâ caput constituere? Duo hîc agit Masenius. (1) Occupatur in dialysi argumentorum Lutheranorum contra Petri primatum allatorum *in hypothesi*; qvam deinde (2) *ad thesin* transfert, ut Rhetores loqvuntur, necessitatemqve alicujus capitis visibilis in Ecclesiâ demonstrare satagit. Legemus illius vestigia, Lectori considerandum relinqventes,

I. An unqvam Petro hujusmodi primatum in Ecclesiâ concesserit Scriptura? Non repetemus aliunde argumenta, qvàm ex ipso Masenio nostro: qvi (1) à *mandato Christi*, (2) à *facto Paulino*, (3) *ab absurdo* deniqve colligentibus orthodoxis respondere voluit. (I.) *Negant protestantes*, (ita noster p. 86.) *id Christo visum, qvòd Apostolos cæteros pari Ecclesiæ potestate præfecerit, munus pascendi* *Petri primatus. Exceptiones Masenii ad argumenta nostra, sumta (1) à Christi mandato.*

oves tribuens, cùm inqvit: euntes docete omnes gentes. *Et claves largitus, cùm ait* qvæcunqve solveritis super terram &c. Et sanè si omnium Apostolorum eadem ad unum munus vocatio, *Matth. X, 1. XXIIX, 19. Marc. XVI, 15. Luc. IX, 1. Job. XX. 21.* eadem potestas *Matth. XIIX, 18. Joh. XX, 23.* eadem privilegia, *Matth. X, 8. Marc. XVI, 17. 18.* eadem cura *II. Cor. XI. 28.* eadem excellentia, *II. Cor. XI, 5. Eph. II, 20.* non apparet ratio, cur unum alteri, ceu caput præferre debeamus. Sed ecce effugium Masenii nostri. *Respondent Catholici: qvoad Apostolatum & prædicandi solvendiq; jus illos qvidem fuisse pares, cùm hoc à Christo visibili adhuc capite præsenti acceperint; sed Christo & Apostolis cæteris deficientibus hanc apud Petrum ejusq; sedem & successores clavium potestatem relictam: ut (1) cui soli dictum*: super hanc petram ædificabo, *&* (2) tibi dabo claves: *&* (3.) *qvi solus plus cæteris consecutus est, qvia plus cæteris amavit, ac* (4) *præ cæteris Christum professus est DEUM & Redemtorem*: Tu es Filius DEI vivi: *qviq;* (5.) *solus fratres confirmare jussus, &* (6) *principem in Concilio Solymæo locum tenuit prælatus in sententiâ reliqvis.* Mira verò distinctio inter jus prædicandi, solvendi ac ligandi, & inter potestatem clavium, qvæ inter duo tantum, qvantum inter ensem & gladium interest. Claves enim regni cœlorum verbis seqq. Salvator expo-

Ubi expend. Distinctio inter jus solvendi ac potestatem clavium.

exponit per jus ligandi ac solvendi, h. e. remittendi ac retinendi peccata. Lege hîc Luther. *T. V J. G. libro* von den Schlüsseln *p. 218. sqq.* Has claves Apostolis cæteris deficientibus (defecisse enim Christum non minùs ac Apostolos ipsos, nemo Masenio crediderit, qvi svavissimam illius promissionem *Matth. ult. v. ult.* cogitat,) Petro unicè ejusqve successoribus relictas fuisse, gratis dicitur. Licèt enim (1.) Soli Petro dictum Matth. XVI. ædificabo super hanc Petram, qvæ Augustino interprete *Serm. XIII. de verbis Domini, T X p. 58.* & *tract. 134. in Evang. Johannem T. IX. p. 572.* Christus erat, qvem confessus fuerat Petrus, (sic enim B. Pater: *Tu es, inqvit, Petrus: & super hanc petram, qvam confessus es, super hanc petram, qvam cognovisti, dicens: Tu es Christus, Filius DEI vivi, ædificabo Ecclesiam meam: i. e. super me ipsum Filium DEI vivi ædificabo. Super me ædificabo te, non me super te.* Et qvæ in Sermone illo contra Pontificiorum sententiam seqvuntur, qvibus gemina in altero allegato in Johannem loco.) non tamen de Petro, nedum de solo Petro in oppositione ad cæteros Apostolos: cùm & super illorum (ratione doctrinæ spectatorum) fundamentum ædificati simus, *Eph. II, 20.* Licèt (2) soli Petro dicatur: *tibi dabo claves*; non tamen dicitur; *tibi soli dabo* claves: cùm & hîc

An soli Petro claves traditæ? Matth. XVI, 18. 19.

hîc cæterorum nomine loqvatur Petrus, & eædem claves cæteris alibi sint concessæ (*Matth.XVIII.*) neqve à clavibus regni cœlorum ad principatum inter Apostolos & in Ecclesiâ rectè colligatur. Itaqve (3.) plus cæteris consecutum fuisse Petrum qvoad officium pascendi,& potestatem clavium, falsissimum est, licèt fortè donis qvibusdam cæteris Apostolis superior fuerit. V. Danh. *Christeid.p.102.* Neqve Petrus interroganti Christo,num se plus cæteris diligeret, ausus est affirmare, sed: Domine,tu scis, qvòd diligam te. *Joh.XXI,15.* V. Gerh. *Harm. Pass.c. XI.* Neqve (4.) præ cæteris, sed cum cæteris confessus est Christum Filium DEI vivi, qvippe qvorum antè *c.XIV, 33.* eadem confessio: nec ab illâ confessione ad primatum rectè colligetur,nisi & Thomam eâdem insignire prærogativâ velis,qvòd & ipse Christum Dominum suum & DEum suum præ aliis professus *Joh. XX, 28.* (5.) Solus Petrus confirmare fratres, (æqvales, non subditos) conversus jubetur: qvia solus gravissimè lapsus Christum iteratis vicibus abnegando,ne graviùs lapsi de veniâ remissionis desperarent, qvâ ratione & Paulus suo exemplo confirmat fratres 1.*Tim. I, 16.* qvanqvam & Barnabas, Judas,Silas,Timotheus confirmasse animas discipulorum præconio suo dicuntur *Act.XIV,22.XVIII,23. XV,32.* Conf. Gerh. *Harm.contin.c.174.& T.II. Conf. Cath. p. 572.*

An Petrus plus cæteris consecutus,

plus cæteris amaverit? Joh. XXI, 15. sqq.

Cur solus confirmare fratres jussus? Luc.XXII, 32.

p.572. Chamier. *T.II.L.XI.c.* 16. §. 10. sqq. Stegman. *de jud. Controv. p. 202.* &c. (6.) Principem in Concilio Solymæo locum tenuisse Petrum prælatumqve in sententiâ reliqvis fuisse, probanti Masenio crederemus, non nudè asserenti aut comminiscenti. Certè qvidem Historia *Actor. XV.* Jacobo potiùs principem locum tribuere videtur, qvi ultimus sententiam dixit, Petriq; suffragium suo confirmavit *v. 13.* & in cujus verba decretum factum est *v. 22.* Neqve Petrus vel primus sententiam dixisse fertur, sed factâ jam disceptatione *v.7.* (qvanqvam nec hoc œcumenicum Episcopum argueret, nisi & Eustatium Antiochenum pro tali habere velimus, qvi in Nicenâ Synodo primus allocutus Imperatorem dicitur apud Theodorit. *L.I.c.7.*) vel direxisse Synodum illam, sed ut alibi Ecclesiæ judicio stat, eiq; se purgat *Act. XI, 2. sqq.* ita nullo præminenti judicio, sed communi suffragio litem decidit. Conf. Gerh. *T.II.* C.C. *p.581.* Cham. *T.II.L.13.c.12.* §. 7. 8. Et finge postremò, convenire Petro per hæc argumenta aliqvem in Apostolos cæteros principatum, qvi nullus tamen est; remanet *μέγα λίαν αἴτημα* de succesSione Pontificis in locum Petri.

An præses Concilii Solymæi? Act. XV.

(II.) *Negant Protestantes, p. 86. Paulum agnovisse in Petro hanc potestatem* (tum qvando se *nullo τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων maximorum excellentiâ Apostolorum minorem*

(2) à Pauli facto.

rem esse contendit II. *Cor. XI. 5.* XII, *11.* tum qvando Corinthios à Cephâ se denominantes, qvod facere sanè jure poterant, si œcumenicum Ecclesiæ caput Petrus fuisset, tanq. Schismaticos reprehendit 1. *Cor. I, 12.* tum maximè,) *cùm illi in faciem restitit, & erroris arguit*, *Gal.* II, 11-14. Frustrà Maserius est p. 87. sic scribens: *Nec obstat, qvòd pro suâ libertate illi restiterit Paulus: nam hoc subdito etiam in justâ causâ licet. Et David à Joab reprehensus est* II. *Sam.* XIX, 5. *nec propterea ab illo habendus inferior.* Nam (α) Qvis nostratium Paulo Petrum inferiorem dixit? Paritatem defendimus, non alterius præ altero ὑπεροχήν. (β) A severiori monitione superioris, ad increpationem summi ac infallibilis Ecclesiæ capitis N. V. C. Majorem à minori concedimus reprehendi posse. Concedunt etiam Pontificii. Sed œcumenicum Pontificem ab ullo homine in terris reprehendi posse negant. Nec Paulus tantùm reprehendit Petrum, sed ei in faciem restitit: ubi utitur verbo ἀνθιστάναι, qvod est *resistere, obsistere, sese opponere.* Qvod non licet minori adversus superiorem. Gerh. C. C. *t.* 2. *p.* 557. Cham. *t.* 2. *L.* 12. *c.* 3. *toto.*

qvi Petrū erroris arguit.

(3) *Ab absurdo: dum geminum Ecclesiæ caput datur.*

(III.) *At inconveniens esse dicunt* (Protestantes) *ut uni Ecclesiæ duo assignentur capita, Christus & Petrus.* p. 87. Sanè hoc inconveniens esse toties in Scripturâ inculcata similitudo corporis humani & Ecclesiæ indi-

indicat. Namq; ut uni corpori unum tantùm caput (non unum proximum aut secundarium, alterum remotum aut primarium,) tribui potest: sic Ecclesiæ qvoq; unicum caput, Christus: nec ullibi vel obliqvè alterius capitis mentio fit. Vide *Eph. I, 22. IV, 15. sqq. Col. I, 18 II, 19 Rom. XII, 5 I. Cor XII. 12. 27.* Vanum igitur effugium est, cùm *conveniens hoc esse* respondet Masenius, *in diversis functionibus: ideoq; Scripturam manifestè testari: qvoniam sicut vir caput est mulieris, quæ & proprium connatumq; caput habet: sic Christus Ecclesiæ, morale videlicet & remotum. Eph. V. 23.* Enimverò nostrum non erat hujusmodi convenientiam pro arbitrio nostro in rebus fidei contra DEI verbum confingere: è qvo hoc docemur: Unicum esse Ecclesiæ caput, Christum; sicuti mulieris unicus vir est, qvi caput illius appellatur, qvod caput neqvaqvam multiplicari in eodem genere potest, ita ut plura uno capita habeat mulier in societate conjugali, seu maritos plures, qvemadmodum Pontificii Ecclesiæ copulant geminum Sponsum, geminum caput Ecclesiasticum imponunt. Facile enim qvivis intelligit, qvàm præter rem sit, qvod de proprio ac naturali mulieris capite miscet, præter qvod & aliud caput qvasi morale habeat, maritum scilicet. Ecclesia enim cùm aliter, qvàm mysticum corpus spectari non possit, nugabitur, qvi de naturali

qveri habeat, repetemus. Ostendere autem vult *necessarium tale caput* (1) *ad lites in Ecclesiâ sopiendas*, (2) *ad hæresin à veritate discernendam*. Atq; huc (3) ex Politicis *doctrinam de optimâ Reip. formâ* trahit, (4) argumentum *ab impossibilitate contrarii dogmatis*, (5) exemplum *Synagogæ in V.T.* deniqve (6) *autoritatem Pontificum & nunciorum Apostolicorum praxin* addit. Videamus de singulis.

probari neqvit

(1.) *Hoc caput necessarium esse in diffusâ per totum orbem Ecclesia iisdem moribus institutisq; regendâ, qvis non videat? Qvis enim tot sparsos toto orbe Episcopos sæpè dissentientes componet?* p 87. At necessitatem talis capitis nemo adhuc orthodoxorum vidit. Hoc viderunt, & mandato Christi tale caput repugnare, qvi *Luc.* XXII, 25. omnem in Ecclesiâ dominatum prohibuit, nec contumeliâ in DEum vacare, abundare autem periculo & vix dubiam secum perniciem ferre, deniqve si rectè rem putes, fieri non posse, ut detur homo unus tantæ sapientiæ, ut casûs omnes rectè discernat, tantæ potentiæ, ut omnes ad suam sententiam amplectendam cogat, aut deniq; omnibus per orbem litibus dirimendis sufficiat: V. d. ex innumeris B. Meisner. *de Regim. Eccles. Qv. 8. & 9.* & *Lib.* IV. *de Legibus S 2. a. 2. q. 1. p. 544. sqq.* qvi ostendit etiam tale caput monarchicum necessarium hautqvaqvam esse,

multoq;

multoqve felicius remp. Christianam administrari, si juxta Christi institutionem & veteris Ecclesiæ exemplum sub uno capite & monarchâ Christo ad morem aristocratiæ, universæ Ecclesiæ regimen administretur. Conf. Hutteri *LL.art.XVI.c.4.p.581.* Gerh. *t.2.C.C.p523 sqq.* Dorsch. *P.II. Vindic. Exodi Disp.* VII. B. Parentis mei *Isagog.* p.824.907.

(1) Ex litium compositione. Ubi expend.

Lites inter tot sparsos toto orbe Episcopos componi, nisi per unum caput visibile, non posse, gratis dicitur. Enimverò dirimebantur in Ecclesiâ primitivâ lites, qvando inauditum invisumq; adhuc erat caput hujusmodi visibile. Non unus autem judicabat de ortâ controversiâ, sed conveniebant pastores, & communibus votis secundum Scripturarum tenorem, in qvibus satis omnes decisas controversias, omnes damnatas hæreses intelligebant, componebant lites Ecclesiasticas. Nullo tum Papæ judicio, nullâ determinatione opus. Judex una Scriptura, ex qvâ sententiam pronunciabant Concilii assessores. At verò vix major litium copia orbi incubuit, qvàm postqvam Christi vices ac locum per Scripturas regentis Ecclesiam involavit Rom. Episcopus. Qvot natæ in ipsâ Romanensium Ecclesiâ lites nondum compositæ? de auxiliis gratiæ, de viribus arbitrii, de peccato originis, de congruo & condigno, de justitiâ habituali & actuali, de maculatâ an immaculatâ con-

(a) exempla Ecclesiarum, Pontificiæ,

hostes qvosvis, ne interiret, asserere potuerit: qvasi non advigilaverit divina pronœa, ne jota vel apex periret de Lege, neqvicqvam ringente variasqve falsationes mentiente Antichristo Romano:) totas effundit habenas: *Estne rationabilis in orbe homo, qvi tam insanè calumniantibus, tamq; portentosa ex S. literis commiscentibus aut mentem, aut fidem, aut religionem inesse dixerit? aut qvicqvam illis credendum putet, qvos tanta falsitatis reos convictosq; nondum videt erubescere? J. talibus salutem tuam curandam crede, & nega te apertis oculis ruisse ad exitium sempiternum. O vilis anima, & perire digna, qvisqvis hæc pro DEI Evangelio tibi obtrudi patieris, atq; his sordibus calumniarum oblectatus fueris!* Tantæne animis cœlestibus iræ? Qvid aliud hîc reponamus bacchæ bacchanti, qvàm sua ipsius verba? *Verè acuerunt lingvas suas, sicut serpentes. Venenum aspidum sub labiis eorum. Qvid dicam, nisi qvod Christus? Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Et si Christus ipse obtrectatorum Lingvas, qvantumvis innocens, vitare non potuit, qvid illius vicarius* (non putatitiis illis & ementitis, sed veris, h. e. Evangelii ministris) *aliud expectandum?* Viderit autem Masenius, annon summo jure Romanos fugiamus, si objecta illa horroris plenissima dogmata vera deprehendantur, ad qvæ nihil profectò respondere

ſpondere præter calumnias auſus eſt: meritoq; ejusmodi calumniatores omni magis peſte, ipſomet judice, deteſtandi.

Punct. II. p. 86.-90.

An conveniens fuerit aut neceſſarium tale in Eccleſiâ caput conſtituere? Duo hîc agit Maſenius. (1) Occupatur in dialyſi argumentorum Lutheranorum contra Petri primatum allatorum *in hypotheſi*; qvam deinde (2) *ad theſin* transfert, ut Rhetores loqvuntur, necesſitatemqve alicujus capitis viſibilis in Eccleſiâ demonſtrare ſatagit. Legemus illius veſtigia, Lectori conſiderandum relinqventes,

I. An unqvam Petro hujusmodi primatum in Eccleſiâ conceſſerit Scriptura? Non repetemus aliunde argumenta, qvàm ex ipſo Maſenio noſtro: qvi (1) à *mandato Chriſti*, (2) à *facto Paulino*, (3) *ab abſurdo* deniqve colligentibus orthodoxis reſpondere voluit. (I.) *Negant proteſtantes*, (ita noſter p. 86.) *id Chriſto viſum, qvòd Apoſtolos cæteros pari Eccleſiæ poteſtate præfecerit, munus paſcendi* *oves*

Petri primatus. Exceptiones Maſenii ad argumenta noſtra, ſumta (1) à Chriſti mandato.

oves tribuens, cùm inqvit: euntes docete omnes gentes. *Et claves largitus, cùm ait:* qvæcunqve solveritis super terram &c. Et sanè si omnium Apostolorum eadem ad unum munus vocatio, *Matth. X, 1. XXIIX, 19. Marc. XVI, 15. Luc. IX, 1. Joh. XX. 21.* eadem potestas *Matth. XIIX, 18. Joh. XX. 23.* eadem privilegia, *Matth. X, 8. Marc. XVI, 17. 18.* eadem cura *II. Cor. XI. 28.* eadem excellentia, *II. Cor. XI, 5. Eph. II, 20.* non apparet ratio, cur unum alteri, ceu caput præferre debeamus. Sed ecce effugium Masenii nostri. *Respondent Catholici: qvoad Apostolatum & prædicandi solvendiq; jus illos qvidem fuisse pares, cùm hoc à Christo visibili adhuc capite præsenti acceperint; sed Christo & Apostolis cæteris deficientibus hanc apud Petrum ejusq; sedem & successores clavium potestatem relictam: ut (1.) cui soli dictum:* super hanc petram ædificabo, *&* (2) tibi dabo claves: *& (3.) qvi solus plus cæteris consecutus est, qvia plus cæteris amavit, ac (4) præ cæteris Christum professus est DEUM & Redemtorem:* Tu es Filius DEI vivi: *qviq; (5.) solus fratres confirmare jussus, & (6) principem in Concilio Solymæo locum tenuit prælatus in sententiâ reliqvis.* Mira verò distinctio inter jus prædicandi, solvendi ac ligandi, & inter potestatem clavium, qvæ inter duo tantum, qvantum inter ensem & gladium interest. Claves enim regni cœlorum verbis seqq. Salvator expo-

Ubi expend. Distinctio inter jus solvendi ac potestatem clavium.

exponit per jus ligandi ac solvendi, h. e. remittendi ac retinendi peccata. Lege hic Luther. *T.V J.G. libro* von den Schlüsseln *p. 218.sqq.* Has claves Apostolis cæteris deficientibus (defecisse enim Christum non minùs ac Apostolos ipsos, nemo Masenio crediderit, qvi svavissimam illius promissionem *Matth.ult. v.ult.* cogitat,) Petro unicè ejusqve successoribus relictas fuisse, gratis dicitur. Licèt enim (1.) Soli Petro dictum Matth.XVI. ædificabo super hanc Petram, qvæ Augustino interprete *Serm.XIII. de verbis Domini, T X p 58.*& *tract. 124. in Evang. Johannem T. IX. p. 572.* Christus erat, qvem confessus fuerat Petrus, ('sic enim B. Pater: *Tu es, inqvit, Petrus: & super hanc petram, qvam confessus es, super hanc petram, qvam cognovisti, dicens: Tu es Christus, Filius DEI vivi, ædificabo Ecclesiam meam: i. e. super me ipsum Filium DEI vivi ædificabo. Super me ædificabo te, non me super te.* Et qvæ in Sermone illo contra Pontificiorum sententiam seqvuntur, qvibus gemina in altero allegato in Johannem loco.) non tamen de Petro, nedum de solo Petro in oppositione ad cæteros Apostolos: cùm & super illorum (ratione doctrinæ spectatorum) fundamentum ædificati simus, *Eph.II,20.* Licèt (2) soli Petro dicatur: *tibi dabo claves*; non tamen dicitur; *tibi soli dabo* claves: cùm & hic

An soli Petro claves traditæ? Matth. XVI, 18. 19.

hîc cæterorum nomine loqvatur Petrus, & eædem claves cæteris alibi ſint conceſſæ (*Matth.XVIII.*) neqve à clavibus regni cœlorum ad principatum inter Apoſtolos & in Eccleſiâ rectè colligatur. Itaqve (3.) plus cæteris conſecutum fuiſſe Petrum qvoad officium paſcendi, & poteſtatem clavium, falſiſſimum eſt, licèt fortè donis qvibusdam cæteris Apoſtolis ſuperior fuerit. V. Danh. *Chriſteid.p.102.* Neqve Petrus interroganti Chriſto, num ſe plus cæteris diligeret, auſus eſt affirmare, ſed: Domine, tu ſcis, qvòd diligam te. *Joh.XXI,15.* V. Gerh. *Harm. Paſſ.c.XI.* Neqve (4.) præ cæteris, ſed cum cæteris confeſſus eſt Chriſtum Filium DEI vivi, qvippe qvorum antè *c.XIV, 33.* eadem confeſſio: nec ab illâ confeſſione ad primatum rectè colligetur, niſi & Thomam eâdem inſignire prærogativâ velis, qvòd & ipſe Chriſtum Dominum ſuum & DEum ſuum præ aliis profeſſus *Joh. XX, 28.* (5.) Solus Petrus confirmare fratres, (æqvales, non ſubditos) converſus jubetur: qvia ſolus graviſſimè lapſus Chriſtum iteratis vicibus abnegando, ne graviùs lapſi de veniâ remiſſionis deſperarent, qvâ ratione & Paulus ſuo exemplo confirmat fratres 1.*Tim. I, 16.* qvanqvam & Barnabas, Judas, Silas, Timotheus confirmaſſe animas diſcipulorum præconio ſuo dicuntur *Act.XIV,22.XVIII,23. XV,32.* Conf. Gerh. *Harm.contin.c.174.& T.II. Conf. Cath. p. 572.*

An Petrus plus cæteris conſecutus,

plus cæteris amaverit? Joh. XXI, 15. ſqq.

Cur ſolus confirmare fratres juſſus? Luc.XXII, 32.

p.572. Chamier. *T.II.L.XI.* c. 16. §. 10. sqq. Stegman. *de jud. Controv. p. 202.* &c. (6.) Principem in Concilio Solymæo locum tenuisse Petrum prælatumqve in sententiâ reliqvis fuisse, probanti Masenio crederemus, non nudè asserenti aut comminiscenti. Certè qvidem Historia *Actor. XV.* Jacobo potiùs principem locum tribuere videtur, qvi ultimus sententiam dixit, Petriq; suffragium suo confirmavit *v. 13.* & in cujus verba decretum factum est *v. 22.* Neqve Petrus vel primus sententiam dixisse fertur, sed factâ jam disceptatione *v. 7.* (qvanqvam nec hoc œcumenicum Episcopum argueret, nisi & Eustatium Antiochenum pro tali habere velimus, qvi in Nicenâ Synodo primus allocutus Imperatorem dicitur apud Theodorit. *L.I.c.7.*) vel direxisse Synodum illam, sed ut alibi Ecclesiæ judicio stat, eiq; se purgat *Act. XI, 2. sqq.* ita nullo præminenti judicio, sed communi suffragio litem decidit. Conf. Gerh. *T.II.* C.C. *p.581.* Cham. *T.II.L.13.c.12.* §. *7.8.* Et finge postremò, convenire Petro per hæc argumenta aliqvem in Apostolos cæteros principatum, qvi nullus tamen est; remanet μέγα λίαν αἴτημα de successione Pontificis in locum Petri. *An præses Concilii Solymæi? Act. XV.*

(II.) *Negant Protestantes, p. 86. Paulum agnovisse in Petro hanc potestatem* (tum qvando se *nullo* τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων *maximorum excellentiâ Apostolorum minorem* **(2) à Paulo facto.**

rem esse contendit II *Cor. XI, 5.* XII, *11.* tum qvando Corinthios à Cephâ se denominantes, qvod facere sanè jure poterant, si œcumenicum Ecclesiæ caput Petrus fuisset, tanq. Schismaticos reprehendit 1. *Cor. I, 12.* tum maximè,) *cùm illi in faciem restitit, & erroris arguit, Gal.* II, *11-14.* Frustrà Masenius est p. 87. sic scribens: *Nec obstat, qvòd pro suâ libertate illi restiterit Paulus: nam hoc subdito etiam in justâ causâ licet. Et David à Joab reprehensus est* II. *Sam.* XIX, *5. nec proptereà illo habendus inferior.* Nam (α) Qvis nostratium Paulo Petrum inferiorem dixit? Paritatem defendimus, non alterius præ altero ὑπεροχήν. (β) A severiori monitione superioris, ad increpationem summi ac infallibilis Ecclesiæ capitis N. V. C. Majorem à minori concedimus reprehendi posse. Concedunt etiam Pontificii. Sed œcumenicum Pontificem ab ullo homine in terris reprehendi posse negant. Nec Paulus tantùm reprehendit Petrum, sed ei in faciem restitit: ubi utitur verbo ἀνθιστάναι, qvod est *resistere, obsistere, sese opponere.* Qvod non licet minori adversus superiorem. Gerh. C. C. *t. 2. p. 557.* Cham. *t. 2. L. 12. c. 3. toto.*

qvi Petrū erroris arguit.

(3) Ab absurdo: dum geminum Ecclesiæ caput datur.

(III.) *At inconveniens esse dicunt* (Protestantes) *ut uni Ecclesiæ duo assignentur capita, Christus & Petrus.* p. 87. Sanè hoc inconveniens esse toties in Scripturâ inculcata similitudo corporis humani & Ecclesiæ indi-

indicat. Namq; ut uni corpori unum tantùm caput (non unum proximum aut secundarium, alterum remotum aut primarium,) tribui potest: sic Ecclesiæ qvoq; unicum caput, Christus: nec ullibi vel obliqvè alterius capitis mentio fit. Vide *Eph. I, 22. IV, 15. sqq. Col. I, 18 II, 19 Rom. XII, 5 I. Cor XII, 12. 27.* Vanum igitur effugium est, cùm *conveniens hoc esse* respondet Masenius, *in diversis functionibus: ideoq; Scripturam manifestè testari: qvoniam sicut vir caput est mulieris, qvæ & proprium connatumq; caput habet: sic Christus Ecclesiæ, morale videlicet & remotum. Eph. V. 23.* Enimverò nostrum non erat hujusmodi convenientiam pro arbitrio nostro in rebus fidei contra DEI verbum confingere: è qvo hoc docemur: Unicum esse Ecclesiæ caput, Christum; sicuti mulieris unicus vir est, qvi caput illius appellatur, qvod caput neqvaqvam multiplicari in eodem genere potest, ita ut plura uno capita habeat mulier in societate conjugali, seu maritos plures, qvemadmodum Pontificii Ecclesiæ copulant geminum Sponsum, geminum caput Ecclesiasticum imponunt. Facile enim qvivis intelligit, qvàm præter rem sit, qvod de proprio ac naturali mulieris capite miscet, præter qvod & aliud caput qvasi morale habeat, maritum scilicet. Ecclesia enim cùm aliter, qvàm mysticum corpus spectari non possit, nugabitur, qvi de naturali

Pontifex magis qvàm Christus Ecclesiæ caput juxta Masenium.

rali illius capite sollicitus fuerit. Neqve minori absurditate Pontificem sic appellaveris, qvàm impietate Masenius *Christum morale & remotum caput* dixit. Sanè qvi arctissimam Christi cum membris suis unionem, realissimumqve in illa influxum cogitat, (de qvâ re hic agendi locus non est,) facilè absurditatem hujus distinctiunculæ, qvâ non expedivit negotium Jesuita, sed magis intricavit, intelliget. Adde Meisneri *Schol. Acad. p* 344 *sqq.*

Qvale verò (pergit Masenius) *monstrum esset Ecclesia militans, si membra sua haberet in terris, caput visibile in cœlis?* At ego, qvale, inqvam, monstrum erit Ecclesia militans, si duo capita habeat, unum visibile Romæ, alterum invisibile in cœlis? Corpus Christi ut invisibile est (totaliter spectatum:) ita unum caput invisibile habet non absens in cœlis, sed gratiosè præsens in terris, imò in ipsis fidelium suorum cordibus.

Sed *qvomodo hoc diriget talia membra, qvod nec videtur, nec auditur?* Qværit noster. Obsecro verò te, Maseni, qvotusqvisqve vestratium est, cui Romanum Pontificem videre & audire datur? *Regnum Christi non est de hoc mundo*, Joh. XVIII, 36. *neq; venit cum observatione, neq; dicent, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum DEI intra vos est* Luc. XVII, 21. Dirigit ergò membra, ut anima corpus, licèt nec videatur, nec audiatur.

tur. Ut omittam, in visibilibus signis, h. e. Sacramentis & prædicatione Evangelii videri pariter & audiri qvodammodò hujus capitis directionem.

Sed an credendum, (pergit qværere,) *qvòd Christus, qvi ipse præsens sub visibili capite hanc Ecclesiam primò instituit, discedens ita repente illam mutilarit ac deformarit, ut simile caput membra recturum tolleret?* Qvasi verò Christus cum visibili præsentiâ gratiosum simul influxum subtraxerit, ut ideò sublatum ab Ecclesiâ caput credi posset. *Non relinqvam vos orphanos (* aut membra mutila, ait ad discipulos Salvator) *venio ad vos*, Joh. XIV, 18. *Et ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. XVIII, 18. *Sum vobiscum omnibus diebus* (apage ergò deformem illam mutilationem) *usq; ad consummationem seculi*, Matth. ult. Conf. si placet, Chamier *T. II. L. 10. c. 1. 2.* Pruckner. *ad Eph. I, 22. Membr. 9 p. 523.* J. Martini *Partit. Theol. Disp. 30.* &c. Nos plura pro vindicandâ veritate nostrâ non addimus, ac videmus tantùm, qvid

Secundo hujus Puncti membro pro **necessitate alicujus visibilis capitis, in genere** afferat Masenius. *Necessitas alicujus visibilis capitis* Sex in universum illius argumenta sunt, qvæ ipsius verbis, ne de injuriâ sibi factâ conqveri

qveri habeat, repetemus Ostendere autem vult *necessarium tale caput* (1) *ad lites in Ecclesiâ sopiendas*, (2) *ad hæresin à veritate discernendam*. Atq; huc (3) ex Politicis *doctrinam de optimâ Reip. formâ* trahit, (4) argumentum *ab impossibilitate contrarii dogmatis*, (5) exemplum *Synagogæ in V.T.* deniqve (6) *autoritatem Pontificum & nunciorum Apostolicorum praxin* addit. Videamus de singulis.

probari neqvit

(1.) *Hoc caput necessarium esse in diffusâ per totum orbem Ecclesiâ iisdem moribus institutisq; regendâ, qvis non videat? Qvis enim tot sparsos toto orbe Episcopos sæpè dissentientes componet?* p 87. At necessitatem talis capitis nemo adhuc orthodoxorum vidit. Hoc viderunt, & mandato Christi tale caput repugnare, qvi *Luc.* XXII, 25. omnem in Ecclesiâ dominatum prohibuit, nec contumeliâ in DEum vacare, abundare autem periculo & vix dubiam secum perniciem ferre, deniqve si rectè rem putes, fieri non posse, ut detur homo unus tantæ sapientiæ, ut casûs omnes rectè discernat, tantæ potentiæ, ut omnes ad suam sententiam amplectendam cogat, aut deniq; omnibus per orbem litibus dirimendis sufficiat: V. d. ex innumeris B. Meisner. *de Regim. Eccles. Qv. 8. & 9.* & *Lib.* IV. *de Legibus S 2. a. 2. q. 1. p. 544. sqq.* qvi ostendit etiam tale caput monarchicum necessarium hautqvaqvam esse, multoq;

multoqve felicius remp. Christianam administrari, si juxta Christi institutionem & veteris Ecclesiæ exemplum sub uno capite & monarchâ Christo ad morem aristocratiæ, universæ Ecclesiæ regimen administretur. Conf Hutteri *LL.art.XVI.c.4.p.581.* Gerh. *t.2.C.Cp523/qq.*Dorsch. *P.*II. *Vindic. Exodi Disp.*VII. B. Parentis mei *Isagog.*p.824.907.

Lites inter tot sparsos toto orbe Episcopos componi, nisi per unum caput visibile, non posse, gratis dicitur. Enimverò dirimebantur in Ecclesiâ primitivâ lites, qvando inauditum invisumq; adhuc erat caput hujusmodi visibile. Non unus autem judicabat de ortâ controversiâ, sed conveniebant pastores, & communibus votis secundum Scripturarum tenorem, in qvibus satis omnes decisas controversias, omnes damnatas hæreses intelligebant, componebant lites Ecclesiasticas. Nullo tum Papæ judicio, nullâ determinatione opus. Judex una Scriptura, ex qvâ sententiam pronunciabant Concilii assessores. At verò vix major litium copia orbi incubuit, qvàm postqvam Christi vices ac locum per Scripturas regentis Ecclesiam involavit Rom. Episcopus. Qvot natæ in ipsâ Romanensium Ecclesiâ lites nondum compositæ? de auxiliis gratiæ, de viribus arbitrii, de peccato originis, de congruo & condigno, de justitiâ habituali & actuali, de maculatâ an immaculatâ con-

(1) Ex litium compositione. Ubi expend.

(α) exempla Ecclesiarum, Pontificiæ,

conceptione B. Virginis, de prædetermina-tione voluntatis humanæ, de ipso Ecclesiæ Rom. palladiô, h. e. temporali potestate Pontificis directâ, an indirectâ, jure humano an divino concessâ? Cur munere hîc suo non defungitur Summus ille litium arbiter? Cur mussitat, & Ecclesiam distrahi patitur? An qvia non vult? an qvia non debet? an qvia non potest? Si illud, qvomodo à negligentiæ aut invidiæ culpâ absolvetur? Si istud, qvomodo judex universalis erit? Si deniqve non potest: cur ob hanc causam œcumenicum illi episcopatum concederemus?

Orientalium

Masenius tamen noster ad componenda dissidia tale caput necessarium esse, probare laborat tum exemplo Ecclesiarum *(α)* Orientalium, ac (β) Protestantium, tum *(γ)* Philippi Melanchthonis verbis. *(α) Romanus olim Episcopus*, (ait p.87.) *qvoties inter Orientales litigantes arbiter & judex? donec postremò audire detrectantes, Athanasio licèt ad hanc sedem provocante, in hæresin præcipites aut Schisma abiere. Nec mirum. Nam hi, ut Augustinus ait*, (T.4. qvæst. 110. in V.& N.T.) *ordinem ab Apostolo Petro cæptum, & usq; ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vendicantes, h. e. corpus sine capite profitentes. Unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiæ appellare.* Agnitum unqvam ab Ecclesiis Orientalibus Rom.

m. Episcopum ut litigantium arbitrum
udicem ordinarium, perpetuum ac in-
libilem fuisse,(compromittere enim for-
n illius judicium aliqvando potuerunt,)
lem ex Historiâ planius fecisset Mase-
is. E qvâ scimus eqvidem, sæpiùs
c affectasse illum, semper autem à Com-
triarchis & aliis repressum fuisse. Novi-
us,qvo Zelo VictoremRomanum Episco-
m AsiaticasEcclesiasSeculo II.ob excussũ
c jugũexcõmunicantẽ Irenæ9& Polycra-
s reprehẽderint.(Euseb.*V.H.E*.23.Magdeb.
nt.II.c.8.p.154.seqq) Novimus, qvàm a-
iter Cyprianus Carthaginensium, & Fir-
ilianus Cæsareæ Episcopus Cornelio, ac
aulo pòst Stephano Romanis Episcopis se-
oppofuerint,eosqve manifestæ temerita-
s ac stultitiæ incularint, qvàm non tole-
andum ullum Episcopi Romani primatum
rofessi sint. Vide de isto certamine *Ca-
al.test. Verit.p*.143.*sqq* 2087. Binium *Tom. I.
Concil.p*.191.*sqq*.Magdeb. *Cent.3.p*.107.*Dreier.
contra Pontif.p*.161. 309.*sqq*. Sibr. Lubbert.
*de Papâ Rom.L.5.c.10 p.450.sqq L.7.c.9.p.577.
sqq*. Cl. Salmas. *de primatu Papæ p. 70. sqq*.
Recentiora afferre nihil attinet. Neqve
enim negabit, opinor, Masenius, acerrimè
Romani Pontificis primatum à Græcis im-
pugnatum fuisse, qvod & Bellarm. *præfat.
libb. de R.P.p*.129. *G*.agnoscit. Sed hoc tum
scilicet,postqvam *in hæresin aut Schisma præ-*

 cipi-

cipites abiere. Mirum autem, qvosdam Romani Pontificis parasitos, *Leonem* potissimum *Allatium* tantopere de perpetuâ Orientalium cum Latinâ Ecclesiarum consensione gloriari, qvas non Schismatis modò, sed hæreseos hîc accusat noster. Augustini verba eos feriunt, *qvi ordinem sibi sine origine vendicabant*, h.e. de successione gloriabantur, qvam deducere à Petro tanqvam capite non poterant. Qvanti aliàs ipse fecerit argumentum à successione sumtum, jam superiùs cognovimus.

& Protestãtium. Sed & (β) altera accusatio nostrarum Ecclesiarum antè repulsa est, qvam nunc *p. 88.* repetit. *An tales hoc tempore sint Ecclesiæ Protestantium, & qvanta istbic in paucis Europæ Ecclesiis morum, ordinis, legum & sententiarum confusio, palam est. Et qvid mirum, cùm sint sine capite?* Et paulò post *excussis semel habenis, credendi sentiendiq; ex S. literis concessam cuivis fidelium libertatẽ, judiciumq; supremũ, ad Principũ seculariũ & illiteratorũ sæpè aulas translatũ* objicit. Non decebat autem bonum virum temerè *confusionem ordinis, legum, sententiarum* imputare, cùm probari illa non posset. Confusionem, qvæ in Mennonistarum, Qvackerorum, Puritanorum similibusqve cœtibus aliis regnat, nobis qvidem frustrà objiciet. *Exierunt è nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, utiq; permansissent nobiscum; sed ut manifesti fierent, qvòd non sint*
ex

nobis, I. Joh. II, 19. Neq; sanè illorum
ostasia & confusio defectui capitis visi-
is antichristiani, sed proprii ingenii pra-
ati, & *deo hujus seculi* tribuenda est, qvi
*excaecavit incredulorum mentes, ne illucesce-
t illis lumen Evangelii gloriae Christi, qvi est
nago DEI*, II. Cor. IV, 4. Nostrae autem
cclesiae, ut ad verbum DEI tanqvam nor-
am & lucem in semitis suis unicè respici-
nt; ita *concessam cuivis qvidvis sentiendi li-
ertatem* seriò rejiciunt, ac ne qvicqvam ab
ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων alie-
um spargatur, per Symbola sua & confes-
ones sedulò cavent, qvibus publicè do-
entes juramento fidem astringunt. Qvid
erò venisse in mentem Masenio credemq,
ùm *supremum judicium ad principum illite-
ratorum saepè aulas* transferri comminisce-
retur. Eqvidem hujusmodi arbitros con-
troversiarum fidei reperias inter Pontifi-
cios. Granatensis judicio inter patres
Tridentinos non pauci *muli clitellarii e-
rant, ad sarcinas tantùm Papae ferendas, &
implendum numerum apti nati.* (V. Heideg-
ger. *anat. Conc. Trid.* p. 882. & Pontificum
qverelas de ruditate suorum Episcoporum
apud N. Hunnium lege *pell. Ovin. §. 853*) Ma-
gis mireris, qvod Alf. à Castro *praefat. adv.
haereses*, & *lib. I. adv. haer c. 4.* prodidit, Sum-
morum Pontificum qvosdam adeò fuisse
rudes, ut ne grammaticam qvidem calle-
Z 2 rent.

rent. Apud nos ſupremum judicium ad nullum hominem, nedum ἀναλφάβητον, transfertur. Magiſtratûs noſtri jus atqve debitum promovendi in ſuâ ditione per legitima media fidem orthodoxam exercent qvidem, minimè autem omnium ſupremum de rebus credendis judicium ſibi arrogant.

(β) *Sententia Melanchthonis.*

Qvod (γ) Melanchthonis, qvem *Lutheranæ confesſionis autorem* vocat, (qvatenus hoc verum ſit, è Menzeri *Exeg. p. 11.* Calovii *Crit. S p. 41.* B. Parentis *mei Iſagoge p. 104.* & maximè B. Jo. Schmidii *diſſert. ſeculari de Aug. Conf. p. 41 ſqq.* cognoſces.) verba ſpectat, parum ea nos movent. Sic autem ſcripſiſſe illum ad Chriſtophorum qvendam Electoris Sax. Conſiliarium narrat: *Ut Epiſcopis & ſummo Epiſcopo tribuatur autoritas, qvæ deſcribitur in libro Auguſtano,* (Interimiſtico) *conſervari opto.* &c. Dudum eſt, qvòd oſtenderunt noſtrates & Reformati, de Primatu papæ non idem ſenſiſſe per omnem vitam Philippum. Primùm qvidem, *ſuperioritatem ei in Epiſcopos jure humano conceſſiſſe propter pacem & tranqvillitatem Chriſtianorum qvi ſub ipſo ſunt, ſi tamen recipiat Evangelium,* uti articulis Smalcaldicis ſubſcribens loqvitur, *Form. Conc. p. 338.* Poſteaqvam verò intellexit, nunqvam impletum iri ſpem emendationis in doctrinâ & moribus, qvam Adrianus VI. Cle-

Clemens VII, & Paulus III. in Noribergensibus, Spirensibus & Wormatiensibus Comitiis fecerant, mutatâ sententiâ omnem illi primatum abjudicavit. Docet hoc adductis qvàm multis ejus textibus Andr. Rivet. *animadverſ. ad notas Grotii in Caſſandri Conſult. art. 7. T. III Opp. p. 939.* Conf. Danh. *Myſt. Syncr. p. 23.* Groſſ. *de autorit. Rom. Pontif. qv. 10.* Mengering. *Inform. Conſc. p. 862.* Breviter B. Wilhelm. Lyſer. diſp. in II. Theſs II. de antichriſto, ad num. IV. not. 3. ſub finem: *Philippus ſeipſum correxit, ſtatim pòſt purè ſubſcribens, approbare ſe articulum de primatu Papæ,* (qvi habetur ad calcem articulorum Smalcaldicorum:) *in qvo aſſeritur: Etiamſi Romanus Epiſcopus divino (nedum humano) jure ſuperioritatem haberet, tamen qvia planè notæ antichriſti conveniunt in regnum Papæ, ideò omnes Chriſtianos Papam cum ſuis membris, tanqvam regnum antichriſti deſerere & execrari debere.* Et cur non ipſum Lutherum defenſorem primatûs Papalis facit Maſenius? qvem ſub initium illuminationis ſuæ primatum papæ adhuc defendiſſe, donec meliùs erudiretur, verba ejus docent, qvæ in B. parentis mei *Iſagoge in libb. Symb. p. 822, 896.* hanc in rem proferuntur. Omitto, Philippum metu eò adactum fuiſſe, ut multa in gratiam libri Interimiſtici ſcriberet faceretqve, ceu oſtenſum D. Calovio *Crit. S. p. 172.* qvanqvam

eum operosè pro mutuâ necessitudine excuset Camerarius *vitâ Melanchth. p. 267. sqq.*

(2) Ex veritatis & hæreseos discretione:

Unum Masenii argumentum vidimus. Nunc (II.) an ad *hæreseos à veritate discretionem* necessarium sit visibile aliqvod in Ecclesiâ caput, cognoscamus. Qvod qvidem Masenius existimat. *Qvanti*, ait, *intersit ad hæresin à veritate in vulgo distingvendam habere caput, vel ex eo liqvet, qvòd cùm Ecclesia in partes dissentientium de fide scinditur, constare neqveat, penes qvam partem vera maneat Ecclesia, nisi appareat, qvibuscum stet sentiatq; caput. Id ubi membris junctum reliqvis videris, vitam illic fidemq; atq; Ecclesiam veram (qvæ nostris nunqvam oculis eripienda est) esse intelliges, qvod dissentientibus illis, qvæ sine capite supremo sunt, Ecclesiis manet indecisum, ut rectè Jreneus, Basilius, Hieronymus Augustinus aliiq; observarunt.*

ad qvam visibile caput

Est sanè hæresis tale opus carnis, qvo à capite juxtà & corpore Ecclesiæ reliqvo separatur, qvi illi indulget. Itaq; omninò pro verâ Ecclesiâ habenda erit illa, cui caput consentit.

nec necessarium est,

Caput autem corporis sui, ut toties testatur Scriptura, Christus est. Hic à qvibus stet partibus, manifestiùs multò certiusq; apparet, si Scripturas evolvamus, in qvibus sententiam dicit Christus, & ad qvas nos remittit, qvàm si cuipiam homini committamus has partes. Qvid enim, si in

ærefin labatur ipfe, ut incidere in hæ- *& inutile.*
ı Pontificem ac judıcari poſſe, Bellarm.
entia aliiq; docent: (Vid. Hunn. *pelle*
n §.640.ſqq.) num pro verâ Eccleſiâ ha-
da illa pars fuerit, qvæ cum capite ſen-
Num ideò Arianorum factio vera Ec-
ia eſt, qvòd illi Liberius Pontifex (Hi-
o, Hieronymo, Athanaſio, Sozomeno,
oſtorgio, P. Damiani, Platinâ teſtibus)
ſentit? aut Neſtorianis, Eutychianis,
notheletis premendus pollex, qvòd
ıſtaſius, Vigilius, Honorius ab his parti-
ſteterunt, fatenribus graviſſimis inter
os Pontificios Hiſtoricis? Lege Cha-
r. *Panſtrat. T. I. L. III. c. 9. ſqq.* aliosq; qvi
ltos in hæreſin lapſos Epiſcopos Roma-
è domeſticis teſtimoniis oſtenderunt.
qve verò eſt, qvod dicas, Papam ſi incidat
æreſin, caput h. e. Papam ampliùs non
. Qvid enim eſt nugari in re ſeriâ, ſi hoc
ı eſt. *Sic* enim *qvis poſſet aſſerere, nul-*
ı fidelem poſſe in fide errare: nam cùm hæ-
cus fuerit, jam deſinit eſſe fidelis, ut Alph.
Caſtro ſcribit *L. I. c. 4.* Et qvis definiet,
eticam eſſe illam, qvam tali caſu am-
ctetur Pontifex, ſententiam? Aut Papa
faciet ipſe, qvod ridiculum: aut Eccle-
cum Doctoribus ſuis, qvæ ita ſuperior
ite ſuo, qvod abſurdum: aut Scriptura,
od cum Pontificio primatu & infallibi-
ate *ἀσύςατον.* Patet enim inde, ad hære-

ſin à veritate diſtingvendam, non tam viſibili aliqvo capite, qvàm Scripturæ debito ſcrutinio opus eſſe. Ad Patrum autoritates, qvas hîc allegat Maſenius, jam reſponſum à Dreiero *Diſpp. contra Pontif. p. 346. ſqq.* Chamier. *t. 2. l. 13. c. 22, 23.*

(3) *Ex Politicis, de opt. reip. formâ.*

Sed ecce (III.) novum argumentum ab optimâ reip. formâ: *Deniq; cum perfectisſimum Eccleſiæ regimen & divino proximum jure Eccleſiæ tribuendum ſit, qvis neſciat, hoc eſſe monarchicum?* Sed id meâ qvidem ſententiâ longè ineptisſimum eſt. Qvàm turpiter enim (α) à formâ *reip. terrenæ*, ad *Chriſti regnum* qvod non eſt de hoc mundo, concludit? Hic ſanè ad Chriſti potiùs inſtitutum, qvàm politicorum regulas fuerat reſpiciendum. Qvid autem (β) reſponderet Maſenius iis, qvi vel *ariſtocratiam*, vel *politiam* pro præſtantisſimâ reip. formâ habent? Porrò ſi hæc valeat colligendi ratio; qvidni (γ) *hæreditariam* monarchiam in regno Chriſti præfert *electivæ*, qvam nec pauci, nec contemnendi Civilis prudentiæ magiſtri in republicâ præferunt? Cur (δ) gubernationem, qvæ fit *per vicarium*, præfert ei, qvam princeps *per ſe* adminiſtrat, aut *per leges* ſcriptas? *Melior eſt gubernatio principis per ſe, qvàm per vicarios. At gubernatio ſine legibus neceſſariò reqvirit multos vicarios, qvi omnes ad arbitrium ſuum judicent, qvando autem per leges gubernantur, ipſe*

ipse princeps omnia per se judicare censetur, cùm ejus legibus judicetur. Ita Bellarm. *de Laicis c.10. §. septimò.* Neqve (*) nos infitiamur regimen *monarchicum* Ecclesiæ. Unus monarcha Christus, qvi per verbi ministros juxta legem ab se scriptam, rempublillam suam administrare voluit, prout ex ordinatione illius Matth. XXIIX. & Joh. XX. constat. Sed plura de hoc argumento apud B. Hutterum *Loc. Theol. art. 16. c. 4. p. 568.-589.* B. Meisner. *de Regim. Eccles. qv. 2. p. 67. sqq.* Gerh. *Conf. Cath. l. 2. p. 538. sqq.* Jac. Martini *partit. Disp. 30. §. 19. sqq.* Dreier. *p. 25.* Cham. *t. 2. L. 9. c. 8.* &c.

(4) *Ex absurditate opposita sententia.*

Cùm verò (IV.) *unum Christi corpus eodem regi legibus meritò debeat judicariq́ue, qvis sub diversis hoc speret capitibus judiciumq́ue uniformiter fieri posse? qvomodo unius corporis membra duobus aut pluribus dominis servient? Nunqvid non unus omnium Dominus, una fides, unum baptisma? Et qvis credat, unum Dominum legatis diversis & sibi sæpe contrariantibus supremam judicii potestatem suâ Ecclesiâ demandasse?* qværit porrò noster. Caipham dixeris vaticinantem, aut Bileamum fundentem oracula. Sic causam nostram dum impugnat, propugnat; dum eversum it, confirmat ac stabilit Jesuita. Est enim hoc non inter postrema orthodoxorum contra visibile Ecclesiæ caput argumenta, qvòd unicum Christi corpus

 sit,

ſit, cui regendo ipſe ſummus monarcha & caput leges in verbo ſuo præſcripſit. Qvomodo autem membra hujus corporis duobus Dominis contraria præcipientibus (Chriſto & antichriſto) ſervient? Cur pro uno illo Domino geminos ſubſtituunt? Qvis credat, unum Dominum legatis diverſis & ſibi ſæpè contrariantibus (qvod tot decreta contradictoria à Rom. Pontificibus promulgata, jamq; ſuperiùs notata à nobis oſtendunt,) ſupremam judicii poteſtatem in ſuâ Eccleſiâ demandaſſe? Nemo ſanè Proteſtantium; nemo, cui ſalus ſua curæ cordiq; eſt. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

(5) Ex Veteris Synagogæ exemplo.

Porrò autem (V) *ſi in Veteris Teſtam. Synagogâ, qvæ noſtræ figura Eccleſiæ, uni ſacerdoti ſummo hæc tradita poteſtas eſt, qvâ fronte nos denegabimus?* Inverto: ſi Pontificatus iſte viſibilis ad umbras & figuras Veteris Teſtamenti pertinuit, reſtaurari citra impietatem in Eccleſiâ neqvit: cùm umbris veritas jã in Chriſto ſucceſſerit, in qvo typus veteris Pontificis impletus fuit, non ulteriùs abripiendus ad Papam. *Col. II, 17. Ebr. VIII. & IX.* Omitto, nunqvam habuiſſe Pontifices Veteris Teſtam. talem primatum, qvalem ſuo Papæ tribuunt Romanenſes. Regibus enim ſubjecti erant, aqve iis conſtitui abdicariq; poterant, *I. Reg. II, 27. 35.* non habebant jus convocandi Synodos, qvod

qvod magistratûs exercebant; *II. Sam. VI, 1. 15. I. Reg. VIII, 1.* non soli judicabant controversias, sed cum Synedrio, *Deut. XVII, 9. sqq.* Omitto, disparem fuisse rationem Ecclesiæ Judaicæ ad unum populum certamqve regionem alligatæ, & Christianæ per totum orbem diffusæ. Omitto alia legenda apud Meisnerum *de Legibus p. 526. sqq. & Scholar. Academ p. 291. sqq.* Dorsch. *P. II. Vindic. Exodi Disp. VI. VII. VIII.* Cham. *Lib. cit. c. 10.* & alios.

(6) Ex actu Concilii Ephesini.

Ultimum (VI.) superest Masenii momentum, qvod *Apostolici ad Ephesinum Concilium legati, & Innocentii Zosimiq; Pontificum* autoritas superaddunt. *Olim*, inqvit, *in Ephesino Concilio nullo contradicente professus est legatus apostolicus Philippus: Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, S. Petrum apostolorum principem & caput, Ecclesiæ catholicæ fundamentum per successores hucusq; semper vivere, causasq; decernere, atq; ipsas etiam hæreses diversis temporibus exortas damnare.* Leguntur hæc in actis Concilii Ephesini œcumenici *tom. 2. c. 16.* apud Binium *Concil. tomo I. fol. 754. extr.* Vellem & reliqva addita, qvæ ibidem subjicit Philippus. *Qvam qvidem Synodum humanissimi Christianissimiq; Imperatores fidem Catholicam apostolicamq; doctrinam in recenti memoriâ usq; habentes, constantesq; perpetuò retinentes convenire jusserunt.* Hinc enim intelli-

intelligeretur, ab Impp. œcumenicum illud Concilium coactum fuisse, non à Rom. Pontifice, qvod factum tamen oportebat, si caput Ecclesiæ ille ab Imperatoribus fuisset agnitus. Pone nunc Pontificis primatum in his Philippi verbis defendi, nihil seqvetur ampliùs, qvàm eum à Celestino Episcopo Rom. fuisse affectatum. Cui si nemo tum contradixit, vel pacis studio, vel gravitati negotii Nestoriani, cui tum omnis cura impendenda erat, tribuetur. Zosimo sanè ante Celestinum tale qvid tentanti gravissimè contradicebatur. Cujus rei memoriam qvoniam ipse nobis Masenius verbis ex Possidonii *vitâ Augustini cap. 18.* productis refricat, age repetamus breviter, qvæ prolixiùs apud Magdeburgenses *Cent. V. c. 9. & 12. p. 851. sqq. 1236. 1241.* Osiandrum *Cent. V. L. I. c. 37. 38. p. 168. sqq.* D. Kromai. *Hist. Eccles. Sect. V. p. 266. sqq.* D. Hartmann. *Contin. Historiæ Ruelianæ Concil. tom. III. p. 457. sqq.* Ger. Joh. Voss. *Hist. Pelag. L. 1. c. 28. p. 82. seqq.* legi possunt. Absolverat Zozimus Rom. Episcopus Apiarium qvendam Presbyterum Siccensem in Africâ, reddideratqve communioni inconsultis Episcopis Africanis, qvi eum ob enormia flagitia excommunicaverant. Qvin & in Africam miserat Faustinum Episcopum Potentinum, & duos Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, Philippum atq; Asellum, imperaturos Synodo Africa-

Historia impugnati in Synodo Africanâ Papalis primatûs.

Africanæ, ut in communionem recipiant Apiarium,& Urbanum Episcopum Siccensem excommunicent aut Romam mittant: simulq; extorturos illud, ut liceat episcopis & sacerdotibus à sententiâ suorum metropolitanorum aut etiam Synodi ad sedem Romanam appellare, (qvod fecerat Apiarius:) ipse verò (Rom. Pontifex) jus habeat legatos à latere in Africam mittendi, qvi Afrorum causas cognoscant. Ne arrogatæ potentiæ color deesset, eam in Synodo Nicænâ Romano Pontifici datam fingebat, cujus Synodi suppositium canonem legatis suis scripto tradit. Respondent Episcopi Africani, qvibus fraus suboluerat, se in suis exemplaribus inter canones Synodi Nicænæ eum, qvem allegaverat Pontifex, non reperire. Pacis interim studio velle permittere, ut Episcopi ad Rom. sedem appellent. Verùm non diutiùs, qvàm usq; ad inqvisitionem statutorum Concilii Nicæni. Idqve ad Zozimum datis literis referunt. Qvi vix acceptis literis justo DEI judicio desiit esse in vivis. Cujus Successor Bonifacius cùm eandem fabulam ageret, apertè mendacii convictus est à Concilio per exemplaria Synodi Nicænæ, qvæ in Ecclesiâ Alexandrinâ & Constantinopolitanâ asservabantur. Cumqve Bonifacio post triennium extincto Celestinus eadem moliretur, decrevit deniqve Carthaginensis Synodus:

Ne

Ne cuiqvam vel Sacerdoti vel Episcopo ex Africâ aut aliis provinciis metropolitanos habentibus ad Papam appellare liceat: sed sit prima cognitio causarum Ecclesiasticarum penes Episcopos & metropolitanum, secunda penes provinciale Concilium, ultima penes universale. Item: *ne ullum jus deinceps Romano Papæ super Africanas Ecclesias concedatur.* Esto nunc judicium penes Lectorem, an in hâc *Synodo, cujus dux ingeniumq;*, ceu Prosper loqvitur, *Augustinus erat,* Masenianus controversiarum decisor, *nullo contradicente legatus apostolicus Philippus professus fuerit*, Papam esse universæ Ecclesiæ caput. Neqve condemnatio Pelagianorum, Zosimo tantùm non extorta (qvantopere enim pro Celestio antesignano laborarit, epistolæ ipsius docere possunt apud Binium *tomo I. Concil. p. 606. sqq.*) summum Ecclesiæ caput arguit. Certè qvidem Ephesini Concilii Patres dum Romani Pontificis censuram de Pelagio approbarunt, non minorem sibi autoritatem vindicant, qvàm Pontifici tribuunt, qvem *sanctissimum piissimumq;* *Comministrum* vocant apud Binium tom. I. p. 804. Sic autem epistolam illam finiunt: *Porrò perlectis eis in S. Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum depositione à tuâ pietate istbic decreta & constituta sunt,* judi-

judicavimus & nos qvoq́; , ea solida firmaq́; permanere debere. Qvare idem omnes vobiscum sentientes, & nos itidem eos pro depositis habemus. Valere te & nostri memorem esse optamus in Domino, dilecte & desideratissime. Qvæ verba cùm ex actis Concilii hujus protulisset Vossius *Hist. Pelag. L. I. c. 47. p. 112.* subjicit: *Qvi locus planè meretur, ut qvemadmodum ἐν τοῖς χρησίμοις & laudabilibus facere antiqvi solebant, τὸ χ illi vel L appingatur. Nam hinc discimus, ut Episcopi Romani de Pelagio Celestioq́; judicium ab universali Synodo sit approbatum.*

Impudentiam hominis arguit, qvòd sub finem hujus puncti *crassum commentum* vocat, *qvòd uni qvidvis Pontifici, etiam contra Scripturam S. & Ecclesiam decernenti Catholici jubeantur credere:* illiq́; *nullum locum in Conciliis aut Symbolis catholicorum esse, qva tamen sint norma rerum credendarum.* Mirum, non teneri catholicos, ut credant talia Pontifici, cùm credere teneantur etiam errores proponenti parocho, ceu *suprà ad Instruct.* ex Toleto, Ang. de Clavasio aliisq́; declaravimus. Nunc istud modò argumentum reddimus: Qvi Pontifici ex cathedrâ pronuncianti jubent credere in omnibus, eumq́; pro infallibili venditant: illi & credere jubent ei, cùm contra Scripturam

An Pontifici credendum contra Scripturam & Ecclesiam decernenti?

pturam & Ecclesiam docet.* Pontificiorum verò Symbola & confessiones illud docent. Ergò.

PUNCTUM III.
p. 90. 91. 92.

(I.) *Extra Ecclesiam Papalem salutem obtineri non posse,*

An extra Ecclesiam, quæ sub visibili Pontifice regitur, salus obtineri possit? Qvæstionem negari ab Augustino ait. Cujus proinde loca qvædam affert. Nos *primò* ad verba Augustiniana (p.90.) illorumqve ad Papatum applicationem, Esaiæ qvoq; textum c. LX,11. (p.91.) respondebimus; *tum* breviter indicabimus, tantum abesse, ut extra Ecclesiam hanc salus obtineri non possit, ut potiùs cum summo salutis periculo, si qvis huic se capiti subjiciat, conjunctum sit.

nec α) Augustinus probat:

Ac ad *Augustini* qvidem autoritatem (1) brevissimè responderi potest, ineptè illam hoc in negotio adduci. Qværimus de Ecclesiâ Romanâ, qvalis *nunc* est, non qvalis *temporibus Augustini* erat. Multum enim ab isto usq; ævo in deterius profecit. Deinde (2) uti differunt Ecclesia *catholica* & *Romana*: (hanc enim si maximè veram putes, pars fuerit Ecclesiæ catholicæ) sic intelli-

telligere facile eſt, non fuiſſe ad Eccleſiam Romanam illicò abripiendum, cùm Auguſtinus & ante eum Cyprianus neminem ſalvatum iri dixerunt extra Eccleſiam conſtitutum. (3.) Notandum prætereà & illud eſt, aliter pronuntiandum eſſe de Schiſmaticis ſeſe *à cœtu veræ Eccleſiæ* petulanter & *absq; causâ avellentibus*; qvemadmodum à cæterâ fidelium multitudine ſecedebant Donatiſtæ, qvos locis à Maſenio ex *Tomo VII.* productis Auguſtinus meritò notat: aliter de his, qvi *à corruptâ Eccleſiâ ad priſtinam puritatem ſeſe recipiunt*: qvæ nobis felicitas DEI beneficio contigit.

Hæc ſi obſerventur, patebit ſimul, qvàm vana ſit illa de Auguſtini conſenſu gloriatio. Qvæ enim reperit, (α) ex *Pſalmo contra partem Donati*, qvi *Tomum VII.* inchoat, Donatiſtas feriunt, à cœtu ac fide Apoſtolicâ, qvalis tum in Romanâ Eccleſiâ florebat, ſeſe divellentes. Hos *præciſos palmites viti inſeri* rurſus, hos *petræ* reddi, *qvam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*, h.e. veram de Chriſto confeſſionem tenenti Eccleſiæ Catholicæ, cujus tum homogenea pars Romana erat, reddi optat. Idem & votum noſtrum pro Pontificiis, qvos dolemus, *à vite præciſos ita jacere*.

Qvod (β) locum alterum ex *eodem Tom. p. 93.* attinet, is non minùs ad Pontificem cum ſuis pertinet, qvàm ad Petilianum,

contra cujus literas, *L. II. c. 13.* ita ſcribit: *Qværimus, unde fuerit diabolus homicida ab initio: & invenimus, qvod primum hominem occiderit, à paradiſi felicitate dejiciendo. Qvod tunc paradiſus, hoc nunc Eccleſia. Diaboli ergò filii ſunt, qvi homines ab Eccleſiâ ſeducendo interficiunt. Sicut autem per verba DEI novimus, ubi ſit plantatus paradiſus: ſic per verba Chriſti* (non per fallacia qvædam à Pontificiis hodie jactari ſolita κριτήρια) *ubi ſit Eccleſia, didicimus. Per omnes, inqvit, gentes*, (apage ergò Romanum monopolium!) *incipiens ab Hieruſalem. Ab iſto univerſo ad partem qvamlibet* (audiant verò hoc non *Calviniſtæ* tantùm & *Anabaptiſtæ*, qvos in unam cum *Lutheranis* parentheſin hîc intrudit Maſenius; ſed & *Pontificii*, à ſalutari veræ fidei communione abſtrahentes vi ac dolo ad perverſiſſima Epiſcopi ſui placita cœtusqve, *cumq; unum fecerint proſelytum, facientes eum filium gehennæ*, Matth. XXIII, 15.) *qvisqvis ſeparat hominem, ille diaboli filius & homicida convincitur.* In Evangelicos certè Doctores, qvi pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, Apoſtolorum miniſterio in omnes gentes, facto initio ab Hieroſolymis prædicatam identidem inculcant, eandemqve contra novam planè ac Apoſtolicæ adverſiſſimam de pœnitentiâ & remiſſione doctrinam defendunt, iſthæc minimè competunt.

Sed

Sed negat (y) Augustinus, qvenqvam participem fieri posse bonorum spiritualium extra illam Ecclesiam, in qvâ hostia Redemtoris jugi sacrificio immolatur. Verba *Serm.181.de temp. Tom. X. p. 994.* ista sunt; *De agni hostiâ Dominus pracepit dicens: in unâ domo comedetis, nec efferetis de carnibus ejus foràs. In unâ namq; domo agnus comeditur, qvia in unâ catholicâ Ecclesiâ vera Redemtoris hostia immolatur. De cujus carnibus divina jussio efferri foràs prohibet, qvia dari sanctum canibus vetat. Sola est, in qvâ bonum opus fructuosè peragitur, unde mercedem denarii non nisi qvi intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola est, qvæ intra se positos validâ charitatis compage custodit. Unde & aqva diluvii arcam ad sublimiora sustulit, omnes autem, qvos extra arcam invenit, extinxit. Frange ramum ab arbore, fructus germinare non poterit. A fonte pracide rivum, pracisus arescet.* Respondeo (1) *Sermo primus in vigiliâ Pentecostes, qvi est 181. de tempore apud Augustinum, est imperiti cujusdam hominis sermo.* Ita Molanus *de picturis c.16*, qvem Lovanio impressum Cocus citat *Censura p.368.* cùm Lovaniensium recitasset judicium *pag. prac.* qvi sic censuerant: *Sermo 181. de temp. utitur verbis Gregorii ex Moralibus* (qvem librum etiam ad marginem loci, qvem cum Masenio repetiimus, Erasmo ascripsit,) *& plura habet, unde constat, non esse*

Serm. 181. de temp. qvalis?

ſe Auguſtini. Cur ergò imperiti cujusdam hominis ſermonem, qvi talia habet, unde conſtare poteſt, non eſſe Auguſtini ipſorum Papiſtarum judicio, pro Auguſtiniano nobis obtrudit? Finge verò (2) ab Auguſtino excludi eum ſalute & participatione bonorum ſpiritualium, qvi intra arcam Eccleſiæ non ſit conſtitutus. Qvid poſtea? De Romanâ eum loqvi Eccleſiâ nec conſtat, neqve ſi conſtaret etiam, ſuffecerit: niſi demonſtratum fuerit, non degeneraſſe illam à puritate avitâ. Jam cùm illius apoſtaſiam in mensâ Solis poſuerint Doctores noſtri: viderint, qvi ei adhærent, annon Auguſtini judicio à filiatione DEI vitaqve ſpirituali & æternâ ſint excluſi. Qvòd ſi porrò urgeas, (3) de eâ loqvi Eccleſiâ Auguſtiniaſtrum, *in qvâ vera hoſtia Redemtoris immolatur, de cujus carnibus divina juſſio efferri foràs prohibet*; eam verò aliam, qvàm Pontificiam non eſſe; reſpondeo: ſi ſub larvâ Auguſtini latere ſermonis autor velit, pati eum oportere etiam, ut ad mentem Auguſtini explicetur, non de immolatione propriâ & propitiatoriâ, ſed de repræſentatione unius ſacrificii propitiatorii, qvod Chriſtus ſemel in arâ crucis DEO Patri obtulit, nunqvam ſi Paulo *Ebr. IX, 12. 25. 28. X, 10. 12. 14.* credimus, repetendum. Sic enim alibi mentem ſuam exponit Auguſtinus, Epiſt. XXIII. ad Bonifacium Tom. II. p. 93: *Sæpè ita eqvi*

Qvid Auguſtino immolatio hoſtia Redemtoris in Eccleſiâ?

loqvimur, ut Pascha appropinqvante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omninò nisi semel, passio illa facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus: hodie Dominus resurrexit, cùm ex qvo resurrexit, tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loqventes arguat esse mentitos, nisi qvia istos dies secundum illorum, qvibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies, qvi non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri „propter Sacramenti celebrationem, qvod non „illo die, sed jam olim factum est? Nonnè se„mel immolatus est Christus in seipso, & ta„men in Sacramento non solùm per omnes Pa„schæ solennitates, sed omni die populis („populis, inqvam, in distributione, non Patri „in consecratione) *immolatur? Nec utiq; „mentitur, qvi interrogatus eum responderit „immolari? Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, qvarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Vides, judicio Augustini non aliter immolari in S. Cœnâ Christum, qvàm resurgit qvovis die Dominico. Unde licet intelligere, potiùs in nostrâ Ecclesiâ, ubi eucharistico sacrificio (ex confessione Melch. Cani *L. XII. Locor. c. 12. §. Atqvè &c.*) juxta

Christi institutionem immolatur sacra Redemtoris hostia, qvàm in Pontificiâ, ubi contra voluntatem, sapientissimi Testatoris in sacrificium propitiatorium transformatur, salutem, Augustino judice, sperari debere.

(β) nec Esaias, c. LX, 11. 12.

Esaiæ verba profert ex c. LX, 11. 12: *Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum, qvod non servierit tibi, peribit.* Qvorsum ea adducat, non dicit. Loqvuntur autem de Ecclesiâ Novi Testamenti, & neminem ab eâ excludi, neminem qvi seipsum excludat, salvari docent. Pro Romanensium antichristiano regno nihil dicunt, nisi qvòd interitum illius membris, qvia veræ Ecclesiæ non serviunt, interminatur. Lege textûs hujus vindicias apud Balduinum *Phosph. Cath. L. VIII. c. 7. p. 777 sqq.*

(2.) In Ecclesiâ Papali cum præsentissimo salutis discrimine maneri probatur.

Scilicet ut Scripturæ pariter & Augustino visibile hujusmodi & œcumenicum caput ignotum fuit: sic impudentiâ non vacat, qvi in asserendâ illius necessitate ad hujus illiusve autoritatem provocat. Nos (qvod alterum est,) expendendum Lectori relinqvimus, annon cum præsentissimo salutis discrimine conjunctum sit, si qvis huic se capiti subjiciat, aut in communione Romanæ Ecclesiæ vivat. *Qvæ enim participatio justitiæ cum iniqvitate? aut qvæ societas luci*

luci (clarissimè per Scripturas in nostrâ Ecclesiâ lucenti) *ad tenebras* (ignorantiæ incertarumq; traditionum?) *Qvæ autem conventio Christo ad Belial* (& antichristum) *aut qvæ pars fideli cum infideli? Qvi autem consensus templo DEI cum idolis* (qvæ in Ecclesiâ Rom. religiosissimè coluntur?) *Qvapropter exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & immundam ne tetigeritis: & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* II. Cor. VI, 14. sqq. Clamat adhuc cœlestis vox: *Exite de Babylone populus meus: ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus accipiatis: qvoniam pervenerunt peccata ejus usq; ad cœlum, & recordatus est DEus iniqvitatum ejus.* Apoc. XVIII, 4. Qvæ ante bina hæc cum dimidio secula & qvod excedit ita de Româ Papali explicuit Nicolaus de Clemangis, Archidiaconus Bajocensis, ut *non vitâ solùm & moribus, sed viâ etiam & gressibus inde exeundum* esse censeret: *qvando cum sanis illic moribus, cum conscientiæ integritate, cum dominicorum observatione mandatorum vivere non licet; ne dum Babylonicis moribus coruptissimis ac perditissimis cunctaq; sui torrentis impetu trahentibus resistere non possumus, Babylonicos mores ipsi induamus. -- Qvis ibi* (sic scribit) *cum salute vivat, ubi non solùm iniqva licent, sed ad impia & iniqvissima credenda, dicenda, seqvenda*

pro justisq; & laudabilibus amplectenda omnes diris pœnarum modis adiguntur? Qvis sanus, ubi omnes insaniunt, habitare non exhorrescat? Qvis tantum debet de suâ virtute confidere, ut in medio se incendio non posse cremari speret, & in medio non posse mergi naufragio se existimet? Legantur cætera lectu sanè dignissima, qvæ de necessariâ ex Romanâ Babylone fugâ, seculo Lutherum antegressus scriptor ad Gerhardum Maketum Doctorem Parisiensem eâ epistolâ perscripsit, qvam ex Bibliothecarum situ eruit Phil. Mornæus *in Mysterio Iniqvitatis, seu Historiâ Papatûs, p. 486. sqq. edit. 1662.* Adde argumenta qvibus Papatum, si salutem conseqvi velis, fugiendum esse, docuerunt Nic. Hunnius im gründlichen Bericht / darauß man von der Röm. und Evangelischen Kirchen urtheilen kan / p. 3. sqq. Joh. Müllerus in nothwendiger Vermahnung an die Gemeine zu Hamburg wegen der verführischen Lehre des Pabstuhms / B. Meisn. *Consult. de fide Luth. capessendâ, & Papisticâ deserendâ p. 580. sqq.* Joh. Valkenier *Speculo Papismi c. 5.* &c. Nemo sanè salutem sibi ab eâ Ecclesiâ temerè polliceatur, qvæ omnia salutis principia & fundamenta subruit penitus ac evertit: qvæ *Scripturam*, in qvâ vitam æternam reperiri Salvator ipse affirmat, manibus hominum eripit, *humana commenta* unicæ illi fidei normæ assuit, partesq; controver-

siarum

siarum dijudicatrices in *Rom. Pontificem* transfert: qvæ ultimum salutis fontem obstruit, h. e. *gratiam DEI*, de qvâ semper *dubitare* jubet, evacuat, *salutem per opera* impetrari docens, adeoqve gratiam non permittens gratiam esse: qvæ unicum Salutis Reparatorem debito honore privat, aliosqve *mediatores* obtrudit: qvæ *fidem* ipsam, h. e. firmam immotamqve in gratiâ DEI Christiqve merito fiduciam, qvâ unâ salutem obtineri Paulus docet, in meram ignorantiam & dubitationem commutat: qvæ soli DEO immortali debitum *cultum* Sanctis eorumqve simulacris & reliqviis decernit, institutaqve ac *leges divinas* plerasqve impugnat: qvæ solatiflua *salutis media ac sigilla* modò impiè auget, modò sacrilegè mutilat & corrumpit: qvæ in ipso vitæ exitu constituto homini nescio qvas remoras *purgatorii* ignis objicit, vel potiùs januam ipsam claudit dogmatibus ad desperationem inducentibus, qvam nemo effugere potest, nisi relictis omnibus Pontificiis doctrinis simplici Lutheranaq; fide solo Jesu Christi merito sese involvat, & sic salvus fiat qvasi per ignem stipulas exurentem, unico fundamento salvo manente. Qvis salutis suæ ita prodigus sit, ut tam certo, tam præsenti periculo se objicere, aut talia reputans animo subsistere in eâ fide, in eâ Ecclesiâ velit, in qvâ longissimè se abduci à salute intelligit? Stat enimverò horrenda &

inevitabilis sententia, qvam voce magnâ angelus apocalypticus *(c. XIV, 9.)* inculcat: *Si qvis adoraverit bestiam illam & imaginem ejus,* (qvam in præcedd. iis delineaverat coloribus, qvi in regno Rom. Pontificis tam expressè conspiciuntur, ut qvi se pernoscere ectypon illius negat, eum parum videre necesse sit) *& acceperit characterem (per professionem illiciti cultûs*, ut Thomas explicat *P. III. q. 63. a. 3. ad 3.) in fronte suâ aut in manu suâ: hic bibet de vino iræ DEI, qvod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulfure, in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent reqviem die ac nocte, qvi adoraverunt Bestiam & imaginem ejus, & si qvis acceperit characterem nominis ejus.* O tremendum judicium! qvod ut effugiant qvicunq; hactenus adorant bestiam, illiusq; characterem in fronte & manu accipiunt, DEum obsecramus. Utinam *det DEus* illis, *qvi resistunt veritati, pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant à diaboli laqveis, à qvo captivi tenentur ad illius voluntatem!* II. Tim. II, 25. 26. Fiat per vulnera tua, Domine JESU, fiat!

Exa-

EXAMEN

Considerat. X.

De (1) Originali peccato, (2) Libertate, & (3) actibus hominis fidelis.

Punct. I. p. 92.-95.

Multa qvidem de *originali peccato* disputari contra Pontificios poterant, è qvibus constaret Lectori, qvantum hîc à Scripturâ ipsi abirent & à consensu sanæ antiqvitatis, dum illud modò *extenuant* nimis, ac vix peccatum patiuntur esse, aut certè tam profundam naturæ (qvam tantùm non salvam & illibatam mansisse commini-scuntur,) corruptionem, per qvam æternæ damnationis rei efficiamur: modò aliqvos (Mariam inprimis) *eximunt*, non minùs à veritate, qvàm inter sese discrepantes. Placet tamen strictè Masenii vestigia seqvi, cui unicam *de Concupiscentiâ in renatis post baptismum residuâ* controversiam exponere Lectoris judicio placuit. Scilicet cùm per peccatum originis non

De concupiscentiâ regenitorum

I.

Sententia Pontificiorum proponitur.

non tantùm justitia originalis excussa sit, sed successerit etiam in illius locum extrema in intellectu cæcitas & ad falsum inclinatio, in voluntate pronitas ad malum, in appetitu rebellio, profundissima deniqve in omnibus animæ corporisqve viribus depravatio & corruptio, qvam uno *concupiscentiæ* nomine efferunt cum Augustino orthodoxi, (*Apol. Aug Confess. p. 54.*) in cujus desperatissimi mali remedium baptismum ordinavit Salvator noster: qværunt hinc Pontificii: *Num ita, qvicqvid peccati nomine venit, baptismo abluatur, ut nihil ejus in renatis supersit.* Cumq; negare non possint, *concupiscentiam* renatis omnibus adesse ad mala subinde impellentem, eam peccatum propriè loqvendo non esse, disputant. Eo nempe consilio, qvod Masenius suprà *in Instructione* prodidit: ne cogantur omnia bona opera ob concupiscentiæ labem, qvâ inqvinata sunt, è justificationis & salutis negotio, tanqvam huic fini asseqvendo improportionata, ut sic loqvar, excludere, ac soli in Christum fidei, aut qvod eodem recidit, uni Salvatoris merito fide apprehenso in solidum omnia vindicare: h. e. ut sic muniti arcem & acropolin fidei & salutis feliciùs evertere possint.

Vid. suprà p. 23.

Atq; hoc est qvod PUNCTO I. considerare Masenius jubet: *Verumne juxta S. literas Ecclesiæq; orthodoxa doctrinam sit, qvòd in justifi-*

justificatione hominis per baptismum & fidem peccatum Originale (qvod Concupiscentiam Protestantes vocant) permaneat, solaq; tantùm Christi justitiâ per fidem apprehensâ obveletur: atq; icircò DEus fidelibus illud non imputet, licèt diversis ex eo, etiam qvi sancti sunt, delictis ac malitiæ fructibus contaminentur? Id sanè (addit) *Protestantes sentiunt.* II.

Eqvidem hoc Protestantes non sentiunt: per fidem ac baptismum peccatum originis permanere omni modo, perqve fidem palliari saltem & obvelari. *Aboleri* potiùs ac *deleri* (sensu in Scripturis freqventato) ajunt per omnimodam remissionem: ita ut *nihil condemnationis sit his, qvi sunt in Christo Jesu*, Rom. VIII, 1. Imò & de inhærentiâ ejus addunt: multum accidi peccati hujus vires, ut cùm regnasset anteà in irregenitis, à regenitis magis magisqve in dies subigatur per Spiritum Sanctum. Itaq; mens Protestantium hæc est, qvam clarissimè Apologia Aug. Conf. *p.56.* exposuit his verbis. *Sciunt adversarii, in qvam sententiam Lutherus hoc dictum velit, qvòd peccatum originis reliqvum sit post baptismum. Semper ita scripsit, qvòd baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamsi materiale, ut isti vocant, peccati maneat, videlicet concupiscentia. Addidit etiam de materiali, qvòd Spiritus Sanctus datus per baptismum, incipit mortificare concupiscentiam, & novos motûs creat*

Sententia nostratiū (1) explicatur,

in

in homine. *Ad eundem modum* (pergunt Confessores nostri) *loqvitur & Augustinus, qvi ait*: peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. *Hic palam fatetur esse h. e. manere peccatum, tametsi non imputetur.* Ita illi, addentes & alium ex Augustino locum, qvi idem confirmat. Qvos frustrà sugillari ab Eccio & aliis, qvasi ex Augustino citaverint, qvæ in ipsius scriptis nusqvam comparent, docuerunt Chemnit. *Tom.I.Locor.p.* 618. Franzius *Tom.II.Disp Witteb.XI.§ 195. sqq. p. 787.sqq.* Chamier. *Panstrat.Tom.III. L.X. c. 20. §. 17. p.156.* B. Parens meus *System.theol.P.I.p.409.* & *isag.in libb.Symb.p.160.* ac disertè haberi apud Augustinum *L.I.de Nupt. & Concup. c. 25.26. tom.VII. opp.p 824. 825.* ostenderunt. Nempe spectari peccatum dupliciter potest: vel *absolutè* & in sese, ut ἀνομία est; vel *in relatione* ad subjectum, ut damnabile est, nosq; obligat ad pœnam temporalem & æternam. Respectu *posteriori* penitus deletur & aufertur per fidem, baptismum, & sangvinem Christi, *Rom. VIII.* 1. *Actor. XV.9. I. Pet III,21. I. Joh. I,7.* &c. *Priori* verò respectu non planè tolli, Scriptura atq; qverelæ renatorum testantur. Manet hoc malum εὐπερίστατον, semper adjacens & circumstans *Ebr. XII.* 1. licèt ita debilitatum & refractum, ut posiit homo renatus spiritu actiones carnis mortificare, *Rom.VIII,13.* Cæterum

terum qvoad in hac mortalitate degit homo renatus, conqverendi cum regenito Paulo causam habet: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. qvæ est in membris meis. Infelix ego homo, qvis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. VII, 22. sqq. Perspicuè noster Chemnitius Exam. Conc. Trid. ad Sess. V. p. 94: *Num docemus, peccatum Originale post baptismum in renatis omninò eadem ratione esse & manere, sicut est ante baptismum in non renatis? Neqvaqvam: Didicimus enim ex Scripturâ, in baptismo per mortem & resurrectionem Christi fieri remissionem omnium peccatorum. Et illam non esse superficiariam,* (qvalem nobis Masenius affingere videtur, obvelationem appellans permanentis peccati, & diversos malitiæ fructûs progerminantis,) *non dimidiatam aut partialem, sed plenam & perfectam, ita ut nulla condemnatio sit his, qvi in Christo Jesu sunt. Discimus & hoc ex Scripturâ, baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum Sanctum. Loco igitur defectus originalis Spiritus S. in renatis operatur nova dona, spirituales facultates ac motûs.* Cumqve accuratè statum fixisset, summâ totius disputationis in hunc nervum *p. 95.* colligit: *Originalis igitur concupiscentia in baptismo remittitur,*

titur, debilitatur & minuitur: non ita ut repentè absumatur & prorsus extingvatur, ut non sit: qvamdiu enim renati hic vivunt, necesse est, legem peccati esse in membris ipsorum: hæc enim omnia sunt Augustini verba. Illa verò reliqva concupiscentia non impedit, qvò minùs renati DEO placeant, & sint hæredes vitæ æternæ. Sed illud non ideò fit, qvasi concupiscentia ista in renatis per baptismum facta sit vel sancta, vel indifferens: est enim juxta Pauli confessionem malum: & qvidem tale malum, qvod repugnat legi mentis, qvam Spiritus S. scripsit in corda renatorum. Sed hæc est gratia DEI, qvòd tale malum habitans in corde renatorum, ipsis propter Christum nonimputatur ad condemnationem. Beati enim qvorum tecta sunt peccata. Rom. IV. Psalm. XXXII.

Atq; ita demum sentiunt Protestantes, causasq; sic sentiendi habent gravissimas. Sed illas copiosè produxerunt alii. Nobis hîc sufficiat Paulus, qvem pro sententiâ Protestantium allegat Masenius. Hic non modò ipsam concupiscentiam hanc in renatis residuam *peccatum*, *corpus peccati*, *legem peccati*, *inhabitans peccatum*, *peccatum peccans*, vocat in propriâ sede hujus doctrinæ, *Rom. VI, 2. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 16. sqq. c. VII, 7. 8. 9. 11. 13. 14. 17. 20. 23. 25*; sed & ipse certissimus sui sensûs interpres ita declarat, ut cuilibet

(2) & vindicatur.

mani-

manifeſtum ſit, frivolum eſſe commentum, qvo poſt Patres Tridentinos, Bellarminum item & alios Maſenius eludere ſententiæ Paulinæ claritatem voluit. *Catholici*, ait, *monent, concupiſcentiam qvidem rectè malam & peccatum, ſed metonymicè appellari: qvia à peccato primiparentis generata eſt, vel qvia generat ipſa peccatum. Priori ſenſu Paulus Rom. VII, 8. dicit:* peccatum per mandatum *(Adamo datum)* operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. *Poſteriori Jacobus c. I, 15:* Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum. *Ipſa tamen ex natura ſuâ, niſi liberè conſentias, h. e. poſt concupiſcentias tuas eas, ſeu voluntariè concupiſcas, peccatum dici non poſſe.* Ego verò de ſenſu utriusq; dicti illius, qvod allegat, non diſputabo. Auguſtini ſaltem verba ex *L. V. contra Julian. c. 3. T. VII. p. 1066.* repetam: *Concupiſcentia carnis, adverſus qvam bonus concupiſcit Spiritus, &* peccatum *eſt, qvia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: &* pœna peccati *eſt, qvia reddita eſt meritis inobedientis: &* cauſa peccati *eſt defectione conſentientis vel contagione naſcentis.* Scilicet non ſufficit oſtendiſſe, peccatum ambiguè dici, & alicubi cauſam, alibi pœnam peccati denotare. Utrúmqve enim in propriè di-

ab exceptionibus Maſenii.

 ctum

ctum peccatum convenire poteſt, qvod Auguſtinus *l.c.* docuit. Hoc fuerit demonſtrandum, propriam ſignificationem in hoc textu, qvem Proteſtantes urgent, locum habere non poſſe. Qvam deſcriptio tamen Apoſtolica luculenter evincit. Dicit enim, hoc peccatum *non bonum eſſe, ſed malum*, v. 18 21: ac ne de malo pœnæ triceris, definitionem peccati propriisſimè accepti (qvod in ἀνομίᾳ conſiſtit I. Joh. III. 4.) illi asſignat, dum ait *pugnare cum præcepto divino: non concupiſces* v. 7. *repugnare legi mentis* h. e. Legi divinæ, qvam Spiritus S. ſcribit in corda renatorum: eſſe non ſecus ac cætera peccata, *crucifigendum ac mortificandum*, c. VI, 6. VIII, 13. ac malum tantum, ut *homines in vitâ ſpirituali miſeros reddat, nec inde niſi per Chriſtum liberari homines posſint*, v. 24. 25. Num clariùs oſtendere potuiſſet Apoſtolus, concupiſcentiam, qvæ in regenito ſupereſt, propriisſimè peccatum eſſe, non regnans qvidem, (Legi enim DEI ſerviebar, v. 25.) nec damnans actu ſecundo (per Rom. IIX, 1.) ſed hujusmodi, qvod in ſe conſideratum legi contrarium DEOq; exoſum eſt; attamen cùm Spiritu mortificatur, reatu damnationis non obſtringit. Qvòd non imputatur, hoc à gratiâ DEI eſt (*v. 25.*) qvòd Legi repugnat, ex naturâ peccati. Copioſiùs hæc diducta legantur apud Chemn. *Exam. C. T. l. c.* & *P. I.*

Locor.

Locor. p. 607. sqq. Meisnerum *anthropol. Disp. VIII. totâ*, & *Philos. Sobr. P II. Sect. 2. qv. 12. p. 769. sqq.* Gerh. *Conf. Cath. L. II. P. 2. a. 12. c. 3. p. 911.* & *P. III. a. 21. c. 5. p. 434. sqq* nec non *L. de Bapt. §. 127 sqq.* Balduin. *in Rom. VII. P. II. q. 2 p. 134 sqq.* Danh. *Hodom. Pap. tom. I. p. 1464. sqq.* Hülsem. *Manual. Aug. Conf. p. 43. sqq.* B. Parent. *Isag. in libb. Symb. p. 165. sqq.* & *P. I. Syst. p. 401. 406. sqq.* item *Colleg. antiPap. art. II. aphor. V.* aliosqve.

III. *Argumentis Masenii respondetur, qvi pugnat (I) Testimoniis Scripturæ: Rom. VIII, 1.*

Age verò tenebras huic tam claræ veritati à Masenio offusas discutiamus. Triplex illius armatura in universum est. Pugnat enim (1.) dictis *Scripturæ*, (2) *Rationibus*, (3) *Augustini* auctoritate. Sic enim, qvæ ipse miscet, separabimus.

I. Ex *Scripturis* (1) locum *Rom. VIII, 1.* profert. *Qvòd autem in regenitis concupiscentia peccatum non sit, ex ipsâ Apostoli sententiâ manifestum est. Cùm dicat: Nihil autem damnationis est iis, qvi sunt in Christo Jesu, qvi videlicet non secundum carnem ambulant. Lex enim Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberat à Lege peccati.* Hic reatum negat Apostolus, non verò contradicit iis, qvæ *cap. præc.* de inhærentiâ peccati affirmaverat. Non negat, inqvam, vitiosam & ἄνομον concupiscentiam, qvam *carnem* vocat, (Confer. *Joh. III. 6.*) in renatis esse; negat, eam renatis in damnationem

 cedere,

cedere, qvemadmodum cedit iis, *qvi secundum carnem ambulant*, h. e. desideriis carnalibus ad peccandum obediunt, ut subjecta à Masenio Augustini ἐξήγησις habet. Sed *cùm nihil habeat damnationis, qvomodo potest habere culpam ex suâ naturâ damnabilem?* qværit Masenius. Et ita Julianus qvoq; excipiebat olim, cùm dixisset nobiscum Augustinus: *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; manere tamen qvamvis reatu jam soluto.* Sed qvod huic *L. VI. contra ipsum scripto c. 6. T. VII. p. 1124.* Augustinus, idem nos Masenio respondemus, per baptismum non tam tolli reatum à concupiscentiâ, qvàm à subjecto: eo modo, qvo reatus homicidii in aliqvo solvi dicitur, non ut homicidium morte dignum non sit, sed ut homicida capite non plectatur. Magnes semper est magnes, suaqve naturâ vim trahendi ferrum habet; si tamen ungatur allio, non potest attrahere. Sic peccatum semper est peccatum, & vim habet condemnandi; qvòd si per meritum Christi remittatur, reipsâ & actu condemnare ampliùs non potest. Ascribamus verò ipsa Augustini verba, qvibus Masenium in Juliani personâ confutat. Sic ergò *caput sextum*, qvod modò citabamus, inchoat: *Jam videamus illud excellentissimum acumen tuum,*

tuum, qvo vidisti, qvemadmodum refelleres, qvod à me dictum est : dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur : Qvamvis autem reatu suo soluto, manet tamen. Adversus hæc mea verba sic argumentaris homo acutissimus, tanqvam ipsam concupiscentiam dixerim per baptismum reatu liberari, qvoniam dixi, reatu suo jam soluto: velut suo dixerim, qvo ipsa rea est; eoq; soluto illa remaneat absoluta. Qvod utiq; si sensissem, profectò eam malam esse non dicerem, sed fuisse. Ac per hoc secundum mirabilem intelligentiam tuam, qvando audis in aliqvo homicidii reatum solutum, non hominem, sed ipsum homicidium à reatu existimas absolutum. Talia qvippe dicis, qvalia dicenda sunt in eos, qvi per baptismum sanctificatam & fidelem factam concupiscentiam carnis affirmant in eis, in qvibus regeneratis manet tamen. Sed hoc tibi potius, qvi eam bonam prædicas, convenit dicere, ut bono ejus naturali, sicut de infantibus dicitis, bonum sanctificationis accedat, & sit carnis concupiscentia sancta DEI filia. Nos autem, qvi eam malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, qvamvis reatus ejus non qvo ipsa erat rea, neq; enim aliqva persona est, sed qvo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atq; vacuatus, absit ut dicamus sanctificari, cùm qvâ necesse habent regenerati, si non in vacuum DEI gratiam susceperunt, in- ”

 testino

" *testino quodam bello tanquam cum hoste confligere, & ab eâ peste desiderare atq; optare sa-*
" *nari. Nam si propterea dicis, nulla mala remanere in baptizatis, ne ipsa mala baptizata*
" *& sanctificata credantur, vide quanta te se-*
" *quatur absurditas.* Illam deinde absurditatem prolixè demonstrat. Judicet hinc Lector, nobiscum an cum Masenio faciat Augustinus. Sed de hujus sententiâ postea. Nunc ad alia Scripturæ loca pedem promoveamus.

Rom. VI, 12. Pergit enim (2) noster: *Juxta illud Apostoli* Rom. VI. 12. *non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed Spiritu ambulate, & desideria*
Gal. V. 16. *carnis non perficietis.* Gal. V, 16: *Nullum igitur peccatum, nisi concupiscentiis obseqvamur. Unde patet, concupiscentiam licèt desideria carnis excitet, in se non esse peccatum.* Sed hoc profectò ex locis illis non patet, verùm contrarium potiùs. Si enim tam sedulò danda opera est, ne peccato obediamus per concupiscentias ejus; ne desideria carnis, qvæ semper concupiscit adversus Spiritum, perficiamus: repugnare omninò stimulantem illam concupiscentiam legi divinæ, adeoq; peccatum propriè dici necesse est. Neqve apparet sanè collectionis Masenianæ necessitas: Si peccat is, qvi concupiscentiæ obseqvitur, concupiscentia non est peccatum. Qvasi diceres: si fur est, qvi insti-

instiganti ad furtum morem gerit, alter ille instigator, fur esse non potest. Mirum, non pudere talium ineptiarum eum, qvi ex claris disertisqve Scripturæ verbis demonstrationes dogmatum urget. Sed ecce novas, nec minores! *II. Cor. XII, 9.*

(3) *Cuilibet enim dictum: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus* (seu potentia mea: ἡ δύναμίς μου.) *in infirmitate perficitur.* II. Cor. XII, 9. *Unde patet, concupiscentiam non esse peccatum, cùm infirmitas sit, in qva virtus ipsa perficiatur, qvòd hac in arduo sit posita, & sine adversario frigeat.* Stupescite acumen Jesuiticum! DEI virtus perficitur in infirmitate nostrâ, dum nos in tentationibus Satanicis sustentat, roborat, sublevat: Ergò concupiscentia originalis non est peccatum. Memorandum specimen probationis ex ipsismet Scripturæ verbis, tanto molimine postulatæ! Rursum: Concupiscentia originalis est illa infirmitas, de qvâ Apostolus: (sic enim Masenius vult, sic jubet: qvanqvam contextus aliud evincat:) est adversarius & hostis virtutis, in qvo superando illa calet. Ergò non est peccatum. Putarim verò ego, acriorem peccato hostem virtutis esse non posse. Conf. si placet, Rivet. *Cath. Orth. tr. IV. qv. 14. §. 5. 6. 7.*

(4.) *Cur verò Paulum disertissimè semetipsum Rom. V, 17. explicantem non audimus? Si enim, inqvit, unius delicto mors re-* *Rom. V, 17.*

gnavit per unum : multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & justitiæ (rectiùs : *doni justitiæ*, in Græco enim est : περισσείαν τῆς χάριτος, καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης) *accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Cur verò vos, Paulum disertissimè semetipsum *Rom. VII.* de hac qvæstione explicantem non auditis? Cur verba illius in alienum sensum rapitis? Certè qvidem *Rom. V*, 17. nihil, qvod faciat ad rem præsentem. Confert Apostolus, ut res ipsa docet, peccatum primi Adami, & reparationem Adami secundi, vel gratiam & τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, donum justitiæ (non originalis, sed) per Christum nobis donatæ & fide velut manu acceptæ. Atqve hoc docet : Uti per Adami peccatum efficacissimè regnavit mors in omnes, sic multò magis per abundantissimam DEI gratiam, donatamqve justitiam Christi (vid. Meisner. *anthrop. Disp. XII. q. 2 §. 20 sqq.*) omnes, per Christum Jesum in vitâ æternâ regnaturos esse, qvi illius justitiam, Patrisqve gratiam apprehendunt. Nihil hîc, unde concupiscentiam peccatum esse, ullâ specie negare possis. Nam qvod subjicit Masenius: *Qvomodo* multò magis, *si in delicti culpa maneamus?* id tum qværi meritò poterat, si peccatum inhærens imputaretur. Jam postqvam gratiâ DEI & donatâ Christi justitiâ sic tegitur, ut nihil condemnationis

maneat

maneat his, qvi sunt in Christo Jesu, nihil præjudicare τῇ ὑπεροχῇ Christi sanantis præ Adamo peccante potest.

Nondum tamen argumentorum ex Paulo satis. Sic enim (5) ille: *Qvid ergò dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qvi enim mortui sumus peccato, qvomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, qvia qvicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut qvomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc scientes, qvia vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati,* Rom. VI. 1. *Si peccato* (addit Masenius,) *mortui sumus, si cum Christo vetus noster homo crucifixus & consepultus, ut destrueretur corpus seu culpa peccati, & nos cum eo in novitatem vitæ surreximus: qvomodo concupiscentia relicta in nobis ex suâ naturâ potest esse peccatum, & nos manere in morte, peccatum indestructum?* Qvis verò nostratium regenitos in morte manere, qvis peccatum indestructum dixit? *Reatus concupiscentiæ in baptismo continuò aboletur, sed non infirmitas continuò sanatur*: Augustini *Ep. CV. Tom. II. p. 475.* & nostra adeò sententia est. Non omni modò mortuum est in nobis peccatum, licèt nos tùm mortui simus Rom. VI, 1

peccato

peccato in regeneratione, qvando peccati reatus Christi beneficio sublatus fuit; tum moriamur qvotidie in renovatione, cùm dominium illi auferimus, neqve vires concedimus emergendi. Vetus noster homo cum Christo crucifixus & consepultus est per plenariam remissionem, sed ut per omnem vitam crucifigendus adhuc sit per qvotidianam mortificationem *Gal. V, 24. Col III, 5.* Qvotidie destruendum est corpus peccati, ut non serviamus peccato, *v. 6.* aut regnare illud patiamur in mortali corpore nostro, *v. 12.* Eadem Augustini sententia L. VI. c. Jul. c. 5. p. 1118: *Qvamvis jam peccato mortui DEO vivamus, est tamen qvod in nobis mortificemus, ut non regnet peccatum in mortali corpore nostro ad obediendum concupiscentiis ejus, à qvibus nos solvit, ne his essemus obnoxii, plena atq; perfecta remissio peccatorum, & remanserunt in nobis, cum qvibus generantur bella castrorum.* Et paulò pòst p. 1121: *Cur caro conteritur à fidelibus, si nihil remansit in baptismo, qvod adversus Spiritum concupiscat? Cur, inqvam, à seipso conteritur templum DEI, si nihil ibi est, qvod resistat Spiritui DEI? Non autem tantùm inesset, sed & graviter obesset, nisi reatus, qvi nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Solvitur ergò per indulgentiam, qvia tenebat in noxâ: conteritur per continentiam, ne vincat in pugnâ. Agitur itaq;, ne obsit, donec*
ita

ita sanctur, ut non sit. Conf. Balduin. *h.l. qv. 2. p. 115.* Finck *tom. V. Giess. Disp. XIII. th. 40. p. 340.* Gerh. *de Bapt.* §. *138.* Calov. *Arm. c. IX.* § *47. p. 291 sq.* Chamier. *t. 4. L. 5. c. 5.* §. *22. 23. 24.*

Qvomodo autem (6) *possibile est, nos cum tali inqvinamento cœlum ingredi, qvò non intrabit aliqvid coinqvinatum?* Apoc. XXI, 27. Nullo, inqvam, modo hoc possibile est. Qvi enim in cœlesti Hierosolymâ comparent, *stolas suas dealbarunt sangvine agni,* Apoc. VII, 14. & postqvam *in morte penitus justificati sunt à peccato,* Rom. VI, 7 *exhibentur in conspectu DEI, non habentes maculam aut rugam aut simile qvid,* Ephes. V, 27. imò *similes DEO erunt,* 1. Joh. III, 2. & *ἄμωμοι coram DEO*, Judæ v. 24. Col. I. 22. Tum enim & inhærentia peccati cessabit, cum qvô ad extremum usq; halitum nobis in hac vitâ confligendum est, pleneq; imago DEI in nobis restaurabitur. Omitto nunc, nullum hujus argumenti robur fore apud hominem Pontificium: qvi dicet, purgari posse animam hominis fidelis, anteqvam cœlum intret, vel per purgatorios ignes, qvos *Apoc. l. c.* sufflari Becanus *Manual. L. I. c. 8. q. 1. n. 47. p. 145.* aliiqve contendunt, vel per dolores mortis etiam, ut Salmero *tract. XIV. Disp. 26. p. 228.* Costerus *enchir. c. 16.* &c comminiscuntur. Ut proinde non necessarium sit, plenam emundationem

Apoc. XXI, 27.

nem baptismo tribuere, cùm alia illius media in morte pariter & post mortem suppetant. Sed & huic dubio dudum Augustinus satisfecit. Cùm enim Pelagianum dilemma protulisset *lib. de Naturâ & gratiâ, c.35. T.VII.p.747.* his verbis: *Acutè, videtur interrogare, qvomodo istos Sanctos de hac vitâ abiisse credendum sit, cum peccato, an sine peccato? Ut si responsum fuerit, cum peccato, putetur eos secuta damnatio, qvod nefas est credere. Si autem sine peccato dictum fuerit eos exiisse de hac vitâ, probet, hominem saltem propinqvante morte fuisse sine peccato in hac vitâ.* Sic inter alia respondet: *Etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, qvod subinde ignorantiâ vel infirmitate committitur.*

1. Joh. I, 5. Seqvitur (7) aliud ex Johanne testimonium. *Audiam & seqvar te, ô charitatis Christi discipule ac doctor, qvi ex divino illius pectore multò altiorem sapientiam hausisti. Hæc, inqvit,* (I. Joh. I, 5.) *est annunciatio, qvam audivimus ab eo, & annunciamus vobis, qvia DEus lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla. Si in luce ambulamus* (*regeniti omnes*) *sicut & ipse inest in luce, societatem habemus ad invicem, & sangvis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Utinam seriò hæc scriberes Maseni! neqve charitatis Christi discipulo ac doctori tam audacter con-

contradiceres: qvi verbis à te omissis detorsionem tuam arguit simul, simul nostram de inhærentiâ peccati in renatis doctrinam luculenter confirmat. Sic enim scribit: *Sangvis Jesu Christi Filii DEI emundat nos ab omni peccato.* Num ita, ut nullum ampliùs peccatum habeamus? Imò verò *si dixerimus, peccatum non habemus*, (non dicit: *non facimus*, ne de actualibus peccatis eum loqvi causeris, de qvibus *versu* 10. demum ipsi sermo:) *nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniqvitate.* Sole meridiano clarius est, mundatione hac non omnimodam peccati abolitionem, sed perfectam satisfactionem, & plenam remissionem denotari. Refertur enim ad peccatum non absolutè, ut ἀνομία est, spectatum, sed relativè, ut damnabile est & reos facit coram DEO. Priori enim modò *peccatum habemus* (v.8.) regeniti omnes, ut bene limitat Masenius, qvi tamen emundati sumus ab omni peccato posteriori modo considerato. Gerh. *de Bapt.* §.133.

(8.) Desinit in ejusdem Apostoli I.Ep.III,3. verbis: ***Omnis, qvi habet spem in illo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est, qvi peccatum non fecit.*** Qvæ ad rem nihil faciunt, nisi docere inde velis, non jam in baptismo perfectè sanctos evasisse, cùm ad sancti- ***1. Joh. III, 3.***

ctatem

tatem eniti demum debeamus. Neqve enim tam absurdus, opinor, Masenius erit, ut ex illâ similitudine cum Christo, cui studere jubet Johannes, paritatem sanctitatis eliciat, h. e. tam sanctum contendat esse Christianum, qvàm sanctus Christus fuit: utqve hic nullum peccatum habuit, sic & pium carere omni peccato posse contendat.

(II.) Rationibus: qvas accersit II. Atq; hæc ex Scripturis dicere habuit Masenius. Qvibus an evincatur, aliam Paulo affingendam esse mentem atqve diversam ab eâ, qvam Rom. VII. prodidit, judicium esto penes cordatum Lectorem.

(1) A naturâ peccati, *Rationes* profectò (ut ad alterum jam causæ Masenianæ momentum accedamus,) id non evincunt. (1) Objicit tanqvam Medusæ caput pseudo-canonem moralem; *Nullum peccatum, qvod non est voluntarium.* Eodem telo orthodoxos aggrediebantur Pelagiani, ut videre est apud Augustinum *c.30. de Nat. & gratiâ, & lib. 3. contra Jul. Pelag. c. 5.* Tom. VII. p. 744. 995. *Frustrà putas* (Pelagiane) *ideò in parvulis non esse delictum, qvia sine voluntate, qvæ in eis nulla est, esse non potest:* &c. Nempe divinò judiciò peccatum non ex respectu *voluntatis* agentis æstimandum est, sed ex intuitu *legis*, qvæ reqvirit non tantùm *actualem*, sed etiam *habitualem* rectitudinem. Agnoscit Bellarminus *L. II. de amiss. grat. & statu peccati c. 18.*

qvæ reqvirat voluntariū.

c.18.(t.4.p.45.F.) *non potuisse rectiùs & breviùs* (ipsa Cardinalis ascribo verba) *definiri peccatum, qvàm à S. Johanne definitum fuit illis verbis: peccatum est iniqvitas, vel ut clariùs habetur Græcè, ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. 1. Joh.3.* At is per ἀνομίαν simpliciter, non per ἑκούσιον definit peccatum. *Stat ergò contra omnes portas inferorum* (ita graviter noster Chemnit. *Exam.p.104.a.*) *invictum axioma: qvicqvid in naturâ rationali dissidet à norma legis, & cum ea pugnat, sive sit defectus, sive ἀταξία, sive inclinatio, s. actio, s. amissio, est peccatum. Non enim per philosophiam, qvæ de voluntariis tantùm actionibus loqvitur, agnitio peccati, sed per Legem. Lex verò accusat & arguit non tantùm consentire concupiscentiæ, vel ire post concupiscentias, sed ipsum etiam concupiscere. Et hoc peccatum Paulus dicit, se non potuisse cognoscere, nisi per Legem, qvæ dicit: non concupisces.* Hactenus ille. Cujus verba eò lubentiùs produximus, qvòd efficacissimè prosternunt, qvicqvid ad tuendam illam regulam, qvam *initio pag.93.* recitaverat, *pag.ead.extr.* affert Masenius. *Qvomodo*, ait, *in rationali homine peccatum esse potest motus ille concupiscentiæ, qvi omnem rationem prævenit, & antecedit arbitrii libertatem, cùm omnis peccans adversus rationem agat, ac voluntariè à lege DEI deflectat?* Egregia profectò collectio, qvæ *irregenitos* qvoqve *infantes* ab omni labe

labe originali abſolvet! Sanè neq; his intellectûs vel voluntatis uſus eſt, qvos in peccato tamen concipi & naſci Scriptura docet. Jam qvid de peccatis *ignorantiæ* & *infirmitatis* dicemus, qvæ ἁμαρτίαι ἀκούσιοι in LXX virali verſione non malè appellantur *Num.XV*,27? qvid de peccatis, qvæ à nolentibus patrantur, & peccata tamen ſunt? *Rom.VII*,15.16.19. *Gal.V*,17. Cæterùm & ipſam *concupiſcentiam ſuo modo voluntariam* dici poſſe, qvia voluntariè attracta eſt, licèt involuntariè eam feramus, vel Auguſtini ſtylo ex L. I. Retract. c.15. *qvia eſt à propria noſtrâ voluntate, licèt nunc non ampliùs ſit in voluntate noſtra*; Hulſem.*Diſp.II.c.Hager*.§.16.17.oſtendit.Conf.Meiſn. *anthrop. D.3. q.2.*

(2) *A conditione Legis, qva tantùm poſſibilia poſcat.*

Pergit (2) noſter: *Lex non poſita eſt, niſi intelligentibus. Imò ad impoſſibile Lex & obligatio nulla datur.* Merè-Pelagianæ argutiæ. *Magnum aliqvid Pelagiani ſe ſcire putant, qvando dicunt: Non juberet DEus, qvod ſciret, ab homine non poſſe fieri. Qvis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqva, qvæ non poſſumus, ut noverimus, qvid ab illo petere debeamus:* verba ſunt Auguſtini *de Grat. & lib.arb.c.16.T.VII.p.1314.* At Paulus nobis peccatores memorat, qvi *ignari legis mortem meruerint*, *Rom.II*,12. qvi *non peccarint in ſimilitudine prævaricationis Adæ*, h. e. qvi legem qvandam cognitam non fuerint transgreſſi, *Rom.V*,14. Et qvis dixerit, ebrium ſuarum actionum ignarum non pec-

care

care contra Legem posse? qvis debitorem solutum dicet ab obligatione restituendi, si bona culpâ suâ perdiderit abligurieritve? Num ad servanda omnia decalogi præcepta, ad timendum DEum ex toto corde, ex totâ animâ omnibusqve viribus, (qvòd impossibile illud jam sit,) non obligamur ampliùs? Conf. Danh. *Hodom Pap.t.I.p.1471.* Giessens. Dispp. *Tom.III.D.III.§.31.sqq.p.56.* Rivet. *Cath.Orth.tr.IV.q.5.§.4. T.III. Opp. p.414.*

(3) A fructu Baptismi περιλογίζει *pag.94: Qvomodo amissam in Adamo innocentiam per baptismum recipimus, si maneat in nobis originale peccatum, & tantum extrinsecè per justitiam, qva in Christo est, obligatur?* Confundit Masenius distinctos à Paulo *Tit. III,5.* baptismi effectûs: *regenerationem*, & *renovationem*. *Illa* nihil aliud est, qvàm translatio ex statu iræ in statum gratiæ, qvæ fit per fidem in Christum, cujus justitia credentibus imputatur cum remissione omnium peccatorum, *plenaq́; ac perfecta* est: *qvotqvot* enim *baptizati sunt*, ex æqvo *Christum induerunt*, Gal.III,27. *Hæc verò* uti in successivâ intellectûs illuminatione, voluntatis emendatione, cohibitione appetitûs & desideriorum carnis, membrorum ad exercenda opera justitiæ usurpatione, & ut summatim dicam, amissæ imaginis divinæ reparatione consistit: ita in baptismo non simul

(3) A fructu baptismi,

qvi imaginem DEI restituat.

ac semel perficitur, sed *incboatur* tantùm, per omnem verò vitam *continuatur*, nervos qvasi ac vires peccati originalis incidendo, ejusqve reprimendo dominium, plenè verò in alterâ vitâ, *cùm abolebitur mors in victoriam, & delebitur mortis aculeus, qvi est peccatum*, (I.Cor.XV,54 56.) *perficietur* & consummabitur. Qvalis igitur renovatio in baptismo, talis & justitiæ originalis receptio. Sed illa incompleta & successiva atqve partialis est. Unde innocentiam in Adamo amissam non in ipso baptismo plenè restitui dicit, sed qvotidie magis magisqve instaurare regenitos jubet Apostolus: *Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qvi secundum DEUM creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis*, Eph. IV, 23. *Exspoliare* jubet *veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qvi renovatur in agnitionem DEI secundum imaginem ejus, qvi creavit eum*, Col. III. 10. Et *II. Cor. III, ult.* dicit, *nos in imaginem DEI speculantes revelatâ facie gloriam Domini, transformari à claritate in claritatem, tanqvam à Domini spiritu.* Vide, si lubet, Dn. D. Seb. Schmid. *de Imag. DEI, P. I. c. 13. 14. 15. p. 240. sqq.*

(4.) *A consideratione hominis regeniti,*

Porrò autem (4) arrodenda hîc erat Apostolica de imputatâ Christi justitiâ doctrina. *Qvale monstrum regenerati & sancti hominis, qvi hîc in terris omni injustitiâ & sordibus peccati inqvinatur, velamentum tantùm*

n justitiæ Christi habeat in cœlis? Tale scilicet monstrum, qvale *fidelis Tridentinus*, filiis; inqvam, fur, scortator, adulter, & neo qvibus flagitiis non immersus. Vide ncil. Trid. *Sess. VI. cap.* 15. Nos tales *ıctos & regeneratos* (adjectivè, non modò rticipialiter intelligendos, h.e. in fœdere rmanentes) *qvi omni se injustitiâ & sorbus peccati inqvinant*, penitus ignoramus. ejicere censendus est *justitiæ Christi velaentum*, suamqve revelare turpitudinem, i omni se injustitiâ contaminat. Ubi erm hujusmodi inqvinatio, ibi nulla pœnintia. Ubi hæc non est, ibi nec fides. Ubi ılla fides, ibi nulla remissio peccati. Qvanvam igitur peccato nemo carere possit, ımen perpetuâ pœnitentiâ maculas illas eıunt fideles, & *sangvis Jesu Christi Filii DEi mundat eos ab omni peccato*, 1. Joh. I, 7. Ipsi rætereà *oderunt maculatam tunicam carnis*, udæ Ep. v. 23. & *mundant se ab omni inqviamento carnis & spiritûs, perficientes sanctitationem in timore DEI*, II Cor. VII, 1. Apage verò monstrosam illam & crassam *le velamento justitiæ Christi in cœlis* philosoρhiam. Qvis actiones passionesq; Christi neritorias, qvæ in justitiam nobis teste Aposto *Rom* III, 22. *Phil.* III, 9. imputantur, cœlo includet, aut inde accersendas esse per fidem statuet? Φεῦ λήρων!

qvi ita sordium velamentum tantùm in cœlis habeat.

(5) Ab absurditate sententiæ nostræ,

Postremum (5.) superest, idq; gravissimum ἔγκλημα immanium absurditatum, qvæ sententiam Protestantium, si Masenio credimus, comitantur. Per eam enim existimat, (α) homini libertatem, (β) DEO justitiam vel sapientiam certè adimi, (γ) irrita ac frustranea reddi virtutum præcepta, (δ) meritis divinæqve justitiæ Christi manifestam fieri injuriam, dum illa non tantùm in scelerum societatem pertrahitur, sed & (ε) minor ei, qvàm peccato Adami virtus & efficacia ascribitur. Audiamus ipsum declamantem, & qvâ veri saltem specie hæc talia nobis objiciat, cognoscamus. *Si tuum, ó mi DEUS, verbum demissè veneramur, & juxta veteris Ecclesiæ sensum, qvem Augustinus servus tuus non ignoravit, accipimus: si ipsam rationem nostram rectæ interpretationis ducem seqvimur*, (egregiam verò in Scripturæ sensu mysteriisqve eruendis ducem! qvam suprà prohibebat audiri noster *consid.* VIII *punct.* 2 & Ecclesiæ judicio subjiciebat:) *nunqvam ad tantam absurditatem sententiæ deflectemus, qvæ* (α) *& libertatem homini aufert, qvâ declinare peccatum qveat, &* (β) *DEUM facit vindicem peccatorum actualium, qvæ impossibile fuit homini vitare, qva tyrannide qvæ posset major excogitari? An DEUS, qvi rationem homini dedit libertatemq́;, ut peccatum vitet, ante rationem voluntatemq́; qvemqvam voluit delinqvere, & si deli-*

qvasi ea adimat

deliqverit, æternum punire? An Deus, qvi præcepta rectè vivendi dedit, jussitq; non tantùm declinare malum homines, sed etiam eligere bonum, electionem hanc illis non relinqvit liberam; sed punit, qvod declinare non possunt, exigitq; qvod non possunt eligere? Annon (γ) *irrita solùm, verùm & stulta boni operis præceptio, qvam nemo potest exeqvi? Et* (δ) *qvanta hæc est impietas atq; injuria meritorum Christi ejusq; divinæ justitiæ, hanc tanqvam pallium adhibere nostrorum scelerum, atq; in horum pertrahere societatem, & cum arcâ DEI Belial, cum tenebris lucem conjungere? Ergonè* (ε) *hæc in Christo justitia tantum non poterit, qvantum in Adamo injustitia, ut nos ab illo prorsus emundaret peccato, qvo hæc inqvinavit? Absit, sanè absit, hæc pium mentem cogitare, nedum os aut calamum eloqvi!*

Sed falsissimas has esse accusationes, & (α) *homini libertatem:* n cerebro Maseniano potiùs, qvàm ex sen- :entiâ nostrâ enatas absurditates, manife- tissimum est. Etenim (α) *libertatem de- clinandi peccatum* uti homini non-renato, qvi totus peccato servit, meritò negamus: ic regenito, qvà tali, per gratiam DEI com- petere asserimus. Habitat in ejus carne peccatum, & ad peccandum inclinat; Spiritus à peccato arcet. Peccatum habet: at *peccatum non facit, qvoniam semen ipsius* (è qvo renatus est,) *in eo manet, & non potest*

 pec-

peccare, qvoniam ex DEO natus est. 1. Joh. III, 9. Qvare (β) non apparet, qvomodo sententia, qvâ concupiscentia in renatis residua peccatum esse dicitur, *DEUM* faciat *vindicem peccatorum actualium, qvæ impossibile fuerit homini vitare.* Regenitus enim carnem per Spiritum superat, ne concupiscentiæ venenata radix in peccata mortalia progerminet. Qvanqvam minimè omnium tyrannidis accusandum erat sanctissimum Numen, qvòd eam exigit perfectionem, qvam qvò minùs exhibere nunc possimus, causa penes nos stetit. Justè exigit *Matth. XVIII, 24.* Rex à servo debitum, cui ne teruncius qvidem erat in sacculis. Justè punitur adulter, qvi abstinere adulterio ob habitum contractum non potest. Höpffner. *de justif. p. 21.* Meisner. *anthropol. D. XXIII. §. 10. 11.* Ecqvis verò Lutheranorum dixit scripsitve, *voluisse DEUM qvenqvam ante rationem voluntatemq; delinqvere, & si deliqverit, æternum punire?* qvis, *DEUM electionem non reliqvisse liberam?* Non DEUS volens iniqvitatem est, *Ps V.* & ægerrimè fert, necessitatem sibi, (ut sic balbutire liceat,) imponi ab immutabilis justitiæ Lege, puniendi tum originale peccatum, tum prognata inde actualia hominum suâ sponte ex libertate pristinâ, & illo felicitatis fastigio in miserrimum barathrum servitutis ac peccati prolapsorum. At qvàm alienus à tyran-

(β) *DEO justitiam aut sapientiam;*

annide fit, planisſimum fecit remedii in-
ventione, qvo & juſtitiæ ſuæ fieret ſatis, &
homines, qvi ex ſe ſatisfacere Legi non poſ-
ſunt, amiſsâ per voluntarium peccatum ar-
bitrii libertate juſtitiaqve concreata, poſ-
ſent in Chriſto fide apprehenſo. Porrò
(γ) neqve *irrita*, neqve *ſtulta* (qvæ Maſenii
modeſtia eſt) proclamanda *præcepta divina*
ſunt, qvòd exeqvi illa non poſſimus. Sunt
enim commonitoria debiti pariter & infir-
mitatis noſtræ, invitant ad preces, adducunt
ad Chriſtum pædagogi inſtar, prohibent
contumaciam, imò taṅqvam efficax medi-
um & organum converſionem operantur:
qvæ omnia præclarè B. Meiſnerus *P. II. Phi-
loſ. Sobr. S. II. c. 2. qv. 3. (an oratio imperativa
& conditionalis vim agendi ſemper præſuppo-
nat) p. 855. ſqq.* deduxit. Agnovit hoc ſa-
nior Maſenio Auguſtinus. *Ideò jubet
DEUS aliqva, qvæ non poſſumus, ut noverimus,
qvid ab illo petere debeamus*: ſcribit lib. de
gratiâ & lib. arb. c. 16. T. VII. p. 1314. Et lib.
de Nat. & Grat. c. 43. Tom. eod. p. 751: *DEus
impoſſibilia non jubet; ſed jubendo admonet
& facere qvod poſſis, & petere, qvod non poſ-
ſis.* Rurſum lib. de corrept. & grat. c. 3. T.
VII. p. 1327: *O homo, in præceptione cognoſce,
qvid debeas habere: in correptione cognoſce,
tuo te vitio non habere: in oratione agnoſce,
unde accipias, qvod vis habere.* Idem L. II.
de actis cum Felice Manich. c. XI. Tom. VI.
p. 517. D: *Data eſt lex ſuperbis hominibus &*

(γ) *præcepti DEI uſum*:

Cc 4 *viribus*

viribus suis totum tribuentibus, ut cùm implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, & facti rei sub lege, misericordiam peterent à DEO conditore. Idem Celestio Pelagiano *lib de perfect justitiæ, ratioc. 6.* T.VII.p.1419. C. objicienti: *qværendum est, utrum præceptum sit homini, sine peccato esse. Aut enim non potest, & præceptum non est: aut qvia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, qvod fieri omninò non posset?* Respondet: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cùm se non posse perspexerit, medicinam reqvirat, qvæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem, gratia DEI est per Jesum Christum Dominum nostrum.* Jam (δ) ne *sanctitati meritorum & justitiæ Christi* per Paulinam de concupiscentiâ doctrinam aliqvid detrahatur, vanissimus metus est. Illam *pallium scelerum*, non Lutherani, sed Lutheranorum Sycophantæ appellant. Non palliativa cura est, qvæ per sangvinem Christi fit, neqve velantur per meritum Christi peccata nostra, sed planè (ratione reatûs) extingvuntur, delentur, abolentur. Nulla hîc arcæ DEI & Dagonis, Christi & Belialis, lucis & tenebrarum, qvam fingit Masenius, societas. Habitet in renatis peccatum, *Rom.VII,17.* at versantur ipsi, ut lucis filii in luce, *Luc. XVI, 8. I.Joh I,7.* qvia tenebras non amant, sed secuti in tenebris lucem & ductum Spiritûs Sancti

(δ) *Meritis Christi sanctitatem*

ncti peccato resistunt. Nec Belial ibi est, ›i peccatis per Spiritum S. resistitur, sed u- peccata regnant & dominantur. Qvare rissimè Macarius *Homil.XVI* pronunciat: τπερ ἐστὶν εἰς τὸν ἀέρα ὁ σατανᾶς, καὶ ὁ Θεὸς χρῶν ἐκεῖ οὐδὲν ἀδικεῖται. οὕτως καὶ ἐν τῇ ψυ- ῇ ἐστὶν ἡ ἁμαρτία, ὁμοίως δὲ καὶ χάρις θεοῦ ἰνεστι μηδὲν ἀδικουμένη. h. e. *qvemadmodum itanas est in aëre, & DEUS qvi præstò ibidem ', nihil læditur omninò : sic peccatum est in ımâ, similiter qvoq; gratia divina, nullâ o- ınò injuriâ affecta.* Conf. Gerh. *L. de pr. §. 140.* Postremò (*s*) si hinc conseqvi- r, *non posse tantum in Christo justitiam, antum in Adamo injustitia potuit*; ut scili- t illa prorsus extirparet peccatum, qvo ec inqvinavit : hoc saltem ex Masenio ærere vicissim lubet : An & ideò justiti- ı in Christo tantum non posse putet, antum injustitia in Adamo : qvod illa à orte non liberavit penitus, qvam hæc in- oduxit in mundum? Num & ideò Mase- ıum blasphemum esse in virtutem & effi- ciam meriti Christi exclamabimus, qvi ncedet, mortem corporis per peccatum imi hominis ad omnes homines ingres- m (*Rom. V, 12.*) per baptismum non tolli? mplex nimirum & vera regula est à Che- nitio *P. I. Exam. p. 100.* idem crepanti An- adio reposita : *Qvid gratia DEI, meritum hristi & efficacia baptismi in renatis opere- tur,*

& effica- ciam.

Cc 5

tur, qvomodo & qvo ordine statuendum est ex verbo DEI, non ex argumentationibus à possibili. Tradit autem verbum DEI, sicut suprà testimoniis Scripturæ id probatum est, *gratiam DEI in baptismo dare plenam & perfectam indulgentiam omnium peccatorum : mortificationem verò & renovationem in hac vita inchoari, & qvotidie augeri in renatis ; sed absolutionem & perfectionem in alterâ demum vitâ fore.* Nullum autem est dubium, *gratiam DEI subito & uno momento hoc perficere & absolvere posse.* Sed Scriptura *testatur, DEUM certo consilio hoc non facere in hâc vitâ.* Ibidem legi potest, qvomodo B. Augustinus eandem objectionem *L. IV. contra Julianum c.3.* solverit.

(III.) *Autoritate Augustini:*

III. Hujus enim *Patris* (ut ad ultimum caput hujus controversiæ descendamus) expendenda nunc autoritas est. Qvi qvàm acriter se Pelagianis opposuerit, qvòd ipsi qvoqve concupiscentiam originalem peccatum negarent esse, notissimum est vel ex Corn. Jansenii Iprensis Episcopi Augustino, qvo id ex professo egit, & è jam dictis constare potest. Geminum tamen ex eo locum pro se Masenius adducit. Unum ex L.VI. contra Julian. c.11. T. VII. p.1137: *Peccati nomine, qvod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam, qvia peccato facta est, & si consentientem traxerit atq; illexerit,*

cujus objecto gemino textui

conci-

oncipit pariteq; peccatum. Alterum è Lib. I. e Nupt. & Concup. c. 23. T. eod. p. 823: Si non t, qvod scriptum est: non concupiscas: fiat altem qvod alibi legitur: post concupiscentias uas non eas. Vocatur autem peccatum, qvia eccato facta est, cum jam in regeneratis non ipsa peccatum: sicut lingva vocatur locu-o, qvam facit lingva, & manus vocatur scri-tio, qvam facit manus. Expedita res est. 'riori loco sic concedit metonymicam pec-ati de concupiscentiâ prædicationem, ut ropriam non neget. Nam & peccatum es-:, & pœnam peccati, & causam peccati di-:rtè profitetur. Verba suprà ex L. V. con-ra Julianum c. 3. produximus. Altero loco vo sensu peccatum esse neget concupiscen-iam, ex verbis, qvæ omisit Masenius, colli-ere licet: tale scilicet, qvod in damnatio-em imputetur. Reatus ejus ait Augustinus odem loco, valet in generato. Qvem rea-um Christi gratia per remissionem omnium eccatorum in regenerato, si ad mala opera ei-'em qvodammodò jubenti non obediat, valere on finit. Qvàm liberalis verò consequen-ia: Augustinus dixit: Concupiscentiam erto respectu non dicendam esse pecca-um. Ergò omninò negavit esse pecca-um? non immeritò qværit hîc Hülseman-us Manual. Disp. II. §. 38. Enimverò eo-lem illo libro, unde Achillem suum eduxit Masenius, cap. statim seq. 25. p. 824. tam cla-am rem omnem facit S. Pater, ut mirari o-porteat,

respondetur:

& ὁμοψηφία adducta

'iis ejus- portεat, provocare qvenqvam Pontificio-
em locis rum in hac controversiâ ad ipsum posse. *Si*
ſtendi *qværitur*, inqvit, *qvomodo iſta concupiſcentia*
ur. *carnis maneat in regenerato, in qvo univerſorum facta eſt remiſſio peccatorum: - reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Qvamvis autem reatu ſuo ſoluto, manet tamen, donec ſanetur omnis infirmitas noſtra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem.* Et mox cap. 26: *In eis ergò, qvi regenerantur in Chriſto, cùm remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum, utiq; neceſſe eſt, ut reatus etiam hujus licèt adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, ut in peccatum ſicut dixi, non imputetur. - - Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. - - Sic itaq; fieri poteſt, ut etiam illud* (peccatum) *maneat actu, prætereat reatu.* Rurſum cap. 29: *Multum boni facit, qvi facit, qvod ſcriptum eſt: poſt concupiſcentias tuas non eas; ſed non perficit, qvia non implet, qvod ſcriptum eſt: non concupiſcas.* Similia alibi apud eundem legas. Ut Lib. II. de peccatorum meritis & remiſſione c. 7. T. VII. p. 694: *Non ex qvâ horâ qvisq; baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus abſumitur, ſed renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorum. - - Nam in baptiſmo qvamvis tota & plena fiat remiſſio peccatorum, tamen ſi continuò, non dico, in corpore, ſed in ipſo animo*

qvi

qvi est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Profectò enim qvi de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus: & in qvantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est. Eandem sententiam *Conc. 3. in Psalm. CXVIII. Tom. VIII. p. 1329.* & alibi sæpiùs profitetur: sed Augustinum pluribus vindicarunt Corn. Jansenius Iprensis Episcopus *L. II. de statu puræ naturæ c. 13.* (Tomo II. August. p. 839. sqq.) Chamier. *panstr. Tomo III. L. 10. c. 20.* Rivet. *Cath. Orth. tr. 4 q. 14 § 14. 16 17.* (T III. opp. p. 467 sqq.) & ex nostris Chemnit. *Loc. Th. T. I. p. 611. 616.* Franz. *Tom. II. disp. Witteb. I. §. 190 p. 784. sqq.* Höpffner. *analysi qvæst. de Ecclesiâ verâ ante Luth. th. XVIII. §. 4 sqq. Disp.* III. *de Justif. p. 197 sqq.* B. Parens eus *Isag. in libb. Symb. p. 167.* Nos ipsius idem judicium addimus colophonis loco, qvod *L. VI c. Jul. c. 5. p. 1121.* de certamine hoc dedit. *Qvis ita sit imprudens atq; impudens, et procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus ac demens, qvi cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere & parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, etiam qvia inest, qvomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi*

&

& ejus vinculum, in illâ, qvæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur?

PUNCT. II. p. 95.-98.

De Libertate hominis post lapsum.

qværit Masenius: *Qvænam libertas homini post lapsum relicta ad malum vitandum bonumq; faciendum sit?* Ac rectè qvidem tum statûs hominis, tum objecta distingvit. Nam cùm actiones hominis vel sint naturales, vel morales, vel spirituales ac supernaturales: aliter atqve aliter in his se habere hominem pro diversis statibus, docent orthodoxi. Liberrimum enim circa illas omnes arbitrium in *statu integritatis* competiisse homini, extra dubium est. Alia verò conditio illius *post lapsum.* Postqvam enim primævâ illâ felicitate per peccatum excidit homo, *habet* qvidem *aliqvam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ DEI seu justitiæ spiritualis: qvia animalis homo non percipit ea, qvæ sunt Spiritûs DEi. Sed hæc fit in cordibus, cùm per verbum Spiritus S. concipitur,* ut articulo XVIII. Aug. Confess. profitemur, ac *damnamus Pelagianos ac alios, qvi docent qvòd sine Spiritu S. solis naturæ viribus possumus DEUM super omnia diligere: item*

I. *Sententia orthodoxa explicatur.*

m præcepta DEI facere qvoad substantiam tuum. Qvanqvam enim externa opera qvo modo efficere natura possit, potest enim ntinere manûs à furto, à cæde; tamen interiores motûs non potest efficere, ut timorem EI, fiduciam erga DEUM, castitatem, patitiam &c. Copiosiùs id Apol. A g. nf. *p. 218. 219.* Form. Conc. *art. 2. p. 578. 7. 654. sqq.* declaratur. Unde constare otest, cùm perditum planè liberum arbiium, atqve è libero servum dicimus post psum, non ad *civiles* illas & *externas* actios respici, sed *supernaturales*, neqve consirari hominem, qvatenus post conversioem suam acceptis desuper viribus Spiritui ncto in *renovatione* cooperatur; sed ut r lapsum omnibus exutus viribus, imò ortuus in peccatis (*Eph.* IV, *18.*) nihil ad *nversionem* suam conferre potest, solo EO cor novum creante. Qvod ex Scripturâ copiosiùs probatum Chemnitius *P. I. ocor. de viribus hum. c. 5.* & *Exam. C. T. p. 113. 1q.* Gerhard. *L. de Lib. arb.* §. *34 sqq.* & *Disp. ag. XXVI.* item *Tom. ult. Conf. Cath. p. 136. 1q.* Meisner. *Dispp.* XXII. *anthropol.* & *Phil. Sobr. P.* III. *c. 3. S. 1.* aliiqve dederunt. Nos ic nihil addimus, qvanqvam non ignari, vantùm Pontificii πελαγιανίζοντες contra cripturam pariter, & Veteris Ecclesiæ dorinam, atqve Augustinum maximè, Pelaianorum acerrimum hostem tribuere libe-

ro

ro arbitrio hominis nondum regeniti in conversione soleant. Qvorum si qvis sententiam cum nostrâ conferre velit, & utra propiùs ad Scripturæ regulam & antiqvitatis consensum accedat, expendere, eum ad laudatos modò autores, ac Hulsemannum præterea *Disp.* XVI. *contra Hagerum*, & alios nostratium ablegatum volumus.

II. *Sententia Pontificiorum proferτur, partim occultata à Masenio, quâ statū ante conversionē:*

Hîc Masenium seqvimur, & num in iis saltem momentis, qvæ expendere jussit ipse, Pontificiis magis, an nobis cum veritate conveniat, contemplamur. Voluit autem is cautè abstinere à propalando crassissimo errore, qvi *hominem gratiæ se præparare viribus suis, & cooperari Spiritui S. in ipso conversionis negotio posse* fingit, ac nostrâ potiùs lingvâ uti, qviqve hæreticorum mos est, ὅμοια λαλεῖν, ἀνόμοια δὲ φρονεῖν maluit. *Cùm in supernaturalibus*, inqvit, *& ad salutem spectantibus per DEi gratiam natura elevanda sit: patet, hominem hac gratiâ ex Adami delicto spoliatum nihil posse, nisi DEus benevolè & gratuitò illum per baptismum inter filios recipiat, gratiamq; impertiatur.* Putes conjunctâ nobiscum manu contra Pelagianos pugnare Masenium, & gratiæ DEI omnia tribuere. Sed jam hanc fraudem in Tridentinis canonibus & præcipuo illorum vindice Chemnitius noster deprehendit & aperuit *Exam. p. 119. 125.* Affirmant sanè externâ specie, nihil posse liberum arbitrium in

in spiritualibus sine gratiâ, causam verò non inde accersunt, unde Scriptura, qvòd scilicet homo nullam habeat potentiam, nullas vires aut facultates ad inchoandas & perficiendas actiones spirituales necessarias; sed qvia naturales illæ vires, licèt nec deletæ, nec extinctæ, adeò tamen peccatorum laqveis impeditæ sint, ut homo suâ se virtute extricare non possit. Itaqve ut homini (sic enim declarant) ferreis ligato compedibus, aut aviculæ illigatæ vel in caveam inclusæ non deest facultas incedendi avolandive, sed impedita modò est: ita cum libero non-renati hominis arbitrio comparatum esse censent. Gratiæ autem DEI, si rectè putes, non tribuunt novarum virium donationem, sed vinculorum tantùm solutionem: ut facultas naturalis antè constricta & impedita jam unà cum gratiâ operari conversionem possit; non secus ac ignis unà cum DEO, qvi igni exurendi virtutem suppeditat, lignum absumit. Qvi si minùs Pelagianismus, certè Semipelagianismus est, Scripturæ & Augustino improbatus. Sed hoc tam clarè ab aliis, maximè τῷ πάνυ Chemnitio est ostensum, ut tantùm non puduisse hujus erroris Masenium videatur. Certè qvidem declinat controversiam, & ad vires hominis jam regeniti delabitur, non exprimens, utrum de viribus naturalibus Liberi arbitrii, an de superna- *partim ab eo indicata,*

ro arbitrio hominis nondum regeniti in conversione soleant. Qvorum si qvis sententiam cum nostrâ conferre velit, & utra propiùs ad Scripturæ regulam & antiqvitatis consensum accedat, expendere, eum ad laudatos modò autores, ac Hulsemannum præterea *Disp.* XVI. *contra Hagerum*, & alios nostratium ablegatum volumus.

II. *Sententia Pontificiorum profertur, partim occultata à Masenio, qvâ statũ ante conversionẽ:*

Hìc Masenium seqvimur, & num in iis saltem momentis, qvæ expendere jussit ipse, Pontificiis magis, an nobis cum veritate conveniat, contemplamur. Voluit autem is cautè abstinere à propalando crassissimo errore, qvi *hominem gratiæ se præparare viribus suis, & cooperari Spiritui S. in ipso conversionis negotio posse* fingit, ac nostrâ potiùs lingvâ uti, qviqve hæreticorum mos est, ὅμοια λαλεῖν, ἀνόμοια δὲ φρονεῖν maluit. *Cùm in supernaturalibus*, inqvit, *& ad salutem spectantibus per DEi gratiam natura elevanda sit: patet, hominem hac gratiâ ex Adami delicto spoliatum nihil posse, nisi DEus benevolè & gratuitò illum per baptismum inter filios recipiat, gratiamq́ impertiatur.* Putes conjunctâ nobiscum manu contra Pelagianos pugnare Masenium, & gratiæ DEI omnia tribuere. Sed jam hanc fraudem in Tridentinis canonibus & præcipuo illorum vindice Chemnitius noster deprehendit & aperuit *Exam. p. 119. 125.* Affirmant sanè externâ specie, nihil posse liberum arbitrium in

in ſpiritualibus ſine gratiâ, cauſam verò non inde accerſunt, unde Scriptura, qvòd ſcilicet homo nullam habeat potentiam, nullas vires aut facultates ad inchoandas & perficiendas actiones ſpirituales neceſſarias; ſed qvia naturales illæ vires, licèt nec deletæ, nec extinctæ, adeò tamen peccatorum laqveis impeditæ ſint, ut homo ſuâ ſe virtute extricare non poſſit. Itaqve ut homini (ſic enim declarant) ferreis ligato compedibus, aut aviculæ illigatæ vel in caveam incluſæ non deeſt facultas incedendi avolandive, ſed impedita modò eſt: ita cum libero non-renati hominis arbitrio comparatum eſſe cenſent. Gratiæ autem DEI, ſi rectè putes, non tribuunt novarum virium donationem, ſed vinculorum tantùm ſolutionem: ut facultas naturalis antè conſtricta & impedita jam unà cum gratiâ operari converſionem poſſit; non ſecus ac ignis unà cum DEO, qvi igni exurendi virtutem ſuppeditat, lignum abſumit. Qvi ſi minùs Pelagianiſmus, certè Semipelagianiſmus eſt, Scripturæ & Auguſtino improbatus. Sed hoc tam clarè ab aliis, maximè τῷ πάνυ Chemnitio eſt oſtenſum, ut tantùm non puduiſſe hujus erroris Maſenium videatur. Certè qvidem declinat controverſiam, & ad vires hominis jam regeniti delabitur, non exprimens, utrum de viribus naturalibus Liberi arbitrii, an de ſupernaturalibus *partim ab eo indicata,*

qvà statum post conversionem: libi tractate tùm de libertate hominis & gratiæ resistibilitate,

turalibus per gratiam Spiritûs S. in regeneratione recens collatis intelligi malit. *Superest igitur* (inqvit) *quæstio: an cum hac gratiâ adhuc liberè operetur? & an legem DEI implere possit?* Intelligis, Lector, in *duo* se diffundere *membra* totam Malenii tractationem. Qvorum *altero* libertatem hominis regeniti & gratiæ resistibilitatem, *altero* possibilem homini per gratiam divinæ legis impletionem defendere satagit.

De *priori* non est, qvòd solliciti simus. Concedimus enim ταῖν ἀμφοῖν, hominem regenitum cooperari gratiæ DEI in studio bonorum operum, & ita cooperari, ut resistere etiam possit Spiritui Sancto. Neqve qvisqvam est, qvi nesciat, qvanto Zelo monstrum gratiæ irresistibilis ubiqve impugnent orthodoxi. Vide ex innumeris Hülsem. *de auxil. grat. Disp. III. q. 7. p. 297. sqq.* Danh. *Hodom. Calvin. p. 1946 l. 976.* Seldium *Top. Calvin. p. 408. sqq.* &c. Nemo nostratium suam fecerit sententiam, qvam plerisq; *Protestantium* imputat: *gratiam in renatis semper esse cum infallibili effectu conjunctam: adeoq; neminem posse divinæ gratiæ resistere, ita ut oppositum eligat aut actum omittat.* Viderit modò ipse, qvomodo suos in fide socios ab erroris hujus notâ purget, qvi voluntatẽ hominis sic determinari à DEO ad unum oppositorum contendunt, tam qvoad specificationem, qvàm

qvoad

qvoad exercitium, ut aliter, qvàm agit, agere non possit. Qvæ multorum & illustrium in Pontificiâ Ecclesiâ Doctorum, *Dom. in. Binnis, Franc. Zumel, Medinæ, Casp. Ram, Pet. de Ledesma, Joh. Matth. Rispolis, Franc. Sylvii, Didaci Alvarez, Joh. de Rada, Pauli Bennii, Cabreræ* aliorumqve sententia est, qvam, si Camerario Scotistæ credimus, (cujus verba Dn. Calov. *Syst. T. II, 527 sq.* repetiit) Clemens VIII. veram definire meditabatur, nisi morte fuisset præventus. Sanè hac sententiâ & homini libertatem adimi, & DEUM causam fieri peccatorum, dudum est, qvòd *Molina, Lessius, Tannerus, Soarez* agnoverunt, eoqve nomine erroris in fide & Calvinianæ hæreseos socios postularunt, non obstante vel Sixti V. vel Pauli V. interdicto; gratulantibus etiam sibi de hoc consensu Calvinianis, Riveto *C. O. 4, 6, 20. sqq.* Maresio *anticbr. revel. 2, 1, 3.* aliisqve. Lege de hac re ex nostris Calov. *l. c.* Dannhau. *Tom. I. Hodom. Pap p. 901 sqq.* Hûlsem. *de auxil. grat. p. 303 sqq.* Nos *efficacem* qvidem gratiam non in renatis modò, sed omnibus adeò defendimus, sed qvam ob subjecti repugnantiam *effectus* non semper subseqvatur. Ordinata enim illa & resistibilis efficacia est, ut ex *Psalm. XCV, 8. Prov. I, 24. Act. VII, 51.* (qvæ loca hic Malenius qvoqve citat,) pluribusq; textibus aliis ostendunt orthodoxi. Scilicet hoc arbitrii in peccati

à Pontiff. Dd. quibusdam impugnata:

tum de Implebilitate Legis: circa qvā (I) Fundamenta sententiæ nostræ (1.) indicantur: ex Scripturâ,

servitutem redacti non postremum argumentum est, qvòd convertenti gratiæ minimè se præparare, vehementer autem resistere potest ac solet.

Posterius verò de *impletione Legis* impossibili in hac vitâ omninò defendimus. Sanè enim hoc vel à Masenio adducta arguunt. *Adjiciunt* (ita scribit) *omnes, impossibile hominem esse etiam cum hac tali gratiâ, legem implere, cùm* non sit homo justus super terram, qvi non peccet, *Eccles. VII, 21:* in multis offendamus omnes, *Jac. III, 2.* &, si dixerimus, qvia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, *1. Joh. I, 8:* *cùm* inhabitet in nobis peccatum concupiscentiæ, (*Rom. VII, 17.*) *& inqvinet omnia opera nostra. Legis etiam præcepta*: ut diligas DominumDEum ex toto corde &c. *tum illud*: non concupisces, *à nemine, qvamvis sancto, possint impleri.* Hæc Masenius. Nos non addemus plura ex Scripturâ, qvæ *Legem portari non posse*, Act. XV, 10. *impossibile esse Legi, ut nos salvet, qvia infirmatur per carnem*, Rom. VIII, 3. *non posse qvenqvam justificari per Legem Mosis* (Act. XIII, 38.) *aut vivificari* (Gal. III, 21.) *neminem, neminem esse, qvi non peccet*, I, Reg. VIII, 46. II. Chron. VI, 36. Prov. XX, 9. *omnes esse peccatores, & egere gloriâ DEI*, Rom. III, 23. *omnesq́; Sanctos remissione peccatorum indigere*, Psalm. XXXII, 6. disertè

& Augustino.

testatur. Qvæ *Augustinus* expendens, *Libro*

bro de perfectione justitiæ acriter Celestio Pelagiano, asserenti, hominem in hac vitâ posse esse sine peccato, sese opposuit, & à nemine impleri perfectè legem in hac vitâ posse, ex professo demonstravit. Inter alia pag. 1424. T. VII: *Qvotqvot perfecti, hoc sapiamus: id est: qvotqvot perfectè currimus, hoc sapiamus, qvòd nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, qvò perfectè adhuc currimus: ut cùm venerit, qvod perfectum est, qvod ex parte est, destruatur, i. e. non jam ex parte sit, sed ex toto. -- In illâ plenitudine charitatis* (in patriâ scil.) *præceptum illud implebitur: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex totâ anima tuâ, & ex totâ mente tuâ. Nam cùm est adhuc aliqvid carnalis concupiscentiæ, qvod vel continendo frenetur, non omnimodò ex totâ animâ diligitur DEus. - - Tunc erit justus sine ullo omninò peccato, qvia nulla lex erit in membris ejus repugnans Legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâ mente diliget DEUM. Cur ergò non præciperetur homini ista perfectio, qvamvis eam in hac vitâ nemo habeat? Non enim rectè curritur, si qvò currendum est, nesciatur. Qvomodo autem sciretur, si nullis præceptis comprehenderetur?* Non est qvòd plura describamus, cùm totus liber in eo, qvod volumus, demonstrando vindicandoqve occupetur.

(2) *Vindicantur.* Habet tamen Masenius, qvod ad Scripturæ loca respondeat. *Qvod nobis* (inqvit p. 97.) *per naturam est impossibile, juxta qvam, non qvod volo bonum, facio, sed qvod nolo, malum; per gratiam fit possibile: qvia liberavit me de corpore mortis hujus gratia DEI per Jesum Christum. Rom. VII, 15, 26.* Ubi verò, mi Maseni, scripsit Paulus, se jam liberatum esse corpore mortis hujus? Si liberatus, cur gemit, cur liberari se petit? Cur infelicem se exclamat? *Infelix ego homo, qvis liberabit me de corpore mortis hujus? Gratia DEI* (liberabit, vel juxta fontes: ἐυχαριςῶ τῷ Θεῷ, *gratias ago DEO*, qvi me olim liberabit plenè de hoc corpore mortis) *per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse* (addit) *mente qvidem servio legi DEI: carne autem Legi peccati.* Ostendit manifestè, in hac vitâ servitium qvod legi DEI præstat, admodum imperfectum esse, qvia caro subinde ad malum impellat, ut qvod per gratiam vult, bonum propter naturæ corruptionem effectum dare non possit. Laterem proinde Masenius lavat, qvin propria etiam vineta cædit, pergens: *Per naturam igitur corruptam etiam justus cum Paulo peccat & offendit sæpiùs. Verùm si justus septies in die cadit, etiam resurgit. Prov. XXIV, 16. Cadit per naturam, resurgit per gratiam.* Si justus

Rom. VII, 15. 26.

Prov. XXIV, 16.

sæpiùs

sæpiùs peccat & offendit cum Paulo, si septies cadit, (obiter noto, locum Salomoneum non de lapsu *peccati*, sed *infortunii* loqvi, qvod alii demonstrarunt: Sed hoc transeat. Interim, si placet, Vide Tarnov. *Exerc. B bl. p.* 130. Franz. *de interp. Scr. orac. XLVI.* Walther. *Officin. Bibl.* §. 919. & *Harm. h. l.* Sixtin. Amam. *antibarb. p.* 590. Grotium & Calov. & Geier. *h. l.*) si resurgere eum per gratiam necesse est: qvomodo omni peccato vacare, qvomodo Legem perfectè implere potest? Et qvid illud deniq; est, qvod subjicit: *Adeoq; licèt semper non expleat mandatum de DEO super omnia diligendo, aut nihil illiciti concupiscendo, sæpè tamen implet, cum DEUM creaturis anteponit omnibus, illumq; præ his amplectitur*? Si Jacobum audimus: *qvi in uno præcepto delinqvit, totius Legis reus est*, c. II, 10. Qvomodo ergò ab imperfectâ unius fortè præcepti observantiâ ad impletionem Legis concluderemus? Sæpiùs peccare, & Legem implere ἀσύστατα sunt. Apparet ergò, qvanti sit, qvod ad sententiæ nostræ fundamenta convellenda attulit Masenius.

Nunc, qvid pro suâ dicat, cognoscamus. Legem impleri per gratiam posse ab homine regenito, tum *rationibus ex Scripturâ deductis*, tum *Augustini testimoniis* ostendere laborat. De *Rationibus* primùm videa-

(II.) Argumenta Masenii diluuntur.

(1) *ex adhortationib9 Christi & Pastorum.*

videamus. (1) *Respondent Catholici : Si libertas homini desit , & Legem implere sit impossibile, frustrà omnia fore hortamenta tam Christi, qvàm Pastorum Ecclesiæ ad fideles. Nam ut ad hoc , qvod infallibiliter futurum est, frustrà incito ; ita ad illud, qvod factu impossibile est stultè impello. Qvare utrumq́; falsum est.* Nos verò *prioris* falsitatem facilè agnoscimus , qvi Stoicam aut Manichæam necessitatem , & irresistibilem divinæ gratiæ operationem cane pejus & angve fugimus ac detestamur. E *posteriori* verò (impossibili impletione Legis) id seqvi ,qvod Masenius vult, pernegamus. Utrumqve Scriptura facit : & Legem divinam impleri posse, manifestè negat , & ad pietatem sedulò adhortatur. Prius Masenius negare voluit, ad loca tamen objecta, qvod responderet , non habuit. Num ergò stultas illas commonefactiones dicet ? Ita sapientiam justificari à filiis suis , Pharisæis Romanensibus oportet. Si qvid autem roboris ista habet objectio, cui jam suprà satisfactum ex Augustino , viderit Masenius , annon retorqveri in ipsum possit. Hominem irregenitum , & *gratiâ ex Adami delicto spoliatum nihil posse* , pag. 95. extr. fatetur. Num ergò stultitiæ accusabit divinam Legem , hunc qvoqve ad mandata servanda impellentē? Scilicet, ut paulò antè Legem insignes habere utilitates

Vid. suprà p. 407.

suas

suas ostendimus, licèt observari accuratè non possit: ita qvæ de renatorum officio fiunt, adhortationes, qvanqvam magna ac varia impedimenta illis carnis objiciat infirmitas, utilitate suâ carere, qvis neget? Nemo, opinor, tam absurdus est, ut tersum absolutumqve ὑπογραμμὸν frustrà dari discipulis putet, ideò, qvòd exprimere illiq elegantiam scribendo non possint? Juvat prodire tenus, si non datur ultrà. Non illicò viri sunt, qvi regenerantur, sed per ætatum gradûs subinde ascendunt, ac *perfectiores fiunt & crescunt in Christo, qvi caput est, donec evadant in viros perfectos in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Eph. IV, 13. 15. qvod in alterâ demum vitâ continget. Placet hæc *Augustini* Stylo eloqui. Sic autem ille lib. de Spiritu & literâ, cap. ult. T. III. p. 840: *Primum est præceptum justitiæ, qvo jubemur diligere DEUM ex toto corde, & ex tota animâ, & ex totâ mente: cui est de proximo diligendo alterum consequens, qvod in illâ vitâ complebimus, cùm videbimus à facie ad faciem. Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur, qvid fide exposcere, qvò spem præmittere, & obliviscendo, qvæ retrò sunt, in qvæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, qvantum mihi videtur, in ea, qvæ perficienda est justitia, multum in hac vita ille profecit, qvi qvàm longè sit à perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.* Pa-

Resp. ad mentem Augustin.

rum ergò profecisse in justitiâ Jesuitas necesse est, qvi qvàm longè absint à perfectione justitiæ, non cognoscunt. Addamus verò qvæ ibidem apertissimè pro nostrâ sententiâ subjicit Augustinus: *Scriptum est: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud: Si dixerimus, qvia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et illud: Qvia non est homo, qvi non peccabit. Et illud: Non est justus in terrâ, qvi faciet bonum, & non peccabit. Qvoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse conseqvens video, ut qvalemlibet vel qvantamlibet in hac vitâ potuerimus definire justitiam, nullus in eâ sit hominum, qvi nullum omninò habeat peccatum, omniq; homini sit necessarium, dare, ut detur illi, dimittere, ut dimittatur illi.*

(2) Ex Phil. II, 13.

(2) Deinde Pelagiano more modoq; textum *Phil. II, 13.* pervertit Masenius. *Ad DEUM spectat prima miseratio & vocatio, operaturq; in nobis velle & perficere, sed nobiscum. DEI enim cooperatores sumus* (1. Cor. III, 9.) *in bono; ita ut alterutro deficiente opus nullum sit.* Aut de *renovatione* hominis jam conversi intelligi Masenius vult, atqve sic hominem per gratiam DEI operari non negamus: aut de *conversione* hominis irregeniti, qvâ ratione DEO in solidum omnia tribuit Apostolus, non solum velle, sed etiam τὸ ἐνεργεῖν vel operari: *DEUS*, inqvit, *estis*,

estis, (non unà nos ipsi,) *qvi operatur in vobis* (*NB in vobis,non vobiscum*) *& velle & perficere.* ἱκανότης *nostra omnis ex DEO est, non ex nobis ipsis.* II.Cor III,5. Neqve crassior esse Pelagianismus potest, qvàm si hominem DEI cooperatorem in conversione suâ dicas. Optimè Augustinus: *Certum est, nos velle, cùm volumus, sed ille facit, ut velimus bonum. Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati &c.* Lib. de gratiâ & lib. arb. c.16. extr. T.VII. p.1315. Idem L. II. de Bono perseverantiæ c.13. eod. Tomo p.1276: *Nos ergò volumus, sed DEus in nobis operatur & velle: Nos ergò operamur, sed DEus in nobis operatur & operari pro bonâ volũtate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est piũ, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum DEO. Cogitantes credimus, cogitantes loqvimur, cogitantes agimus, qvicqvid agimus; qvod autem attinet ad pietatis viam & verum DEI cultum, non sumus idonei cogitare aliqvid tanqvam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes.* Qvæ brevissimè eod. libro c.6. p.1265. sic extulit: *Tutiores vivimus, si totum DEO damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Locus *I.Cor. III,9.* qvi ex interpretatione *Estii, Bened. Justiniani, Corn. à Lapide* de operâ ministeriali

& I.Cor. III, 9.

rum ergò profecisse in justitiâ Jesuitas necesse est, qvi qvàm longè absint à perfectione justitiæ, non cognoscunt. Addamus verò qvæ ibidem apertissimè pro nostrâ sententiâ subjicit Augustinus: *Scriptum est: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud: Si dixerimus, qvia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et illud: Qvia non est homo, qvi non peccabit. Et illud: Non est justus in terrâ, qvi faciet bonum, & non peccabit. Qvoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse conseqvens video, ut qvalemlibet vel qvantamlibet in hac vitâ potuerimus definire justitiam, nullus in eâ sit hominum, qvi nullum omninò habeat peccatum, omniq; homini sit necessarium, dare, ut detur illi, dimittere, ut dimittatur illi.*

(2) Ex Phil. II, 13. (2) Deinde Pelagiano more modoq; textum *Phil. II, 13.* pervertit Masenius. *Ad DEUM spectat prima miseratio & vocatio, operaturq; in nobis velle & perficere, sed nobiscum. DEI enim cooperatores sumus* (I. Cor. III, 9.) *in bono; ita ut alterutro deficiente opus nullum sit.* Aut de *renovatione* hominis jam conversi intelligi Masenius vult, atqve sic hominem per gratiam DEI operari non negamus: aut de *conversione* hominis irregeniti, qvâ ratione DEO in solidum omnia tribuit Apostolus, non solum velle, sed etiam τὸ ἐνεργεῖν vel operari: *DEUS*, inqvit,

estis,

estis, (non unà nos ipsi,) *qvi operatur in vobis* (*NB in vobis*, non *vobiscum*) *& velle & perficere.* *ἱκανότης nostra omnis ex DEO est, non ex nobis ipsis*. II.Cor III,5. Neqve crassior esse Pelagianismus potest, qvàm si hominem DEI cooperatorem in conversione suâ dicas. Optimè Augustinus: *Certum est, nos velle, cùm volumus, sed ille facit, ut velimus bonum. Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati &c.* Lib. de gratiâ & lib. arb. c. 16. extr. T. VII. p. 1315. Idem L. II. de Bono perseverantiæ c. 13. eod. Tomo p. 1276: *Nos ergò volumus, sed DEus in nobis operatur & velle: Nos ergò operamur, sed DEus in nobis operatur & operari pro bonâ volũtate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est piũ, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, &* detur totum DEO. *Cogitantes credimus, cogitantes loqvimur, cogitantes agimus, qvicqvid agimus; qvod autem attinet ad pietatis viam & verum DEI cultum, non sumus idonei cogitare aliqvid tanqvam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes.* Qvæ brevissimè eod. libro c. 6. p. 1269. sic extulit: *Tutiores vivimus, si totum DEO damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Locus *I. Cor. III, 9.* qvi ex interpretatione *Estii*, *Bened. Justiniani*, *Corn. à Lapide* de operâ ministeriali

& I. Cor. III, 9.

nisteriali Doctorum Ecclesiæ, qvam in ædificatione auditorum ponunt, loqvitur, incongruè ad sociam DEI & hominis in propriâ conversione operam abripitur: qvam detorsionem & Balduin. *ad I. Cor. III P. I. qv. 5 p. 312.* Gerhard. *Tom. IV. Conf. Cath. p. 576.* Hülsem. *contra Hager. Disp. XVI. q. 2. §. 6. p. 678.* Eckhard. *Tom. II. Giessens. Disp. XV. § 119 p 631.* Chamier. *Tom III. Panstr. L. 3. c. 14. §. 5. p. 33.* aliiq; notarunt.

(3.) *ex Ro. XIII, 8 & I. Joh. II, 4.*

(3) Pauli *Rom. XIII, 8.* & Johannis, *I. Ep II, 4.* verba miscet: *Qvi diligit, Legem implevit.* Et: *Qvi dicit se nosse DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Ad qvæ facilis responsio est. (α) Qvalis dilectio, talis impletio. Qvi diligit, is eo perfectionis gradu, qvo diligit, Legē implet. (β) A sincerâ & ἀνυποκρίτῳ præceptorum divinorum observantiâ ad perfectam & absolutam impletionem N. V. C. Conf. Balduin, *phosph. L. XII. c. 5. p. 1108.*

(4.) *Phil. IV, 13.*

(4.) Paulina professio Phil. IV, 13: *omnia possum in eo, qvi me confortat*: de tolerantiâ adversorum loqvitur, ad qvam *vers. 11. & 12.* ipse restringit; qvam si ad alia qvævis objecta extendas, fortè & novum mundum creare poterit Apostolus. Qvi si maximè illa *omnia* ad impletionem Legis voluisset extendi, non diceret tamen se *cum* Christo, sed *in* Christo omnia posse, in qvo

sanè

ſanè Legem implemus, Satanamq; ac mundum vincimus. Vid Balduin. *contra Pazmann.p.*1109. Winckelm. *T. III. Giesſ. Diſp. XIV.* §.*88.p.430.* Rivet.*C. O.tr.4.q.5.*§ 3.*T.III. Opp p.*414. item Stegmann.*Diſp. XLII. anti-Photin.p.490.* Thumm. *impiet.Photin. p.336.* Scherzer. *anti-Socin.p.303.*

(5.) Finem Electionis urget, qvi *Epheſ.I,4.* definitur: *ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu DEI.* Sanctitas hic vel *imputata*, vel *inchoata*, vel *conſummata* intelligitur. *Illa* ut in Chriſto perfectisſima abſolutisſimaqve eſt, ita dum per fidem noſtra fit, ſanctos & omni planè maculâ ac nævo carentes coram DEO nos conſtituit. *Iſta* imperfecta qvidem per carnis infirmitatem manet. Obtegente tamen maculas Chriſti ſanctitate ac merito ſancti ac immaculati reputamur coram DEO puritatem illam non ſecundum ἀκριβοδικαιον Legis, ſed κατ᾽ ἐπιείκειαν Evangelii æſtimante. *Hæc* (qvæ ad ultimum finem electionis, ut ſanctitas imputata & inchoata ad intermedium ſpectat) abſoluta & omnibus modis inculpata erit. Qvamcunqve intelligas, (& conjungi optimè omnes ſanctitatis ſpecies poſſunt,) non ſeqvetur perfecta legis in hac vitâ impletio. (5.) *Ex fine Electionis, Eph.I,4.*

(6.) Addit Maſenius poſtremò ex Scripturis *exempla* eorum, qvos impleviſſe Legem ipſe putat: utpote Davidis, de ſeipſo (6.) *Ex exemplis Davidis,*

Zachar. & Elisabethæ: ipso *Psalm.CXIX.* professi, qvòd *currat viam mandatorum DEI, & legem ejus custodiat in corde suo*: nec non Zachariæ & Elisabethæ, *incedentium in omnibus mandatis & justificationibus DEI sine querelâ*, Luc.I. Planè ut olim Critobulus Attico apud Hieronymum *L.I. dialog. contra Pelag.* objectabat: *Qvid ultrà differo? Scripturarum autoritate vincendus es. Ut cætera intermittam; nonnè his duobus testimoniis tibi imponetur silentium, in qvibus Job, & Zacharias Elisabethá laudantur?* Ut Pelagius *commemorabat eos, qvi non modò non peccasse, verùm etiam justè vixisse referuntur, Abel, Enoch,* &c. teste Augustino *de Nat. & Gratiâ c.36 princ.* Qvorum chordâ & Arminiani oberrarunt *apolog.c.17.* (Tom. II.Opp.Episcopii P.II.p.188.) ipsiqve Sociniani. Sed qvod antiqvioribus illis hæreticis Patres Ecclesiæ Veteris, (de qvibus Vossium Lege *Historiæ Pelag. L.V. P.I. antith.I p.462. sqq.*) recentioribus Doctores nostri responderunt: (vid. Calov. *Arm.p.294. 426.* & *Tom.I. Bibl. illustr. V.T. p.563.* item *annot.ad Matth.XXII,37.* Schertz. antiSoc.p.741.) idem & nos Masenio; non *absolutam* & qvalis in Lege reqviritur, sanctitatem, sed *comparatam* his tribui, ac sinceritatem potiùs commendari pietatis, qvàm accuratam impletionem Legis, qvæ à nemine mortalium speranda est. Sanè in ipsis illis Sanctis, gravissimos lapsûs, ut Da-

ad qvæ resp. ex mente Augustini.

vidis

vidis adulterium & arrogantiam in numerando populo, Zachariæ incredulitatem, qvâ, ut obmutesceret, meruit, ideò consignasse Spiritus Sanctus videtur, ut intelligeretur, neminem, qvantacunqve fulgeat sanctitatis laude, culpâ omni vacasse, præter unum illum Pontificem nostrum ab omni peccatorum consortio segregatum! *Ebr. VII, 26.* Atqve eadem Augustino mens, cùm ad hos similesqve locos objectos à Pelagianis *lib. de perfect. justitiæ,* Tom. VII. p. 1428: *Aliud est, esse sine peccato, qvod de solo in hac vitâ unigenito dictum est; aliud, esse sine qverela, qvod de multis justis etiam in hac vitâ dici potuit: qvoniam & qvidam modus bonæ vitæ, de qvo etiam in istâ humanâ conversatione justa qverela esse non possit. Qvis enim justè qveritur de homine, qvi nemini malè vult, & qvibus potest, fideliter consulit, nec contra cujusqvam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & tamen eo ipso, qvod verum dicit, dimitte, sicut & nos dimittimus, sine peccato se non esse declarat.* Et de ipsis illis Conjugibus sanctis *ibid. p.* 1434. respondet breviter: *Justi illi ambo utiq; legerant inter ipsa mandata,* (in qvibus incedebant sine qverelâ,) *qvemadmodum sua peccata mundarent: nam Zacharias, qvod de omni Sacerdote ex hominibus accepto in Epistolâ*

stolâ ad Ebræos dicitur, etiam pro suis peccatis utiq; hostias offerebat. Qvod pleniùs deducit *lib. II. de peccatorum meritis & remiss. c. 10. & 13. T. VII. p. 696. 699. 700.* Satius est, Ipsum ibi legi B. Patrem, qvàm à nobis hîc describi. Non possum tamen, qvin luculentissimam ejus responsionem ex *L. I. de gratiâ Christi contra Pelag. c. 48. Tomo eod. p. 787.* huc apponam. *Dictum est*, ait, *qvantum mihi videtur, secundum qvandam inter homines conversationem probabilem atq; laudabilem, qvam nullus hominum justè posset in accusationis & criminationis qverelam vocare. Qvam propterea in Dei conspectu Zacharias & ejus uxor habuisse referuntur, qvia in eâ homines nulla dissimulatione fallebant, sed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis DEI. Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiæ, in qva verè atq; omninò perfecti immaculatiq; vivemus. Nam & Apostolus Paulus dixit, secundum justitiam, qvæ ex Lege est, se fuisse sine qverela: in qvâ lege etiam Zacharias sine qverela conversabatur. Sed hanc apostolus justitiam in stercoribus & detrimentis deputavit* &c. Ergò qvodcunq; sancti hominis proferas exemplum, qværemus cum Augustino è *c. 36. de Nat. & Grat.* p. 747. T. VII: *Si omnes illos sanctos & sanctas, cùm hîc viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, qvid fuisse responsuros putamus: utrum*

trum hoc qvod iste dicit,(Pelagius, Celestius, Masenius?) *an qvod Johannes Apostolus? Rogo vos, qvantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis , si hoc interrogari potuissent, unâ voce clamassent* : Si dixerimus, qvia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *An illud humiliùs responderent fortè , qvàm veriùs? Sed huic jam placet, & rectè placet, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaq; hoc si verum dicerent, haberent peccatum, qvod humiliter faterentur, qvia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur , nihilominus haberent peccatum, qvia veritas in eis non esset.*

Intelligis hinc, Bone Lector , & qvid respondere ad objecta exempla debeat , & qvæ mens fuerit B. *Augustino*. Ut mirari oporteat Masenium, qvi velut complicem erroris ipsum allegare sustinuit : licèt & impugnet illum ubiqve , & in Mileviranâ Synodo cum cæteris Patribus anathema dicat in eos , qvi ullum hominem peccato caruisse sentirent. Lege *canonem VI, VII & IIX*. istius Concilii, apud Binium *Tomo I.p 599.600*. Expendamus ergò loca , qvæ huc torqvet Jesuita noster.

(7) *Ex Augustino* : *ad cujus objecta testimonia*

Primùm cap.6. de gratiâ & lib. arbitrio citat , indeq; sic loqventem Augustinum producit. *Certum est , nos mandata ser-*

[illegible]

[illegible] volumus, qvia præparatur voluntas à Domino. Ab eo tantùm petendum est, ut velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus, de qvo dictum est: à Domino gressûs hominis dirigentur, & viam ejus volet. Augustini an hæc verba sint, nescio. Hoc scio, eo loco, qvem citat Masenius, non haberi. Ac transmittere adeò poteram, donec in alio Augustini loco demonstret nobis Masenius, qvod frustrà inqvirat Lector eo loco, qvem citat ipse. Qvod ubi fecerit, expendemus, annon, qvod alios illius textûs crepantibus Arminianis reposuit sæpiùs laudatus nobis Præceptor noster, D. Abr. Calovius *c. XVII. Arminianismi §.68. p. 416.* huic etiam loco aptari debeat. *Legis impletionem intelligit* (Augustinus, sicubi videatur possibilem renatorum ἀναμαρτησίαν defendere,) *non qvoad omnimodam positionem & partium & graduum in Lege reqvisitam κατ' ἀκριβοδίκαιον, ita enim nemo implere eam potest in hac vitâ, ut antea fassus est S. Augustinus. Eatenus namq; omnis defectus, etiam graduum perfectionis reqvisitorum ἀνομία est, adeoq; peccatum; sed qvoad perfectionem partium, & qvidem κατ' ἐπιείκειαν.*

Deinde ex cap. 9. de Grat. & lib. arb. ista adjicit: *Non enim, qvia dixit: DEus operatur in nobis velle & operari pro bonâ voluntate, ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est: qvod si ita esset, non superiùs dixisset: Cum timore*

timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Qvando enim jubetur, ut operentur, liberum ipsorum convenitur arbitrium. Negat Augustinus, liberum arbitrium, ut ipsam animæ potestatem illam notat, qvâ bonum malumve eligimus, in conversione penitus aboleri, (in qvam sententiam & *L.XIV.deC.D.c.11.* contra Manichæos disputat;) at vires illius habitudinemqve ad spiritualia nullam esse in conversione alibi testatur. Cæterùm post conversionem liberum arbitrium per vires in regeneratione acceptas cooperari Spiritui Sancto, nemo nostrûm negat.

Porrò è cap. penult. de Nat. & Gratiâ: *Eo ipso, qvo firmissimè creditur, DEUM justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, qvid agamus & in difficilibus, qvid petamus. Omnia qvippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est. Secundum hoc dictum est: & præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret, non potuisse divinitus dici, gravia non sunt, nisi qvia potest esse cordis affectus, cui gravia non sunt, & petat, qvo destituitur, ut impleat, qvod jubetur. Conversus ergò qvisq; sicut ibi præcipitur, ad Dominum DEum suum, ex toto corde suo, & ex tota animâ suâ, mandatum DEI non habebit grave. Qvomodo est enim grave, cùm sit dilectionis mandatum? Aut enim qvisq; non diligit, &*

ideò grave est, aut diligit, & grave esse non potest. Respondeo (1.) *Impossibilia* in se & *ex naturâ suâ* si præcepisset DEUS, justitiæ ac bonitati ejus multum omninò decederet. Jam non modò in statu integritatis, cùm DEUS ferret primùm inscriberetqve hominum cordibus Legem, impleri illa poterat per naturæ vires, ob qvarum voluntariam amissionem non tenetur DEUS mutare Legem suam; sed hodieq; tum in Christo impletur, tum in renatis impleri incipit, ita tamen ut plena impletio in alterâ demum vitâ sit speranda. Atq; sic ipse Augustinus hanc rem explicat *c. 36. de Spiritu & literâ*, qvem locum suprà retulimus. Qvare utrumq; rectè & ex mente Augustini dicitur: & possibilia impletu esse præcepta divina, & impossibilia. *Possibilia* ratione impletionis imputatæ & inchoatæ; *impossibilia* verò, si de impletione perfectâ & absolutâ intelligas, in alteram vitam differendâ. (2.) Jugum, qvod *Matth. XI, 30.* leve appellat Christus, non de *Lege*, qvæ jugum ἀβάςακτον est, *Act. XV, 10.* sed de *cruce* (confer. *II. Cor. IV, 17.*) exposuit Augustinus, ubi literalem sensum scrutabatur. Vid. *Serm. XLVIII. de temp.* T. X. p. 677. & *Serm. IX. de verbis Dom.* p. 33. eod. Tomo. Qvod si maximè ad legem moralem trahas, (qvanqvam ea Mosis potiùs jugum, qvàm Christi est,) non *in se*, sed κατ' ἄλλο levem eam dixerit

Obiter Matth. XI, 30. explicatur.

xerit B. Pater, qvatenus renatis non imputatur illius prævaricatio, & ipsi præterea spontaneo spiritu illi obedientiam, licèt per infirmitatem carnis, imperfectam præstant, *Rom. VII, 22. Tit. II, 14.* qvo sensu & mandata Christi minimè gravia credentibꝰ Johannes *I. Ep V, 3.* dixit. Vid. Gerh. *analect. ad Matth. l.c. p. 614.* & *L. de Lege DEI* §. *191. 192.* Stegmann. *antiphot. p. 732.* Calov. *Arm. c. 17. §. ult. p. 427.* Walther. *Harm. Bibl. p. 1346.* Scherzer. *antiSoc. p. 368.* Chamier. *panstr. T. 3 L. 11. c. 2. § 9. sqq.* Rivet. *C. O. 4, 5, 5. T. III. Opp. p. 414.* &c.

Postremò ex cap. 15. de gratiâ & lib. arb. ista profert: *Meminerimus, DEUM dicere, convertimini, & vivetis, cui dicitur: Converte nos DEUS. Meminerimus dicere: projicite à vobis omnes impietates vestras; cùm ipse justificet impium. Meminerimus dicere: facite vobis cor novum & spiritum novum, qvi dicit: dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis. Qvomodo ergò, qvod dicit: facite vobis, hoc dicit: dabo vobis? Qvare jubet, si ipse daturus est? Qvare dat, si homo facturus est? nisi, qvia dat, qvod jubet, & adjuvat, ut faciat, qvod jubet?* Eqvidem, qvomodo ex his verbis conseqvatur, posse Legem DEI in hac vitâ perfectè impleri, non intelligo. Hoc ostendunt unicè, DEO in conversione hominis omnia es-
se,

se ascribenda; hominis esse, non resistere, & post conversionem DEO cooperari. *Dat DEUS, qvod jubet*, ait Augustinus, scilicet, ut Christus surgere mortuum jubens, in qvo nulla surgendi vis, dat sine ullâ mortui cooperatione, ut surgere possit. *Adjuvat* deinde, *ut faciat homo, quod jubet*, dum Legem ex viribus desuper acceptis, licèt pro modulo infirmitatis hujus implet. Qvid aliàs activæ hujusmodi phrases in negotio conversionis importent, qvibus id exigit DEUS ab hominibus, qvod sibi in solidum vindicat, legatur apud Gerh. *L. de Lib. arb.* §. 82. Balduin. *Tom. III. Disp. Witteb. IV.* § 112. p. 232. Calov. *Tom. I. Bibl. illustr. Vet. Test.* p. 572. Walther. *Harm. in* I. *Thesf. I, 9* p 1198. Confer omninò de Augustini sententiâ pleniùs intelligendâ Chemnitium *Exam. C. T. P. I. p* 121. *sqq.*

PUNCT. III. p. 98-101.

De causâ justificationis

An per solam Christi justitiam fide apprehensam ita obtegantur peccata, in nobis relicta, ut propter illam nobis imputatam peccata non imputet, sed per gra-

gratiam suam remittat? Ita Masenius qværit, & ita sentire Protestantes, ait. Et ita sentiunt sanè, inqve illâ peccatorum obtectione seu non-imputatione, & qvæ cum eâ necessariò conjuncta est, (uti cum injectione vestis obtectio nuditatis) imputatione justitiæ Christi agendo & patiendo nostrâ vice ac bono præstitæ ipsam justificationis formam constituunt, Scripturâ duce; qvæ nullibi infusionem justitiæ inhærentis, sed unicè actum judicialem DEI peccata gratiosè remittentis, & justitiam Christi peccatori cuivis, qvi verâ fide illam apprehendit, imputantis commemorat, cùm de justificatione sermo est. Vel qvæ Masenius allegat, Scripturæ dicta tam luculenter hoc conficiunt, ut ipse nihil ad ea respondens, testimonium veritati silentio illo suo perhibere videatur. Rectè Davidis è *Psalmo XXXII, 1.* μακαρισμὸν allegat, qvi interprete Apostolo *Rom. IV, 6.* *beatitudinem hominis, cui DEUS imputat justitiam absq; operibus*, explicaturus: *beati*, inqvit, *qvorum remissæ sunt iniqvitates, & qvorum tecta sunt peccata.* Unde Paulus colligit: *Ei, qvi non operatur, credit autem in eum, qvi justificat impium, imputari fidem suam ad justitiam.* Rectè etiam & ex mente nostratium urget Masenius oppositionem Christi & hominum peccatorum *II. Cor.*

I. Thesis nostra, ejusq; fundamenta;

Psalm. XXXII, 1.

II. Cor. V, 21. Cor. V, 21. institutam: *Eum, qvi non noverat peccatum, fecit* (DEUS) *pro nobis peccatum*, hoc est, insignem peccatorum omniqve peccaminosâ qvalitate velut obductum, (vid. Glass. *L. III. Philol. Sacr. tr. 1. can. 7. p. 394.*) non sanè inhæsivè, sed per imputationem, & ad eum modum, qvo hostia piacularis Veteris Testam. חטאת *peccatum* vocabatur, qvatenus sustinebat sibi impofita hominum peccata & imputativè erat immunda, *Levit. IV, 29. V. 6. Psalm. XL, 7. Esa. LIII, 10. ut nos efficeremur justitia DEI* (h. e. insigniter justi coram DEO; non in nobis, sed) *in Christo*, & per imputatam illius justitiam. Qvemadmodum & Augustinus *enchir. ad Laur. c. 41. T. III. p. 167.* exposuit: *Ipse ergò peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed DEI simus; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qvâ crucifixus est, demonstravit.*

I. Cor. I, 30. Rectè deniq; verba Pauli è *I. Cor. I, 30.* huc refert: *factus est nobis sapientia à DEO, & justitia, & sanctificatio & redemtio, ut qvemadmodum scriptum est: qvi gloriatur, in Domino glorietur*, nec sibi qvicqvam tribuat. Si Christus nobis factus justitia, utiqve ipsius justitia per fidem nobis imputatur, qvod jam in Vet. qvoqve Testam. testatum DEus fecit. *Hoc est nomen, qvo vocabunt eum: Jehova*

Jehova justitia nostra, Jerem. XXIII, 6. XXXIII.16. Quæ verò sit piorum in Domino gloriatio, ex *Esa. XLV, 24.* discimus: *In Domino, dicet* (pius qvivis,) *meæ sunt justitiæ. In Domino justificabitur omne semen Israël.* Unde rectè infert Paulus *Rom. III, 22. sqq: Justitia DEI per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qvi credunt in eum. Non enim est distinctio: Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI. Justicantur autem gratis per gratiam ipsius per redemtionem, qvæ est in Christo Jesu, qvem proposuit DEUS propitiatorium per fidem in sangvine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, per remissionem præcedentium delictorum: ut sit ipse justus & justificans eum, qvi est ex fide Jesu Christi. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus Legis.* Idem Apostolus *in Christo inveniri* vult, *non habens suam justitiam, qvæ ex Lege est, sed illam, qvæ est ex fide Christi, qvæ ex DEO est justitia in fide*: Phil.III, 9. Plura præter hæc à Masenio adducta Orthodoxiæ nostræ fundamenta non addo, ex Gerh. *L. de justif. §. 198. sqq.* Meisn. *Disp. XXVII. anthropol.* & aliis petenda copiosiùs. Satis nobis est, ad ista etiam obmutuisse Masenium. *Rom. III, 22. sqq.*

Cujus jam videnda antithesis. *Verùm Catholici*, ait, *hæc eo sensu admittunt omnia: ut vi solius justitiæ Christi nos redimentis, non solùm peccata nobis extrinsecâ condonatione* *II. Antithesis Maseniana.*

 natione

natione DEI remitti asserant; sed præterea intrinsecus hominem in animâ emundari, & per habitûs supernaturales fidei, spei, charitatis, aliarumq; virtutum infusos divinitus ornari, adeoq; sanctis DEO placere operibus, & in novum hominem mutari affirment. Si nihil aliud Romanenses dicerent, qvàm virtute meriti Christi non tantùm peccata nobis remitti, verùm etiam nos virtutibus DEO placentibus exornari, inqve novos homines mutari; eqvidem non dissentirent à nobis, qvi utrumqve beneficium, justificationem putà & renovationem merito Christi tribuimus: ac vana esset eâ parte Maseniana collatio orthodoxæ cum Pontificiâ sententiæ. Sed est solenne hoc Papistis artificium, ut in præsenti controversiâ statum sollicitè involvant. Pallianda enim propter simpliciores est impietas, qvam candidius & velut remoto velo prodiderant Scholastici antiqviores, ut jam olim Chemnitio nostro observatum, *Exam. Conc. Trid. de justif. p. 129.* & *P. II. Loc. de justif. c. 2. p. 619.* Scilicet hoc agitur, ut renovatio cum justificatione confundatur, adeoqve opera nostra negotio salutis immisceantur, confundatur Lex & Evangelium, meritum Christi evacuetur, peccata non remitti per Christi justitiam, (qvam animam justificationis passim Scriptura facit;) sed eradicari penitus fingantur, nosq; per justitias nostras justi

sti ac salvi fieri dicamur, & qvæ alia Scripturæ ac honori Salvatoris nostri manifestè repugnantia dogmata sub hoc cothurno occultat Masenius. Cujus argumenta omnia, & qvicqvid restat in *hac consideratione*, eò tendunt, ut demonstret, non justificari nos coram DEO per solam Christi justitiam fide apprehensam, (qvæ thesis erat nostratium,) sed per infusas inhærentesqve nobis virtutes. Videamus ergò qvid pro hâc antithesi suâ afferat.

III. Responsiones ad argumenta Masenii:

(1.) Ab oppositione lapsûs Adamitici & restitutionis per Christum argumentatur. *Si unius delicto multi mortui sunt (justitia Originali, homini intrinsecâ, per peccatum amissâ,) multo magis gratia DEI & donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Nam sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi (non solâ imputatione alterius delicti, sed etiam ablatione bonorum internorum gratiæ,) ita per obedientiam unius justi constituentur multi*, Rom. V, 15. 19. Fraudem mutilationis & intercalationis suprà in examine instructionis (p. 14. 15.) notavimus. Hîc illud modò repeto: Collationem, qvam Apostolus inter peccatum & gratiam seu justitiam Christi institutam volebat ratione *effectûs* & *subjectorum*, (qvòd scil. utrinqꝫ multi, ibi injusti per peccatum, hîc justi evaserint per gratiam;) perperam & contra inten-

(1) ab oppositione lapsûs Adamitici & restitutionis per Christum.

intentionem Apostoli ad *modum* extendi, qvod C. Mussus etiam observavit. Hoc verò si liceat, qvid fuerit, qvod in hac glossâ suæ simillimâ desideraverit Masenius? *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, (non solùm per imputationem alterius delicti, sed etiam per naturalem propagationem,) *ita & per obedientiam unius justi constituuntur multi.* Qvod haut dubiè absurdissimum est. Ad. de, si placet, vindicias hujus loci apud Balduin. *in Rom. V.P.II.qv.9.* Gerhard. *tom. ult. C.C.p.717.* Meisner. *anthropol.Disp. XXVIII, §.48.* Calov. *Exeg. Aug. Conf. art. IV. c. 8. §.13.* & *Theol. Apostolico-Rom. Orac. XLV, §. 13.*

(2) Ex Rom. V,5. diffusa charitas &c.

(2.) Phrasin Paulinam urget eod. cap.v.5: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Pone verò de infusâ charitate DEI *passivâ*, hoc est, qvâ à nobis DEUS diligitur, Apostolum loqvi: num per & propter illam charitatem nos justificari dixit? Qvi id potiùs totâ hac epistolâ agit, ut omne opus nostrum, qvale sanè esset hujusmodi charitas, ex justificationis negotio excludat. Sed præterea & scopus Apostoli, certos reddere cupientis Christianos jam per fidem justificatos, de pace apud DEUM & spe gloriæ cœlestis, argumento à charitate DEI, qvâ motus Filium suum dederat, petito, & manifesta *in versû 8.* declaratio, ubi hæc charitas dicitur

ἀγα-

ἀγάπη εἰς ἡμᾶς, *charitas erga nos*, & alia plurima demonstrant, de *activâ* charitate DEI, qvâ ipse nos dilexit, sermonem esse, *effusâ*, h. e. largissimè exhibitâ & copiosè se exerente *in cordibus nostris*, tanqvam subjecto operationis, non inhæsionis, *per Spiritum Sanctum*. Hujus veritatem expositionis post Patrum plerosqve, *Chrysostomum*, *Hieronymum*; *Ambrosium*, *Theophylactum*, *Sedulium*, *Oecumenium* &c. præstantissimi inter Pontificios interpretes ipsi, *Cajetanus*, *Toletus*, *Ben. Justinianus* aliiqve (qvorum verba ap. Gerh. *Tomo IV. Conf. Cath. p. 489*) agnoverunt, & nostrates invictè demonstrarunt, è qvibus inprimis Höpffner. *Disp. IV. de justif. aph 4. p. 250. sqq.* Balduin. *Comm. h. l. P. I. q. 5. p. 99.* Gerh. & Weller. *annot. h. l.* Calov. *Orac. XLI. Theol. apost p. 153.* & è Calvinianis Chamier *Tom. III. Panstr. L. 21. c. 2. §. 35. sqq.* Rivet. *C. O. IV, 2, 8. p. 381. T. III.* evolvere conduxerit: qvi præclarè nebulas huic textui à Pontificiis offusas dispulerunt.

(3.) Paulinam adhortationem profert ex Eph. IV, 21: *Nec frustrà nos Paulus ad perficiendum interiorem hominem excitat. Si, inqvit, Christum auditis & in ipso edocti estis, deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qvi corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem*, — (3) *Ex Eph. IV, 21.*

nem, qvi secundum DEUM creatus est, in justitiâ & sanctitate veritatis. *Stulta* (subjicit Masenius,) *admonitio, si vetus homo deponi neqveat, desideria prava vitari, mens renovari, indui novus homo, justitia sanctitasq; animæ amissa non possit reparari.* Concedimus hæc omnia, Maseni. Dummodò adhortatio apostolica de renovatione hominis *justificati* loqvens, qvæ succesiva & imperfecta est in hac vitâ, ad infusionem sanctitatis perfectæ momentaneam in animã hominis *justificandi* non abripiatur.

(4.) Ex præceptione bonorum operum: qvæ peccato infecta

(4.) Bonorum operum præceptionem *p.* 100. huc applicat: *Qvomodo imperari atq; exigi à DEO ad salutem poterunt justitiæ illæ, qvæ ob sordes peccati abominandæ comparantur panno menstruatæ? An hæc DEO placere titulo aliqvo possunt, ut sordes non imputet, & opus naturâ suâ mortiferum, qvodq; extremè odit, adeoq; velle non potest, imperet, hoc est, velit simul & nolit?* Meræ strophæ. (*a*) *Ad salutem* imperari justitias illas, qvæ pannis sordidissimis *Esa. LXIV, 6.* comparantur, nemo orthodoxorum docet. Hoc potiùs ipso illo loco indicari censemus, justitias nostras longissimè ab eâ, qvam DEUS Lege suâ reqvirit, justitiâ, abesse. Itaqve (β) aliter de voluntate DEI *legali*, aliter de *evangelicâ* loqvendum. *Illa* ad salutem exigit perfectissimam divinæ legis observantiam, ut diligatur DEUS

DEUS ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus,&c. *Deut.VI,5. Luc. X,27.* & maledicit ei,qvi non manserit in omnibus verbis Legis hujus, *Deut.XXVII,26.Gal. III,10.* *Hæc* verò nullum omninò opus poscit ad salutem,sed unicè fidem, qvæ Jesum apprehendat,reqvirit: *Crede in Dominum Jesum, & salvus eris: Act XVI,31.* (γ) *Placent* interim *DEO* bona opera fidelium, licèt peccatis contaminata, *qvatenus bona* sunt,h.e. qvatenus DEUS Spiritu suo ea in nobis operatur,qvatenus ex fide fiunt, qvatenus Legi congruunt, qvatenus gloriam DEI proximiqve salutem spectant; non qvatenus peccato tum ob adhærentem defectum, tum ob concupiscentiam in carne reliqvam contaminata. Qvare (δ) *opus* ipsum divinitus præceptum (qvod, absit, ut naturâ suâ mortiferum, aut in odio apud DEUM esse,dicamus.) ab *adhærente imperfectione* & ἀταξίᾳ probè distingvendum est. Hæc enim (ε) licèt in se peccatum sit exosum DEO, tamen cùm persona per fidem DEO reconciliata est, gratiosè à DEO tegitur & non imputatur. Breviter: *Exigitur & approbatur à DEO bonum opus; imperfectionem impuritatemq; addit carnis infirmitas,qvam tegit Christi justitia, & DEI miserentis benignitas.* Conf. Gerh. *L.de Bon. oper.§.39.40.81.* Frustrà autem,imò impiè absurditatem & blasphemiam, non tam ex nostrâ,

quomodo placere DEO,

noſtrâ, qvam Spiritûs S. ſententiâ **deducit**: *Qvid, obſecro, ejusmodi præcepto* ***bonorum operum*** *ſpectat, qvod vel tyrannicum,* ***vel ſtultũ****, vel etiam nullum eſt? Tyrannicum* ***qvia impoſſibilia*** *præcipit; ideoq́; & nullum,* ***qvia ad*** *impoſſibilia nemo obligatur: ſtultum* ***verò****, qvia illud præcipit, cui neceſſariò* ***malum annexum*** *eſt, qvod averſatur.* Impiè hæc talia proferri dixi. Præcepta enim DEI, qvæ norma ſunt bonorum operum eam perfectionem juſtitiæ exigere, qvæ â nemine præſtari poſſit, tum ipſorum conſideratio, tum clara ſcripturæ teſtimonia, qvæ neminē perfectè implere illa poſſe aſſerunt, ad *conſid. præc.* annotata, irrefragabiliter evincunt. Judice ergò Maſenio *tyrannica, ſtulta, nulla* ſunt. Et qvid de irregenitis dicet, qvi gratiâ, per qvam impleri legem poſſe fingunt Jeſuitæ, non ſunt inſtructi, nec minùs tamen, qvàm renati, lege obligantur? Num & illorum reſpectu *tyranna, ſtulta, nulla* (vah Jeſuiticam impietatem!) Lex erit? Ita nimirum Pontificii ſanctiſſimam DEI legem, cujus acerrimi propugnatores videri volunt, blasphemant & conviciis proſcindunt. Nobis neq́; *tyrannicum* videri poteſt præceptum, cui facilè & absq́ve omni moleſtiâ ſatisfieri potuit ab homine, per cujus culpam & voluntariè contractam ἀδυναμίαν nihil rigori divinæ Legis & juſtitiæ decedit: neq́ve *nullum*, qvippe ſunt,

atq́; ab ipſo præcipi poſſint, explicatur:

non absolutè & simpliciter, sed homini tantùm Lapso impossibilia præcipiens, & velut debitores, qvi suâ culpâ solvendo non sunt, debiti admonens: neqve *stultum*, qvasi illud præciperet, cui necessariò malum annexum esset. Non enim operi ipsi, qvatenus in lege præcipitur, annexa malitia, sed ab hominis vitio accedit. Neqve est, qvòd regerat (pag. ead. 100:) *Vel enim bonum tantùm imperat, & hoc irritum est, cùm præstare nemo possit: vel malum exigit, & sic autor bonorum erit etiam autor malorum, qvod à summâ bonitate alienissimum est.* Lex enim verò sancta est, teste Apostolo, ac bonum tantùm imperat; infirmatur verò per carnem, *Rom. VII, 12. VIII, 3.* Nec tamen ideò irrita censeri debet. Neqve enim hoc consilio repetita inculcataqve post lapsum hominibus est, ut homines per illius exactam impletionem vitam æternam promererentur, sed ut ex eâ esset agnitio peccati, *Rom. III, 20. VII, 7.* ut pædagogus esset ad eum, qvi nostro loco ac bono legem implevit, *Gal. III, 19. Matth. V, 17.* ut norma extaret bonorum operum, in qvibus renati perpetuò ambulare debent, *Ezech. XX, 19.* Convenit autem normam in qvovis genere perfectissimam esse. Atqve sic ab *Augustino* qvoq; Pelagianorum huic argumento satisfactum superiùs cognovimus *p. 407.* In gratiam Masenii, cui controversiarum judicium ad Augusti-

ac Legis post lapsũ finis vindicatur

gustinum devolvere placuit, adjiciamus ad qvinq; ibi recitata loca, & ista. Sic ergò B. Præsul ad Optatum Epist. LVII. T. II. p. 710: *Danda fuerat lex, qvæ manifestiùs sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animo humanus à seipso se posse esse justum, putaret, & ignorans DEI justitiam, id est, qvæ homini ex DEo est, & suam volens constituere, id est, qvasi suis viribus partam, justitiæ DEI subjectus non fieret. Oportebat itaq; ut addito mandato, cujus vox est: non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atq; ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas qværeret.* Epist. CC. ad Asellicum, Eod. Tomo p. 816: *Hæc est utilitas Legis, qvia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, & videat, qvemadmodum per prohibitionem augeatur potiùs carnalis concupiscentia, qvàm sanetur.* Idem Augustinus aliqvoties de hoc Legis usu in *lib. de Spiritu & literâ*, qvi *Tomo III.* habetur, eruditè disseruit. Ut cap. 9 p. 811: *Per legem ostendit* (DEUS) *homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens, sanetur.* &c. Eandem in sententiam *c. 13. c 17.* & alibi. *Data est lex hominibus, non qvæ salvaret eos jam, sed per qvam cognoscerent, in qvâ ægritudine jacebânt. -- Data est lex, ut ægrum de morbo convinceret, qvi sibi sanus videbatur: ut peccata demonstrarentur,*

ad mentem Augustini.

tur, non ut auferrentur: Scribit Idem Enarrat. in Ps. LXXXIII. T.VIII. p. 922.

(5.) Protestantes ex suismet hypothesibus convincere vult Malenius: *Deniq; hac doctrinâ Protestantes non tantùm bonorum operum studium à Christianis auferunt, præceptaq; novæ Legis destruunt; verùm etiam ipsammet fidem, qvam necessariò bona opera, tanqvam fructûs bonos consequi tradunt, evertunt: juxta illud Christi monitum* Matth. VII, 17. *ubi de falsis prophetis hæreticisq; dignoscendis agens, à fructibus, inqvit, eorum cognoscetis eos. Nam omnis arbor bona fructûs bonos facit, nec potest malos fructûs facere.* Transeat (α) calumnia, tolli per nos studium pietatis, suprà notata *Exam. p. 77. sqq.* Ad rationes respondeo. (β) *Præcepta novæ Legis* qvæ intelligat, aut qvomodo illa per nos destruantur, declarandum erat. Si cum Photinianis & Arminianis, ut alii Jesuitæ, addita veteribus à Christo nova præcepta intelligat, dudum est, cùm nobis ferias fecerunt Theologi in profligando pestilenti illo errore sedulò occupati. Vide è multis Menzer. *Exeg. A C art. 20. n. 5. p. 819. seqq.* Balduin. *T. III. Disp. Witteb. D. III. §. 156. sqq. p. 167* & *Comm. in Zach. p. 598.* Gerhard. L. de Evang. §. 67. Danh. *Tom. I. Hodom. Pap. p. 1021. 1037. sqq.* Calov. *Socinism. VI. 2, 1. p. 289. sqq. Arminianism. p. 311. 328. 349. sqq.* Scherzer. *anti-Socin. p. 314. sqq.* Ziegler. *animadv. in Grot.*

(5) Ex absurdis nostræ sententiæ, qvasi ea evertat

Studium pietatis,

præcepta novæ Legis,

Grot. de J.B. & P. p. 27. 58. 65. 205. Zach. Ursin. *in Esa. II, 3. T. III. Opp. p. 78.* Gomar. *explic. Matth. V, 21. p. 44 sqq.* &c. Qvòd verò (γ) ipsam fidem, qvam necessariò bona opera, ut fructûs conseqvuntur, everti per hanc sententiam ait, eo insigniter Lectorem fallit, neq; ex *Matth. VII, 17.* probare potest. Est homo regenitus bona arbor, qvatenus in oleam vitæ implantatꝰ est per veram fidem, carie tamen peccati originalis infecta. *Bona* ergò arbor est, non autem perfectè bona in hac vitâ, sed *vitiosa* ex parte: bona *per gratiam*, vitiosa per *naturam*. *Non enim habitat in carne illius bonum*, Rom. VII, 18. Fructûs ergò fert partim bonos, qvatenus opera ex fide proficiscuntur, DEoqve placent propter Christum, partim labe naturæ vitiatos. Verbo: Fructûs ipsi, qvatenus à bonâ arbore sunt, boni sunt; adhæret verò illis vitium, qvatenus ab arbore non absolutè & perfectè bonâ, sed malitiâ carnali adhuc contaminatâ sunt. Qvod bonum habent, gratiæ; qvod imperfectum, eoqve vitiosum, naturæ debent. Conf. Chamier. *Panstr. Tom. III. L. XI. c. 19.* & *cap. 22. §. 16. 17.* Neqvicqvam ergò triumphum ante victoriam canit Masenius, sic pergens: *Qvòd si igitur propriâ confessione Protestantium teneamus, omnia illorum, licèt ex fide procedant, opera inqvinata esse, & labe qvidem mortiferâ, suâ quoq; sententiâ erroris damnati sunt, ac tenentur*

& ipsam fidem Matth. VII, 17.

nentur à tam sceleratâ fide, qva nil nisi malum parturit, & solâ se Christi justitiâ phantasticè obvelat, recedere. Fuistis ergò Protestantes! Ite nunc in Pontificia castra Masenia-no laqveo constricti. Bona Protestantium opera Labe in se mortiferâ inqvinata sunt, qvæ tamen (qvà bona sunt,) ex fide procedunt. Ergò fides malum operibus adhærens parturit. Gordius, si diis placet, nodus! Sed qvem pueri nostri nullo negotio solvant, qvi intelligunt, qvàm inepte & ἀπαιδεύτως è sensu diviso compositum inferas. Si inqvinatum opus esset, qvatenus ex fide procedit, obtineret aliqvid Jesuita. At dum vitium, qvod operi ab inhabitante concupiscentiâ accedit, fidei tribuit, qvæ vitium ratione reatûs tollit potiùs, (apage phantasticas de phantasticâ obvelatione speculationes!) qvàm gignit, æqvè ineptus & iniqvus est, atqve is, qvi artificem carperet, cujus opus à materiæ ingenio, aut tempestatum injuriis vitium capit, aut qvi matri morbum sobolis intemperantiâ contractum imputaret.

(6) Deniqve insulsam cramben superiùs *pag. 95. Praxeos* appositam recoqvit: *Procul igitur tanta impietas, ut (α) justitiam Christi velamentum potiùs iniqvitatis humanæ faciam, qvàm abolitionem, (β) minusq; Christi patientis meritis tribuam, qvàm demeritis peccantis Adami, & hic pecatum afferat,* (6) *Ex impietate sententia nostra:* *qvasi ea injuria sit*

rat, qvod Christus non auferat: justitiam in homine tollat, qvam Christus non reponat. Liberè (γ) *profiteor venerorq; his te verbis cum Johanne: Ecce, agnus DEI, qvi tollit peccata mundi.* Nihil hîc, cui non sit jamdum responsum. (α) Non *phantasticè velari* peccatum dicimus, sed aboleri qvoq; tum ratione *reatûs* in justificatione, (qvod *tegi* & *non-imputari* David *Ps. XXXII, 1.* dicit, incertum an ideò phantastæ titulo à Masenio ornandus:) tum ratione *dominii* in renovatione, tum ratione *inhærentiæ* in vitâ alterâ. Procul ergò à nobis tanta impietas, qvantam nobis affricare Masenius laborat. Nam (β) *nec Christi meritis minus, qvàm demeritis peccantis Adami tribuimus.* Attulit hic omne peccatum; Christus omne tollit, reatum in justificatione, ut modò dictum, dominium in renovatione, ipsam radicem in morte auferens. Restituit ergò perfectissimam justitiam in Adamo amissam; modus autem habendi variat. Adami enim injustitia naturali generatione propagatur, Christi justitiæ verissimè participes reddimur verâ fidei apprehensione. Utq; duo à peccato Adami in nos derivata sunt, pravitas & reatus: ita duo vicissim à Christo donantur; reatûs condonatio in regeneratione & justificatione, & pravitatis sanatio, in renovatione inchoata, in alterâ vitâ consummanda. Nihil ergò (γ) per nostram sententiam

in Christi justitiam

& meritū.

am professioni Johanneæ decedit. *Tollit* *Job.I,29.*
sanè Christus *peccata mundi,& emundat nos ab omni peccato*, tum peccatorum sibi impositorum pœnas sustinendo, tum ab eorum reatu nos absolvendo, tum ipsa sensim imminuẽdo, donec olim penitus ἰσάγγελοι atq; ab omni immunditiâ sangvine Christi loti coram facie DEI ac Agni compareamus.

IV. Augustini sententia (1) confirmata,

(7.) AUGUSTINI superest autoritas. Facile autem foret ostendere, ex illius sententiâ non per infusionem sanctitatis, sed per remissionem peccati & imputationem justitiæ Christi nos justificari, si humanæ potiùs autoritati, qvàm divinæ inniti vellemus orthodoxiam nostram. Sanè *L. XIX. de C.D.c.27.sub init.T. V.p.1189.* disertè sententiæ nostræ subscribit: *Ipsa qvoq; nostra justitia, qvamvis vera sit propter boni veri finem, ad qvem refertur; tamen tanta est in hac vitâ, ut potiùs peccatorum remissione constet, qvàm perfectione virtutum.* Rursum *Serm.68.de temp.* (si is qvidem, qvod Pontificii certè non negant, Augustini est) T. X. p.730: *Credidit Abraham DEO, & deputatum illi est ad justitiam. Ecce sine opere justificatur ex fide, & qvicqvid illi legali possit observatione conferri, totum credulitas sola donavit.* Idem *tract.3.in Joh.*Tom.IX.p.26: *Omnes, qvi ex Adam nascuntur cum peccato, peccatores: omnes, qvi per Christum justificati, justi, non in se, sed ex illo. Nam in se si interroges,*

terroges, Adam sunt; in illo si interroges, Christi sunt. In Psalm. XXX. Conc. I. Tom. IIX. p. 163: *Et in justitiâ tuâ crue me, & exime me. Nam si attendas ad justitiam meam, damnas me. In justitiâ tuâ erue me. Est enim justitia DEI; qvæ & nostra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem DEI justitia dicitur, ne homo se putet à seipso habere justitiam.* Et præfat. in eundem Psalm. eod. Tom. p. 190: *Si in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi qvorum remissa sunt peccata. Hoc ergò Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam. Et ei, qvi operatur, id est, de operibus præsumit, & eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

(2) vindicata.

Omitto alia. Et hæc ipsa etiam profero, non ut probem sententiam nostram, qvam in Scripturæ Sacræ fidem unicè resolvimus, sed ut de mente B. Patris constet. Cujus tribus locis, qvæ Masenius producit, satisfieri facillimè potest.

Primò ex L. VI. c. Julian. c. 11. T. VII. p. 1136. ista repetit: *Tu à vestro dogmate non recedis, qvo putatis gratiam DEI per Jesum Christum Dominum nostrum sic in solâ peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum*

ritum S. qvi datus est nobis : neq; consideras eum, qvi dicit : Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratiâ DEI per Jesum Christum. Respondeo : Qvi gratiæ divinæ in Christo fundatæ influxum in renovationem hominis defendit, (qvod & nos facimus cum Augustino,) is per solam Christi justitiam imputatam nos justificari hoc ipso non negat : neq; qvi à labe mortiferâ Apostolum juxta *Rom. VII. ult.* gratiâ DEI per I. C liberari ait, illicò inhærere membris ejus legem repugnantem legi mentis suæ, contra *Rom. VII, 23.* negat.

Deinde verba Epist. CXX. ad Honoratum c 30. T. II. p. 609 : *qvòd justitia, qvâ nos DEI munere justi sumus, non sit illa intelligenda, qvâ DEUS justus est, sed qvâ justi sunt homines, qvos gratiâ suâ justificat*, hoc tantùm volunt, formalem justificationis nostræ caussam non in justitiâ DEI essentiali, sed imputatâ Christi justitiâ qværendam esse : qvemadmodum *L. I. contra Pelag. & Celest. de gratiâ Christi, c. 47. T. VII. p. 787.* explicat. *DEUS*, scribens, *nos suâ, non nostrâ justitiâ justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, qvæ nobis ab illo est.* De inhærente enim apertissimè negat Serm. 6. de verbis Apost. Tom. X. p. 278 : *DEus Pater eum, qvi non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia DEI in ipso. Videte duo : justitia DEI, non nostra ;*

in ipso, non in nobis. Cæterùm qvia Masenio vel typographus per errorem ex Epistolâ Augustini ad Honoratum *caput 20.* pro trigesimo allegavit, ascribemus qvædam ex *illo capite*, qvæ p.599. leguntur: *Qvi glorietur, in Domino glorietur, credens in eum, qvi justificat impium: hoc est, qvi ex impio facit pium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, & impleatur in eo, non qvod postulabat ejus meritum, sed qvod à Domino promissum est beneficium.*

Postremò similitudo Augustini in *Ps. XXXI.* (ut ad marginem citat Masenius,) sententiam nostram declarat. *Justitiam Christi* ait *tegere iniqvitatem nostram, ut optimi medici emplastrum, qvod affert sanitatem.* En *tegere* dicit, *nec aliter sanare, qvàm optimi medici emplastrum*, qvod vulnus ita sanat, ut remaneat tamen cicatrix, qvæ non eo momento, qvo vulnus obligatur, sed sensim, & per temporis tractum bene longi evanescit. Concludo cum Masenio: *Benedictus DEUS, qvia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.*

Exa-

EXAMEN

Considerat. XI.

De Bonis operibus: (1) an & qvando ad salutem hominis necessaria, & (2) num hominem coram Deo magis magisq; justificent; & (3) sua in cœlo præmia habeant?

Punct. I. p. 102-106.

Annon etiam bona opera reqvirantur ad justificationem nostram præter fidem? considerat Masenius. Inq; illâ considera- tione (1.) proponit ea, qvæ sententiæ Protestantium illustrandæ confirmandæqve faciunt, *p. 102.* (2) Qvibus eludi illam effugiis, qvibus impugnari argumentis, qvibus contrariam persvaderi Lectori posse putat, *p. 103. sqq.* *De necessitate B. O. ad justificationem* *I. Sententia nostra.*

Sententiam ergò nostram exponit *primò, deinde* illam confirmat, *postremò* geminum porisma inde deducit. Agnoscit (*a*) non negari à nobis, *bona opera necessaria esse* justificato, & reqviri, ut fructûs fidei; hoc

hoc saltem affirmari, bona opera vel ut causam, vel ullo respectu alio ad justificationem & salutem necessaria non absqve gravi in DEUM injuriâ dici. Agnoscit, (β) cum *fidei* omnia h.l. tribuimus, non historicam aut miraculosam intelligi à nobis, sed eam, qvæ promissiones DEI de gratuitâ remissione peccatorum ob Christi meritum firmâ cordis fiduciâ apprehendit. Arguit ergò mendacii socios suos, prohiberi in Ecclesiis nostris bona opera, impudentissimè clamantes. Vid. qvæ jamdum dixi *p. 78 sqq.* & qvæ de ipsorum Jesuitarum inter sese litibus super distinctione inter fidem historicam, miraculosam & salvificam, observat Rivet. *C.O.tr.IV, q.10. §.5. p.450.*

...nio indicata

Jam qvæ loca pro *confirmandâ* sententiâ nostrâ allegat, judicet Lector, annon clariora sint, qvàm ut eludi sophisticationibus ullis possint. *Arbitramur*, (ait Apostolus Rom III,28.) *hominem justificari per fidem sine operibus Legis.* Tit. III, 5: *Non ex operibus justitiæ, qvæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Rom.IV, 1: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud DEUM. Qvid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* Parallela his sunt ista. Eph.II,8.9: *Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est, non ex operibus, ne qvis glorietur.* Gal. II,

funda-menta,

16: Sci-

16: *Scimus,qvòd non justificatur homo ex operibus Legis,nisi* (hoc est: *sed tantùm*, qvò sensu & alibi τὸ *Nisi* occurrit *Marc. XIII,32. Apoc.IX,4.* &c. Vid. Glass. *gramm. S. L. 3. tract.5.can.26.) per fidem Jesu Christi : & nos in Jesum Christum credimus , ut justificemur ex fide Christi,& non ex operibus Legis: propter qvod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Rom. XI,6: *Si ex gratiâ , jam non ex operibus. Alioqvin gratia non est gratia.* Enimverò si ipse Spiritus S. disertè opera ab actu justificationis removet , uniqve fidei,qvatenus meritumChristi apprehendit,omnia tribuit: qvid est, qvòd nos opera & imperfecta,& jam antè debita (*Luc. XVII,10.*) immiscemus, irritamqve & inutilem nobis promissionem gratiæ & salutis reddimus; qvod ab Operistis fieri , Paulus *Rom.IV,14.16. Gal.V,4.* disertè profitetur. Cæterùm hanc orthodoxiam nostram copiosiùs non asseremus , qvam ex Scripturis invictè demonstratam in pluribus scriptis suis B.Lutherus,maximè in *aureo ad Galat. Commentario* dedit. Post qvem Theologi nostri,hanc salutis acropolin defenderunt tanto numero,ut citatio supervacanea videri possit. Vide , qvæ suprà Masenio respondimus ad *Consid.III. P.III. p.118.sqq.*

Porismata ,' qvæ ex sententiâ nostrâ deducit, rectè intelligenda sunt. (1.) Ait, colligere hinc Protestantes , *solâ fide extra omne*

& consectaria: (1)qvid de necessita-

te pœnitentia habendum?

omne pœnitentiæ Sacramentum peccata fidelibus remitti sive non imputari. Aut de *verâ*, & qvalis in Sacris literis describitur, pœnitentiâ, intelligit hæc Masenius, aut de *fictitiâ*, & qvalis à criminipendis Romanensibus reqviritur. Illius cùm præcipua pars sit fides, qvæ vera in peccatore esse neqvit, nisi præcesserit contritio, patet ineptè fidem & pœnitentiam sibi opponi. Neqve ulli Protestantium in mentem venit tradere remissionem peccatorum, qvæ impœnitentibus contingat. At Papicolarum pœnitentia, qvam contritione cordis, speciali omnium peccatorum enumeratione, & satisfactione operis constare putant, ac Sacramentis propriè dictis accensent, qvum verbo Dei repugnet (qvod inferiùs demonstrandum fuerit,) qvid mirum est, extra talem pœnitentiam fidelibus remitti peccata? (2.)

(2) An nemo altero justior?

Ait, colligere hinc Protestantes, *unum hominem alio magis sanctum justumq; non esse; Cùm in solâ remissione seu non-imputatione scelerum ob merita Christi, sanctitas consistat.* Vellem ascripsisset Protestantium nomina, *qvi unum altero sanctiorem esse*, ita crudè, ut ponit Masenius, negent. Ego fateor, nuspiam legisse. Sanctitatem justitiamqve aliam *imputatam*, aliam *inchoatam* novimus esse. Alteram accipimus à DEO in justificatione; alteram DEO reddimus in renovatione. Illa perfecta est &

absoluta

absoluta omnibus numeris, ideoqve omnes, qvi verâ fide sibi applicari eam patiuntur, ab omni planè maculâ ac rugâ purgat *Eph. V*, 27. Hæc magis ac minus recipit. Cujus adeò respectu unum hominem altero justiorem sanctioremqve esse, neqvaqvam negamus.

II. *Antithesis Masenii* (I.) *respondentis*

Sed hæc de nostrâ sententiâ. Conseqvens est, ut videamus, qvid contra illam dicere habeat Masenius. Versatur hic (ut in summam contraham) *partim* apologeticè, *partim* anasceuasticè. *Primùm* enim ad argumenta Lutheranorum respondere, & dispellere justissimam accusationem injuriæ meritis Christi à Papistis illatæ; *deinde* ex Scripturis, ratione, Patribus concursum operum in justificatione probare laborat. Qvam firmiter utrumqve, breviter age dispiciamus.

(1) *ad loca Scripturæ per* (α) *injustam accusationem:*

Ad argumenta nostra vel manifestissima potiùs Scripturæ oracula injustâ accusatione, ac futili distinctione utitur. *Catholici* (scribit *p.103.*) *variis de causis hanc doctrinam aversantur. Primò qvidem, qvòd Scripturas Sacras mutilatas tantùm producat, ideoq; cum bis universè consideratis pugnet. Opera enim in hominibus varia dari, alia naturæ & gentilium, alia legis, vel Mosaicæ tantùm vel etiam Christianæ. Ex qvibus præter hac ultima opera, jure ajunt Apostolum cætera omnia à justificatione proscribere.*

scribere. Nam ut idem ait Gal. V, 16: In Christo Jesu neqve circumcisio aliqvid valet, (*in Lege Judaicâ*,) neqve præputium, (*in Lege naturæ*) sed fides, qvæ per charitatem operatur. (1.) Mutilatè à nobis Scripturas produci qvàm verè Masenius scribat, ultrò intelliget, qvi loca ipsa, prout à nobis, imò ab ipso Masenio *p. 102.* descripta sunt, evolverit. Veriùs Papistis hoc artificium objicietur. Masenius certè textûs, è *Rom. II,13.* & *Jac II,24.* sic allegat, qvasi justificatio per opera obtineatur, cùm utrinqve doceat contextus, *Paulum* qvidem possibilem Legis observantiam ex instituto negare, *Jacobo* verò de justificatione coram hominibus, non coram DEO sermonem esse, qvod ex *vers. 18 sqq.* liqvido apparet. Conf. *Rom. IV,2,3.* (2) Distinctio illa inter opera *Naturæ*, & *Legis* sive *Mosaicæ*, sive *Christianæ* μορμολύκειον est, qvod pueros terreat. Christianis fraus pellucet. Non monebo nunc, multos ex Scholasticis, antiqvioribus præsertim, eò processisse impudentiæ, ut ex ratione, & per opera naturæ adeò justificari hominem posse contenderent. (Lege hac de re B. Parentis mei *Isag. in Libb. Symb. p. 215.*) Cum horum enim privatis opinionibus nihil sibi negotii volet esse Masenius. Non urgebo, inniti hanc distinctionem falsissimo dogmate de Christo Novi Testam. Legislatore, qvo universa ratio officii

(β) futilem distinctionem, inter opera Legis Mosaicæ & Christianæ.

Christi

Christi & doctrinæ Evangelicæ evertitur. Neq; profectò alia Christianis Lex moralis, à Christo in Novo Test. qvàm Judæis tradita à Mose in Veteri fuit : licèt umbræ ceremonialis legis præsente corpore evanuerint, & forensia instituta unà cum politiâ Judaicâ abolita sint. Pauli verba saltem urgeo tam clara, ut tricis hujusmodi involvi sententia illius vix possit. Legem omnem, qvocunq; veniat nomine, excludit, disertè professus, *si ulla data lex esset, qvæ posset vivificare, tum justitiam verè ex Lege provenire*, qvod ipse ceu absurdum rejicit *Gal. III, 21.* additq; ibidem, *Scripturam conclusisse omnia sub peccatum, ut promisio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Imò vers. 10. 11. *palam esse* dicit, *qvòd nullus justificetur ex ejus Legis operibus, qvæ omnes homines execrationi subjecit* (Deut. XXVII, 26.) qvæ sanè, ut planissimum est, ad solos Judæos non pertinet. Omnia, sua etiam & credentium opera excludit *Gal. II, 16.* Ea etiam opera excludit, ad qvæ conditi sumus in Christo Jesu, *Eph. II, 8. 9. 10.* Deniq; gratiam omnibus operibus ἀντιδιῃρημένως opponit: *Si ex gratiâ, jam non ex operibus, alioqvin gratia non erit gratia.* Rom. XI, 6. Ipse, qvem Masenius allegat, textus Apostolicus *Gal. V, 21.* uni fidei, vivæ tamen & vitam suam per charitatem demonstranti omnia tribuit,

qvæ rejicitur Scripturæ testimonio,

tribuit, eamqve solùm respici in Christo Jesu, nullum personarum discrimen docet, cùm *hic non sit Judæus, neq; Græcus,* (hic eodem sensu *circumcisionem* & *præputium* vocat,) *neq; vir, neq; fœmina, neq; liber, neq; servus, sed omnes sint unum in Christo Jesu,* Gal. III, 28. Qvid qvòd Augustinus qvoqve hanc exceptionem Masenii rejecit? Sic enim scribit lib. de Spir. & literâ c. 8. T. III. p. 811: *Ne qvisqvam putaret, hic Apostolum eâ lege dixisse neminem justificari, qvæ in Sacramentis veteribus multa continet figurata præcepta, continuò subjunxit, qvam Legem dixerit, & ait: per Legem enim cognitio peccati.* Et clariùs Epist. CC. ad Asellicum, T. II. p. 815: *Non solùm autem illa opera* Legis, *qvæ sunt in veteribus Sacramentis, & nunc revelato Testamento Novo non observantur à Christianis; verùm etiam illud, qvod in Lege dictum est: Non concupisces, qvod utiq; & Christianis nemo ambigit dicendum, non justificat hominem, nisi per fidem Jesu Christi, & gratiam DEI per Jesum Christum.*

& Augustini suffragio

Perstat nimirum invictum Scripturæ robur. Neqve majoris momenti est, qvod ad accusationem de injuriâ merito Christi illatâ per admissionem operum in articulum justificationis reponit. Sanè qvantum accrescit operibus nostris, tantum decedit merito Christi, qvi sibi soli hîc omnia tribuit. *Ego, ait, solus torcular calcavi, neq; fuit*

(2) Ad objectam injuriam merito Christi à Pontiff. illatam,

fuit vir mecum, Esa. LXIII, 3. *Non me vocasti Jacob, nec laborasti in me Israël. Veruntamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborē in iniqvitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qvi deleo iniqvitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, Esa. XLIII, 22. 24. 25. Solus effecit Christus, ut placatus Pater nobis gratiam impertiretur, in qvo natura justificationis consistit. Detrahit huic gloriæ Christi, qvam alteri se daturum negat *Esa. XLII, 8.* per sacrilegium ingens & extremum idololatriam, qvi humanis operibus vim salutem promerendi tribuit, aut eam certè inter Christi meritum & opera nostra partitur. Ut frustrà Masenius scribat: *Negant Catholici, ullam injuriam fieri meritis Christi, si in partem justificationis admittantur bona opera: imò verò magnam fore injuriam, si excludantur, qvasi vim illam non habeant Christi merita opus nostrum ad hoc munus elevandi. Certè pretiosior ille nobis aureus nummus futurus esset, qvi præterqvam qvòd talis sit, alia qvoq; metalla suo contactu in aurum posset convertere, qvàm qvi se solo pretium habeat. Tantum enim abest, ut Christi meritis detrahatur, ut addatur etiam, qvod operibus adjicitur, tanqvā ipsius nobis imputatæ justitiæ fructus, & totum in hanc ceu radicem refundatur, qvòd ipsa qvoq; opera justi ab omni immunditiá purgata DEI oculis placere faciat teste Christo*: sicut palmes *qvam Masenius*

 non

non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite: ita nec vos, niſi in me manſeritis. *Job. XV, 4. Tolle vitem, nil palmes faciet. Tolle palmitem, nil proderit vitis. Vtrumq; jungendum eſt, palmes viti, opera Chriſti meritis, & merita operi, ut fructus vitæ ſperari poſſit. Eâ tamen lege, ut juſtitia & gratia Chriſti in juſtificatione peccatoris totum præſtent, opera hanc non mereantur, ſed animam per fidem ſolùm diſponant.*

gratis in nos retorqvet, Hæc Maſenius. Cujus judicio injuriam meritis Chriſti intulerit Paulus, ad cujus manifeſtisſimas ſententias, qvibus opera omnia à juſtificationis negotio excluſit, nihil reſpondere ſolidi Maſenium vidimus. Neqve verò hîc diſputatur, qvid merita Chriſti posſint, ſi rationem noſtram de iis, h. e. cæcum de coloribus judicem audiamꝰ; ſed qvid præviâ Scripturâ præſtent & operentur. Qvæ docet, per meritum Chriſti fide apprehenſum nos juſtos reddi coram DEO & recipi in gratiam, ita ut opera etiam noſtra, licèt variis modis ob peccatum adhærens imperfecta & impura, ideoq; penitus ad obtinendam promerendamve gratiam ac ſalutem inepta, grata habeat ob illud meritum Filii ſui omnem ἀνομίαν perfectè contegens. Conf. hîc B. Par. *Iſag p. 443.*

& ineptâ ſimilitudine Neminem autem, opinor, inepta ſimilitudo (qvod genꝰ probandi qvanti in aliis etiam, nedum

nedum in tam arduis fidei controversiis esse debeat, nemo nescit:) *de nummo aureo alia qvævis metalla in aurum vertente* moveri poterit: cujus & περίστασις impossibilis & applicatio absurda. Eâdem enim facilitate dici possit meritis Christi honorem habere ille, qvi per eorum contactum peccatum ipsum converti in bonum opus, vel ad eam elevari virtutem, dixerit, ut ad justificationem aliqvid conferre possit. Porrò, si hoc tantùm dicerent Pontificii, fructum imputatæ justitiæ esse, ut opera justi per fidem hominis oculis DEI placeant, qvod è *Joh. XV, 4.* probat Masenius, non haberent nos repugnantes. Longè autem differunt: placere DEO, ut *fructum fidei* justitiam Christi apprehendentis, & placere DEO, ut *meritum aut causam justificationis*, aut ad eam ullo modo concurrens. Præterea qvivis intelligit, qvàm ineptum sit, vitem de Christo ejusqve merito, palmitem de bonis operibus interpretari. Discipulos suos atq; omnes adeò fideles palmites facit, eosqve fructum ferre posse negat, nisi in vite Christo manserint per fidem. Ut ergò palmes fructum ferat, (qvem de vitâ æternâ hîc intelligi posse, concedamus tantisper Masenio,) hoc tantùm reqvirit Christus, ut in sese maneat, h. e. in se credat; minimè omnium opera reqvirit, licèt ex his dignoscatur, qvi palmes maneat in Christo, qvi mi-

textuq; alieno, Joh. XV, 4. abse amolitur:

operum meritum in justificatione hypocriticè negans.

minùs. Postremò, *si gratia & justitia Christi in justificatione totum præstent, opera verò hanc non mereantur*, qvod hîc Masenius scribit, viderint Pontificii, qvomodo defensa hactenus ab se bonorum operum merita tueantur. Per opera enim non tantùm salutem de condigno, sed remissionem peccatorum qvoqve de congruo nos mereri, communis hactenus Papistarum doctrina fuit, pro qvâ tanqvam pro aris & foris depugnarunt. Verùm non sententiâ abit à sociis Masenius, sed horridam tantùm eorum doctrinam verborum tegere involucris laborat. Prodit enim dolum, qvod addit: *Opera animam per fidem solùm disponere.* Hîc enim ipsum meritum de congruo insinuat, qvod *honesto præparationum ac dispositionum nomine* à Conc. Trid. appellari Hosius docet. Esse autem hoc meritum propriè dictum, licèt non tale, qvale est meritum de condigno, alibi fatentur ipsimet Papistæ, ut vel ex Altenstaigii *Lexico* intelligitur. Vid. Hulsem. *Breviar. c. XII. th. 5.* & *Disp. XVII. contra Hager. §. 19. p. 776.* Calov. *Exeg. Art. IV. c. 8. §. 16.* Carpz. *isag. p. 522-528.* & confer Balduin. *Anti-Pazmann. L. XII. c. 3. p. 1088. sqq.*

(II.) Opponentis

Vidimus hactenus, qvàm nihil ad objecta à nobis Masenius responderit. Nunc exponamus pii Lectoris judicio, qvàm firma

ma ſint, qvibus ſuam theſin tuetur. Exponamus autem, qvàm fieri poteſt, brevisſimè. Pugnat tum *Scripturæ* teſtimoniis, tum *Ambroſii & Auguſtini* ſuffragiis.

Ex *Scripturis* (1.) Pauli verba *Rom. II, 13.* profert: *Non auditores Legis juſti ſunt apud DEum, ſed factores Legis juſtificabuntur.* Mirum verò illius epiſtolæ verba in Pontificium ſenſum abripi, qvæ *cap. III, 20.* disertè profitetur: *Ex operibus legis nulla caro juſtificabitur.* Scilicet, qvi Epiſtolæ ſcopus eſt, volebat Paulus demonſtrare, tam Judæos, qvàm gentes juſtificari fide absqve operibus. Et hoc qvidem loco Judæos convincere volebat potisſimum in Lege gloriantes. His oſtendit, non ſufficere ſcientiam totius legis, aut partialem obedientiam. *Juſtificari* enim, *non qvi ſunt auditores tantùm Legis*, eamqve ſciunt, *ſed factores, qvi permanent in omnibus, qvæ ſcripta ſunt in libro Legis, Devt. XXVII, 28.* Atqve ita qvaſi colligit: *Factores totius Legis juſtificabuntur apud DEum per Legem. Sed nemo eſt factor totius Legis. Ergò nemo juſtificatur per Legem.* Majorem l.c. (*cap. II, 13.*) ponit Minorem *c. I. II. & III.* probat. *Concluſionem* tot verbis *c. III, 20.* habet. *Dictum* ergò *legale* eſt, promittens juſtificationem iis, qvi legem perfectè implent. Impleri autẽ ab homine legẽ perfectè poſſe, non dicit, ac contrarium demonſtrat potiùs, ut ſic ad *ſcopum Evangelicum*, qvem intendit, perveniat.

(1) Scripturas, qvæ hic vindicantur: Rom. II, 13.

Confer Gerh. *annot. h.l.* & *L. de B. O. § 133.* nec non *T.ult. C. C.p.665.* Höpffner. *de justific.p.892.sqq.* Omitto jam, ab Augustino *lib. de Spir. & lit.c.26. Tom. III. p.827.* hunc locum exponi de jam justificatis: *ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores legis justificatio præcedat.*

Jacobi II. cap.

(2) Achillem succenturiat Pontificium, h. e. locum ex *Jac. II.* cui toties responsum est, ut meritò rideantur citharœdi Pontificii chordâ eâdem oberrantes. Nos Lectorem ad Hülsemanni nostri *Harmoniam Pauli & Jacobi de justificatione* (in de Auxil.grat.p.335--526.) Winkelm. *Tom.V. Disp. Marpurg.IX.* Menzer. *T. V. Disp. Giess. XI.* Höpffn. *Disp.XI.de justif.* Gerhard. *L. de B. O. §. 83. sqq.* & *de justif. §.190.* Stegmann. *Photinism.episagm.3.* Dannh. *T. II. Hodom. Pap.p.332.sqq.* Botsacci item *peculiarem de h l. tractatum* (qvibus & plures poterant addi) remittimus, qvi invictè è *scopo* Apostoli, è *visceribus textûs*, è *collatione* aliorum Scripturæ textuum, è *fidei analogia*, *Patrum* etiam adductis vindicatisqve testimoniis demonstrarunt, per *fidem* eum externam fidei professionem (v.14.18.) intelligere, *justificari* autem idem esse Apostolo, ac declarari sive demonstrari justum coram aliis. Nempe ut Augustinus *c. 14. de fide & operibus T.IV.p.69.* observat, refellere volebat Jacobus vanam qvorundam persvasionem, qvi

qvis ejus scopus & sensus?

qvi ad salutem sufficere *fidem, qvæ sine operibus* est, contendebant, abusi doctrinâ Apostolicâ de justificatione & *salute solùm per fidem* impetrandâ. Qvorum cùm pestilentissimus error sit, omnemqve pietatem penitus prosternat: declarat variisqve confirmat argumentis, non solam fidei professionem arguere verum Christianum, neq; sola opera externa, sed conjunctim & professionis veritatem & bonorum operum sinceritatem. Ut enim corpus sine respiratione mortuum cognoscitur: sic fidem destitutã operibus (qvi naturalis & necessarius effectus est fidei) mortuam esse, & *ὁμωνύμως* fidem dici. Qvæ omnia apud laudatos autores copiosiùs diducta legi possunt.

Patet autem hinc, qvàm falsa sit Malenii criminatio, sic constringi Jacobæo illo textu *Lutheranos* mentientis, *ut ex canone Scripturarum hanc epistolam eliminare conati sint.* Eqvidem hoc observant Lutherani Doctores, dubitatum olim in Ecclesiâ à qvibusdam de autoritate canonicâ hujus epistolæ fuisse, ut ex Euseb. *Hist. Eccles. II, 23. III, 21.* Hieronymi item *catalogo Vir. ill.* constat; observant, qvosdam inter ipsos Papistas eam vix pro apostolicâ habuisse, *Cajetanum* inprimis & *Erasmum*: ipsam de cætero omni conatu vindicant, & qvæ *de Luthero* jactant adversarii, ea primis annis scripta, & mutata posteà, nec nisi in compa-

An Lutherani canone ejiciant Epistolam Jacobi?

ratione cum epistolis Paulinis ac Petrini
atqve ex hypothesi (si Jacobus sensu Pont
ficio scribens Paulo contradixerit) intell
genda docent. Lege hanc in rem Ge
hard. *Exeg. L. de Script.* §. *279. sqq.* Brock
mand. *Sect. I prolegom. in Ep. Jacobi, p. 2. sq*
Walther. *offic. Bibl.* §. *1197. p. 1088.* Korthol
de Canone Scripturæ cap. XVIII. p. 338. sqq.

Vindiciæ expositionis de justif. coram hominibg.

Expendamus autem, qvid porrò d
hoc Jacobi textu Masenius commentetu
Calviniani tamen hanc impudentiam verir
Jacobum de justificatione coram hominibu
non coram DEO disserere finxerunt: ac
DEUS ad hanc justitiam operum oculos clau
deret, & mortua illi fides pro justificatione co
ram se sufficeret. Qvare & hîc in constante
sunt, ajuntq; vivam esse debere fidem per cha
ritatem & opera bona, ut justificet, licèt sola f
des justificet, cùm sola apprehendat justitia
Christi sibiq; applicet. Sed nec in hoc sibi con
stant, cùm fiduciæ potissimam vim justificanc
tribuant, qvæ tamen non apprehendit merit
Christi, sed divinis per Christum promissionib
nititur. Fides autem historica est, qvæ ut my
sterium SS. Trinitatis, ita passionem & merit
Christi apprehendit, ut insanum sit, negar
hanc fidem esse salvificam, qvæ sola totum per
Symbolum (fiducia illâ sepositâ) comprehen
dit, & qvam solam Arius, Nestorius alii
hæretici violarunt, iccircò ab Ecclesiâ damnat
Sanè illam de justificatione *coram homin*

h

bus interpretationem, qvam Calvinianis tribuit Masenius, defendunt & Lutherani, qvippe à Paulo suggestam. *Si Abraham ex operibus Legis justificatus est, habet gloriam, sed* non apud DEum. *Qvid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam*: scribit is *Rom. IV*, 2.3. Distingvit nimirum inter justificationem *coram DEO*, qvam soli fidei vendicat; & justificationis declarationem *coram hominibus*, qvam operibus ascribit cum Jacobo. Ut qve *Paulus* ad exemplum Abrahami credentes omnes fide justificari coram DEO contendit: sic *Jacobus* docet, hominem justificatum non solâ fidei professione, sed ejus per charitatis opera exercitio cognosci. Censet autem Masenius, hoc inde absurdum conseqvi: *DEum ad operum justitiam oculos claudere, & mortuam illi fidem coram se sufficere.* Qvorum alterum absurdum non est, alterum inde non seqvitur. Absurdum non est, *DEum in justificatione ad operum justitiam oculos claudere.* Qvam si respiceret, non justificaret, sed condemnaret haut dubiè peccatorem. Impius enim est, qvem justificat, *Rom. IV*, 5. cujus omnes justitiæ instar panni menstruatæ mulieris, *Esa LXIV*, 6. Sola Filii obedientia est, qvam in oculis habet, & qvâ peccata tegit hominis verâ illam fide sibi applicantis. *Mortuam* verò *illi fidem sufficere in justificatione,*

Mors & vita fidei.

tione, inde non seqvitur. Viva nisi fides sit, ne fides qvidem est, ut homo non est propriè loqvendo. qvi vivus non est. Dupliciter autem *fides viva* considerari potest. Semel respectu ἐντελεχείας suæ in actu *justificationis*, qvatenus Christum, qvi vita nostra est, tenet, *Gal. II, 20.* deinde signo tenus & ratione ἐνεργείας in *renovatione*, qvatenus actibus vitalibus vitam suam ostendit & per charitatem operosa est, *Gal. V, 6.* Qvanqvam verò ubicunqve viva fides est, ibi per opera se probat; rursum ubi operibus destituitur, ibi nec viva, sed mortua deprehenditur: in justificatione tamen priori tantùm respectu consideratur, ut Christum apprehendit, non ut virtutum fœcunda mater est. Aliud autem est *præscindere*, aliud *separare* aut negare. Neqve qvi in fide solam illius formam attendit, proprietatem ejus essentialem negat. Confer accuratissimas B. Höpffneri meditationes de vitâ & morte fidei *Disp. XII. de Justif. c. 2. apb. 5. p. 1117. sqq.* Porrò qvàm verè Calvinianis tribuat, *vivam* juxta eos *fidem esse debere per charitatem & opera*, ipsi viderint. Nostri certè *fidem charitate formatam* constanter repudiant. Vid. inter alios modò laudatum Höpffnerum *l. c. apb. 4. p. 1105. sqq.* Gerh. *L. de justif.* §. *116 sqq.* Balduin. *ad Gal. V. P. I. q. 2. p. 834.* Danh. *Tom. II. Hod. Pap. p. 104. 227.* Calov. *Armin. c. IX.* §. *23. p. 266.* & *Tom. I. Syst. p. 987.*

p.987. Scherz. *Anti-Socin.p.681 sqq.689.* &c. Addit prætereà Masenius, *non constare hos sibi, qvi fiducia potissimùm* (unicè, scripsisset rectiùs,) *vim justificandi tribuant, & fidem tamen in apprehensione consistere dicant. Apprehendere enim fidei historicæ esse, ut insanum sit, negare fidem eam esse salvificam, ob cujus violationem Arius, Nestorius aliiq; heretici fuerint damnati. Qui sanè non tam fiduciam, qvàm fidem Symbolo comprehensam impugnarunt.* Hîc (*a*) inter apprehensionem seu historicum assensum *intellectûs*, & apprehensionem seu fiducialem consensum *voluntatis* distingvendum. Illa objectum, ut verum; hæc ut bonum ac salutare est, apprehendit. Utraqve ad fidem salvificam pertinet. Prior ad fidem historicam sufficit. Hæc enim meritum Christi, promissiones Divinas, & omne adeò divinitus revelatum, inprimis articulos fidei apprehendit, qvatenus verum id esse agnoscit. Salvifica verò fides, non assentitur modò divinæ revelationi de gratiâ DEI Christiq; merito, sed ita qvoq; apprehendit, ut suum faciat, sibiq; verâ cordis fiduciâ applicet: qvem actum ipse Spiritus S. λήψεως seu *apprehensionis aut receptionis* nomine exprimit *Joh.I,12.* Hanc apprehensionem dum qvieti animæ fidelis in promissionibus divinis, vel bonis potiùs, qvæ DEUS in promissionibus suis offert, contradistingvit,

Qvalis fidei apprehensio.

ἀπαι-

ἀπαιδεύτως opponit subordinata. Fiducia enim salutaris, ut notitiam & assensum præreqvirit: ita qvatuor actûs includit: desiderium, rei desideratæ apprehensionem, cum re apprehensâ unitionem, & super apprehensâ qvietem, ceu Höpffnerus locis suprà *Exam. Consid.* VIII. *p. 252.* citatis docuit. Utrumqve ergò verum. Et fides historica & salvifica apprehendit: illa assensu intellectûs, hæc fiduciâ voluntatis. (β) Insanum est, insaniæ condemnare Jacobum, qvi eodem capite, in qvo hic, non qvod pueri in fabâ, sese reperisse Masenius putat, in diabolos cadere hujusmodi fidem affirmat *v. 19.* Historicâ profectò fide & unum DEum, & meritum Christi, & remissionem peccatorum, & vitam æternam credunt dæmones. Num verò hæc fides illis salvifica? Alio ergò sensu objectum fidei *salvificum* dicitur, alio fides objectum apprehendens. *Objectum fidei* vel per modum causæ principalis, vel meritoriæ, vel finalis, vel alio modo salvificum dicitur; *fides* verò, qvæ circa hoc objectum versatur, non aliâ ratione salvifica esse potest, qvàm qvatenus objectum illud verâ cordis fiduciâ suum facit. Qvod non historicæ, sed fiducialis fidei officium est. (γ) Condemnatio hæreticorum ob fidem dogmaticam violatam, non probat, historicam fidem esse salvificam, h. e. per modum instrumenti apprehendere justitiam & salutem

Et qvo sensu salvifica sit?

lutem. Ideò enim hæreſes damnantur, qvia non tantùm opera carnis ſunt, adeoq; damnabilia, *Gal. V, 20.* ſed etiam qvia fidei ſalvificæ objectum, ac principia evertunt, adeoqve ipſam illam fiduciam, qvâ ſalus apprehenditur, penitus corrumpunt.

(3) Dicta Scripturæ urget Maſenius, qvibus vel charitatis operumqve neceſſitas exponitur, vel idem illis, qvod à nobis fidei tribui videtur. (α) *Fides*, inqvit p. 104. *ſine operibus mortua eſt & inanis*, Jac. II, 26. (β) *ita ut ſi omnem fidem habeat, charitatem autem non habeat, nihil ſit*, I. Cor. XIII, 2. *Nam* (γ) *ut fide, ita & ſpe ſalvi facti ſumus*, Rom. IIX. 24. *Et* (δ) *qvi ſine timore eſt, non poterit juſtificari*, Syr. I, 28. *Et* (ε) *charitas operit multitudinem peccatorum*, I. Pet. IV, 8. Huc & (ζ) locus Ezech. XVIII, 9. 23. 24. qvem pag. 105. extr. profert, pertinet: *Qvi in præceptis tuis ambulaverit, & judicia tua cuſtodierit, ut faciat veritatem, hic juſtus eſt, vitâ vivet. In juſtitiâ ſuâ, qvam operatus eſt*, (addit Maſenius in ignominiam meriti Chriſti: *non in ſolâ juſtitiâ Chriſti*) *vivet. Si autem averterit ſe juſtus à juſtitiâ ſuâ, & fecerit iniqvitatem, ſecundum omnes abominationes, qvas operari ſolet impius* (gloſſa Maſenii: *non ſecundum infidelitatem tantum*,) *numqvid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, qvas fecerat, non recordabuntur.* Item (η) Jac. II, 14:

Si

Vindic. Jac. II, 26. *Si qvis opera non habeat, qvomodo fides poterit salvare eum?* Respondemus breviter ad singula. (α) *A necessario nexu* fidei vivæ & operum ad eorundem *æqvalem in justificatione aut salute concursum* malè colligitur. Dispar animæ ac respirationis ratio, qvanqvam sine hac vivum corpus non sit. Dat illa vitam, hæc indicat. Sic fides vitam spiritualem confert: opera indicant. (β) 1. Cor. XIII, 2. A *conditione* impossibili (fidem salvificam sine charitate esse,) ad *categoricam* hanc (charitatem ad justificationem necessariam esse,) N.V.C. Scilicet ut non seqvitur: *si angelus de cælo aliud vobis evangelium prædicet, anathema sit*: Gal. I, 6. Ergò anathema fieri angelus de cœlo potest: Ita nec seqvitur: Si omnem haberem fidem etiam justificantem, sed sine charitate, nihil illa mihi prodesset. Ergò charitas ad justificationem reqviritur. Præterea verò ut rectè Chrysost. Theophyl. Oecumenius, eqve Jesuitis Salmero *h. l.* & Vasqvez *Tom. II. in 1.2. Disp. CCX. c. 4. n. 27.* observarunt, non de fide *salvificâ*, sed πάσῃ τῇ πίστει, omni illâ fide, de cujus variis virtutibus *cap. præc.* egerat, & qvam expressè ipso hoc textu limitat: *qvâ montes transferri possunt*, (qvæ verba per fraudem omisit Malenius,) h. e. de *miraculosâ*, qvæ à charitate separari potest, neqve salvat, (Vid. *Matth.* VII, 22.) sermo est Apostolo: & huic charitatem præfert non ratione

Digitized by Google

tione *influxûs in justificationem* aut salutem qvi nec charitati, nec fidei miraculosæ competit, sed ratione *utilitatis in Ecclesiam* redundantis, ceu ex contextu patet. Vid. Gerh. *L. de justif. §. 189. & Tom. ult. Conf. Cath. p. 589. 680.* Balduin. *Comm. h. l. qv.* 1. Höpffn. *Disp. II. de justif. p. 92. sqq* Danh. *H. P. II, 234.* Calov. *antigrot. in Matth. XVII, 20. extr.* Walth. *Harm. p. 1126. &c.* (γ) *Spem* pro præcipuo fidei actu, ut alibi, sic *Rom. VIII, 24.* poni, multorum sententia est. Esto verò, eam hîc virtutem à fide distinctam esse. Manet sola fides instrumentum apprehendens salutem in verbo *oblatam.* Cujus plenam *collationem* spes, fidei salvificæ indivulsa comes expectat. *Spe* ergò *salvati sumus*, qvatenus plenam revelationem & possessionem salutis, cujus jus fide jam tenemus, spe immotâ expectamus, dum nondum apparuit, qvid futuri simus, *1. Joh. III, 2. Col. III, 3.* Scilicet futuram gloriam, ut futuram *Spes* respicit: gratiam præsentem simul & futuram gloriam, sed ut in verbo promissionis præsentem *fides* amplectitur: qvod nervosè Lutherus noster enunciat: *Fides intuetur verbum Rei; Spes rem verbi.* Atq; hanc ob causam Augustinus *spem ovo, fidem pullo* comparat *Serm. XXIX. de verbis Dom. Tom. X. p. 116. extr.* Confer, qvæ ad hoc argumentum Pererio & Bellarmino respondit Balduin. *Comm. h. l. qv. 5. p. 165.* & accuratissimum Höpffneri me-

Ro. VIII, 24.

letema de discrimine fidei & spei, *Disp. IX. de Justif. c.3. aph.1. §.6. sqq. p.758 sqq.* & *aph. 3.* *Syr. I, 28.* *§.14. seqq. p 800. sqq.* (δ) Syracidæ verba hæc sunt: *ὐ δυνήσεται ἀνὴρ θυμώδης δικαιωθῆναι*, h. e. *non poterit vir iracundus justificari* : *ἡ γὰρ ῥοπὴ τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσις αὐτῷ*, *nam declinatio iræ ejus lapsus ei.* Qvam interpretationem agnoscunt ex fontibus *Em. Sa, C. à Lap. Bonartius.* Collige : Ergò timor æqvè ac fides, ad justificationem coram DEO necessarius est. Et si maximè de timore loqveretur scriptor apocryphus : neq; sic tamen à *qualitate personæ* justificatæ ad *conditionem justificationis* rectè concluderetur. Gerh. *tom. ult. C. C. p. 666. L. de justif. §.168.*

Prov. X, 12. I. Pet. IV, 8. Chamier. *t.3. L.22. c.9. §.5.6. p.470.* (ε) Charitas peccata tegit, *Prov. X, 12. & I. Pet. IV, 8.* non qvæ ipsi perpetravimus, coram DEO; sed peccata proximi, coram hominibus, qvem sensum *Liranus, Salazar, Estius* agnoverunt, nec alium vel analogia fidei, (è qvâ constat, coram DEO *solum sangvinem Jesu Christi nos emundare ab omni peccato*, 1. Joh. I, 7. propter qvem DEUS ex gratiâ *tegit peccata*, Ps. XXXII, 1.) vel in Salomonis textu oppositio odii & charitatis admittit, qvam sic effert *Liranus : Sicut odium per iram manifestat defectûs aliorum : sic charitas celat.* Conf. Hunn. *Tom. I. Opp. p. 618.* Gerh. *Comm. in I. Petr. p. 637. sqq.* Meisner. *anthropol. D. XXVIII. §.15.* Höpffn. *dispp. miscell. p. 431.*

Geier. *Comm. in Prov p. 501. seq.* Chamier *t 3. L. 21. c. 6. n. 19 22* Rotundè Lutherus noster *in h. l: Peccata coram DEO tegit meritum Christi fide apprehensum; sed peccata proximi tegit charitas. Sicut DEus suâ charitate tegit nostra peccata: sic nostrâ charitate debemus tegere proximi peccata.* (ζ) Ezechielis verba qvod concernit, aliter de *morte impii* à pietate suâ aversi ad impietatem, aliter de *vitâ pii* conversi ab impietate pronunciandum. *Ibi* malitiam causam esse damnationis, non negamus. *Hic* operationem justitiæ causam salutis dicere, per Scripturas prohibemur. Fidei in solidum vita ascribitur *Habac. II, 4. & alibi*; fidei veritas atqve sinceritas per vitæ sanctitatem sese exerit. A qvâ proinde veram fidem describere placuit Domino, ne sub pallio veræ fidei hypocritæ in populo DEI laterent. Cordatè Chemnitius P. III LL. de Bon. Op. classe 4. de argum. advers. p. 186: *Alibi Scriptura à fructibus seu notis describit justificationem, ut scilicet homines securos ab Epicureâ fidei persvasione abducat. Rursus alibi causam describit, propter qvam contingat, qvo medio accipiatur, & in qvo consistat: ubi nimirum propria sedes est materiæ. Sic* Ezech. XVIII, 21. *in uno & eodem dicto utrumq; considerandum occurrit, ubi DEus per Prophetam sic loqvitur*: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, qvæ operatus est, & custodierit omnia

Ezech. XVIII, 21. 23. 24.

mnia præcepta mea,&feceritjudicium & justitiam, vitâ vivet,& non morietur.*Hic verè qværitur :Num vivet impiq propter novitatẽ? Non. Nam protinus subjungit*: omnium iniqvitatum ejus,qvas operatus est, non recordabor. *Itaq; in eo consistit justitia nostra, qvòd Dominus peccatorum non recordatur, & ea non imputat,sicut in aliis Scripturæ locis explicatur. Et tamen qvia id absq; verâ pœ-*

Jac. II,14. *nitentiâ non consistit,ideò ex illâ,ceu certâ notâ justitia fidei describitur.* (η) Vana fidei jactantia,ut inutilis rejicitur à Jacobo. Qvi verò per hoc opera ad salutem necessaria non dicit,aut Paulo contradicit, qvi soli fidei, sed vivæ veræq; omnia ascribit. Res planissima,non de verâ fide, sed mendaci fidei jactantiâ Apostolum loqvi: modò integra ejus verba, qvæ mutilavit Masenius, ascribamus: *Qvid proderit,fratres mei, si fidem qvis* (non habeat veram, sed) *dicat se habere, opera autem non habeat? Nunqvid poterit fides* (illa,qvam mentitur,)*salvare ipsum*? Conf. præter Autores paulò antè de secundo Jacobi capite citatos, Balduin. *anti-Pazmann.L.XII.c.4.p.1095.* Chamier. *t. 3. L.12.c.13.p.195.*

(ι) *Similitudinem,* (4.) Similitudine etiam rem tantam *p.105.* conficere laborat, cui qvod præmittit convitium,transmittimus: *Qvasi verò præstans efficaxq; ad sanitatem medicina dignitatem suam amittat, si operâ curaq; nostrâ diligenter applicanda sit: atq; hoc ipso*

suffi-

sufficiens futura sit, qvòd credam, illâ me posse sanari. Ejusmodi certè deliramentum, qvod nec Scriptura Sacra, nec ratio humana probat, (ut sanari nos posse solâ justitiâ & misericordiâ DEI creditâ,) qvis prudens non videat, & DEO & hominibus indignissimum esse? Qvasi verò similitudo, cui nec in aliis qvidem rebus probandi, sed illustrandi tantùm officium tribuitur, præjudicare clarissimæ assertioni Scripturæ possit. Hactenus tamen eam admittimus, ut ipsi fateamur, nihil prodesse nobis Christi justitiã, nisi applicetur. Qvis verò applicationis modus sit, Scriptura ostendit. *Crede in Dominum Jesum, & salvus eris*, Act. XVI, 31. *Qvi crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Marc. XVI. 16. *Remissionem peccatorum in nomine Jesu accipient, qvicunque credunt in eum*, Act. X, 43. Qvi opera sua miscenda putant, hi non tantùm in applicationis modo errant, sed in objecto etiam, & remedium tanto malo tollendo minimè idoneum adhibent. *Si maximè laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es iniqvitate tuâ coram me, dicit Dominus* Jer. II, 22. Solus *sangvis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*, I. Joh. I, 7. *Hunc DEUS proposuit ἱλαστήριον in sangvine ejus per fidem, ut justificet eum, qvi est ex fide Jesu Christi*, Rom. III, 25. 26. Judicet jam Lector, an *deliramentum Scripturæ improbatum* (qvid ratio corrupta hic dicat, parum

qva examinatur.

simul vera merici Christi applicatio docetur.

parum curamus,) *DEO hominibusq; indignissimum* sit, nos solâ misericordiâ DEI, justitiaq; Christi, qvam verâ fide nostram facimus, sanari à peccatis. Verâ, inqvam, fide. Qvam dum adeò frigidè exponit Masenius, qvasi in hoc tantùm consistat, *ut credam, me posse sanari misericordiâ justitiaq; DEI creditâ*, non nostrum, sed Pontificiorum exagitat deliramentum. His qvippe solenne est, fidem per nudum hujusmodi assensum Scripturæ de justitiâ misericordiaq; DEI testanti præbitum definire. Nos tali fidei salutem vendicamus, qvæ non modò DEI credat misericordiam & justitiam (qvam sanè & dæmones credunt) neq; persvadeat modò homini, posse eum salvari, sed qvæ plenâ cordis fiduciâ gratiam DEI in Christo desideret, & justitiam Christi suam faciat, *ut inveniatur homo in Christo, non habens suam justitiam, qvæ ex Lege est, (eam enim detrimentum & stercora reputat) sed eam, qvæ est ex fide Christi, qvæ ex DEO est justitia, &c.* Phil. III, 7. sqq: qvâ certus sim, *Christum me dilexisse, & tradidisse semetipsum pro me, nec abjiciam gratiam DEI*, Gal. II, 20. imò *qvâ Christus in me vivat, indutus inbaptismo*, Gal. III, 27. deniq; qvæ per charitatis opera vitam suam demonstret.

(3) Rationem, petitam à. (5.) Necessitatem precum & pœnitentiæ huc pertrahit. Sine his enim cùm DEUS nemini justificationem velit obtingere,

gere, hinc constare putat, non solùm fidem ad justificationem esse necessariam. *Vesana,* inqvit, *fides est, qva persvadet, soli credenti omnia peccata esse remissa, ut qvid enim pœnitentibus hanc DEUS remissionem offerret? An David hanc fidem ignoravit, & frustrà tamdiu in lacrymis, sacco & cinere versatus est: qui solâ in DEUM fiduciâ certò sibi persvadere poterat, delicta omnia remissa esse? Ut qvid fideles orare jubentur indies: Dimitte nobis debita, si certâ fide tenent, sibi jam esse remissa, cùm ejusmodi oratio & talis fides neqveant sociari? Nam qvis jam certus de remissione obtentâ potest eam postulare? Qvomodo Paulus fidelis dicere potuit:* (1. Cor. IV, 4.) *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qvi enim judicat me, Dominus est?* Hic (1) qvàm insulsè *fidei preces & pœnitentiam opponat,* nemo non intelligit: cùm neqve pœnitentia salutaris sit, nisi ratione præcipuæ partis suæ, qvæ fides est gratiam oblatam apprehendens: neqve preces misericordiam & remissionem peccatorum impetrent, nisi ex fide verâ proficiscantur. Qvare (2) in *Davidis exemplo* probè distingvendum est id, qvod ad descriptionem subjecti justificandi atq; ad *ordinem* divinitus præscriptum pertinet, ab *organo* gratiam justificam apprehendente. Necessaria sanè justificando contritio est, qvam lacrymis, sacco, cinere monstravit Davides, cui remissionem

α) necessitate pœnitentia,

β) Davidis exemplo,

peccatorum sola in Christum fides vi apprehensi meriti Christi impetravit, sola cor contritum & humiliatum & injectos à legis fulminibus terrores lacrymis ac sacco prodens refocillavit, cùm desperandum alioqvi fuisset. Qvid verò (3) mirum, *fideles qvotidie orare remissionem* peccatorum *Matth. VI, 12. & Psalm. XXXII, 6.* qvi qvotidie peccant, adeoq; non minùs remissionem peccatorum infirmitatis de novo accipiendam, qvàm continuationem remissionis peccatorum pristinorum qvotidie petere necessum habent? Qvæ precatio tantum abest ut cum fide justificante h. e. eâ, qvâ credo DEUM mihi propitium certò fore, & remissurum peccata propter Christum, consistere neqveat, ut exercitium palmarium sit fidei talis. Confer Höpffneri *Macarismum David. porism. II. p. 424. seqq. Dispp. miscell.* Gerhard. *L. de pœnit.* §. 93. (4) Paulus verò *I. Cor. IV, 4.* non certam de gratiâ fiduciam labefactat, sed ruinosum justificationis fundamentum, qvod à Pontificiis poni solet in operibus bonis & conscientiæ puritate, convellit, ut Balduino *Comm. h. l. qvæst. 5. p. 330.* & Meisnero *anthropol. Disp. 30. §. 8. p. 464.* observatum.

γ) qvotidianâ piorum precatione.

δ) Pauli confessione I. Cor. IV, 4.

(6.) Blasphemam doctrinæ apostolicæ accusationem, *qvasi in peccatis securum ea reddat, in bono opere dormitantem*, (p. 105.) & *bona opera ideò à justificatione diaboli fraude*

fraude excludantur, ut negligantur (p. 104. extr.) non indignam Masenio judicatam, qvæ hîc repeteretur, nos indignam iteratâ responsione judicamus: & ad Patrum consensum progredimur.

(7.) E qvibus Augustinum & Ambrosium nobis opponit. Et *Ambrosio* qvidem hæc verba tribuit: *Magna qvidem res est fides ac salutaris, & sine hac salvari non possibile, sicut dictum est: Sine fide impossibile est placere DEO, sed sola fides non sufficit. Operari per dilectionem fidem necessarium est, & conversari dignè DEO.* Ubi hæc scribat Ambrosius, non addit. Dabit ergò veniam, si ad hæc verba, (de qvibus, utrum Ambrosii an Ambrosiastri sint, certò non constat, & qvæ necessarium tantùm fidei operumqve nexum demonstrant, opera verò ad salutem necessaria non dicunt,) hoc saltem rêspondeam, Ambrosium nobis opponi non posse, qvem certum est, omnē operum ad justificationē necessitatē acriter impugnasse. Ut meritò censeat *Apol. Aug. Conf. p. 80: Sententiarios omnes, qvi magnificis titulis ornantur, lectos & relectos tantum non conferre ad intelligendum Paulum, qvantum unica illa sententia Ambrosii*, qvæ ibidem ex ejus epistolâ ad Irenæum qvendam repetitur, nostram de justificatione, qvæ tantùm per fidem fit, sententiam confirmans. Qvare & ipsa Confessio Augustana *Artic. VI.* ad Ambrosium provo-

(4) Ambrosium,

Cujus qva fuerit sententia, docetur.

provocat, sic scribentem *princip. Comm. in I. Corinth*: (qvi Commentarius à Bellarmino certè aliisq; Pontificiis pro Ambrosii fœtu habetur, ut Hulsemanno ostensum *Disp. V. c. Hag. qv. 4. p. 197.* atqve ex hypothesi adeò Ambrosio ab August. Conf. tribui potuit:) *Hoc constitutum est à DEO, ut qvi credit in Christum salvus sit sine opere, solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.* Rursum eadem Conf. *Artic. XX.* Sole meridiano clariores sententias ex Ambrosii *L. I. de vocat. gent. c. 5. & 8.* contra merita operum protulit. Et alibi qvoq; justificationem per solam fidem totidem verbis idem B. Pater inculcat. Uti in cap. III. ad Rom: *Justificati sunt gratis, qvia nihil operantes, neq; vicem reddentes, solâ fide justificati sunt dono DEI.* Sed qvid attinet, plura adjicere, cùm vel unicus Gerhardus noster *L. de justif. §. 159. p. 399.* plusqvàm viginti textûs ex Ambrosio descripserit, qvibus *justificatio per solam fidem* in terminis asseritur?

(5) Augustinum, cujq mens Ex AUGUSTINI verò *tract. 5. in Joh.* ea tantùm Scripturæ loca repetit, qvibus filii DEI & filii diaboli charitate discerni dicuntur. Augustini verba sunt ista, prout Masenius repetit: *Non discernuntur filii DEI à filiis diaboli, nisi charitate. Qvi habent charitatem, nati sunt ex DEO. Qvi non diligit, manet in morte, & non novit DEUM, qvoniam DEUS est charitas. Et hæc est charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus. Nihil*

fides

fides sine charitate. Loqvitur Augustinus cum Johanne de κριτηρίῳ *filiorum DEI & diaboli discretivo*, (qvod charitatē esse, Christus ipse *Joh. XIII,35.* docet,) non de *principio filiationis constitutivo.* Hoc enim sola fides est. *Omnes estis filii DEI per fidem. Qvotqvot enim baptizati estis, Christum induistis.* Gal. III,26. - *Qvotqvot eum receperunt*, (ἔλαβον, qvi actus formalis fidei,) *eis dedit potestatem filios DEI fieri credentibus in nomen ejus*, Joh. I,12. Cæterùm qvia non habuit alia ex Augustino Masenius, qvæ afferret, præter unicum illum textum ἀπροσδιόνυσον, age ascribamus, qvæ magis ad rem faciunt. Facit sanè huc locus, qvem Masenius ipse suprà *pag.57. praxeos suæ* è c. 14. de fide & oper. repetivit: *Sciat se qvisq; posse per fidem justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Seqvuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.* Idem Augustinus lib. de Spiritu & lit. c. 13. extr. T. III. p. 816: *Colligimus, non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei; non literâ, sed spiritu: non factorum meritis, sed gratuitâ gratiâ.* Rursum L. I. contra duas Epist. Pelag. c. 21. T. VII. p. 878: *Qvantalibet fuisse virtutis antiqvos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qvi in remissionem peccatorum sangvinem fudit.* Est, ubi Paulo Jacobum eodem, qvo nos, modo conciliat *Lib. LXXXIII. Qvæstionum, qv. 76. Tom. IV. p. 598.* ubi inter alia: *Magis*

adductis ipsius verbis vindicatur.

Magis Abrahæ exemplo utitur (Jacobus,) *vacuam esse fidem, si non bene operetur, quoniã Abrahæ exemplo etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret, justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit, Paulum Apostolum non ita per Abraham docere, justificari hominem per fidem sine operibus, ut si qvis crediderit, non ad eum pertineat, bene operari: sed ad hoc potiùs, ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, qvæ est in fide. - - Unde Apostolo Paulus dicit, posse hominem sine operibus præcedentibus justificari per fidem: nam justificatus per fidem, non potest, nisi justè deinceps operari, qvamvis antea nihil operatus justè, ad justificationem pervenerit: non merito operum, sed gratiâ DEI, qvæ in illo jam vacua esse non potest, cùm jam per dilectionem bene operatur.* In Exposit. epist. ad Gal. c. 3. T. IV. p. 1221: *Jam incipit demonstrare* (Paulus) *qvemadmodum gratia fidei sufficiat ad justificandum sine operibus Legis, ne qvis diceret, non se qvidem operibus Legis, tantùm totam hominis justificationem tribuere, sed neq; tantùm gratiæ fidei, ex utroq; autem perfici ad salutem.* Sermonem LXVIII. de tempore T. X. p. 730. sic auspicatur: *Credidit Abraham DEO, & deputatum est illi ad justitiam. Ecce*

sine

sine opere justificatur ex fide, & qvicqvid illi posset Legali observatione conferri, **totum credulitas** (vel fides) *sola donavit.* Omitto alia, qvibus æqvè apertè mentem suam declaravit B. Augustinus, qvando hæc sufficere possunt, & progredior ad

Punct. II. p.106.107.108.

De augmentis justificationis & gradu-um gloriæ merito.

An (1) homo justus justificari coram DEO magis magisqve possit, & (2) hic proficiendo in terris majori gloriâ potiri in cœlis?

Ubi

Utrumqve à Protestautibus negari ait; utrumqve affirmari à Pontificiis. Sed de *priori* hoc notandum fuerit: Non qværi: an justitia *inhærens* in homine justificato augeri possit; (qvis enim hoc neget?) sed an illa justitia, *qvâ coram tribunali DEI homo à peccatis absolvitur* ac justus pronunciatur, incrementa recipiat? Qvod jure meritoqve negatur. Cùm enim justificatio sit actio judicialis, qvâ DEUS nos non qvalitercunqve, sed absolutè & ita justos pronunciat, ut dignos etiam vitâ æternâ habeat; talis autem justitia nemini mortaliũ inhæreat; appa-

I. qvâ Statum controversiæ, observ. 1) de qvâ justitiâ,

paret, soli perfectisſimæ justitiæ Christi hîc locum esse, qvam DEus imputat nobis sine operibus, *Rom.IV,5*. Vid. Höpffner. *Disp. V. de Justif c.2 aph.I.p.325*. In *altera* verò qvæstione distingvendum fuerit (α) inter *vitam æternam* consideratam essentialiter, & inter *præmia accidentalia* seu gradûs gloriæ, qvæ à vitâ æternâ differre, Thomas *Supplem. P III q.96 a.1.* agnoscit. Illa ut præmium est justitiæ credentibus imputatæ: sic omnibus ex æqvo est communis. Omnes ex æqvo videbunt DEum, *1. Job. III,2.* Omnes boni servi, qvanqvam laboribus dispares ibunt in idem gaudium Domini sui, *Matth. XXV,21.23.* Omnes à dextris stantes idem regnum occupabunt, omnes justi ex æqvo ibunt in vitam æternam, *vers.34.46.* Neqve Paulo soli, sed omnibus, qvi diligunt adventum Domini, dabitur corona vitæ, *II. Tim. IV,8.* Eadem ibi felicitas futura ratione formæ, h.e. visionis DEI, & essentialium proprietatum, gaudii, dilectionis, durationis, securitatis, satietatis, immunitatis ab omnibus adversis &c. cùm DEus erit omnia in omnibus, *1.Cor.XV,28.* Vid. Hopffn. *l.c. aphor. 2.p. 330.sqq.* Ad gradûs gloriæ uti præmia sunt justitiæ inhærentis & operum, juxta *I. Cor. III,8. I.Tim.IV,8:* ita majores minoresve futuros non negamus. Vide *Dan.XII,3. I. Cor. XV,42.* Ubi tamen porrò (β) accuratissimè observandum, præmia illa *respectum* qvidem

2) de qvibus præmiis,

3.) de qvali justitiâ ad præ-

qvidem habere ad opera nostra, non talem tamen, qvalis inter mercedem propriè dictam & laborem intercedit, ubi *aqualitas meriti & pramii* reqviritur. Omnia hic gratiæ & benignitati DEI tribuenda, qvi sua dona coronat. *Neq; sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qvæ revelabitur erga nos.* Rom. IIX, 18. Et *Luc. XVII.* ipsos Christi discipulos *v. 1.* qvi fidem habebant, eamqve sibi augeri petebant, *v. 5.* etiam tunc cùm omnia faciunt, qvæ ex gratiâ renovationis facere possunt, ut servi fideles, (*Matth. XXV, 21.*) tamen fateri oportet, qvod res est: servi inutiles sumus, qvia qvod debuimus facere, fecimus, *v. 10.* Qvare & electi agnoscere nolunt merita & dignitatem operum suorum, etiam qvando coram angelis & hominibus ab ipso Filio DEI illa celebrantur, *Matth. XXV. 37.* & coram sedente in throno demittunt coronas suas, humiliq; confessione, se illis indignos esse agnoscunt, *Apoc. IV, 10.* Rectè proinde Masenius ex mente Protestantium imperfectionem & sordes bonorum operum nostrorum accusat, ceu causam, cur nulla illis paritas aut æqvalis proportio cum gradib9 gloriæ, tanqvam ex justitiâ debitis tribui possit. Conf. Chemnit. *Harm. Evang. cap. LI. in Matth. V, 12. p. 699.* & *Exam. Conc. Trid. de B. O. qv. 4. p. 185. sqq.* Höpffner. *Disp. II. de justif. aph. 10. p. 154. sqq.* & *Disp. XI. c. 4. aph. 2. p. 1043. sqq.*

mia respectu qvaratur?

II. Sententia nostræ confirmatio.

12.

ſqq. *Etſi fatemur*, (ita inter alia Chemnitius *p 188. Exam.*) *in reconciliatis Bona opera habere præmia ſpiritualia & corporalia, in hac vitâ & poſt hanc vitam: non tamen concedimus, illud fieri, ſicut Pontificii dicunt, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum juſtitiæ divinæ, propter veram rationem meriti: qvia nihil deſit operibus, qvò minùs Legi divinæ ſatisfaciant. Scriptura enim aliqvot recitat rationes, bona opera habere præmia non ex debito juſtitiæ divinæ propter rationem meriti, ſed ex gratuitâ dignatione paternæ erga filios, qvos gratis propter Filium adoptavit, clementiæ.*

III. *Sententiæ Pontificiæ explicatio.*

In contraria omnia Papiſtæ abeunt: qvorum ſententiam occultat Maſenius, qvò imponere Lectori ſecuriùs posſit allegatione dictorum Scripturæ, qvæ qvàm aliena ſint ab inſtituto, facile erat deprehendere ex ingenuo mentis Papiſticæ indicio. Sic autem illi. Geminam fingunt juſtificationem: *primam* & *ſecundam*. Per *illam* ex non-juſto juſtum; per hanc ex juſto juſtiorem reddi ajunt. *Illam* nulla præcedunt opera; *hæc* verò tanqvam merces debita bonis operibus comparatur. *Illâ* juſtificantur coram DEO, qvibus infunditur primùm habitualis juſtitia ſive charitas; *hâc*, qvi ex infuſo habitu præſtant opera juſtitiæ, qvibꝰ juſtitiam ſubinde majorem eâ, qvæ gratis propter Chriſtum in primâ juſtificatione infun-

infunditur, mereantur. *Illâ* salus accipitur ut donum, propter justitiam inhærentem seu infusam; *hac* ut merces acqviritur per opera. Qvæ qvò plura sunt, & præstantiora, hoc major qvoq; merces in vitâ æternâ debetur & distribuitur ceu ex debito, in cœlis. Hæc Pontificiorum commenta sunt, qvæ omnia qvàm sint verbo DEI contraria, accuratè demonstravit B. Höpffnerus *Disp. X. de Justif.* unde plura petantur. Hîc indicanda saltem Pontificiorum sententia fuit, ut intelligeretur, non de *augmentis justitiæ inhærentis*, neq; de *dispari gloriâ beatorum in cœlis pro disparitate operum*, qvæ in hâc vitâ præstiterint, disputari: qvæ & nos concedimus, & unicè probare ex Scripturâ Masenius potuit. Qvi hoc debuerat ostendere potiùs, *hominem coram DEO justificari per illam justitiam, qvæ augeri indies debet: & augmenta illa auctiorem gloriam in cœlis propriè loqvendo mereri.* Acu rem tetigit Chemnitius *P. I. Exam. Tit: de accepta justificationis incremento.* & qvid hîc intendant Pontificii, planissimum fecit. *Observet Lector,* (ait p. 152.) *insidiosum Synodi* (Masenium nos substituamus,) *artificium. Sumunt doctrinam & testimonia Scripturæ, qvomodo renovatio de die in diem crescere, qvomodo inhærentia dona Spiritûs, per orationem in exercitiis augeri debeant: & sub illâ specie longè aliud agunt. Titulus enim* *& argumentâ:*

(punctum considerationis) *est de accepta justificationis incremento*,&c. Et mox p. 153: *Breviter: Meritum condigni est Helena illa, de qvâ capitulum Tridentinum* (consideratio Maseniana) *pugnat Fingunt enim, ideò infundi qvalitatem sive habitum charitatis, non ut primâ illâ gratiâ habeamus salutem & vitam æternam, sed ut illâ gratiâ adjuti possimus nostris bonis operibus ipsi nobis promereri vitam æternam.* Qvod qvidem dogma ibidé Chemnitius, cùm aliis argumentis pluribus impugnat, tũ Apostolicâ distributione *Rom.V,1.2.* ubi principium, (*per Christum* enim dicimur *habere accessum fide in gratiam, ut fide justificati pacem habeamus apud DEUM,*) & medium (dum *in illâ gratiâ fide stamus*) & finem, (dum *fide gloriamur de spe gloriæ DEI*) fidei ascribit.

Exposito sic statu controversiæ, ultrò concidit, qvicqvid à Masenio affertur, tum pro *incremento justificationis*, tum pro *gloriæ gradibus*, qvi bonis operibus debeantur. Videamus breviter.

ex Rom. VI,19. (1) *Catholici* (ait) *affirmant juxta Paulum monentem: Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*, Rom. VI, 19. Qvis non videt, ab incremento *sanctificationis* (de qvâ, ceu fructu justificationis *cap. 6. & seqq.* agit Apostolus) ad incrementum *justificationis* (de cujus naturâ *cap. præcedd.* egerat)

gerat) perperam concludi? Gerh. *de B.O.* §.*86*. Hülleman. *Manual. p. 178*.

(2) *Qui parcè seminat, parcè metet. Potens est autem DEus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Multiplicabit ille semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis*, II.Cor.IX.6.8.10. Resp. A *gratuitâ præmiatione* eleemosynarum per benedictionem temporalem (qvam *v. 8.* manifestè Paulus indicat,) vel per uberiorem etiam in cœlis gloriam, ad *compensationem & mercedem debitam*: rursum, ab incrementis τῶν γεννημάτων seu *fructuum justitiæ*, (qvæ periphrasis est bonorum operum & hic, & *Phil. I, 11.*) ad augmentum *justitiæ, qvâ coram DEO justi* reddimur N.V.C. Conf. Balduin. *ad h. l. qv. 2.4.p.696.sq.* Gerh. *loco jam cit.* *ex II. Cor. IX, 6.8.10.*

(3) *Et angelus apocalypticus* (pergit noster,) *postqvam de futuro judicio pœnisq; ac præmiis justificandorum disseruisset, ita concludit: Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum, reddere unicuiq; secundum opera sua.* Apoc. XXII, 11. *Ubi loqvi Apostolum de justitiâ coram DEO, non coram hominibus, manifestum est, cùm agat de remuneratione vitæ æternæ.* Resp. Si Augustinum seqvi Masenius, ut promiserat initio, *ex Apoc. XXII, 11.*

velit: fatendum fuerit, non de justitiâ coram DEO, sed eâ, qvæ injustitiæ, prout alii s nocet, opponitur (de qvâ initialibus hujus versiculi verbis loqvitur apocalypta.) sermonem hîc esse. Sic enim is *Epist.CXXXVII.* qvæ est ad plebem Hipponensem, sub finem *T.II.p.660.* interpretatur, ceu Hõpffnero observatum *de justif. D.X.c.1.apb.1. § 34. p. 869.* qvam interpretationem ex nostris qvoqve Hülsem. *manual. p. 173.* & Brent. *Confess. Würtenb. p.287.* amplectuntur. Permittamus verò, de justificatione coram DEO sermonem esse: qvid cogit, particulam ἔτι *adhuc* de augmento potiùs, qvàm continuatione, vel reiteratione etiam explicare? Sanè hoc posteriori sensu eam Johannes usurpare solet, in Apocalypsi, *c.III,12.X,6.XXII,3.* & eodem hîc usurpari, demonstrat Gerh. *L.de justif.*§.10. Höpffn. *l c.*&*MacarismoDavid.porism.2.*§.1.*p.424.* Gloria verò cœlestis *merces* dicitur, sed δωρεὰν, gratis dandâ, juxta *vers.*17. merces non *ex debito*, sed *ex gratiâ* danda, ut distingvit Apostolus *Rom. IV.4.* qvam (non ἀντιδώσει, sed) ἀποδώσει h.e. gratuitâ donatione (qvo sensu hoc verbum Matth. XXVII.58. usurpatur, à Marco *c.XV.44.* per δωρεῖν expressum:) non *propter* opera, (hoc enim sensu nos secundum opera negat salvatos Apostolus *II.Tim. I, 9. Tit, III,5.*) sed *secundum* opera, qvatenus ea de justitiâ Christi per fidem apprehensâ testantur,

ftantur, ut Gregorio & Lirano observatum. Lege Hôpffner. *disp. de Ecclesiâ vera ante Lutherum* *th. XX. Memb. 2.* §. 3. *sqq. p. 488.* & *de justif. p.* 143. 151. 943. *sqq.* 1047. *sqq.* Gerh. *L. de B.O.* §. 113. 115. Walther. *Harm. ad Rom. II, 6. p.* 1043. Calov. *Theol. apostolico-Rom. Orat. XVI. p. 49. sqq.* Chamier. T. *III. L.* 14. *c. 6. 7. p.* 231. *sqq.*

(4.) Qvod addit: *Eum, qvi negat hominem in sanctitate indies proficere posse, simul omne virtutis perfectionisq; coram DEO majoris studium tollere :* in eo facilè nos consentientes habet. Non incrementa sanctitatis in renovatione, sed illius justitiæ, qvâ in justificatione à peccatis absolvimur, negamus. Adhortamur cum Paulo ex *Rom. VI.* ad virtutis perfectionisqve majoris coram DEO studium : simul detestamur cum eodem ex *Rom. III. IV. XI.* vanum illorum studium, qvi per suam virtutem & perfectionem salutem & vitam æternam obtinere laborant.

(5.) Porrò autem : *Qvi negat hominem in Sanctitate indies proficere posse, negat, Christum sincerè adolescenti illi Evangelico* (cujus si studia cogites, non malè *Legalem* dixeris) *mandatorum divinorum observanti locutum esse : Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, & da pauperibus, & veni, seqvere me.* Matth. XIX, 21. Viderit hic, qvid respondeat, qvi in sanctitate negat homi- *ex Matth. XIX, 21.*

 nem

nem proficere posse. Nos ne q; hoc negamus,& jam suprà, qvomodo Christus adolescenti huic demonstrare voluerit, qvàm longè à perfectione in lege reqvisitâ abesset,ostendimus. Lege Chemnit. *Locor. P. II. de præceptis & consil. c. 4. p. 293. sqq.*

ex Matth. XIX, 29. (6) *Qvis verò non intelligat, majorem coram DEO perfectionem assecutos esse apostolos, majusq; in cœlo factorum obtinuisse præmium, qvàm infantes recens à baptismo salvandos, qvibus dictum est: Vos, qvi reliqvistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. XIX, 29. Intelligimus majus in cœlo præmium. Meritum majoris præmii non deprehendimus. Ex purâ gratiâ promittitur his, qvi domos, fratres, parentes, uxores, animam ipsam (non ultroneâ & ex majoris perfectionis opinione factâ desertione, sed violentâ & patienter ob Christi nomen toleratâ ereptione) relinqvunt, centuplum; promittitur vita æterna, non ut promerita *merces*, sed κληρονομίας, h. e. *hereditatis* jure obtinenda. Describitur *qvalitas filiorum* κληρονομούντων, non exprimitur *causa hereditatis*, qvæ sola filiatio est, juxta *Rom. VIII, 17.* qvæ per fidem obtinetur & conservatur, *Gal. III, 26. 29.*

ex Joh. XIV, 2. (7.) Verbis Christi Joh. XIV, 2: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, diversos gloriæ gradûs significari concedimus: eos

eos verò per merita operum obtineri negamus. Qvanqvam enim Augustinus voce *meriti* in explicatione istius loci utatur, cujus ista ex *tract.67. in Joh.* verba Masenius adscribit: *Multæ mansiones, diversas meritorum in unâ vitâ æternâ significant dignitates. Alia est enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum. Stellâ enim à stellâ differt in gloriâ, sic & resurrectio mortuorum*: notius tamen est, qvàm ut probari prolixè debeat, *meritum* tum SS. Patribus aliis, tum Augustino laxiori sensu (qvem nec nostri qvidem Doctores abhorrent, ut ex *Apol. Aug.Conf.p.96.117.137.* Luth. *gloss. marg. ad Gen.XXII,18.* Phil. Melanchth. *L. C. de Bon. Op qu.4.p.302.* Urb. Rhegio *de form. cautè loqvendi c.2.* & infinitis aliis patet:) sæpè idem esse, qvod τυγχάνειν consequi, indipisci: qvomodo & apud profanos Scriptores interdum usurpari, Casaubonus *ad Plin. Jun.L.I.Ep.8.* observat. De Patribus hoc non modò observarunt & demonstrarunt ex nostratibus & Reformatis Balduin. *disp. de meritis bonor. oper. th. 4. sqq.* Gerh. *L. de B.O.§.124. & Tom.ult.Conf.Cath.p. 893.sqq.* Höpffn. *de Ecclesiâ ante Luth.th.XX.m.2. §. 7.8.* Buchner. *in Prudentii hymnum de Nat. Chr.v.110.p.120.* Cham. *t. 3.L.14.c.12.§.15.sqq.* & qvi hîc instar omnium esse potest, Phil. Mornæus *L.III.de Eucharistiâ c.21.p.1345.sqq.* sed ex Papizantibus etiam & Papistis multi sunt

(Meritū qvid notet Patribus

sunt confessi. Sanè non Hugo tantùm Grotius, & Georgius Calixtus, deniq; & Conr. Hornejus οἱ συγκρητίζοντες hoc eruditè deducunt, ille *annot. ad Luc. XVII. 7.* iste *tract. de pactis, n. 208.* hic *P.II. Disp. Disp. IV. §. 212. p. 525.* sed Bellarminus etiam præcipuus Rom. Ecclesiæ Purpuratus Jesuita *L.II. de grat. & lib. arb. c. 12. §. hæc responsio manifestè*, vi veritatis adactus scribit: *Meritum appellant Patres in hac qvæstione qvodlibet opus bonum, ratione cujus gratia vel auxilium homini datur, ut patet ex Augustino L.II. ad Bonifac. c. 8.* Et clariùs adhuc alius ejusdem Societatis presbyter Petrus Canisius *L.II. de Mariâ deiparâ virg. c. 16. p. 236: Qvod ad meriti nomen attinet, Ecclesiastici sanè scriptores eo freqventer utuntur, ubi actio etiam nulla est hominis, cui præmium ex DEI lege propositâ debeatur:* qvi & post adducta explicataqve Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii testimonia, notanter addit: *Qvare non tanta vis in meriti nomine statuenda est, qvod sæpe numero tam laxè usurpatur, ut ad qvalemcunq; bonam actionem vel facultatem piis concessam extendatur, etiamsi nulla ratio subseqventis præmii, cui meritum respondeat, annexa sit.* Vega L.VIII. de justificat. c. 8. p. 189: *Non me fugit, usurpari apud Patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti, neq; de congruo, neq; de condigno.* Qvoniam igitur Augustinus alibi

ipsorum Jesuitarũ judicio?)

alibi meritum omne cœlestis gloriæ denegat justitiæ humanæ, dubium non est, qvin hic ἀκύρως & laxè meritorum vocem usurpaverit. Meritum certè strictè acceptum negat in *Ps. LXII.* ita scribens: *DEUS vitam æternam dat nobis, non qvasi propter merita nostra, sed propter miserationem suam. Tom. IIX. Opp. p. 640.* Et *Tom. VII. lib. de grat. & lib. arb. c. 9 p. 1309.* locum expendens Apostoli Rom. VI, ult: *Stipendium peccati mors, Gratia autem DEI vita æterna: Ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris DEUM nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.*

(8.) *Idem tamen Pater* (seqvamur enim Masenii vestigia) *perfectionem justorum, & merita hujus vitæ statuit, ubi de peccatoris justificatione agit, tanqvam de agri sanatione* T. III. de Trinit. L. 14. c. 17. *Prima, ait, curatio est, causam removere langvoris, qvod per omnium fit indulgentiam peccatorum. Secunda, ipsum sanare langvorem, qvod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis; qvæ duo demonstrantur in Psalmo* (CIII, 3.) *ubi legitur: qvi propitius fit omnibus iniqvitatibus tuis: qvod fit in baptismo. Deinde seqvitur: Qui sanat omnes langvores tuos, qvod fit qvotidianis accessibus, dum hæc imago renovatur, de qva Apostolus locutus est* (II. Cor. IV, 16.) *dicens: Etsi exterior homo noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem.* *ex Augustino.*

cui resp. Scilicet hîc totam hominis miserrimè per peccatum afflicti restitutionem considerat cum regio Psalte, qvæ fit tum veneni ejectione, tum prostratarum virium instauratione, qvorum alterum fit in justificatione, alterum in renovatione, qvæ ex monito Apostoli, qvod rectè huc accommodat Augustinus, majora subinde augmenta acqvirere debet. Hos enim nobiscum limites accuratè Augustinus contra Pontificiam confusionem distingvit. In cujus textu obiter observare licet, qvàm non conveniat Augustino cum superiùs confutatâ thesi Masenii statuentis, in baptismo omnem penitùs deleri & extirpari noxam ab Adamo in nos derivatam. Contrà peccatum condonari in baptismo hîc dicit Augustinus, renovationem autem imaginis divinæ qvotidianis accessibus fieri. Juvat, hîc ascribere locum illius, qvo remissionem peccatorum atq; adeò justificationem totam & plenam fieri simul, successivam verò renovationem clarissimè profitetur. Sic enim L. II. de peccator meritis & remisl. c. 7. T. VII. p. 694: *Non ex qva hora qvisq; baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum --- Nam in baptismo qvamvis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, -- non diceret Apostolus:*

ex Augustino.

stolus: Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Profectò enim qvi de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; & in qvantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est.

(9.) Pergit Masenius: *Vas illud electionis Apostolus ad perfectionem majorem contendit* (Phil. III, 12. sqq.) *& nos torpeamus, ne dicam, ejusmodi perfectionis studium, velut justis ad salutem inutile rideamus?* Non antiqva minùs, qvàm falsa accusatio: rideri à nobis ceu inutile perfectionis studium, dum salutem obtineri, nisi per & propter Christi imputatam fideq; apprehensam justitiam, posse negamus. Sed cui jam suprà à nobis est responsum. Seqvimur vas illud electionis Apostolum, qvi incrementa perfectionis inhærentis omni conatu se sectari eodem hoc capite profitetur, qvo per solam Christi justitiam, qvæ ex fide est, justificari & salvari cupit, non per suam justitiam, qvam in hoc negotio pro mero damno, imò pro excrementis habet, *vers. 7. sqq.* Ut proinde non repugnent ista: Per solam Christi justitiam omnibus numeris absolutissimam ideoq; augmenti incapacem salvari velle: Et: ad majorem perfectionem contendere. *ex Philipp. III, 12.*

Itaq;

Itaqve (10.) qvæ ex *Augustino* & *Psalte* subjicit de profectibus Christiani hominis, transmitti possunt, cùm ad justificationem, de cujus augmentis hîc qværebatur, nihil faciant.

ex Syr. XVIII, 22. (11.) Unus ex Syracidæ libro, *c. XVIII*, 22. locus superest, in qvem punctum hoc desinit: *Ne verearis usq; ad mortem justificari, qvoniam merces DEI manet in æternum.* Obtusum verò telum ex (α) libri apocryphi (β) loco interpolato (illa enim: *qvoniã merces DEI manet in æternum*, in Græco non habentur:) & miserrimè (γ) detorto. Qvi enim contextum in fonte Græco inspexerit, illicò deprehendet, non de *justificatione coram DEO*, sed de *justitia in dictis*, seu fidelitate in servando voto, cujus terminum usqve ad mortem differri vetat sapiens, sermonem esse. Qvod ut intelligatur, verba saltem apponemus integra. Μὴ ἐμποδίσῃς ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως, καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι. Πρὶν εὔξασθαι ἑτοίμασον σεαυτὸν, & qvæ seqvuntur. Hoc est: *Ne prohibeas, reddere votum opportunè, & ne expectes usq; ad mortem, justificari. Antequam voveas, præpara te* &c. Pone verò de justificatione coram DEO sermonem esse. Prohibebit Ecclesiasticus ad mortem differri illius per veram pœnitentiam impetrationem. Qvid hoc ad justificationis incrementum? Accuratas hujus loci vindicias

cias lege apud Höpffner. *Disp. X. de Justif c. 1. aph. 3. §. 3. sqq. p. 888.* & confer Hutter. *Comm. in F C. p. 392.* Gerh. *L. de justif. §. 10. & de B. O. §. 86.* Hüllem. *Anti Hager. D. V. q. 2. §. 14. p. 176.* Calov. *exeg. Aug. Conf. art. 4. c. 8. § 1.*

Punct. III. p. 108-111.

De meritis bonorum operum:

disqvirit: *An aliqva dignitas sive æstimatio nostris bonis operibus coram DEO insit, propter qvam mercedem aut præmium vitæ æternæ mereantur?* Rem verò ita expedit, ut (1.) *Protestantium* sententiam qvibusdam argumentis stabiliat, (2) *Pontificiam* doctrinam partim *vindicet* a Protestantium memoratis rationibus, partim suis qvibusdam argumentis *confirmet.*

I. Sententia Protestantium, probata à Masenio

Nostram sententiam sic exponit: *Negant Protestantes ex eodem principio, qvia tam originali concupiscentiæ vitio, qvàm imperfectionibus variis inqvinata esse asserunt, ita ut pœnam potiùs mereantur, & abominationem DEI, ut sacrificium Judæorum,* Esa. I, 13: *Hinc cùm fecerimus omnia, qvæ precepta sunt, servi adhuc inutiles simus,* Luc. XVII, 10. *Et facti simus, ut immundi omnes*

nos,

nos, & qvasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostra, (Esa. LXIV, 6.) *neq; condignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, Rom. VIII, 18. *ac tantùm gratia DEI sit vita æterna*, Rom. VI, ult. *hæreditas filiorum DEI, non nisi impropriè merces, ut in Domino tantùm gloriemur, & non aliis, qvàm Christi meritis salutem tribuamus.*

Tergeminam ergò, si rectè expendas, (1) *ex imperfectione operũ nostrorũ:* rationem pro nostrâ sententiâ allegari posse indicat. *Unam* ex conditione operum nostrorum: qvæ cùm impura sint & imperfecta, pœnam potiùs, qvàm præmium merentur, si rigidè nobiscum agere DEUS velit. Omnis enim ἀνομία peccatum est, & consequenter pœnam meretur. Illa verò impuritas & imperfectio omnibus operibus nostris adhærens à Lege deviat, qvæ perfectissimam obedientiam poscit. Qvare *peccatum est, cùm vel non est charitas, qvæ esse debet, vel minor est, qvàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: qvia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit*, ut habet Augustinus *de perfect. justitiæ contra Celestium, resp. 15. T. VII. p. 1422.* Qvi pulchrè etiam *L. XIX. C. D. c. 27. princ: Ipsa justitia nostra, qvamvis vera sit propter veri boni finem, ad qvem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potiùs peccatorum remissione constet, qvàm perfectione virtutum. Qvamdiu* enim (sic idem

idem Augustin. *Epist.XXIX.T.II.p.116:) augeri potest virtus, profectò illud, qvod minus est, qvàm debet, ex vitio est. Ex qvo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex qvo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter qvod vitium, si dixerimus, qvòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter qvod etiam qvantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cùm jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint.* Atq; huc verba *Esa LXIV, 6.* pertinent. *Alteram* ex naturâ meriti. Ad qvod reqviritur, ut opus sit *nostrum*, ut *indebitum*, ut dignitate & pretio *æqvale* illi, qvod operi redditur, ceu à Gerhardo *L.de B. O.* § *102.* Danhau. *Hodos.p.1388.* & *Hodom.P.ap tom.II. p. 167.* Carpz. *isag. p. 290.* & aliis declaratum. Qvorum nihil operibus nostris convenit, qvod ex *Luc. XVII, 10. & Rom. VIII,* 18. probatur. *Postremam* ex prædicatis vitæ æternæ, qvæ *gratia DEI*, seu donum ex gratiâ datum, χάρισμα θεοῦ (in oppositione ad stipendium seu mercedem propriè dictam) dicitur *Rom.VI. ult.* & hæreditas filiorum DEI, *Rom:VIII,17.Col.III.14.* ut adeò in solo Christo gloriari liceat, non in ullis meritis nostris, 1.*Cor.I,31.* Hæc ergò nostræ sententiæ argumenta profert Masenius, qvi-

(2) ex natura meriti:

(3.) ex prædicatis vitæ æternæ.

qvibus plura nunc non addimus. Ea enim aliunde repeti possunt.

II. *Sententia Pontificiorum (I) malè vindicata contra 1. argum. ab imperfect. Opp. per distinct. boni operis*

Pontificiam sententiam, qvomodo *vindicet*, & qvomodo argumentorum istorum robur elidere laboret, videamus. Circa primum argumentum de imperfectione impuritateq; operum nostrorum præsidium in vanis qvibusdam distinctiunculis ponit. Bonum opus ait considerari (1) vel ut *à natura* hominis, vel ut *à gratia* Spiritûs S. propter Christum nobis dati fluit. *Priori* modo indignum esse omni præmio ; *posteriori* verò mereri vitam æternam. Cæterùm & opus Spiritui S. originem debens spectari (2) vel ratione *concessæ gratiæ*, vel ratione *actûs liberè exerciti*. *Priori* modo si consideres, gratuitum ; *posteriori* dignum cœlestis gloriæ præmio esse. Dignum autem (3) non *ex se*, & naturâ suâ, sed *ob promissionem* vitæ ac gloriæ à DEO factam. Qvæ *partim* falsa & inepta sunt , *partim* aliena à proposito, *partim* veteratoria & ad fraudem composita. (1) *Falsa & inepta* est distinctio boni operis à naturâ & Spiritu Sancto profecti. Omne enim bonum opus ab illo Spiritu proficiscatur, necesse est, *cujus fructûs sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas* &c. Gal. V, 22. *qvi renatos agit, ceu filios DEI*, Rom. IIX, 14. *ut in Spiritu*

(1) à natura, & à Spiritu profecti.

am-

ambulent, nec desideria carnis perficiant, Gal. V,16. Unde fatentur Sancti Esa. XXVI, 12: *Omnia opera nostra tu, Domine, operatus es in nobis.* Qvicqvid ex hoc fonte non promanat, impurum est & turbulentum. *Qvicqvid non est ex fide, peccatum est*, Rom. XIV, ult. *Coinqvinatis* enim & *infidelibus nihil est mundum, sed inqvinatæ sunt eorum & mens & conscientia*, Tit. I,15. Neqve cuiqvam, opinor, de irregenitorum virtutibus hic venire in mentem poterat, ubi de bonis operibus regenitorum, qvæ non aliunde, qvàm à Spiritu S. originem habent, qværitur: an meritoria vitæ æternæ sint: ut supervacaneum sit etiam, bona opera à naturâ profecta hinc removere. Porrò ea etiam opera, qvæ Spiritus S. in regenitis operatur, vel ideò mereri qvicqvam non possunt apud DEUM, qvia à DEO profecta: *Non* enim *ego laboravi, sed gratia DEI, qvæ est in me*, I. Cor. XV, 10. Qvomodo autem DEUS pro eo, qvod ipse operatur in nobis, aliqvid debere nobis possit? Et sanè, si Apostolum audiamus, opera omnia, qvæ pii etiam ex gratiâ Spiritûs S. præstant, excluduntur è negotio salutis, soli misericordiæ DEI omnia vindicantur: urgetur adæqvata fidei & operum oppositio *Rom. III. XI. Gal. II. Eph. II. Tit. III.* ut ex superioribus constat. (2.) *Nihil ad rem* facit, gratuitum dici opus, qvia ex mera gratiâ proficiscatur. Qvanqvam si co- *(2) ratione concessa gratia,*

 gites,

& ratione actûs liberè exerciti conſiderati : gites, à Pontificiis primam, qvam vocant, juſtificationem merito de congruo tribui, dubitare poſſis, an bona opera, qvæ primam juſtificationem conſeqvuntur, merè gratuita habeant. Nam ne merito qvidem congrui omnem comproportionem intrinſecam fluentem ex ipsâ facti ſubſtantiâ negant, ut animadverſum Hülſemanno *Breviar.c.XII.§.5.p.163.* & aliis. Sed hoc noſtrâ parum refert. Ratione autem actûs liberè exerciti ſpectatum opus bonum mereri vitam æternam, probandum erat. Repugnat enim hactenus apoſtolica aſſertio opera excludens omnia, repugnat natura meriti, nec permittit operum ipſorum imperfectio & ἀμετρία ſeu, ut ſic vocem, improportio ad cœleſte præmium.

(3) ex naturâ ſuâ, & ob promiſſionem meritorii. (3.) *Mera fraus* eſt, qvòd dignitatem & virtutem meritoriam bonorum operum ad promiſſionem à DEO factam reſtringit : qvaſi *non ex naturâ ſuâ* (qvod margini etiam aſcribit,) *ſed ex gratiâ & promiſſione habeant* hoc Bona Opera, ut vitam æternam mereantur. Eqvidem molliores videri volunt hodierni Jeſuitæ antiqvioribus Papiſtis, qvi opera renatorum in ſeſe ejus dignitatis eſſe contendebant, ut vita æterna illis debeatur, ſi maximè nulla acceſſiſſet DEI promiſſio, qvam Cajetani ac Soti fuiſſe ſententiam Bellarm. *L.V. de juſtif. c.17.* obſervat, qvibus Tannerus *Tom. II. Theol. Schol. D.6 q.6, dub.3. n.49.* Zumelem

& Vas-

Digitized by Google

& Vasqvesium addit. Agnoſcunt, non magis deberi homini pro bonis operibus mercedem, niſi ita pactus fuiſſet DEUS, qvàm mercenario, qvi inſcio vel invito Domino diligentisſimè laboraverit, qvâ ſimilitudine Becanus *Theol. Schol. tr. IV. q. 4.* rem declarat. Cenſent interim, in promisſione iſtâ ſuâ DEUM ad dignitatem operis ipſius reſpexiſſe, neqve ex merè gratuitâ miſericordiâ, ſed juſtitiæ lege hanc mercedem pactum fuiſſe, Scotumqve cum aſſeclis refutant, qvi virtutem meritoriam operum tantùm à promisſione DEI ſuſpenderant, in qvam ſententiam Casſander etiam *Conſult. art. 6.* & *notis ad hymnos Eccleſ.* concesſit. Scilicet non opponunt intrinſecam virtutem operis & promisſionem DEI, ſed conjungunt, & utroqve titulo deberi bonis operibus vitam æternam aſſerunt. Qvod utut disſimulet Maſenius, negare tamen vix poterit, qvamdiu bonorum operum meritum de condigno in acqvirendâ vitâ æternâ defenderit. Hoc enim à merito congrui ſic ferè diſtingvunt, ut non ſolùm ex acceptatione qvadam DEI, vel ex congruentiâ ſeu honeſtate (ut meritum de congruo,) ſed etiam ex intrinſecâ ſuâ bonitate præmium & mercedem exigere dicant. Vide Tannerum & Bellarm. *ll. cc.* qvorum alter capiti 17. L. V. de juſtif. hoc lemma inſcripſit: *Opera bona juſtorum meritoria eſſe ex condigno, non*

solùm ratione pacti, sed etiam ratione operum. Qvod viderit qvomodo cum marginali suo conciliet Masenius.

contra 2. argum. Pergamus ad exceptiones qvibus Salvatoris nostri decisionem *Luc. XVII, 10.* Ecclesiæ Jsraëliticæ confessionem *Esa. LXIV, 10.* & Apostoli Pauli professionem *Rom. VIII, 18.* eludere Masenius voluit.

ex Luc. XVII, 10. (1.) Salvatoris nostri *Luc. XVII, 10.* luculentissima verba sunt, ut mirum sit ad tam claram lucem cæcutire Pontificios. Sanè si nostra opera jam jure dominii DEO debita sunt, (servi enim sumus. δῦλοι, qvi nihil sibi mereri possunt, non ἐργάται digni mercede, *Matth. X, 10:*) si nulla nobis debetur gratia facientibus, qvæ imperavit dominus *v. 9.* si jubemur nos etiam si fecerimus omnia, qvæ debuimus, dicere servos inutiles, non mendaci & hypocriticâ humilitate, (qvæ Bellarmini inepta exceptio est *L. V. justif. c. 5. §. quartò. & L. II. de monach. c. 13. L. II. de indulg. c. 10.* Costeri item *c. 7. enchir. p. 289.* à Concilio Milevitano *Can. 6.* anathemate percussa) sed veraci confessione, facilè intelligitur, qvantum debeat operibus nostris DEus. *Si inutilis servus est, qvi fecerit omnia, qvid de eo dicendum, qvi explere non potuit?* qværit Hieronymus *Epist. ad Ctesiph.* Interim ut varia effugia qværunt alii ex Pontificiis præclusa à Gerhardo *L. de B. O. §. 91.* & *Conf. Cath. Tom. ult. p. 864. seqq.* Hulsem,

fem. *contra Hager. D. V. q. 2. p. 191. sqq.* Danh. *Tom. II. Hodom. Pap. p. 271. seqq.* Parente meo *Isag. p. 271 sq.* & prolixissimè Dn. Seb. Schmid. *fascic. dispp. Philologico-theologicar. Disp. XVIII.* nec non Chamier. *T. III. L. XIV. c. 16*: sic geminâ elabi se posse viâ Malenio putat. Primùm illorum legit vestigia, qvi servos *inutiles ex naturâ* censeri putant, ipsos tamen maximè utiles per gratiam effici. Tum si fortè hac viâ res non procedat, ad eos confugit, qvi *inutiles Domino* intelligunt, qvòd suo tantum commodo laborent. Nugæ! Alloqvebatur Christus discipulos, regenitos & verâ jam fide donatos, illiusqve augmentum petentes *v. 5.* Affirmat, eos etiam inutiles, qvi mandata Domini impleant. Qvod fieri, nisi ex gratiâ, non potest. Qvàm frigida autem qvamqve longè petita sit illa de utilitate ad DEUM relata expositio, Maldonatus & Alphonsus à Castro non dissimularunt. Qvorum ille, *Non id*, ait, *agebatur, ut probaretur, nihil nos utilitatis DEO afferre posse, sed nihil nobis deberi. - - Neq; concludit Christus, dicite: servi inutiles sumus, qvia nihil DEO utilitatis attulimus; sed qvia qvod debuimus facere, fecimus.* Hic: *Longè discedit à literâ* (interpretatio de servis inutilibus non sibi, sed Domino.) *propterea qvod non convenit parabolæ*, v. 7. 8. 9. *ad cujus exemplar nos monuit* v. 10. *ut diceremus, nos servos esse inutiles. Nam servus, qvo Do-*

 mini

larminus & alii futiliter ogganniendo, qvorum retusa tela à Gerh. *L.de B.O.*§.*93*.Höpfnero *de justific.p.1048.sqq.* Chamier. *T. III.L. 14.c.19.* & aliis.

Contra 3. argum. ex prædicatis vitæ æternæ: Ut cùm dicitur χάρισμα Rom.VI, ult.

Postremum superest argumentum à *prædicatis vitæ æternæ* petitum. Dividit Apostolus *Rom. VI, ult.* præmium in *stipendium*, qvod miles meret, & *donativum*, qvod ex merâ gratiâ Imperatoris datur, observante Tertulliano *lib.de resurr.c.47.* & mortem qvidem peccatorum meritis ut ὀψώνιον, vitam autem æternam in Christo Jesu & propter ipsius meritum nobis, ut purum putum χάρισμα dari testatur. Qvâ de re & Augustinus monuit Epist. CV. ad Sixtum, T. II. p.466 extr: *Ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens: Stipendium justitiæ vita æterna; sed, Gratia, inqvit, DEI vita æterna. Et hæc ne præter mediatorem aliqva alia via qværeretur, adjecit: In Christo Jesu Domino nostro.* Rursum Lib. de grat. & lib. arb. c. 9. T. VII. p. 1309: *Cùm posset dicere, & rectè dicere: Stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere: Gratia autem DEI vita æterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris DEUM nos ad vitam æternam, sed pro miseratione suâ perducere.* Ubi stipendii vocem latiùs & ut meriti appellatione, Bellarmino teste, uti solet, accipere Augustinum,

inde

inde conſtat, qvòd *non pro meritis noſtris DEUM nos ad vitam æternam,* (qvod neceſſe tamen foret, ſi propriè ſtipendium juſtitiæ vita æterna eſſet,) *ſed pro ſuâ miſeratione perducere*, ait. Atq; ſic alibi mentem exponit. *Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur. Ideò dixit: Stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò, niſi gratis ſit, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur, etiam ipſa hominis bona merita eſſe DEI munera, qvibus cùm vita redditur, qvid niſi gratia pro gratia redditur?* Scribit Enchirid. c. 107. T. III. p. 190. *Porrò* dicitur vita æterna *hereditas*, cujus participes filii non propter obedientiam ſuam & ſervitia patri præſtita, ſed per filiationem, qvæ fide obtinetur, (*Joh.* I, 12. *Rom.* VIII, 17. *Gal.* III, 26.) fiunt: qvanqvam ante perceptionem hæreditatis debitum parenti obſeqvium (*Mal.* I, 6.) reqviratur. *Si filii, & hæredes DEi, cohæredes autem Chriſti.* Rom. IIX, 17. *Deniq;* ſic Chriſtus dicitur *factus nobis à DEO ſapientia, juſtificatio, ſanctificatio, &* (qvæ illa inſeqvitur, beata ab omni malo liberatio, ſeu) *redemtio: ut in Domino tantùm gloriemur*, I. Cor. I, 30. 31.

& hæreditas.

Qvid ad hæc Maſenius noſter? *Habebunt igitur, ut ſervi DEI mercedem vitæ æternæ, ut filii adoptivi hæreditatem. Digni hâc erunt, ſed per gratiam promiſſionemq; in*

nos, & qvasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, (Esa. LXIV, 6.) *neq; condignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, Rom. VIII, 18. *ac tantùm gratia DEI sit vita æterna*, Rom. VI, ult. *hæreditas filiorum DEI, non nisi impropriè merces, ut in Domino tantùm gloriemur, & non aliis, qvàm Christi meritis salutem tribuamus.*

(1) *ex imperfectione operũ nostrorũ:* Tergeminam ergò, si rectè expendas, rationem pro nostrâ sententiâ allegari posse indicat. *Unam* ex conditione operum nostrorum: qvæ cùm impura sint & imperfecta, pœnam potiùs, qvàm præmium merentur, si rigidè nobiscum agere DEUS velit. Omnis enim ἀνομία peccatum est, & conseqventer pœnam meretur. Illa verò impuritas & imperfectio omnibus operibus nostris adhærens à Lege deviat, qvæ perfectissimam obedientiam poscit. Qvare *peccatum est, cùm vel non est charitas, qvæ esse debet, vel minor est, qvàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: qvia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit*, ut habet Augustinus *de perfect. justitiæ contra Celestium, resp. 15. T. VII. p. 1421.* Qvi pulchrè etiam *L. XIX. C. D. c. 27. princ:* *Ipsa justitia nostra, qvamvis vera sit propter veri boni finem, ad qvem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potiùs peccatorum remissione constet, qvàm perfectione virtutum.* *Qvamdiu* enim (sic idem

idem Augustin. *Epist.*XXIX.*T.II.p.*116:) *augeri potest virtus, profectò illud, qvod minus est, qvàm debet, ex vitio est. Ex qvo vitio non est justus in terra, qvi faciat bonum, & non peccet. Ex qvo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter qvod vitium, si dixerimus, qvòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter qvod etiam qvantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cùm jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint.* Atq; huc verba *Esa LXIV, 6.* pertinent. *Alteram* ex naturâ meriti. Ad qvod reqviritur, ut opus sit *nostrum*, ut *indebitum*, ut dignitate & pretio *æqvale* illi, qvod operi redditur, ceu à Gerhardo *L. de B. O.* § 102. Danhau. *Hodos.p* 1388. & *Hodom.P.ip tom.II. p.* 167. Carpz. *isag. p.* 290. & aliis declaratum. Qvorum nihil operibus nostris convenit, qvod ex *Luc. XVII,* 10. & *Rom. VIII,* 18. probatur. *Postremam* ex prædicatis vitæ æternæ, qvæ *gratia DEI*, seu donum ex gratiâ datum, χάρισμα θεȣ̃ (in oppositione ad stipendium seu mercedem propriè dictam) dicitur *Rom.VI.ult.* & hæreditas filiorum DEI, *Rom.VIII,*17.*Col.III.*14. ut adeò in solo Christo gloriari liceat, non in ullis meritis nostris, 1.*Cor.I,*31. Hæc ergò nostræ sententiæ argumenta profert Masenius, qvi-

(2) ex natura meriti:

(3.) ex prædicatis vitæ æternæ.

qvibus plura nunc non addimus. Ea enim aliunde repeti possunt.

II. *Sententia Pontificiorum (I) malè vindicata contra 1. argum. ab imperfect. Opp. per distinct. boni operis*

Pontificiam sententiam, qvomodo *vindicet*, & qvomodo argumentorum istorum robur elidere laboret, videamus. Circa primum argumentum de imperfectione impuritateq; operum nostrorum præsidium invanis qvibusdam distinctiunculis ponit. Bonum opus ait considerari (1) vel ut *à natura* hominis, vel ut *à gratia* Spiritûs S. propter Christum nobis dati fluit. *Priori* modo indignum esse omni præmio; *posteriori* verò mereri vitam æternam. Cæterùm & opus Spiritui S. originem debens spectari (2) vel ratione *concessæ gratiæ*, vel ratione *actûs liberè exerciti*. *Priori* modo si consideres, gratuitum; *posteriori* dignum cœlestis gloriæ præmio esse. Dignum autem (3) non *ex se*, & naturâ suâ, sed *ob promisionem* vitæ ac gloriæ à DEO factam. Qvæ *partim* falsa & inepta sunt, *partim* aliena à proposito, *partim* veteratoria & ad fraudem composita.

(1) à natura, & à Spiritu profecti.

(1) *Falsa & inepta* est distinctio boni operis à naturâ & Spiritu Sancto profecti. Omne enim bonum opus ab illo Spiritu proficiscatur, necesse est, *cujus fructûs sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas* &c. Gal. V, 22. *qvi renatos agit, ceu filios DEI*, Rom. IIX, 14. *ut in Spiritu am-*

Digitized by Google

ambulent, nec desideria carnis perficiant, Gal. V,16. Unde fatentur Sancti Esa. XXVI, 12: *Omnia opera nostra tu, Domine, operatus es in nobis.* Qvicqvid ex hoc fonte non promanat, impurum est & turbulentum. *Qvicqvid non est ex fide, peccatum est*, Rom. XIV, ult. *Coinqvinatis* enim *& infidelibus nihil est mundum, sed inqvinatæ sunt eorum & mens & conscientia*, Tit. I,15. Neqve cuiqvam, opinor, de irregenitorum virtutibus hîc venire in mentem poterat, ubi de bonis operibus regenitorum, qvæ non aliunde, qvàm à Spiritu S. originem habent, qværitur: an meritoria vitæ æternæ sint: ut supervacaneum sit etiam, bona opera à naturâ profecta hinc removere. Porrò ea etiam opera, qvæ Spiritus S. in regenitis operatur, vel ideò mereri qvicqvam non possunt apud DEUM, qvia à DEO profecta: *Non* enim *ego laboravi, sed gratia DEI, qvæ est in me*, I. Cor. XV, 10. Qvomodo autem DEUS pro eo, qvod ipse operatur in nobis, aliqvid debere nobis possit? Et sanè, si Apostolum audiamus, opera omnia, qvæ pii etiam ex gratiâ Spiritûs S. præstant, excluduntur è negotio salutis, soli misericordiæ DEI omnia vindicantur: urgetur adæqvata fidei & operum oppositio *Rom. III. XI. Gal. II. Eph. II. Tit. III.* ut ex superioribus constat. (2.) *Nihil ad rem* facit, gratuitum dici opus, qvia ex mera gratiâ proficiscatur. Qvanqvam si cogites,

(2) *ratione concessa gratia,*

& ratione actûs liberè exerciti considerati: gites, à Pontificiis primam, qvam vocant justificationem merito de congruo tribui, dubitare posſis,an bona opera, qvæ primam justificationem conſeqvuntur, merè gratuita habeant. Nam ne merito. qvidem congrui omnem comproportionem intrinſecam fluentem ex ipsâ facti ſubſtantiâ negant, ut animadverſum Hülſemanno *Breviar.c.XII.§.5.p. 163.* & aliis.Sed hoc noſtrâ parum refert. Ratione autem actûs liberè exerciti ſpectatum opus bonum mereri vitam æternam,probandum erat. Repugnat enim hactenus apoſtolica aſſertio opera excludens omnia,repugnat natura meriti, nec permittit operum ipſorum imperfectio & *ἀμετρία* ſeu,ut ſic vocem, improportio ad cœleſte præmium. (3.) *Mera fraus* eſt, qvòd

(3) ex naturâ ſuâ, & ob promiſſionem meritorii. dignitatem & virtutem meritoriam bonorum operum ad promisſionem à DEO factam reſtringit : qvaſi *non ex naturâ ſuâ* (qvod margini etiam aſcribit,) *ſed ex gratiâ & promiſſione habeant* hoc Bona Opera ut vitam æternam mereantur. Eqvidem molliores videri volunt hodierni Jeſuitæ antiqvioribus Papiſtis,qvi opera renatorum in ſeſe ejus dignitatis eſſe contendebant, ut vita æterna illis debeatur, ſi maximè nulla acceſſiſſet DEI promisſio, qvam Cajetani ac Soti fuiſſe ſententiam Bellarm.*L.V.de juſtif. c.17.* obſervat, qvibus Tannerus *Tom. II Theol. Schol.D,6 q.6, dub.3. n.49.* Zumelem

& Vas-

& Vasqvesium addit. Agnoscunt, non magis deberi homini pro bonis operibus mercedem, nisi ita pactus fuisset DEUS, qvàm mercenario, qvi inscio vel invito Domino diligentissimè laboraverit, qvâ similitudine Becanus *Theol.Schol.tr.IV. q. 4.* rem declarat. Censent interim, in promissione istâ suâ DEUM ad dignitatem operis ipsius respexisse, neqve ex merè gratuitâ misericordiâ, sed justitiæ lege hanc mercedem pactum fuisse, Scotumqve cum asseclis refutant, qvi virtutem meritoriam operum tantùm à promissione DEI suspenderant, in qvam sententiam Cassander etiam *Consult. art.6* & *notis ad hymnos Eccles.* concessit. Scilicet non opponunt intrinsecam virtutem operis & promissionem DEI, sed conjungunt, & utroqve titulo deberi bonis operibus vitam æternam asserunt. Qvod utut dissimulet Masenius, negare tamen vix poterit, qvamdiu bonorum operum meritum de condigno in acqvirendâ vitâ æternâ defenderit. Hoc enim à merito congrui sic ferè distingvunt, ut non solùm ex acceptatione qvadam DEI, vel ex congruentiâ seu honestate (ut meritum de congruo,) sed etiam ex intrinsecâ suâ bonitate præmium & mercedem exigere dicant. Vide Tannerum & Bellarm. *ll cc.* qvorum alter capiti 17. L. V. de justif. hoc lemma inscripsit: *Opera bona justorum meritoria esse ex condigno, non*

solùm ratione pacti, sed etiam ratione operum. Qvod viderit, qvomodo cum marginali suo conciliet, Masenius.

contra 2. argum. Pergamus ad exceptiones qvibus Salvatoris nostri decisionem *Luc. XVII, 10.* Ecclesiæ Jsraëliticæ confessionem *Esa. LXIV, 10.* & Apostoli Pauli professionem *Rom. VIII, 18.* eludere Masenius voluit.

ex Luc. XVII, *10.* (1.) Salvatoris nostri *Luc. XVII, 10.* luculentissima verba sunt, ut mirum sit ad tam claram lucem cæcutire Pontificios. Sanè si nostra opera jam jure dominii DEO debita sunt, (servi enim sumus, δȣ̃λοι, qvi nihil sibi mereri possunt, non ἐργάται digni mercede, *Matth. X, 10:*) si nulla nobis debetur gratia facientibus, qvæ imperavit dominus *v. 9.* si jubemur nos etiam si fecerimus omnia, qvæ debuimus, dicere servos inutiles, non mendaci & hypocriticâ humilitate, (qvæ Bellarmini inepta exceptio est *L. V. justif. c. 5. §. quartò. & L. II. de monach. c. 13. L. II. de indulg. c. 10.* Costeri item *c. 7. enchir. p. 289.* à Concilio Milevitano *Can. 6.* anathemate percussa) sed veraci confessione, facilè intelligitur, qvantum debeat operibus nostris DEus. *Si inutilis servus est, qvi fecerit omnia, qvid de eo dicendum, qvi explere non potuit?* qværit Hieronymus *Epist. ad Ctesiph.* Interim ut varia effugia qværunt alii ex Pontificiis præclusa à Gerhardo *L. de B. O. §. 91.* & *Conf. Cath. Tom. ult. p. 864. seqq.* Hulsem,

sem. *contra Hager. D. V. q. 2. p. 191. sqq.* Danh. *Tom. II. Hodom Pap. p. 271. seqq.* Parente meo *Isag. p. 271 sq.* & prolixissimè Dn. Seb. Schmid. *fascic. dispp. Philologico-theologicar. Disp. XVIII.* nec non Chamier. *T. III. L. XIV. c. 16*: sic geminâ elabi se posse viâ Masenio putat. Primùm illorum legit vestigia, qvi servos *inutiles ex naturâ* censeri putant, ipsos tamen maximè utiles per gratiam effici. Tum si fortè hac viâ res non procedat, ad eos confugit, qvi *inutiles Domino* intelligunt, qvòd suo tantum commodo laborent. Nugæ! Alloqvebatur Christus discipulos, regenitos & verâ jam fide donatos, illiusqve augmentum petentes *v. 5.* Affirmat, eos etiam inutiles, qvi mandata Domini impleant. Qvod fieri, nisi ex gratiâ, non potest. Qvàm frigida autem qvamqve longè petita sit illa de utilitate ad DEUM relata expositio, Maldonatus & Alphonsus à Castro non dissimularunt. Qvorum ille, *Non id*, ait, *agebatur, ut probaretur, nihil nos utilitatis DEO afferre posse, sed nihil nobis deberi. - - Neq; concludit Christus, dicite: servi inutiles sumus, qvia nihil DEO utilitatis attulimus; sed qvia qvod debuimus facere, fecimus.* Hic: *Longè discedit à literâ* (interpretatio de servis inutilibus non sibi, sed Domino.) *propterea qvod non convenit parabola*, v. 7. 8. 9. *ad cujus exemplar nos monuit* v. 10. *ut diceremus, nos servos esse inutiles. Nam servus, qvo Do-*

 mini

mino servit, Domino utilis est, qvamvis sibi non sit. Non ergò de utilitate, qvæ provenit Domino, sed de utilitate propriâ ipsorum servorum intellexit.

Esa. LXIV, 6. (2) Ad Ecclesiæ Israëliticæ deprecationem Esa LXIV, 6. exclamat *p.* 109. *extr: DEUM immortalem! tantum ne delirare adversus clarissimam Scripturam quempiam posse, ut justa piorum opera cum Judæorum immundâ justitiâ comparet, in qvibus* (v. 7.) *non erat, qvi invocaret nomen Domini, ideoq; abscondit faciem suam ab illis?* Vetus cantilena jam Bellarmino, Episcopio, Bertio, Grotio usurpata. Expendat autem Lector, annon iste potiùs declamator delirare censendus sit, qvi totius Jsraëliticæ Ecclesiæ, (in qvâ sanè sanctum semen sibi servaverat DEus) publicarum calamitatum sensu gementis, & delicta sua seriò agnoscentis *v.* 7. & verâ fide ad DEUM, ceu Patrem suum confugientis *v.* 8. *sqq.* pœnitentem deprecationem impiæ tantùm Judæorum feci tribuere ausit. Et cur non cœlum, & terram, & Maria Neptuni invocat Demea Coloniensis super Tridentinis Patribus, qvos eodem delirio laborasse necesse est, dum *Sess. VI. cap.* 1. eadem verba ad omnium hominum corruptionem originalem demonstrandum adhibuerunt, scribentes: *Unusqvisq; agnoscat & fateatur, qvod cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdi-*

perdidissent Rom.V. facti immundi Es. LXIV. &c. Cur non & Gersonem, Origenem, Macarium, Dionys. Carthusianum, Bernhardum, ipsumq; Adrianum VI. Pontificem ejusdem dementiæ reos peragit? Qvos intellexisse Prophetam de operibus, etiam piorum, clara ipsorum verba docent, qvæ hanc in rem è Gerhardi *L. de Lege §. 184.* & *L. de B.O.§.64.* repeti possunt. Misera verò ratio *versiculo* 7. extorta: qvo non negat simpliciter Propheta, qvenqvâm in toto populo invoçare DEUM; negat tantum esse, qvi sic invocet, *ut consurgat, & teneat DEum,* ceu addita exegesis habet: h.e. qvi precatione suâ instar Mosis aut Aaronis pœnam DEI promeritam avertat: qvem sensum & Sanctius Jesuita confirmat. Hinc fiebat, ut *absconderet DEUS faciem suam* ab aliis qvidem, ut judex, puniendo, ab aliis, ut pater, castigando. Neq; hinc seqvitur, non nisi flagitiosissimos mortalium cogitari posse. Confer Vindicias pleniores hujus loci apud D. Seb. Schmid. *Colleg. Bibl. Vet. Test. L. XIV. dicto 2. p. 321. sqq.* Dn. Calov. *T. II. Bibl. illustr. V.T. p. 362.* & *Exeg. A.C. art. IV. c. 8. §. 11.* nec non *Arminianism. c. 17. §. 77. p. 426.* Chamier. *t. III. L. XI. c. 18.* *vers. 7.*

(3.) Ad Pauli professionem *Rom. VIII, 18.* meritum ex condigno in terminis, ut loqvuntur, rejicientis, omnium optimè, multoqve rectiùs respondet tacendo, qvàm Bel- *Rom. VIII, 18.*

larminus & alii futiliter ogganniendo, qv rum retusa tela à Gerh. *L. de B. O.* §. 93. Höp nero *de justific. p. 1048. sqq.* Chamier. *T. III.* 14. c. 19. & aliis.

Contra 3. argum. ex prædicatis vitæ æternæ: Ut cùm dicitur χάρισμα *Rom. VI, ult.*

Postremum superest argumentum *prædicatis vitæ æternæ* petitum. Divi Apostolus *Rom. VI, ult.* præmium in *stipe dium*, qvod miles meret, & *donativum*, qv ex merâ gratiâ Imperatoris datur, observa te Tertulliano *lib. de resurr. c. 47.* & morte qvidem peccatorum meritis ut ὀψώνιον, tam autem æternam in Christo Jesu & pr pter ipsius meritum nobis, ut purum putu χάρισμα dari testatur. Qvâ de re & Aug stinus monuit Epist. CV. ad Sixtum, T. p. 466. extr: *Ne justitia de humano se extol ret bono merito, sicut humanum meritum m lum non dubitatur esse peccatum, non à co trario retulit, dicens: Stipendium justitiæ v ta æterna; sed, Gratia, inqvit, DEI vita at na. Et hæc ne præter mediatorem aliqva lia via qværeretur, adjecit: In Christo Je Domino nostro.* Rursum Lib. de grat. lib. arb. c. 9. T. VII. p. 1309: *Cùm p set dicere, & rectè dicere: Stipe dium autem justitiæ vita æterna; mal dicere: Gratia autem DEI vita æterna, hinc intelligeremus, non pro meritis nost DEUM nos ad vitam æternam, sed pro mi ratione suâ perducere.* Ubi stipendii v cem latiùs & ut meriti appellatione, Bell mino teste, uti solet, accipere Augustinu

in

Digitized by Google

inde constat, qvòd *non pro meritis nostris DEUM nos ad vitam æternam*, (qvod necesse tamen foret, si propriè stipendium justitiæ vita æterna esset,) *sed pro suâ miseratione perducere*, ait. Atq; sic alibi mentem exponit. *Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur. Ideò dixit: Stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò, nisi gratis sit, gratia non est. Intelligendum est igitur, etiam ipsa hominis bona merita esse DEI munera, qvibus cùm vita redditur, qvid nisi gratia pro gratia redditur?* Scribit Enchirid. c. 107. T. III. p. 190. *Porrò* dicitur vita æterna *hæreditas*, cujus participes filii non propter obedientiam suam & servitia patri præstita, sed per filiationem, qvæ fide obtinetur, (*Joh.* I, *12. Rom.* VIII, *17. Gal.* III, *26.*) fiunt: qvanqvam ante perceptionem hæreditatis debitum parenti obseqvium (*Mal.* I, *6.*) reqviratur. *Si filii, & hæredes DEi, cohæredes autem Christi.* Rom. IIX, 17. *Deniq;* sic Christus dicitur *factus nobis à DEO sapientia, justificatio, sanctificatio, &* (qvæ illa inseqvitur, beata ab omni malo liberatio, seu) *redemtio: ut in Domino tantùm gloriemur*, 1. Cor. I, 30. 31.

& hæreditas.

Qvid ad hæc Masenius noster? *Habebunt igitur, ut servi DEI mercedem vitæ æternæ, ut filii adoptivi hæreditatem. Digni hâc erunt, sed per gratiam promissionemq; in*

Vindicata Oppositio (α) doni & stipendii,

*Christo datam, & gloriabuntur in **Domino** omnis gratiæ & misericordiæ fonte.* (1.) Oppositionem illam doni & stipendii, qvam ex Paulo proposuerat, transmittit, accuratè ab exceptionibus Pontificiorum vindicatam Höpffnero *Disp.X.de justif.c.2.apb.4.§.4.sqq. p.919.* Gerh. §.92.de B.O. Calovio ***Theol.apostolico** Rom.Orac.LIII.p. 316. sqq.* Chamier. *T.3.L.14.c.13.*

(β) Hæreditatis & mercedis strictè dictæ,

(2.) *Hæreditatis* verò titulum sic eludere laborat, ut ea, qvæ opposita erant, pro subordinatis habeat. Pios enim vel ut *servos*, vel ut *filios* considerari posse. Priori respectu ut *mercedem* propriè dictam; posteriori verò, *hæreditatis* tantùm jure vitam æternam iis obtingere. Hîc ***primò*** *ἀσύστατα* conjungit. Contradictionem enim implicat, eum, qvi ex gratuitâ adoptione jus hæreditatis habet, illud etiam titulo mercedis propriè dictæ adipisci. ***Si ex lege** hæreditas, non jam ex promissione*, ait Apostolus *Gal.III,18.* Et qvid aliud est, vitam æternam simul mercedem & hæreditatem dicere, qvàm eam simul promeritam & immeritam appellare? qvod judicio Pauli fieri neqvit. *Ei enim, qvi operatur, **merces non** imputatur secundum gratiam, **sed secundum** debitum*: Rom.IV,4. hoc est: fieri non potest, ut qvi gratiam & salutem per opera impetrare vult, ceu mercedem propriè dictam, eam ut hæreditatem seu donum gratuitum nanciscatur. ***Deinde*** principi-

cipium petit, idqve qvod controvertitur, præsupponit: nos, ut servos ullo modo vitam æternam mereri operando posse, qvod Christus in terminis *Luc. XVII, 10.* negat. *Porrò* Lectori manifestè illudit. Nam ne gratuitam qvidem omninò hæreditatem faciunt vitam æternam Pontificii, si consideretur, prout filiis adoptivis datur. Etenim adoptionem æstimant ex charitatis inhærentis acceptione & inhabitatione Spiritûs S. bona opera producentis: adeoqve hoc etiam respectu opera meritoria, qvanqvam occultiùs, reqvirunt, ceu observat Höpffner. *de justif. p 932.* *Postremò* rejicitur ab ipso Christo Marc X, 15. Luc. XVIII, 17: *Qvisqvis non receperit regnum DEI, ut parvulus, non intrabit in illud.* Parvulos autem nullo modo, ut mercedem, sed tantùm ut gratuitam hæreditatem accipere, ipsa Papistarum est confessio. Vid. Höpffner. *Disp. XI. c. 2.* (3.) Qvòd dignitatem operum meritoriam à gratiâ promissioneqve deducit, paulò antè vidimus, qvò specter. Promissio enim ex mente Jesuitarum dignitatem operum præsupponit. Nos aliàs inter promissiones *Evangelicas* & *Legales* distingvere novimus, qvarum *hæ* opera, sed perfectè præstanda includunt, ut conditionem præmii; *illæ* cum operibus nihil negotii habent. Qvam ob causam Paulo semper Lex sive opera, & promissio, ἀντιδιῃρημένως sibi opponuntur.

(γ) promissionũ legalium & evangelicarum.

De-

Exclusa gloriatio. Deniqve (4) qvomodo is in solo Domino gloriari posset, qvi in suorum operum meritis fiduciam aliqvam salutis habet, Paulus non intelligebat, cùm scriberet: *Exclusa est gloriatio non per legem* operum, *sed per legem* fidei, Rom. III, 22. *Si Abraham ex operibus justificatus est, gloriam habet, sed non apud DEUM*, c. IV, 2. Et sanè, si gloriatio hæc satis excluditur per agnitionem gratiæ divinæ, causæ nihil est, cur non & papizantem Pharisæum *Luc. XVIII, 11.* in solo DEO gloriatum fuisse dicamus, qvi DEI gratiæ utiq; referebat acceptum, qvòd non esset, sicut cæteri, raptores, mœchi &c. qvòd jejunaret, & eleemosynas decimasqve daret. Conf. Gerh. *de B.O.§.95.*

(II) Infirmè confirmata (1.) Scripturæ verbis Jubet ordo, ut consideremus, num feliciùs Pontificiam sententiam de meritis operum *confirmarit*, qvàm in destruendis orthodoxiæ fundamentis laboravit. Hic expendenda (1) *Scriptura loca*, qvibus disertè confirmari sententiam suam putat: (2) qvæ ex Scripturâ nectit, *argumenta*: (3) geminus ex *Augustino* locus.

Primùm ergò *Scripturæ loca* ista coacervat, qvibus ut *p. 110. init.* repetit, *æternum gloriæ pondus, merces copiosa, corona vitæ & justitiæ* bonis operibus promittitur. Qvibus tamen non probatur id, qvod debebat. Promitti ita operantibus præmium vitæ

vitæ æternæ, non dubitatur. Ostendendum autem erat, ut mercedem operibus promeritam promitti. Videamus tamen breviter loca ipsa, qvæ huic contextui includit, qvem nos numeris distingvemus, ut qvæ responsionis pars cui dicto applicanda sit, faciliùs constet. (1) *Momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, II.Cor.IV,17. *ita ut* (2) *merces nostra copiosa sit in cælis*, Matth. V, 12. (3) *Veniet enim Christus in gloriâ & reddet unicuiq; secundum opera sua*, Matth. XVI, 27. *Et* (4) *qvia super pauca fui fidelis, super multa me constituet*, Matth. XXV, 21. 23. (5) *Promisit coronam vitæ diligentibus se*. Jac. I, 12 *Et* (6) *non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis nostri*. Ebr. VI, 10. *Sed* (7) *Sancti ambulabunt cum eo in albis, qvia digni sunt*, Apoc. III, 4. Respondeo (1) Cùm nulla sit proportio afflictionis momentaneæ & levis ad æternum & excellentissimè excellens gloriæ pondus, *neq; condigna sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, juxta Rom. VIII, 18: operatio illa non de gloriæ merito aut *causâ*, sed de occasione sumtâ & *ordine* constituto divinitus interpretanda erit, qvo sensu *Rom. IV. 15.* Lex iram, *c. V, 3.* afflictio tolerantiam operari dicitur: qvomodo & Salmero Jesuita exposuit. Vid. Gerhard, *Tom. ult. C. C. p. 884.* & *L. de B. O. §. 54.* Hôpffn. *de justif. p. 1048. sqq.* Balduini *Comm. h. l. qv. 4.* (2) A mer-

II. Cor. IV, 17.

Matth. V, 12.

mercede impropriè dictâ & gratuitâ ad propriè dictam, & qvæ ex debito est, perperam concludi, Paulus *Rom. IV, 4.* docet. Vid. Höpffn. *de justif. p. 142. 942.* Meisner. *P. II. Philos. Sobr S. 1. c. 1. q 32 p. 386 sqq.* & *Anthropol. Disp. XXVIII. §. 41. sqq. p 389.* Gerh. *C. C. IV, 872 sqq.* Chamier. *T. III L. 14. c. 6.* & qvæ *puncto 2. hujus consid* ad tertium Masenii argumentum respondimus. (3.) *Aliud est,*

Matth. XVI, 27. secundum opera *reddere : aliud* secundum merita operum, *seu* propter opera *reddere. In eo enim, qvod secundum opera dicitur, ipsa eorum qvalitas intelligitur,* (uti Matth. XXIII, 3. Apoc. XXII, 12.) *ut cujus apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namq; beatæ vitæ, in qvâ cum DEO & de DEO vivitur, nullus potest æqvari labor, nulla opera comparari.* Verba sunt Gregorii Magni

Matth. XXV, 21. 23. Rom. Episcopi in *Psalm. VII. pænit.* Vid. Hopffn. *de Justific. p. 151. sqq. 1043. sqq.* (4) Ab augmentis graduum gloriæ pro diversitate operum, ad meritum gloriæ per fidelitatem servi N. V. C. Et suprà *ad consid. I. p. 47.* observatum nobis, neqve particulam illativam (*qvia*) haberi fontibus, neqve, si haberetur, causaliter, sed ratiocinativè explicandam esse, qvemadmodum *Luc. VII. 47. Job VIII, 44.* & alibi. Conf. Gerh. *de B. O. §. 117.* & *Conf. Cath. tom. ult. p. 877.* Glass. *L. III. Philol. Sacr. tr 7. can. 17.* Calov. *Exam. de Pers. Christi, p. 531.* (5.) A descriptione *subjecti,*

Jac. I, 12.

cui

cui datur corona vitæ (de qvâ appellatione Höpffnerum lege *p.144*) ad illationem *causæ* meritoriæ, propter qvam datur : uti & (6) à justitiâ *veritatis* seu gratuitæ promissionis, secundum qvam remuneratur DEUS piorum constantiam , ad justitiam *aeqvalitatis* seu proportionis ; (vid. Gerh. *L. de B. O.* §. *118.119.* & *Comm. in Ep. ad Ebræ p.135.* Höpffn. *de justif. p.160.* Chamier *t.3.L.14. c.9.*) postremò (7) à dignitate , qvam electi obtinent ex gratiâ & ob justitiam Christi imputatam (*Apoc. VII.14.*) ad dignitatem ex justitiæ inhærentis & operum propriorum merito N.V C Gerh. *§.121.* Höpffn. *D. II. apb. 7. p. 139.* Cham. *l. c.* §. *15. sqq.*

Ebr. VI, 10.

Apoc. III. 4.

(2) Argumentis, ex (α) fructu doctrinæ Papalis & nostræ:

Inter *argumenta primum* est, qvod è fructu seu effectu doctrinæ Pontificiæ & nostræ deducit. *Qvis non videt*, inqvit, *à Catholicis hîc maximum subjici stimulum fidelibus ad bene operandum , à Protestantibus verò manifestam injici boni operis desperationem ; cùm illi bona justorum opera præmiis digna æstiment, hi inter immunditias habeant & pœnis digna?* Qvis verò non videt , ad opinionis alicujus veritatem non sufficere , ut ostendatur , eâ aliqvem ad bene operandum stimulari ? Sanè ita & Judæorum & hypocritarum opinio, qvi persvasi erant, Deum placari sacrificiorum aut precum multitudine (*Mich. VI, 6. Matth. VI, 7.*) calculum mere-

merebitur, qvippe ſtimulum ſubjiciens ad ſacrificia & preces. Verbum DEI, ut pietatis, ſic doctrinæ, qvæ ſecundum pietatem eſt, norma meritò habetur. Ut autem crederet Lector, per Proteſtantium ſententiam ſegnes reddi in pietatis ſtudio animos, accendi doctrinâ Papali, per fraudes & mendacia perſvadendus erat: Etenim qvòd de bonorum operum præmiis inſpergit, qvaſi ea à nobis negentur, fraudem ſapit; qvòd bona opera, qvà talia pro immunditia habeamus, pœnamqve mereri dicamus, apertum eſt mendacium. Itaqve (*a*) aliud eſt, bona opera præmiis *ornari* à DEO: aliud præmia divina propriè loqvendo *mereri*. *Prius* qvi negant, hos labefactare ſtudium pietatis, meritisſimò dixeris. Nos DEUM ex gratiâ propoſuiſſe bene operantibus præmia, ut & ſuam declararet charitatem, & noſtræ ſuccurreret imbecillitati, aſſerimus. Frigemus enim in debitis etiam laboribus, qvos nullum ſecuturum præmium novimus. *Poſterius* qvi aſſerunt, uti manifeſtam Scripturæ vim faciunt, ſic pietatem tantum abeſt, ut promoveant, ut peſſundent potiùs atqve evertant. Cogita enim conſcientiam hominis perſvaſi, cœleſte brabeum ſuis ſibi emerendum laboribus eſſe, & hoc perpendentis inſuper, qvalia ſint opera, qvæ in Lege ſuâ DEUS reqvirit. Nonne hic, cùm ſentiet, qvantum à cynoſurâ illâ deflectant opera ſua,

Ubi de bis;

an præmia bonorum operum negemus.

sua, qvamq; longè à postulatâ perfectione absint, langvescet operando, dicturus cum Israëlitis: *Qvare jejunamus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescivisti?* Esa. LVIII, 3. *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Cohel. IV, 8. Nonne talis de opere bono, nonne de salute ipsâ, si conscientia imperfectionem operum objiciat, desperabit? Contrà verò, qvi bona opera, licèt imperfecta atqve impura, propter fidem qvæ Christum apprehendit, meritis suis, qvicqvid imperfectionis piorum operibus adhæret, obtegentem, placere DEO, eqve purâ gratiâ præmiis temporalibus atq; æternis ornatum iri, novit, hoc alacriùs *faciet veritatem, ut veniat in lucem, & manifestentur opera ejus, qvia in DEO facta sunt*, Joh. III, 21. Et qvomodo segnities talis locum inveniet apud eum, qvi cogitat, ne fidem qvidem apud se esse posse, nisi per charitatem sit efficax? Deinde (β) bonum opus ab adhærente sibi immunditiâ distingvendum est. Potest nimirum bonum opus spectari vel ut *bonum* est, profectum ex verâ fide, mandatum à DEO, DEI gloriam respiciens, &c. vel ut *imperfectum*, & maculis τῆς εὐπεριστάτου ἁμαρτίας, *tenaciter adhærentis peccati* (*Ebr. XII, 1.*) inqvinatum. Eqvidem opera fidelium perfectè bona esse cum Scripturâ negamus, qvòd illis impuritas adhæreat pœnis qvidem, si absolutè spectes, digna, sed qvibus

Opera q; ipsa pro immunditie pœnis dignâ habeamq; disqviritur.

tamen omnem condemnationem Christus Jesus abstulit, in qvo sunt per fidem, *Rom. IIX*,1. Hortamur autem omnes, ut imperfectionem illam agnoscant serioq; deplorent, motusq; concupiscentiæ mortificent, ac DEUM pro eorum remissione deprecentur; cæterùm bonis operibus, ut bona sunt, omnem operam impendant, nec peccatis salutem excutiant. Hoc si est, boni operis desperationem injicere, non repugnamus, qvò minùs qvis in castra Pontificiorum qvoad hoc dogma transeat.

(β) Ex Christi minis, Matth. V, 20. de abundantiori justitiâ.

Alterum argumentum Christi minæ suggerunt. *Annon terrent nos illæ Christi minæ: Dico vobis, qvia nisi abundaverit justitia vestra plusqvam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum?* Matt.V,20. Hæ verò minæ non Protestantes terrent, per excellentiorem illam abundantioremqve justitiam (τὴν περισσεύουσαν δικαιοσύνην) ingredi in cœlum cupientes, qvæ in abitu Christi ad Patrem, seu merito ejus consistit. *Joh XVI 8.10.* & sine lege manifestata per fidem Jesu Christi (*Rom. III, 21. 22.*) imputatur sine operibus (*Rom.IV.6.*) indeqve περισσεία δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, *donum justitiæ redundantissimum* dicitur *Rom. V*,17. de qvâ justitiâ hîc sermonem Christo esse, solidè demonstrant post Lutherum, Chemnitium & alios Höpffnerus *Disp. III. de justif. aph.6.p.215-224.* & Calovius *animad-*

vers.

verſ. contra Grotium h. l. Terreant autem Papiſtas, qvi cum Phariſæis & ſcribis Judæorum illius merita juſtitiæ jactant, per qvam introire in regnum cælorum non poſſunt. Ut planè huc qvadret, qvod *Rom. IX, 30. ſqq.* Apoſtolus ſcribit: *Gentes, qva non ſectabantur juſtitiam,* (legalem illam,) *apprehenderunt juſtitiam. Juſtitiam autem, qva ex fide eſt. Iſrael verò* (& Synagoga Papalis) *ſectando legem juſtitia ad Legem juſtitia non pervenit. Qvare? qvia non ex fide, ſed qvaſi ex operibus.* Deinde ſi maximè juſtitiam illam abundantiorem de legali interpretemur (qvod non pauci è noſtratibus, inqve his Balduinus *tom. III. diſpp. Witteb. III. th. 123. 124. p. 156.* certo modo largiuntur,) inepta tamen fuerit conſeqventia, qvâ à pacto Legali ad Evangelicum concludunt, & ex rejectâ Phariſæorum juſtitiâ inſufficienti poſſibilem Legis implerionem plenariam & vitæ æternæ meritoriam exſculpunt Jeſuitæ. Qvis ferat ita colligentem: Niſi caſtior fueris Heliogabalo, non poteris introire in cœlum. Ergò ſi caſtior illo fueris, ex merito illius caſtitatis cœlum intrabis?

Tertium David ille, qvi judicium DEI (γ) deprecabatur, qvòd coram eo non ſit juſtus qvisqvam mortalium, *Pſalm. CXLIII, 2. CXXX, 3.* qvi peccatorem ſe apertè profeſſ9 *Pſalm LI, 2.* ab occultis etiam mundari pete-

(γ) *Davidicâ innocentiâ, Pſalm. XVIII, 19.*

 bat

bat *Psalm.XIX.13.* omnesqve sanctos remissione peccatorum indigere affirmabat *Ps. XXXII,5.6.* suggerere censetur ita loqvens: *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Qvia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à DEO meo*, Ps.XVIII, 19. Qvi Psalmum evolvet ipsum, deprehendet, Davidem neqvaqvam absolutam *personæ* suæ puritatem ab omni peccato hîc jactare, nedum vitam æternam meritis suis, qvod demonstrandum erat, vindicare; sed gaudere de divinâ assistentiâ, & innocentiâ *causæ* suæ, qvam contra Saulem habebat, (v. 1.) & testimonium bonæ conscientiæ opponere calumniis hostium, crudelitatis, hypocriseos, rebellionis aliorumq; gravissimorum criminum Davidem inculantium. Lege Chemnit. *T.III.LL.de B.O.q.7.class.8. p.200.* Æg. Hunn. *T.I. Opp.p.623.* Hütter. *Comm. in Form.Conc.p.233 365.* Gerh. *Conf. Cath. tom. ult.p 823.* & *L.de B.O.* §.72. Nic. Hunn. *exam. err.* Photin. *Sect. 2. c 3. p. 191. 194.* Walther. *Harm.p.501.* Chamier. *T.III. L. XI. c. 23. §.12.* Polan. *Syntagm.L.IX.c.8.p.3832.*

(d) Paulinâ promissione, I.Tim.IV, 8.

Qvartò: Præsentis & futuræ vitæ benedictio pietati promissa est à Paulo *I.Tim. IV,8.* Promissa est. An verò ut meriti propriè dicta merces? Qvin potiùs, cujus retributionis fundamentum gratuita promissio est, in illâ merito nullus locus est. Vid. Balduin.

Balduin. *Phosph. L. XII. c. 8. p. 1139.* Gerh. *L. de B.O. §. 120.*

Qvintò: Nisi qvovis lapide duriores sumus, movebit Domini ac Judicis supremi sententia, qvi nihil pro talento dato laborantem, ut inutilem servum ejecit in exteriores tenebras: qvidq; demum processurus ad extremum judicium, hanc non de fide, sed operibus feret sententiam: his, qvi ad dextram: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Contraq; his, qvi ad sinistram erunt: Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qvi paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, Matth. XXV, 30. 34. 41. (t) *Christi judicio, Matth. XXV, vers. 30.* At verò qvovis lapide minus sapiat oportet, qvi è priori illâ sententiâ contra servum inutilem *vers. 30.* merita operum persvaderi sibi patiatur. Hoc tantùm inde liqvet, salvando necessaria esse bona opera; ad salutem sub ratione meriti necessaria esse, non liqvet. Deinde Christus juxta *vers. 34. 41.* judicium secundum opera feret qvidē, & electos ad regnum gloriae vocabit, qvia esurientem Christum cibaruut: non autem, qvasi cibatio illa causa futura sit possessionis meritoria, sed qvia de fide salutem apprehendente testatur. *Ratiocinativè* enim, non *causaliter* intelligi *vers. 34. 41.*

particulam illativam (*esurivi enim*,) argumento illud est, qvòd electos suos, ceu *benedictos* (divina benedictio non operibus, sed fidei tribuitur, *Gal. III, 9. Ephes. I, 6.*) *possidere* jubet regnum non *mercenario*, sed *hæreditario* jure, & titulo κληρονομίας, qvæ teste Apostolo, merè gratuita est, *Gal. III, 18. 29*: qvòd deniq; ipsi fideles devotè admirantur gratiam illam DEI, eamqve suis deberi operibus negant *v. 37. sqq.* cùm contrà in ignem æternum mittantur infideles, qvi opera jactant *v. 44. sqq.* Scilicèt cùm in ultimo judicio manifestaturus sit Dominus secreta cordium angelis & mundo universo, ac palam facturus, cur hic damnetur, alius salvetur: visibilium signorum faciet mentionem, qvæ de vivâ aut mortuâ, verâ aut simulatâ fide testentur. Cæterùm si veram hæreditatis & evitati judicii condemnatorii causam inqviras, una fides nominatur *Joh. III, 16. V, 24. Marc. XVI, 16.* Plura lege apud Gerh. *Harm. Evang. c. 165. & L. de B. O. §. 117. & C. C. t. ult. p. 877.* Höpffn. *de justif. p. 100. 1037. sqq.* Danhau. *H. P. II, 330.* Chamier. *3, 14, 8.*

(ζ) *Fine fidei*

Postremum argumentum à fine fidei petit: *Qvid fide aliud DEUS intendit, qvàm ut ad suam nos legem observandam erudiret, promissisq; ad hoc ingentibus invitaret, ut si Legis observatio & obedientia DEO debita neglecta fuerit, & fides & promissa sint irrita?*

Vix

Digitized by Google

Vix potuit clariùs prodere Masenius, qvantâ Scripturarum ignorantiâ laborent Jesuitæ, qvàm turpiter Evangelium cum Lege, Christum cum Mose confundant, qvàm nihil de fide salvificâ norint. Paulo judice lex operum & Lex fidei ἀντιδιῃρημένως opponuntur, neqve fidei finem in observatione Legis, sed apprehensione vitæ æternæ ponit Johannes: *Hæc scripta sunt, ut credatis, qvia Christus Jesus est Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, c.XX, ult. qvâ de re B. Meisnerus *disp. de primario fine veræ fidei* egit.

Augustinus qvid de merito nostrorum operum sentiat, clarissimis verbis sæpiùs exposuit. Ac qvæ paulò antè ex ipso de operum nostrorum impuritate, vitæqve æternæ prædicatis adduximus, satis de ejus mente testantur. Qvam & prodidit, urgendo oppositionem gratiæ & meriti cum Apostolo: *Apostoli verba sunt, non mea: Gratiâ salvi estis per fidem: & hoc uti salvi essetis per fidem, non ex vobis. Qvamvis hoc ipsum, qvod dixerat, gratia, utiq; non ex vobis: sed ne qvis aliter intelligeret, planiùs hoc aperire dignatq est. Ubi audis gratiam, gratis intellige. Si ergò gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti. Nam si meritis* (3.) *Augustini suffragiu: cujus sententia adducta ipsius verbis explicatur*,

aliquid redditum est, merces est, non gratia. *Gratiâ, inquit, salvi facti estis per fidem.* Enarrat. in Psalm. CXLIV, T. VIII. p. 1670. 1671. Idem tract. 3. in Joh. T. IX. p. 25: *Quid est gratia? gratis data. Quid est gratia? gratis donata, non reddita. Si tibi debebatur, merces reddita est, non gratia donata.* Serm. XV. de verbis Apost. T. X. p. 330: *Si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, salvos facies illos. Nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita praecedis, ut dona tua consequantur merita nostra, prorsus gratis das, gratis salvas, quia nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.* In eandem sententiam scribit Serm. CL. de temp. T. X. p. 934: *Tempus moestitiae, laboris, miseriae peccata nostra nobis repererunt. Tempus verò laetitiae, quietis, felicitatis non venit de meritis nostris, sed de gratiâ Salvatoris. Aliud meremur, aliud speramus. Meremur mala, speramus bona.* Referas huc licet, quae prolixè contra humana merita *Epist. XLVI. XLVII. CV. & CVI.* disputat, *T. II. p. 161. sqq. 461. sqq.*

& ad objecta loca respondetur.

Geminum tamen textum pro merito bonorum operum allegat Masenius. Unum ex *Tomo VIII. in Psalm. XXCIII.* ubi ad verba Pauli II. Tim. IV: *Superest mihi corona justitiae,*

justitiæ, qvam reddet mihi Dominus in die illâ, justus Judex : qværit Augustinus ; *Qvid tibi reddet, nisi qvod debet ? unde tibi debet ? qvid ei dedisti ? Qvis prior dedit illi, & retribuetur ei ? Debitorem DEUS ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Sed nihil hîc pro meritis operum nostrorum, qvibus omnem potiùs merendi vim cum Apostolo (cujus verba ideò addidit ex *Rom. XI, 35.*) denegat, idemq; dicit, qvod Protestantes : DEUM vitam æternam omniaqve, qvæ gratiosè promisit, non operibus nostris, sed sibi suæqve veritati debere. Atq; ut constet, nihil hîc dici, qvod Protestantibus opponi possit, adscribemus vel unius celeberrimi nostratium Theologi B. Danhaueri verba. Sic autem is *Hodos. p. 893*: *Advertenda hîc differentia inter debitionem ex jure gratitudinis & ex promisso. Illa gloriam Majestatis divinæ obscurat, gloriationem humanam admittit, ac ideò in DEum non cadit, ut qvi ἀνενδεὴς, nihil ab homine accipit : miser esset, si qvid deberet : melius est enim dare, qvàm accipere. Hæc gloriam bonitatis divinæ illustrat, nostram gloriationem excludit.* Qvod deinde ex Augustini *Serm. 16. de verbis Apost.* confirmat. Et repetit *p. 918*: *Promissio vel fundatur in merito, vel fluit ex gratiâ : illa, cùm Dominus lignifissori promittit mercedem ; hæc cùm pater filio morigero pollicetur patrimonium. Illa debita est ex merito, & debita*

pridem sine promissione; promissio nihil addit justitiæ, nisi ἀσφάλειαν. Hæc debita moraliter ex veracitate, non politicè ex justitiâ particulari. Unde nec filius patrem convenire potest, si non servaretur promissum. Huc pertinet promissio mercedis cœlestis Matth. V, 11. II. Tim. IV, 8. Epist. Johanis II, 8. Apoc. XXII, 12. Rursum p. 1388: *Promissor suo modo debitor dici potest, sed qvi debeat non nobis, sed sibi suæq; veritati; propriè tamen promissio non infert debitionis obligationem, qvia qvod redditur, non ex debito præcedentis operis, sed ex promissione præcedente.* Qvæ ascribere, qvanqvam ex recentiori Doctore placuit, ut de mente Augustini pariter, & parallelismo nostratium constet.

Alter Augustini locus *T. IV.* habetur *lib. de fide & oper. c. 15: Non video, cur Dominus dixerit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, & commemoravit ea, qvæ ad bonos mores pertinent: si etiam his non servatis, ad vitam venire potest per solam fidem, qvæ sine operibus mortua est. Illud deinde, qvomodo verum erit, qvòd eis, qvos ad sinistram positurus est dicet: Ite in ignem æternum, qvi paratus est diabolo & angelis ejus? Nec increpat, qvia in eum non crediderunt, sed qvia bona opera non fecerunt.* Responsio facilis. Rejicit Augustinus nobiscum fidem, qvæ sine operibus, adeoq; simulata, hypocritica, mortua, nulla est, perq; eam ad vitam perveniri

niri posse negat. Præterea rectè observat, Christum non infidelitatem olim exprobraturum impiis, (fidem enim jactant, *Matth.VII,21 22.*) sed vitæ improbitatem ac sterilitatem, qvâ nullum certius infidelitatis argumentum. Ubi enim ἐνέργεια charitatis deficit, ibi nec ἐντελέχεια fidei locum habet. *Gal.V.6. Jac. II,17.26.* Docet ergò Augustinus, salvando necessaria esse opera; docemus & nos. Opera verò mereri propriè loqvendo vitam æternam, constanter negat. Hinc est, qvòd in Retractationibus explicat, qvod scriptum alicubi abse operum meritis favere videbatur. *Non ita dixi, tanqvam ex meritis suis qvisqvam dignus fuerit, sed qvemadmodum ait Apostolus: Non ex operibus, sed ex vocante dictū esse: Major serviet minori, qvam vocationem ad DEI propositum asserit pertinere. Unde dicit: Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.* Hæc Augustinus *Retract.L.II.c.31. T.I.p.51.*

Eat nunc Masenius, & dubitet *extremâ hac considerat. an inter homines sano judicio præditos censeri posſint, qui soli fidei justificationis ac glorificationis nostræ per Christum vim decusq; totum ascribunt.* Nos Spiritûs S. apertissimè per amanuenses suos de hâc veritate testantis suffragio securi parum

parum pensi habemus hujusmodi
qvæ æqvè S. Paulum, Augustinum
thodoxam omnium temporum Ecc
atqve nos condemnant. Nec dubita
lius superbam non minùs qvàm he
xam clausulam (*fide tu, qvisqvis*
inani fidei. Ego bonis simul operibu
stitiæ, & gloriæ coronam vendicabo:
tere qvodammodò & retorqvere in
Fide tu qvisqvis es, tam imperfectæ,
immundæ justitiæ tuæ. Ego soli Chri
apprehenso & justitiæ & gloriæ
ronam vendicabo.

Examen

Considerat. XII.

De (1) Operibus supererogationis & consiliis, (2) votis, & (3) jejunio ac abstinentiâ.

Punct. I. p. 111-113.

De Consiliis (1) Status controversiæ.

An præter DEI præcepta, etiam consilia DEI, in Ecclesiâ orthodoxâ sint & laudabiliter observentur, cum æternæ remunerationis expectatione?

Sensus qvæstionis, si Bellarminum conferas *L. II. de membris militantis Ecclesiæ, sive de Monachis c. 7. 8.* iste est: An dentur opera non demandata, sed commendata à Christo fidelibus, nec necessaria simpliciter ad finem hominis ultimum conseqvendum, sed utilia ad faciliùs & expeditiùs conseqvendum, & ideò majoris gloriæ meritoria, qvòd cùm omitti sine salutis dispendio possent, tamen alacritate qvadam animi plus erogetur à taliter operantibus, qvàm

qvàm DEUS in præceptis Legis suæ postulet? Qvam qvæstionem superiùs ad *Conf. VII.punct.3.* tetigimus *p. 239. sqq.* profligatam operosè à Chemnitio *P. II. Locor. de discrim.præcept. & consiliorum, p 276.sqq.* Gerhardo *L.de Evang.§.82-104.* & *Conf.Cath. L. II.P.2.a.27.c 3.p 280.sqq.* Danhauero *Tom. II.Hodom.Pap.p. 1029 1047. sqq.* Kromajero *Dec.II.de Apostas.Rom. Eccl. Disp.IV.* Chamiero *T.III.Panstr.L. XX.* & aliis. Eam noster Masenius sic expendit, ut *primò* nostram Protestantium sententiam aliqvot argumentis confirmet, *tum* pro suâ qvædam ex Augustino & perversâ Scripturæ interpretatione proferat.

(II.) Sententiæ nostræ fundamenta apud Masenium.

In priori parte non satis sibi constat. Etenim cùm non haberet, qvod ad nostræ sententiæ argumenta reponeret, scripsit *init.p.112: Non aliam à Protestantibus probationem ex Scripturâ afferri, qvàm qvâ DEO in omni voluntate ejus docet obtemperandum serviendumq; in omnibus.* Velim ego cognoscere ex Protestantibus illum, qvi tali probatione utatur (nedum unicè utatur) ad evertenda consilia evangelica? Alia autem à Protestantibus afferri, ipse fatetur Masenius, sic *pag.111.* scribens: *Negant Protestantes suis conformiter principiis: tum qvia non agnoscunt in terris opus aliqvod purè bonum & perfectum, qvod majus præ reliqvis in cœlo præmium mereatur: tùm qvia supererogatoria hæc opera (ut Catholici*

vocant

Digitized by Google

vocant consilia) in eis rident, qvi nec præcepta qvidem opera qveunt debita perfectione implere : tum *qvia horum consiliorum æstimatores in propriis ajunt meritis, neglectâ Christi justitiâ stultè confidere.* Proinde *omnia nobis possibilia bona opera, ad qvæ per petranda gratiam DEI consecuti sumus, etiam præcepta esse sentiunt* : (idq; ideò, qvòd Lex DEI perfectissima est agendorum norma *Deut. XII, 32. Prov. XXX, 6.* neqve qvicqvam bonum ac laudabile concipi potest, qvin præcepto de dilectione DEI & proximi contineatur, *Rom. XIII, 9. 10.*) ita *ut qvi donum vitæ cælibis* (adeoqve specialem ad hoc vocationem) *habeat, teneatur se continere, aut si id non obtinuerit, nubere, I. Cor. VII, 9: si DEUS opibus privet, teneatur relictis omnibus DEUM seqvi. Ibid. V. 29. 30.* Sunt hæ sanè (verbis Masenianis repetitæ) probationes Protestantium ex Scripturâ. Qvanqvam non tam nostrum hîc est probare, qvàm eorum, qvi consilia evangelica primi fabricarúnt hodieqve defendunt. Nobis sufficeret, nec volam, nec vestigium eorum in sacris contineri literis. Nunc *ostendit res ipsa, doctrinam de consiliis non in unum aliqvem articulum impingere, sed pugnare cum totâ doctrinâ Legis & Evangelii, cum toto articulo justificationis, & cum universâ doctrinâ de bonis operibus. Ut non qværendum sit unum alterumve argumentum. Cùm opponantur huic doctrinæ integri Loci de Lege, de doctrinâ*

nâ fidei, de bonis operibus, de reliquiis peccati originalis, ut scribit Chemnitius *L. c. p. 286.* Confer Hôpffn. *Sax. Evang. p. 200. sqq.*

(III.) *Argumenta Masenii ex* (1) *Scripturâ.* *1. Cor. VII, 25.*

Ex Scripturis pro se Paulum *primò* citat, cujus *1. Cor. VII, 25.* ista verba sunt: *De Virginibus præceptum Domini non habeo. Consilium autem do, tanqvam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergò bonum esse propter instantem necessitatem,* (non propter majoris gloriæ meritoriam perfectionem) *qvòd bonum sit homini, sic esse.* Et vers. 7. 8. 9: *Vellem omnes homines esse: sicut meipsum. Sed unusqvisq; proprium donum habet à DEO: alius qvidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego.* (cur bonum putet, postea v. 25. exponit,) *Qvòd si non se continent, nubant. Melius enim est nubere, qvàm uri.* Hinc concludit

7. sqq.

38. v. 38: *Qvi matrimonio jungit virginem suam bene facit. Et qvi non jungit, melius facit.* Hîc (1.) ut omittam, oppositionem *præceptorum* & *consiliorum* in terminis non haberi v. 25. ubi non βȣλὴ, sed γνώμη habetur in fontibus, qvæ vox sententiam notat intellectûs, non consilium voluntatis: (vid. Balduin. *Comm. h. l. p. 380. a.* Rivet. *Tom. III. Opp. p. 455. b.* Hülsem. *Manual. p. 143.*) illud (2) nimis apertum est ex verbis ipsis, non majo-

Majoris perfectionis, sed majoris *tranqvillitatis* consilium (permittamus enim sic vocari,) dare apostolum: qvi cœlibatum matrimonio præfert διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, propter urgentem tum temporis necessitatem, (v. Hülsem. *Breviar. c.XXI.§.15.p.500.*) qvando persecutionibus martyriisqve expositi erant Christiani. Porrò (3.) iis qvi donum continentiæ habebant, *v.7.* non promiscuè omnibus, *v.9.* svadet, ut cœlibes maneant. Melius enim hoc esse, *v.38.* qvia tribulatio major erat exantlanda conjugatis *v.28.* Melius (4) non in genere *honestorum* simpliciter & per se, sed in genere *utilium*: neq; (5) respectu omnium subjectorum, sed eorum tantùm, qvi extraordinariè dono continentiæ instructi sunt. Cæteris enim matrimonium ut melius svadet, imò ut necessarium imperat *v. 9.* Plura apud Chemnit. *P. II. Loc. de discrim. præc. & consil. c. 4. p. 297. sqq.* & *de cœlibatu p. 485.* nec non *Exam. Conc. Trid. P. III. de Virginit. c. 2.* p. 460. sqq. Balduin. *Comm. h. l.* & *anti-Pazmanni L. IV. c. 4. p 517.* Gerhard. *C. C. L. II. P. II. p. 291.* Dannh. *Hodom. Pap II, 1056.* Chamier. *T. III. L. XX. c. 21. §. 47. sqq. p. 404.* *Esa LVI. 4.*

Deinde sub finem hujus puncti inspergit Esaiæ verba ex *cap. LVI. 4.* cùm consilia tamen Evangelica à Christo demum & Apostolis in Novo Testam. promulgata dicant Pontificii. Sed videamus verba ipsa *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.*

 dixerint

Qvia hæc dicit Dominus eunuchis, qvi custodierint Sabbatha mea, & elegerint, qvæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis. Verba hæc, si sensum scruteris literalem, è qvo solo, Bellarmini judicio (*L. III. V. D. c.3.*) firma & efficacia argumenta petuntur, de eunuchis propriè dictis, vel iis certè, qvi steriles bonorum operum erant, loqvi, *Lirani, Sanctii*, *C. à Lapide* sententia est. Jam cùm eunuchi exclusi fuerint Ecclesiâ per legem Mosaicam *Devter. XXIII, 1.* non debebant tamẽ desperare de admissione ad regnum Christi in Novo Testamento: cùm potior ipsorum habenda esset ratio, qvàm eorum, qvi multitudine liberorum se jactabant, & interim mandata Domini negligebant, qvod pleriqve Judæi faciebant, filii regni reprobati, accumbentibus interim iis, qvi ab oriente & occidente veniebant *Matth. VIII, 11. 12. Hæc doctrina* (ita Chemnit. *Exam. p. 466.* Confer *Locor. P. II. p. 299. 506.*) *præbet pulcherrimam & maxime necessariam consolationem, qvæ non est depravanda figmento supererogationis. Disertè enim dicit, nec Ethnicismum, nec Eunuchatum per se esse meritum nominis sempiterni, sed si in illo contemto, abjecto & qvasi maledicto, (sicut tunc habebatur,) statu tenuerint fœdus Domini, & elegerint, qvæ DEus vult &c. dabo eis nomen sempiternum. Sicut igitur manifestum est,* qvòd

qvòd conditio advenarum non est meritum vitæ æternæ ;(addo : aut excellentioris gloriæ) *ita nec cœlibatus. Utrosq; enim conjungit Propheta, advenas & eunuchos.* Subjicit deinde de Augustinianâ accommodatione, qvam hîc Masenius innuit : *Augustinus nomen sempiternum ita intelligit : Sicut donum virginitatis præstantius est conjugio, ita etiam præmia in vitâ æternâ, futura differentia. Ipsam verò vitam æternam expressè dicit gratis dari propter Christum. Hæc interpretatio licèt non reddat dulcissimam illam consolationem: tamen Pontificio cœlibatui nihil patrocinatur de merito vitæ æternæ per cœlibatum.* Lege Dn.D. Seb. Schmid. *Colleg. I. Bibl.Loco XIX. dicto 2. p.383. sqq.* Chamier. *l. c.*

Postremò verba Christi *Luc. X,35.* huc torqvet: *Et alterâ die* (Samaritanus) *protulit duos denarios,& dedit stabulario, & ait: Curam illius habe,& qvodcunq; supererogaveris,ego cùm rediero reddam tibi.* Invictum, si diis placet, pro operibus superarrogationis argumentum : Samaritanus ille , qvem Salvator allegoricè confinxit Legem Mosis de dilectione explicaturus, solvit pro vulnerato duos grossos, & pollicetur hospiti, ἃ προσδαπανήσῃ,qvæ prætereà insumserit, soluturum etiam. Ergò dantur opera supererogationis,excellentiorem gloriam in cœlo promerentia. Regulam *Maldonati* sui obserya- *Luc.X,35.*

 serva-

servarent Jesuitæ, qvi sæpiùs monet, ***in allegoriis non esse singula verba scrupulosè captanda, sed ad scopum principalem respiciendum:*** & facilè *Estio* assentirentur eruditissimo Papistæ, fatenti, *non fundari h.l. opera supererogationis*. Conf. Gerh. *Conf. Cath.* **L. II. P. 2.** *p.296.* Danhau. *Herm. S. p. 171.* **Rivet.** *Cath.Orth.P.IV.q.XI* §.1.

(2) Augustino.

Apud AUGUSTINUM, fateor, expresſiora sunt consiliorum à præceptis distinctorum vestigia. Sed de eo quidem non adeò sollicitè laborare convenit, postqvam de re ipsâ ex Scripturis constat. Scilicet fuerunt nimii qvandoqve B. Patres in extollendâ virginitate ejusqve meritis, ac sibi ea excidere sunt passi, qvæ cum injuriâ in sanctissimam DEI ordinationem, matrimonium conjuncta erant. Certè qvidem *Hieronymo*, Stridonensium gravissimo antistiti admiratio virginitatis, & ἀνθολκῆς studium, cum Joviniano se opponeret, eas extorsit Scripturæ depravationes, ea sententiarum monstra, qvæ ne qvidem Pontificii, opinor, sua fecisse videri velint. Ut qvando *Paulum* ait 1. Tim. II. *asserere mulieri salutem per cœlibatum liberorum*, h. e. sanctimoniales cœlibatu suo non sibi tantùm, sed & parentibus promereri salutem, qvam illi aliàs in legitimo conjugio consecuturi non erant: Cùm *nuptiarum finem mortem esse, fructum autem virginitatis vitam æternam* ait: Cùm *eum, qvi implet*

Patrum in extollendâ virginitate excessus.

plet officium mariti, Christiani officium negat *implere posse:* negat *Spiritum S dari in consvetudine conjugali, etiamsi qvis propheta sit:* Cùm *nuptias per se malas*, & *preces prohibere & sumtionem corporis dominici* dicit. &c. Lege Calixtum *de Conjugio Clericorum p. 262. sqq.* Hæc ergò & similia τερθρεύματα ab ipso Augustino *lib. de bono conjug & de sanctâ virginit.* suppresso nomine Hieronymi (qvem vehementiori senem ingenio, ut Dares Entellum provocare non audebat, ceu *Epist. CXIX.* innuit,) confutata, cùm doctissimo & maximæ autoritatis Patri, & ante eum *Tertulliano* qvoqve & qvibusdam aliis exciderint; qvid causæ est, cur Augustinus solus qvasi ab omni erroris periculo immunis audiatur? Qvanqvam minimè illum Pontificiis hîc per omnia patrocinatum credemus.. Omnibus enim locis illis, qvæ à Masenio hîc repetuntur, virginitatem præfert conjugio, non verò ut *meritum* salutis aut gloriæ cœlestis propriè dictum, non ut *cultum* DEI aut expiationem peccatorum; sed ut *donum* excellentius, ideoqve excellentiori olim præmio coronandum: neqve tam de cœlibatu nudo aut *per se*, qvàm de *pio ejus usu* solicitus fuit. Unde est, qvod ipso illo, qvem Masenius hîc aliqvoties laudat, *lib. de S. virginit. c. 44. T. VI. p. 833* scribere non dubitavit: *Hæc vel hæc virgo obediens & DEUM timens illâ vel illi mulieri obedienti*

& DEUM timenti præferre se non audeat,&
cap.51.p.836. *Fidenter dico, nec mihi ne i*
scantur, timeo, qvos ut mecum sibi timeant,
licitus moneo. Faciliùs seqvuntur agnu
etsi non qvocunq; ierit, tamen qvoùq; pot
rint, conjugati humiles, qvàm superbien
virgines. *Eodem cap.* edixerat, *non qva*
cunq; virginitatem, sed qvæ secundum DE
est, prædicandam sibi suscipi. Cap. 52. p. 8
Existimate aliqvos in occulto meliores, qvi
estis in manifesto meliores. Plura apud C
mnitium *Exam. p. 458. 459. 462.* Calixt
de Conjug. Clericor. p. 267. &, qvem hîc c
ferens operæ pretium omninò faciet, G

Joviniani error. hard. *L. de Conjugio* §. *492. sqq. 501. 502. 504.*
didem addisces, falsò Ecclesias nostras ej
dem cum Joviniano erroris reas pera
qvam calumniam, repetitam hîc à Maser
Majores nostri graviter *Apol. Aug. Conf*
243. retuderunt. *Hic exclamabunt fortas*
Joviniani more æqvari conjugium virginit
Sed propter hæc convitia non abjiciemus v
tatem de justitiâ fidei. Neq; tamen æqvan
conjugio virginitatem. Sicut enim donum
ne præstat, prophetia præstat eloqventiæ, sci
tia rei militaris præstat agricultura, eloqvẽ
præstat architectonicæ: ita virginitas don
est præstantius conjugio. Et tamen sicut
rator non est magis justus coram DEO prop
eloqventiam, qvàm architectus propter arc
tectonicam: ita virgo non magis meretur
stificationem virginitate, qvàm conjunx c
jugali

jugalibus officiis, sed unusqvisq; in suo dono fideliter servire debet ac sentire, qvòd propter Christum fide conseqvatur remissionem peccatorum, & fide justus coram DEO reputetur.

PUNCT. II. p. 113-118.

De votivo cœlibatu Clericorũ

An is, qvi se vocari ad vitam cælibem à DEO sentit, obligare se voto continentiæ possit? aut etiam, qvi Ecclesiastico statui initiandus hanc obligationem suscipit, ei adstrictus teneatur?

Duo sunt, qvæ divino conjugii instituto certis personis interdicunt in Papatu: *Religio voti* & *Lex Ecclesiastica*. Nam neqve his, qvi perpetuum cœlibatum voverint, nec iis, qvi Ecclesiasticum vitæ genus elegerint, concedi matrimonium posse docent, qvæ doctrina qvàm repugnet verbo DEI, præclarè majores nostri in Aug. Confess. *artic. abus. 2. & 6. p. 22. 33 sqq.* docuerunt. Neqve qvicqvam hactenus afferri à Pontificiis potuit sive ex Scripturâ, sive ex Ecclesiasticâ antiqvitate, qvin à Doctoribus nostris pariter ac

Reformatis omne sit discussum, è qvib
Chemnitium *P. III Exam. tit: de Cælibatu*
virginitate, item *de Cælibatu Sacerdotum*,
Locor. P. II. p. 467. sqq. Gerhardum *Co*
Cath. L. II. P. III. a. 6. c. 4 & *art. 7. c. 4. p. 42. s*
320. sqq. & Locis de Ministerio § *330. sqq.*
Conjug. § *505.* Hulsem. *Disp. XXI. contra H*
gerum, & *Breviar. Supplem. cap. XXI.* Ca
zov. *isag. p. 609 sqq. 703 sqq.* Calixtum e
ditissimo opere, *de Conjugio Clericoru*
Dreierum *Disp. XXII. antiPap. p. 622. s*
Chamier. *Panstrat. Tom. III. Lib. XVI. & XV*
& L. XX. c. 14. sqq. Rivetum *Cath. Orth*
tract. II. qu 23. & 24. qvi evolvet, deprehe
det DEI verbo juxta, & primævæ Eccle
repugnare hoc interdictum. Ac fuer
inter ipsos Pontificios Cl. Espensæus
Continentiâ, G. Cassander *Consult. art. 23.*
25. Wicelius *viâ regiâ, artic. de conjug.*
cerd. & votis monast. p. 325. edit. Conri
aliiqve plures hujus tyrannidis impugna
res, è qvibus fortè aliqva repetenda veni
in progressu. Nos Masenium strictim
qvimur, & *primò* illa argumenta saltem
petemus, qvæ pro nostrâ sententiâ ipse ad
xit, *tùm* exponemus Lectoris judicio, qv
ti sit, qvod respondit, *deniq;* ipsius argum
ta examinabimus.

I. *Argumenta nostra ex Masenio*

Rectissimè autem monet (1) non po
qvenqvam se ad rem, de qvâ incertus est,
præstare qveat, voto obstringere. Est
t

tem continentia extra conjugium speciale DEI donum, (non commune & ad salutem necessarium,) qvodqve paucissimis contingit, nemini verò mortalium à DEO promissum est. Unde non fides, sed tentatio DEI est, confidere de eo per preces indubiè impetrando, idqve vovere, de qvo nulla extat promissio. Certè qvidem Christus ipse *non omnes capere verbum hoc*, de non ducendâ uxore, *sed qvibus datum est*, *Matth.* XIX, 11. & Apostolus ἴδιον χάρισμα, *proprium donum qvod unus habeat sic alius verò sic*, appellat, eamqve ob causam promiscuè omnibus svadere non vult cælibatum *I Cor. VII, 7. 17.* Rectè (2) addit generale axioma Paulinum: *Melius est nubere, qvàm uri*: I. Cor. VII, 9. qvod omnibus, qvi non continent, non svadet, sed imperat matrimonium *v. 2.* Secus ac Moralistæ Pontificii, qvi non conjugio, sed nefariis pollutionibus extingvere libidinis flammas jubent, easqve si ob sanitatem aut levandas tentationes carnis desideres, à peccato absolvunt, ut ex Toleti *Instruct. Sacerd. L. V. c. 13.* Fernandez. *P. IV. Exam. Theol. mor. c. 2. §. 4. n. 3. p. 971.* Navarro item, Sanchez & aliis liqvet. Rectè (3.) observat, hæretici hunc characterem annotari ab Apostolo, *I. Tim. IV, 1.* prædicente, fore, *ut in novissimis temporibus quidam discedant de fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, probibentes nubere,*

repetita: (1) à voti talis temeritate.

(2) ex axiomate Paulino.

(3) Ex charactere haeretic.

& abstinere à cibis, quos DEus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. Rectè (4.) universalem DEI concessionem memorat, qvi conjugii potestatem omnibus concessit, *Gen. I, 28. II, 18. 24. I. Cor. VII, 28. 36.* & *conjugium bonorabile apud omnes* esse voluit *Ebr. XIII. 4.* ut meritò censeatur sacrilegè divinam involare ordinationem, qvi certo hominum generi conjugio interdicit. Rectè (5.) notat *gravissima* ex interdicto conjugii *in Ecclesiam manare scandala, & detestandas libidines, dum conjugia prohibentur iis, qvi continere se ampliùs non possunt.* Fueruntqve non pauci in Ecclesiæ Romanæ communione prudentes viri, qvi interdictum Clero conjugium causam omnium libidinum ac flagitiorum sublatâ velut voce proclamarent. Ascribere placet hanc in rem verba præstantissimorum superiori seculo Ecclesiæ Papalis Theologorum, qvi à gloriosissimis Impp. Ferdinando I. & Maximiliano II. sententiam dicere jussi de controversiis sui temporis, non dissimularunt, qvantum scandalorum impia isthæc lex secum traxerit. *Georgium Cassandrum* puto, & *Georg. Wicelium*, qvorum ille: *Videmus hoc decreto* (de cælibatu Sacerdotum) *usq; adeò castitatem & continentiam in clero non confirmari, ut per illud ad omne libidinis & flagitii genus fenestra aperta esse videatur.* Et post aliqva: *Restat primùm, ut in posterum ordinan-*

(4) Ex universali DEI concessione

(5.) ex scandalis hinc ortis:

qvod illustratur

G. Cassandri,

nandis hoc statutum relaxetur, & more veteris Ecclesiæ, & huc usq; Orientalium Ecclesiarum, honesti qvoq; mariti ad Ecclesiæ ministerium admittantur, & extra tempus ministerii familiaritate qvoq; suarum conjugum uti permittantur, juxta canonē VI. Synodi generalis, qvo decernitur, nullo modo legitimas diaconorum & presbyterorum nuptias esse dissolvendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse compellendos. Hæc Cassander *Consultat. art. XXIII. p. 142. edit. Conring.* Ubi subjicit gravissimas causas aliqvot relaxandæ istius constitutionis inqve primæ commemoratione Siculi abbatis *Panormitani* laudat observationem prudenter monentis: *Experientiâ docente contrarium prorsus effectum secutum ex lege illâ continentia, cùm hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum illorum gravissimo peccato, ubi cum propriâ uxore esset castitas: Unde debere Ecclesiam facere, sicut bonus medicus, ut si medicina experientiâ docente magis obsit, qvàm prosit, eam tollat.* Cumqve demonstrasset prolixè, Ordinandis hanc licentiam fieri debere, p. 147. subdit: *Cur autem etiam in Ordinatis conjugium hodie admitti possit, hæc ratio est: qvòd ex hujusmodi conjugio non modò nulla offensio populi, sed magna etiàm utilitas sit expectanda. Nam eò res jam rediit, ut vix centesimum invenias, qvi ab omni commercio fœmi-*

*fœminarum abstineat ; populus verò ita affe-
ctus est, ut sacerdotis fornicatoris seu concubi-
narii ministerium vel prorsus contemnat, ve
levius æstimet, maritum verò sacerdotem a
qvius ferat. Ut populo qvoq; jam notum sit*
(ex Ebr. XIII, 4.) *honorabile esse in omnibu
conjugium, adulteros autem & fornicatores
DEO judicandos.* Rem omnem demum si
concludit: *Omninò consultum videtur, u
qvi castum cælibatum ultrò præstant, lauden
tur & honorentur: qvi hunc autem summun
castitatis gradum conscendere neqveunt, in se
cundo & proximo gradu casti conjugii consiste
re permittantur. Neq; enim hoc eò pertinet
ut heroicus ille ad summum castitatis gradun
contendendi conatus & impetus retardetur
sed ut humilium & infirmorum imbecillitat
consulatur.* Hoc consilium Theologi a
*eximiâ eruditione ac singulari pietate arden
tissimoq; juvandæ Ecclesiæ Catholicæ studi
magnis laudibus* ipsi Ferdinando Imperator
literis *Viennæ d. 22. Maji A. 1564.* ad eum scri
ptis commendati, & qvi in epitaphio, qvo
Coloniæ in templo S. Francisci ad altar
visitur, *Theologus in perscrutandis S. Bibli
& expendendis Sanctorum Patrum monumen
tis atq; sententiis diligentissimus, atq; hoc no
mine, tum pietate animiq; moderatione claru*
G. Wicelii audit. Georgius verò Wicelius cùm clero
gamiæ libertatem *viâ Regiâ, tit: de Conjugi
Sacerd. p. 325. sqq.* sex & viginti argumenti
ex

ex Scripturâ & praxi Ecclesiæ Veteris, qvin sanâ qvoqve & Christianâ ratione haustis demonstrasset, invehitur justâ abreptus indignatione in malè cælibem suæ ætatis Clerum. *Dicimus,* (scribit p.331.) *licere, non oportere* (esse conjugatum.) *Sed concubinatu prohibito coget res ipsa vel ad honestum conjugium, vel ad Sanctum cælibatum. Qvod inter hæc duo incidit, vetitum est: nempe scortationis scelus, aut adulterii, aut cinædiæ, pæderastiæ: qvorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, debetur census, debetur immunitas ac libertas. Tales digni sunt, qvi soli administrent Ecclesiæ Sacramenta, qvibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum os manusq; rebus sordidissimis aptæ atq; assvetæ admoventur tremendis mysteriis, & adeò, ut sempiterna salus populi, qvi dicitur catholicus, solùm pendeat ab impurissimis ac fœdissimis scortatoribus. Hi conficiunt Sacramenta: hi solvendi ligandiq; potestatem habent: hi soli psallunt DEO, qvem adversarium habent & inimicum. Horum dignitas, venerabilis scilicet, tanti fit, ut in horum ordinem certatim irruant adolescentes, ocio, censu ac honore pellecti tan-*

tantùm; cùm metu DEI & formidine Gehennæ procul hinc fugere conveniat, propter eandem turpitudinem vitæ, in qvam prudentes incidunt. Præ qvorum jactatâ dignitate casti presbyteri propter honestum conjugium fordent, à thysiasterio, à baptisterio, à cathedris, à pulpitis arceantur, à Sacris muneribus muniisq; repellantur omnibus, indigni habiti, qvi intueantur lucem: cùm tamen coram DEO & Ecclesiâ sint Sacris ministeriis tractandis magis idonei, propter conscientiam bonam fiduciamq; erga DEum, rectamq; & honestam conversationem. O præsules, qvæ est ista, precor, tam crassa ac illaudata supinitas, qvæ est ista tam perversa perversitas, ac cæcitas cæcitatum! Lege porrò subjectas ibi cujusdã, qvem orthodoxum Wicelius dicit, *considerationes super clerogamiâ,* & *Elenchum abusuum, p. 367. 368.* Eadem Legati Bavarici Augustini Paumgartneri in Synodo Tridentinâ, teste P. Svave *Hist. Concil. Trid. L. VI. p. 478.* eadem jam anno Christiano DCCCLX. Udalrici Augustani Episcopi Nicolao I. Cælibatum Clericorum in Germaniam introducturo fortissimè resistentis scriptâ epistolâ, (qvam ad calcem sui *de Conjug. Cler. tractatûs* Calixtus *p. 444.* repetiit, & Chemnitius *Exam. p. 511. sq.* nec non

aliorumq; verbis

Gerh

Gerh. *tom. III Conf. Cath. p. 61. Loc. de Min. Eccl* § 339. & Höpffner. *Sax. Evang. S. III. P. I. c. 12 p. 501.* vindicarunt.) eadem Polydori Virgilii *L. V. de inventoribus rerum c. 4. & 5.* eadem Cl. Efpenfæi *de continentiâ* fcribentis qverela fuit. Lege fimiles aliorum qvoqve qverelas apud Chemnit. *Exam. p. 516. fq.* Gerh. *Conf. Cath. l. c. p. 89. 92. fqq.* & *L. de Min. Eccl* §. 338-347. Calixt. *de conjug. Cleric. p. 433. feqq.* Nos in repetendis modò Mafenii argumentis occupamur. Qvi porrò (6) praxin Ecclefiæ Veteris Teftamenti, & hodiernæ qvoqve Græcæ non malè indicat. *Qvod in Vet. Teftam.* ait, *qvodq; hodiedum Græcis facerdotibus indultum fuit connubium, non poffe ab Ecclefiâ jure reliqvis denegari.* Lege de Græcis hodiernis Calixt. *Conjug. Cler. p. 335. fqq* Chriftoph. Angelum *de Statu Eccl. Græca, c. 47 49.* Chytræum *de Statu Ecclefiarum hoc temp. in Græciâ p. 23.* & qvæ in Jure Canonico evolvere loca Hûlfem. jubet *Manual. D. XXI. §. 4 p. 1255.* Addere autem & Apoftolorum atqve Ecclefiæ Apoftolos aliqvot feculis fecutæ praxin poterat. Certè qvidem Paulus poteftatem hanc circumducendi fororem conjugem, qvam Petrus (*Matth. VIII, 14. Marc. I,* 30. *Luc. VIII,* 38.) & fratres Domini, h. e. Jacobus, Jofes, Simon & Judas, (*v. Matth.* XIII, 55. *Marc. VI,* 3. *Gal. I,* 19.) & Philippus diaconus (*Act.* XXI, 9.) atqve

(6) *Ex praxi Ecclefiæ*

qve si Ignatio credimus, Apostolorum pleriqve exercebant, sibi eripi non vult, *I. Cor. IX,5.* Lege Calixt. *p. 117. sqq.* Qvis Ancyranæ Synodi, qvis Niceni Concilii Oecumenici Canones nescit, Conjugii usum Clericis permittentes? Vid. Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, à Christoph. Justello recensitum, *can.* 30. & qvæ pro concluso Nicæni Concilii Paphnutio assentientis, qvi **νεαρὸν νόμον** novam legem de interdicendo Sacerdotibus conjugum usu, plus detrimenti qvàm commodi allaturam Ecclesiæ, Sozomeno *L.I.c.22.* & Socrate *L. I. c.8.* testibus, respuendam censebat, disputat Chemn. *p.*500.sqq. Calixt. *p. 170. sqq.* Chamier. *t.*3. *L.16.c.10.* Dreier. *p.647.* qvi plenam Conjugii Clericorum Historiam per omnia secula contexuerunt. Eam Chemnitius *p.496.* Dreierus *p.639.* inchoat, Calixtus autem per totum opus *à p. 117.* Chamier *à c. 8. usq; ad finem Libri 16.* continuant. Habebit, qvod agat, Masenius, si ad Patrum & Conciliorum placita, ad tot Conjugatorum Ecclesiæ doctorum atq; Episcoporum exempla respondere velit. Qvàm acriter Germana natio aliqvot Pontificum, hoc onus Episcoporum suorum humeris injicere volentium petulantiam represserit, Höpffnerus ex professo docuit *Sax. Evang. l.c. p.*497-512. Ipsorum Pontificum qvorundam perqvam luculentos pro Sacerdotum conjugio canones,

nes,& Canonistarum,& Episcoporum Cardinaliumqve, & Imperatorum, Regum, Principum, & Historicorum atqve Poetarum non unius ævi suffragia incredibili diligentiâ Gerhardus *tom. 3. Conf. Cath. p. 45-91.* congessit. Postremò autem (7.) luculentissimum Apostoli textum è *I. Tim. III, 2. 4.* Masenius *p. 117.* profert: *Episcopum oportet irreprehensum esse, unius uxoris virum, qvi suæ domui bene præsit, & filios habeat subditos.* Eandem legem diaconis posteà *vers. 11.* eandem presbyteris *Tit. I, 6.* præscribit. Qvanqvam verò conjugium hîc non imperet, ceu necessarium Sacerdotis reqvisitum, ut Vigilantius olim sentiebat, & Papistæ nostram sententiam cavillantur, permittit tamen, & modum conjugii determinans, (ut non plurium, qvod tum solebant Judæi & gentiles, pluriû uxorum per crebra divortia mariti, sed unius vir sit) licitum id esse Clericis apertè indicat. Lege de hoc textu Chemnit. *Exam p. 487.* Balduin. *Comm. h. l.* Gerh. *L. de Min. §. 331.* & *notis ad h. l.* & *Conf. Cath. t. 3. p. 109. sqq.* Walth. *Harm. p. 1252.* Hülsem. *Disp. XII. c. Hager. p. 482. sqq.* Calixt. *Conjug. Cler. p. 28. sqq.* Chamier. *t. 3. L. 16. c. 2.* Rivet. *C. O. 2, 24, 4 sqq.* Dreier. *p. 622. sqq.*

(7.) è I. Tim. III, 2. 4.

II.
Exceptionibus Masenii occurritur. ad arg. I.

Sed hæc qvidem argumenta ipse protulit Masenius, qvorum ictûs qvomodo evitare voluerit, conseqvens est, ut videamus. *Primò* ad objectam voti de re impossibili vel incer-

incertâ ſaltem temeritatem, inter *generoſas mentes*, qvæ pro DEI honore & ampliori gloriâ cœleſti ardua qvæq; perrumpere conantur, & inter *vulgares animas* diſtingvit, atq; ad illas modò, non ad has ſtatum hunc perfectionis pertinere nugatur. Scilicet gulæ ac ventri devoti, frugesqve tantùm nati conſumere nepotes, qvorum plusqvam barbaram inſcitiam & pesſima morum exempla aliqvot ſecula magno ſuo damno ſenſerunt: Scilicet *aſſentatores, qvi hominibus, non DEO pro falsâ ſpecie continentiæ placere volentes fratrum uxores ſubagitant, maſculorum ac pecudum amplexûs non abhorrent, inq; qvovis ſanctiſſimo ordine conſtituti alienis reverà uxoribus non dubitant abuti: - - Epiſcopi & archidiaconi ita præcipites in libidinem, ut neq; adulteria, neq; inceſtûs, neq; maſculorum (proh pudor!) turpisſimos amplexûs ſciant abhorrere, caſta Clericorum conjugia dicunt ſibi fœtere, & ab eis jubent & cogunt Clericos abſtinere, & dicunt honeſtius eſſe pluribus occultè implicari, qvàm apertè in hominum vultu & conſcientiâ cum unâ ligari*, qvæ verba ego non ſcriberem, niſi Udalricus Auguſtanus Epiſcopus morum Cleri Cœlibis in Papatu me magis gnarus, *in epiſtolâ ad Nicol. I.* præiviſſet; ſcilicet, *qvi abſtinentes remedio nuptiali in omne deinceps flagitium effluunt*, Bernhardi ſtylo *tract. de Converſ. ad Clericos c. 20, Tom. IV. Opp. p. 110.* hi ſcili-

expend. diſtinctio inter generoſas, & vulgares animas.

ſcilicet ſunt *generoſæ* illæ *animæ*, qvarum excellentisſima perfectio *vulgares animas*, h. e. ſanctisſimos DEiqve ipſius alloqvio felices Patriarchas, Prophetas, reges, ipſos etiam illos, qvibꝰ perfectionis elogium Spiritus S. decernit, tum & Apoſtolos, primæqve Eccleſiæ Doctores uxoratos longisſimè antevertit.

Ecce verò modum induendi hunc generoſæ mentis impetum. *Maturè qvivis deliberet antè, ponderetq; in ſe vires tam naturæ, qvàm gratiæ, & ſi demum intelligat, hac aut illâ ſe viâ ad ſalutem certiùs proventurum, eligat DEO auſpice, & qvi dedit velle, dabit & perficere.* Ita Maſenius. Qvi (1.) de *maturâ deliberatione, & ponderatione virium* qvæ inſpergit, repugnant Pontificiorum praxi, qvi pueros etiam ac puellas, anteqvam ad judicii maturitatem perveniant, contra veterum canonum decreta votorum laqveis implicant. Lege Gerhard. *Conf. Cath. L. II. P. II. p. 342. ſqq.* Balduin. *AntiPazmann. L. IV. c. 4. p. 518.* Qvòd verò (2) ſive in conjugio ſive in cœlibatu *viam certiùs ad ſalutem perveniendi* qværere jubet, cogitet Lector, an injuriâ vacet in unicam ſalutis viam, Chriſtum Jeſum, *Joh. XIV. 6.* Præterea autem (3) normam debebat indicaſſe Jeſuita, ad qvam exigendæ vires ſive naturæ, ſive gratiæ fuerant. Sanè è ſenſu præſenti hoc dijudicari non poſſe manifeſtum eſt. Neqve

An continentia cuivis posſibilis fiat per Maturam deliberationem,

enim qvi jam nullos libidinis ſentit inſultûs, ſemper ſe ab omni uſtione liberum fore, certus eſt illicò. Porrò (4) nec ab auxilio divinæ gratiæ tantum virium ſibi indubiè polliceri talis homo poteſt, qvantum ad ſuperandos tentationis æſtûs ſufficiat. Duplicia enim dona DEI ſunt, ceu rectè Chemnitius docet *Exam. P. III. de Cœlibatu c. 4. p. 467. ſqq: Communia* alia, & piis omnibus neceſſaria: qvalia fides, ſpes, patientia, de qvibus promisſionem indubiæ exauditionis habemus ac certi eſſe poſſumus, *qvi velle dedit, eum & daturum perficere, Phil. II, 13.* Alia *ſpecialia*, & neq; neceſſaria omnibus, neqve promiſſa omnibus, qvæ non niſi ſub conditione (ſi velit DEUS,) peti, non niſi cum tentatione DEI voveri poſſunt: qvalia ſunt donum lingvarum, donum ſanationum, donum prophetiæ, atqve univerſim omnes gratiæ gratis datæ, qvas vocant, *Rom. XII, 6. I. Cor. XII, 4. 28. ſqq.* Atqve huc continentiam matrimonii non indigam referri debere Chriſtus ac Paulus docent *Matth. XIX, 11. I. Cor. VII. 7. 17.* Confer. Apol. *Aug. Conf. p. 240.* Hulſem. *brev. c. XXI. th. 13. & Supplem. th. 2. p. 494. 506.* Calixt. *de Conjug. Cler. p 73. ſqq.*

& devotam precationem?

Ad argum. 2. ex I. Cor. VII, 9.

Secundò indicatum ab Apoſtolo incontinentiæ remedium ſic eludit, ut idem periculum uſtionis, qvod per nuptias evitari debebat, nuptis imminere aſſerat. *Continentia*, ait, *ubiq; etiam in conjugio ad ſalutem neceſ-*

necessaria est, & magis plerunq; ob consvetudinem affectumq; hic difficilis, nec iccircò desperandum. Et ad marginem notat: *in ipso conjugio incontinentiæ periculum non deest.* Summa huc redit: ineptè à Spiritu S. conjugium præscribi remedium libidinis. Ostendat autem Masenius, ubi continentia, qvalem Pontificii intelligunt, h. e. abstinentia à conjuge (qvæ cum pollutione carnis & spiritûs sæpè conjuncta est), ad saluté necessaria perhibeatur. Svadet eam qvandoq; & conjugatis Paulus, sed hac lege, ut iterum conveniant, ne propter incontinentiam tententur à Satanâ, *1. Cor. VII, 5.* Cæterum tanti facere institutionem suam consvevit DEUS, ut etiam in hac naturæ corruptione consvetudinem conjugalem, in qvâ leges conjugii non violantur, pronunciet esse *ἁγνείαν, castitatem, σωφροσύνην, continentiam seu pudicitiam,* (qvæ & Paphnutii erat in Concil. Nicæno approbata sententia apud Socr. *l. 8.) ἁγιασμὸν, sanctimoniam, ἀμίαντον, munditiem,* qvæ fœditati & inqvinationi opponitur, omniqve honore dignam, *Ebr. XIII, 4. I. Tim. II, ult. I. Thess. IV, 4. Tit. II, 4.* Imò Episcopum & uxoris virum esse permittit, & simul *ἐγκρατῆ* seu continentem esse jubet *Tit. I, 6. 8.* Vid. Chemnit. *P. II. Locor. tit. de castitate in consvetudine conjugali p. 472. sqq. & Exam. P. III. c. 3. de castitate in conjugio p. 454. sqq.*

(An castitas in conjugio?)

Ad argum. 3. ex I. Tim. IV, 1. *Tertiò* ad vaticinium Apostolicum *de prohibentibus nubere* regerit *p. 116: Non prohibere Pontificios more Manichaeorum conjugium, aut malum illud dicere, sed virginitatem illi praeferre, ut bono melius aliud*, eamqve in rem B. Augustini verba *è L. XXX. contra Faustum Manichaeum c. 4.* profert ista: *Si ad virginitatem sic hortaremini, qvemadmodum hortatur Apostolica doctrina: qvi dat nuptum, bene facit & qvi non dat nuptum, melius facit: ut bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem, sicut facit Ecclesia, qvae vera Christi est Ecclesia, non vos Spiritus S. ita praenunciaret, dicens: prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qvi hoc malum esse dicit: non qvi huic bono aliud melius anteponit.* Augustino facile assentimur, non peccare, qvi conjugio virginitatem, ceu excellens DEI donum praeferunt, atqve hoc à nostris fieri suprà ex *Apolog. Aug. Conf.* & *Chemnitio* docuimus. Neqve negamus, Manichaeos, Encratitas, aliosq; ejus farinae sectarios, indicari ab Apostolo, qvi generaliter loqvens omnes eos, qvi prohibent nubere, doctrinam daemoniorum fovere docet. Jam prohiberi Clericis matrimonium per Pontificios, clarius est, qvàm ut negari possit. Qvi enim Lege latâ maritos sacris operari vetat, is sacerdotibus interdicit matrimonium. Et qvia ad Manichaeos applicat Apostoli verba Masenius, operae pretium fuerit observare,

an ibi de Manichaeo tantùm, an Pontificio qvoq; conjugii interdicto?

non

Digitized by Google

non *auditoribus* promiscuè omnibus interdictas ab iis nuptias fuisse, sed *electis* tantùm, qvos vocabant, perinde ut Pontificii non omnibus, sed tantùm iis, qvi perfectiores Laicis esse velint, conjugii usum abstulerunt, ideò, qvòd castitati reqvisitæ à Clericis repugnet. Qvod annon sit, malitiam qvandam conjugio tribuere, Lector pius judicet. Adscribemus aliqva B. Augustini è *L. II. de moribus Manich.c.18.T.I.p.802.* unde de Manichæorum & Pontificiorum affinitate constet. *Non concubitum, sed ut longè antè ab apostolo dictum est, verè nuptias prohibetis. Hic non dubito, vos esse clamaturos invidiamq; facturos, castitatem perfectam vos vehementer commendare atq; laudare, non tamen nuptias prohibere*: (enipsissimam Masenii exceptionem, qvam Manichæi præiverant!) *qvandoqvidem auditores vestri, qvorum apud vos secundus gradus est, ducere atq; habere non prohibentur uxores. Qva cùm magnâ voce & magnâ indignatione dixeritis, ego vos leniùs interrogabo ad hunc modum: Nonne vos estis, qvi filios gignere, eò qvòd anima ligentur in carne, gravius putatis esse peccatum, qvàm ipsum concubitum?* Dixeris cum Pontificiis sermonem fuisse B. Augustino, qvi & ipsi levius peccare Clericum scortatione & congressu nefario, qvàm conjugio docent: ut vel ex Costeri *enchiridio*, ubi de cælibatu sacerdotum tractat, (*c. 19. p. 660.*) intelligitur.

Sed & multò ante Cardinalis Campeg
Pontificis Nuncius Legatis Argentorate
bus, cùm pro matrimonio Sacerdotum ve
fecissent, responderat: *qvòd Sacerdotes f*
mariti, multò gravius esse peccatum, qvà
plurimas domi meretrices alant: nam illos
bere persvasum, qvasi rectè faciant; hos
tem scire & peccatum agnoscere, nec eni
mnes eâ esse, qvâ fuit Baptista Johannes,
tinentiâ, teste Sleidano *L. IV. Comm. p.*
Cæterùm ad novissima simul sub Antic
sto tempore respexisse Apostolum, *Lira*
Justinianus aliiq; fatentur, & ipsa verba
cent, prout ostensum Gerh. *L. de min. Ec*
§ 334. & *annot. h. l.* & *Conf Cath. L. II. P. I*
113. Confer Chemn. *P. II. LL p. 521.* Char
T III. L. XVI. c. 7. 1010. Meisner. *depulf. ex*
Reibing. p. 77.

Ad argum. 4. ex Gen. I, 28. II, 18. 24. I. Cor. VII, 28. 36.

Qvid verò *qvartò* ad jus illud, qv
mni hominum generi concessum est, imò
qvi continere neqveunt, imperatur ma
monium, reponit? Apinas tricasqve
qvid vilius. *Non igitur magis* (sc
p 117.) *prohibentur nubere alteri, qvi C*
sto se sponso devoverunt, animæ, q
qvæ Sponso carnali. Jugum hoc non
pit duos. Libertas manet, sed nona
jugatis. Qvi illam retinere mavult, v
cula utrò non subeat alia. Bella profe
oppositio eorum, qvi Sponso carnali, &
sp

Digitized by Google

spirituali se devoverunt: qvâ hoc efficitur, ut qvicunqve in conjugio vivunt, alieni à Christo vel spiritualis adulterii rei habeantur: qvod Augustino judice (judicem autem Masenius elegit,) absurdissimum est. *Qvia Christi conjugium dicuntur eligere, qvæ Christianâ sanctitate non nubunt, hinc argumentantur qvidam dicentes: Si viro suo vivo qvæ alteri nubit, adultera est, vivit autem Christus: qvæ ergò conjugium ejus elegit, adultera est, si homini nubat. Qvi hoc dicunt, acutè moventur qvidem, sed parum attendunt, hanc argumentationem qvanta rerum seqvatur absurditas. Cùm enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam fœmina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, qvod sentire nefas, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Deinde cùm primæ nuptiæ melioris sint meriti, qvàm secundæ, absit ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur, qvasi secundus maritus. Ipsum enim habebant & anteà, qvando viris suis fideliter serviebant subditæ, non carnaliter, sed spiritualiter virum, cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est, qvæ*

An adulterium committar, qui voto obstrictus nubit?

fidei, spei, charitatis integritate non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis & conjugatis fidelibus tota virgo est. Hæc Augustinus *lib. de Bono viduitatis c. 10. T. IV. p. 1024.* Et profectò, si Scripturam audiamus, eos Christo Sponso uniri, in qvocunqve statu vivant, censebimus, qvi verâ fide ipsi adhærent, & unus cum ipso Spiritus fiunt, *Hos. II, 19. II Cor. XI, 2. 3. I. Cor. VI, 17.* rursus, eos fornicationis adulteriiqve spiritualis gravissimo crimine caput obstringere, qvi à verbo ipsius discedunt, & electitios cultûs instituunt, licèt maximè corpus à maritali consvetudine abstineant, verè fatuæ virgines. *Jerem. III, 6. sqq. Ezech. XVI, 16. sqq.* Qvod faciunt profectò, qvi contra DEI verbum uri, qvàm nubere malunt, & ex cælibatu faciunt satisfactionem pro peccatis ac meritum vitæ æternæ Chemnit. *Exam. p. 484.* & *LL. P. II. p. 517.* Gerh. *de Conjug.* §. *553.*

Ad arg. 5. à scandalis votivi Cœlibatûs.

Qvintò: qvòd impuros Pontificii cælibatûs fructûs agnoscit, evidentiam causæ arguit; qvòd eos inter Zizania refert *p. 117.* nihil ipsum juvat. *Ingens, ait, Ecclesiæ DEI ornamentum simul & adjumentum est, tot millibus religiosorum hominum Christi & apostolorum vestigia sectantium abundare. Nec hinc erumpens desertor aliqvis transgressorq; Judas,*

decus hoc militantis Ecclesiæ subvertet. Sua qvivis ager Zizania alit, etiam Ecclesiasticorum. Expendat verò cordatò qvivis, qvantum afferant adjumenti vel ornamenti ad Ecclesiam tot millia cinædorum ac scortatorum, non sanè Apostolorum vestigiis insistentium ; illi enim vel mariti erant, vel certè jus ducendi nolebant sibi ademtum, ut suprà ostensum : sed excæcatarum gentium, qvas DEus in sensum reprobum dedit. *Qvia enim veritatem DEI in mendacium commutaverunt, & servierunt creaturæ potiùs, qvàm Creatori,* (conjugium omnibus, qvi non continent, imperanti,) *propterea tradidit illos DEus in sensum ignominiæ. Nam fœminæ earum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qvi est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto* (imò ejerato per impia vota) *naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes,* &c. Rom. I, 24. seqq. Cujus textûs luculentam ἐξεργασίαν Monachorum monialiumq; claustra, si ipsos Pontificiæ Ecclesiæ scriptores qvosdam audire velimus, subministrent. Non ornamenta hæc, sed vomicas & carcinomata Ecclesiæ dixeris, vel certè *Zizania*, ut Masenio appellare placet, ab hoste infernali

nali dormientibus hominibus in agrum Domini sparsa.

Ad arg. 6. à praxi Ecclesiæ V. T. Ecclesiarum Græcarum,

Sextò exemplum Ecclesiæ *Vet. Test.* qvæ maritos Sacerdotes habuit, silentio transmittit. Ad *Græcarum* autem Ecclesiarum praxin hoc unicè dicere habuit: exceptionem unam non tollere veritatem regulæ. *Si qvid Græcorum sive fragilitati, sive contumaciæ indultum sit, ne deterius prolaberentur, in exemplum trahi non poterit. Dari à Lege exceptio potest, neq; iccircò tota erit evertenda.* p. 117. At profectò non dispensarunt qvoad Græcos circa Legem ab se latam Romanenses, sed hi jugum illud & laqveum nunqvam sibi passi sunt imponi, acerrimi primatûs Romani hostes. Nec dubitari potest, qvin meritò repudietur Lex, qvem Legi à DEO latæ contraveniens homuncio, sive is Siricius, sive Innocentius appelletur, promulgavit. Restauratio & vindicatio est divinæ Legis, non à Lege Papali exceptio, si qvis Ecclesiasticis personis ademtam conjugii libertatem restituat:

& primorum à Christo seculorũ.

Qvid verò nostratibus respondebit Masenius, qvos indicavimus suprà demonstrasse per omnes Ecclesiæ ætates contradictum tyrannicæ Pontificum Legi de Cælibatu Sacerdotum non ab Orientali modò Ecclesiâ, sed Occidentalis qvoqve Doctoribus præcipuis & Synodis qvàm plurimis fuisse?

Postre-

Postremò ad 1.*Tim.III,2.* sic respondet, ut tacuisse præstiterit. *Episcopum, dicunt, oportet esse unius uxoris* (hic glossam allinit, qvæ nemini nostratium in mentem venit : *reipsâ possessæ) virum, habentem filios subditos. Qvid si igitur uxor moriatur ? qvid si liberos non habeat ? An Episcopus non erit ampliùs ? Rectiùs de Paulo Hieronymus : Non dicit : Eligatur Episcopus,qvi unam ducat uxorem & filios faciat ; sed qvi unam habuerit uxorem , & filios subditos in omni disciplinâ. Certè confiteris,non posse esse Episcopum, qvi in Episcopatu filios faciat.* Hîc (a) vetus Fabricii,Daventriæ,Cochlæi, Foreri mendaciū inspergit imputantium Lutheranis , qvòd sentiant , necessariò ex mente Pauli ducendam esse uxorem & procreandos liberos. Qvod secus est ; neq; enim de *necessario*,sed de *licito* controversia est , ut benè observat Hulsemann. *Suppl.brev.c.21.* §.1. *p.504.* *Ne insaniamus,sicut primus fanaticus spiritus, qvi ex loco Pauli ad Timotheum hoc volebat evincere : non posse pastorem esse , nisi etiam maritus esset. Hæc neq; Pauli , neq; Psalmi hujus sententia est,* scribit Lutherus *enarrat. in Psalm.* CXXIIX,3. *Tom.IV.Jen. Lat. p.* 470. *b.* Atqve in eandem sententiam jam olim Chrysostomus *homil.X.in I.Tim.III.* explicabat: *Non hoc veluti sanciens dicit Apostolus,qvasi non liceat absq; uxore Episcopum fieri*

Ad arg. 7. ex 1 Tim. III, 2. 4:

ibi non de necessario, sed licito sermonem esse:

fieri, sed ejus rei modum constituens.
dæis qvippe licitum erat etiam secund
trimonio jungi, & duas simul κατὰ τ
habere uxores. Qvare non absolutè
maritum Episcopum esse Paulus; sed s
jugium amplectatur, non nisi unius u
maritum esse, atqve ab omni fornicati
concubinatu, Polygamiâ abstinere j
Dum autem modum conjugii Episco
neq; de eo, definit, ipsum simul licitum esse ostendi
qvi fue- *Hieronymi*, qvem justo iniqviorem no
rit, cerdotum modò, sed omnium conj
sed qvi sit fuisse suprà observavimus, glossam t
unius Vir. ipse refutat, qvi non γεγονέναι aut *fuisse*
εἶναι esse unius uxoris maritum Episco
vult, perinde ut non fuisse, sed esse debe
brius, prudens, hospitalis. Defunctæ a
uxoris nemo maritus est, *Rom. VII, 2. I.*
VII, 39. Qvod agnoscens Dominicus
to *L. VII. de justitiâ & jure, q. 6. a. 2. co*
Haut eludere loca illa possumus, ait, *d*
tes intelligi de his, qvi cum fuissent
trimonio mancipati, jam essent uxo
vidui. Paulinus enim contextus p
commonstrat, illos esse intelligendos
in matrimonio durabant, tum qvòd t
uxoris vir hoc ipsum sonat, qvod ux
habens: tum etiam qvòd inter alia
virtutes hanc etiam ponat, ut sit (u

Digitized by Google

mui bene præpositus. Porrò & ipse Hieronymus, (γ) qvi adversus Iovinianum disputans, ea qvæ Masenius protulit, passus sibi est excidere, alibi rectius Apostoli verba exposuit, scribens *ad Oceanum. Epist. LXXXIII: cap. 3: Ex Judæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliqviis congregabatur. Sciebat, lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Mosis familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoq; sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcipit ergo, ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicent sacerdotes, ne bina & trina pariter conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant.* Qvid autem vetat, (δ) qvò minùs cum Masenio arguti simus, & de illâ Hieronymianâ, qvam suam facit, expositione ipsum rogitemus: *Qvid si uxorem non habuerit? si liberos non habuerit? an verus Episcopus non erit*? Plura apud autores suprà de *h. l.* laudatos vide.

III. *Argumentis Masenii respondetur, sumtis (1.) ex Matth. XVI, 24.*

Hactenus de responsionibus Masenianis ad argumenta, qvæ pro nostrâ sententiâ ipse attulerat. Restat, ut argumenta ipsius expendamus, qvæ ex *Scripturâ*, *Augustino*, denique *priscæ Ecclesiæ* praxi accersit.

(1.) *Christi salutaris admonitiò est: Si qvis vult venire post me, abneget seipsum, tollat crucem*

crucem, & sequatur me Matth. XVI, 24. *Pergimus ex hac vitâ ad æternitatem vel felicissimam, vel calamitosissimam. Arcta via est, quæ ducit ad vitam; lata, quæ ad perditionem.* Matth. VII, 14. Respondeo. Utraq; profectò admonitio salutaris est, Utraq; ad pingve otium vitæ cælibis in Papatu demonstrandum aliena. Utraqve non religiosos modò, sed omnes salvari cupientes, fatentibus glossâ ordinariâ, Didaco stellâ, Fr. Lucâ Brugensi, Tirino (apud Gerh. *C.C t.3. p. 225.319.*) concernit. Utraqve jam superiùs excussa *p. 98. 100.*

& c. VII, 14.

(2). Pauli seqvitur exemplum: *An non consultius hic brevi tempore cum Paulo arctari & qveri: Datus est mihi stimulus carnis, & angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter qvod ter Dominum rogavi, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* II. Cor. XII, 7. *Et postea cum eodem gloriari: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliqvo reposita est mihi corona justitiæ?* Dudum est, qvòd mirabatur doctissimus Erasmus *annotat h. l.* ineptissimam σκόλοπος de motibus libidinis expositionem ulli docto Theologo se probare potuisse. Iis enim si tantopere fuisset vexatus sexagenario tum major Apostolus, cur non remedio, qvod præscripserat aliis, *I. Cor. VII, 9.* cùm

(2) ex II. Cor. XII, 7.

præser-

præſertim id ſibi ſciret licere *1.Cor.IX,5* malum expuliſſet? Itaqve Bellarminus ipſe huic interpretationi paulùm immoratus *Lib. de Monach.c.30 §.qvintò idem* agnoſcit, *non omninò convincere hunc locum, qvòd diverſimodè à Patribus exponatur.* Inter qvos haut dubiè omnium optimè ſententiam Pauli aſſecuti ſunt, qvi de gravisſimis tentationibus ſpiritualibus, qvibus diabolus conſcientiam ejus lancinabat, conqveſtum opinantur; qvas ipſe adjutus gratiâ divinâ aſſumtoq; ſcuto fidei, qvo poſſumus jacula mali illius ignita extingvere, (*Eph. VI, 13. ſqq.*) feliciter ſuperavit, & conſummato curſu acceptaq; coronâ juſtitiæ in æternum triumphat. Confer. Er. Schmid. *annot. ad II.Cor.XII, 7.* Gerhard. *L. de Conjug. § 552.* Franz.*de interp.Scr.Orat.78.* Chamier *Panſtr. t.3. L. 20.c.19.§.13 ſqq.* Georg. Vechner. *tract. de Palo Pauli, Sect. XIV.XV.p.58 ſqq.*

(3.) Ex loco parium colligit: *Qvin imò & ſuas habet ſecularis & matrimonialis ſtatus difficultates. Si igitur ad hunc ſe qvivis liber obligare poteſt, ligatusq; non poteſt recedere: cur id in conſiliis acceptandis neqveat?* Sed comparat maximè disparia. Matrimonii votum qvò minus irritum reddi qveat aut diſſolvi, Lex divina impedit, *Matth.XIX,6.* Votum verò perpetuæ continentiæ tantum abeſt, ut Lege Divinâ comprehendatur, ut illi etiam repugnet. *(3.) ex insolubilitate vinculi conjugalis.*

Qvanqvam ergò ob difficultates matrimoniales cælibatus eligi præ conjugio pro ratione temporum possit ex consilio Pauli *I. Cor. VII, 26. 28.* voveri tamen cælibatus voto absoluto & cum imprecatione, si non servetur, conjuncto non debet. *Hoc enim* (de virginitate non vovendâ, sed conjugio præferendâ) *ad utilitatem vestram dico, non ut laqveum vobis injiciam*, scribit *l. c.* Apolus *v. 35.*

(4) *ex Sap. VIII, 21.* (4.) Verba à Philone *Sap. VIII, 21.* sub personâ Salomonis prolata magis imperitiam Græci idiomatis in iis, qvi cum Masenio pro voto cælibatûs allegant, qvàm donum continentiæ cuivis per preces impetrabile probant. γνοὺς δὲ, ait Sapiens, ὅτι οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατὴς, ἐὰν μὴ ὁ Θεὸς δῷ, καὶ τοῦτο δ' ἦν φρονήσεως τὸ εἰδέναι τίνος ἡ χάρις, ἐνέτυχον τῷ κυρίῳ, καὶ ἐδεήθην αὐτοῦ. Hoc est: *Sciens verò, qvòd non possim compos fieri*, (sapientiæ, de qvâ & præcedit & seqvitur:) *nisi DEus det: & hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, & precatus sum illum.* Nihil hîc de abstinentiâ ab usu Conjugis, nedum de ejerato matrimonio. Neqve sanè in totâ illâ, licèt prolixâ, precatione mentio fit cælibatûs, qvem nec petiisse, nec impetrasse Salomo legitur. Ut adeò illud ἐγκρατὴς hic idem sit, qvod rei alicujus

compos:

compos: qvo sensu & à Syracide sumitur *c. VI, 28. & XV, 1.* uti Grotius *ad h. l.* observat. Qvòd si côcedamus etiam, castitatem notari, non Pontificiam tamen, sed Apostolicam significabit, qvæ & in castis conjugibus liberos procreantibus locum habet *Tit. I, 6. 8.* Deniqve si & abstinentia ab omni conjugii usu significaretur, (qvod tamen dicere necesse non est, & repugnat contextus,) patebit, non concepto voto, sed accepto dono, qvod personale est, (*Matth. XIX, 11.*) non gratia communis fidelium, ascribendam eam esse. Vide Chemnit. *Exam. p. 470. 471.*

(5) *ex Matth. XIX, 12.*

Succedunt (5.) Eunuchi, qvi se castrant propter regnum cœlorum, *Matth. XIX, 12.*) de qvibus hæc ex Augustini *Lib. de Virginit. c. 24. T. VI. p. 821.* subdit: *Itanè tantâ dementiâ qvisqvam contrarius est veritati, ut pio proposito continentes, corpus usq; ad contemtas nuptias castigantes, seipsos non in corpore, sed in ipsâ radice concupiscentiæ castrantes, cælestem & angelicam vitam in terrenâ mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat, & Christo laudanti eos, qvi seipsos castraverunt non propter hoc seculum, sed propter regnum cœlorum, Christianus contradicat, affirmans hoc præsenti vitæ utile esse, non etiam futuræ?* Et de suo ista: *Qvare ut semel naturâ castrati inhabiles sunt ad nuptias: ita & voto continentiæ obligati.* Hic (α) *verba Christi* non de voto

de Eunuchis propter regnum cælorum.

cælibatûs, ſed de liberâ à conjugio abſtinentiâ & *propoſito* ſervandi virginitatem loqvuntur, interprete Paulo *I. Cor. VII, 37.* Donum autem illud non omnibus promiſcuè, qvi velint, ſed qvibusdam, qvi posſint capere, dari docetur. Hos eunuchos per metaphoram vocat, non qvòd omni ſe privarint facultate contrahendi matrimonii, ſed voluntate & exercitio, dum evnuchorum inſtar ſe gerentes à conjugio ſponte ſuâ & liberè, non autem neçesſitate aut coactione qvadam abſtinent. Idqve *propter regnum cælorum*, h. e. ut in Eccleſiæ (qvæ hoc nomine in Chriſti concionibûs venire ſolet, *Matth. XIII. XVIII. XXII. & alibi pasſim*) propagatione, expeditiùs curare posſint, qvæ ſunt Domini, ſive in miniſterio verbi, ſive in aliis pietatis exercitiis, ſive in perſecutionibus ſuſtinendis, *I. Cor. VII, 34.* Nihil de Papiſtarum votivo evnuchiſmo, qvi omnium eſt, qvi volunt, neqve tam ob propàgationem Eccleſiæ commodiorem, qvàm ob vitæ æternæ meritum, vel ut jam olim Eraſmus *annot. in I. Tim. III p. 670.* cenſebat, magis ob cenſum Eccleſiaſticum, qvàm pietatem ſuſcipitur. Neq; (β) *paraphraſis Auguſtiniana* de laqveis votorum loqvitur, qvos Pontificii nectunt, ſed de *pio propoſito* (ut verba habent,) cælibatûs caſti, qvem ut excellentius donum commendat adeoqve majori præmio ornatum olim iri aſſerit.

Digitized by Google

afferit. Qvo fenfu & B. Brentius admittit, per *regnum Christi* majorem in vitâ cœlesti gloriam intelligi poffe, cùm credentes pietatis fuæ finem non in hac tranfitoriâ vitâ conftituant, fed refpiciant femper ad futuram gloriam. Lege hîc Chemnit. *P. III. Exam. de cælib. & virginit. c. 2. fub fin. p. 462.* Qvòd autem (γ) Mafenius à *propriè* dictis eunuchis ad dictos *metaphoricè* argumentatur, planè ineptum eft. Fundamentum enim appellationis hujus, qvâ eunuchi dicuntur, qvi propter regnum cœlorum abftinent matrimonio, non in ablatione *facultatis*, fed in privatione *voluntatis & exercitii* ponendum eft: qvemadmodum fpiritualiter cæcus aut furdus eft, qvi audire aut videre non vult, *(Matth. XIII. 13.)* non qvi omnem intelligendi facultatem per votum fibi abftulit. Et feqveretur aliàs, Paulum, qvi circumducere uxorem poterat, nolebat tamen, feqveretur tot martyres fanctasq; virgines, qvæ fine cælibatûs voto extra conjugium manferunt, numero eunuchorum, qvi fe caftrant propter regnum cœlorum, excludendas effe. Conf. Gerh. *L. de Conjug. §. 500 509.* & *Conf. Cath. tom. III. p. 333.* Chamier. *t. III. L. 20. c. 15.* Rivet. *C. O. tr. 2. q. 23. §. 7.*

(6.) *Viduæ* producuntur, *nubere volentes, cùm lafcivire cœperint contra Chriftum, habentes damnationem, qvia primam fidem* irri- *(6) ex 1. Tim. V. 11. 12. de viduis nu-*

irritam fecerunt. I. Tim. V, 11. 12. ubi
servandæ continentiæ ex voto intell
portere , ex Augustino *L. I. de adu*
Conjug. c. 24. T. VI p. 813. probat. Qvi
verò de sententiâ Augustini sit , de qv
pluribus dicemus , textûs sanè Apost
de votivo cælibatu nihil habet. Qve
post *Chemnitium* vindicare laboret, is
scribere post Homerum velle possit
Docuit autem is evidentissimè juxta a
lixissimè *P. III. Exam. de cælibatu c. 9.*
sqq. ex visceribus textûs & ratione il
temporum, viduas istas , qvæ ab Eccle
stentabantur, operâq; vicissim curæ
rum ægrotorumq; elocabant , neq;
unqvam viduitatem cum solenni ejer
matrimonii , neqve præstantiorem c
DEI statumve perfectiorem (aut maj
ritum intendisse proposito permane
viduitate , & maximum earum pec
qvo damnationem æternam promer
non fuisse transitû ad nuptias secund
τὸ καταστρηνιᾶν τοῦ Χριστοῦ , h. e. ex
nem jugi Christi, timoris DEI , fidei
tatis erga Christum, qvâ petulantiâ
sio dabatur adversario blasphemand
ipsæ retrò post Satanam conversæ
penitus à Christianismo deficiebant
prima fides , qvã irritam faciebant, no
de voti, (qvæ prima dici non potest
priorem DEO in baptismo dederin

pruriennibus,

& primã fidem facientibus irritam.

de fide, *verâ ac salvificâ*, de qvâ & *v. 8.* præcesserat, & quam Christo in baptismo dederant, intelligenda. Hanc irritam faciebant non tam nubendo, qvàm contra Christum lasciviendo & à verâ religione ex metu exprobrandæ inter Christianos levitatis deficiendo. Et solet ipse Apostolus hoc sensu sæpiùs phrasin istam usurpare & explicare in *hac epistolâ c.I.19. IV.I.V.8. VI. 21.* Postremò carpit qvidem in viduis illis temeritatem in suscipiendo, & levitatem in abjiciendo *proposito* viduitatis, laqveum autem *voti* irrevocabilis tantum abest, ut illis velit injectum, ut discritè juniores recipi in Collegium illud viduarum, ut sic dicam, prohibeat *vers. 9.* illisqve matrimonium imperet potiùs *v.14.* qvæ omnia eruditè explanata apud Chemnitium legi velim. Vide tamen, si lubet, & hic Gerh. *annot.h.l.* & *L. de Conjug. §.513. 599.* Chamier. *t.3.L.20. c. 16.*

(7.) Augustini nunc superest autoritas, cujus qvædam corrasit loca. Ea, præter geminum, jam *ad argum.5.& 6.* expositum, ut compendio dicam, huc redeunt. (*α*) Votum continentiæ, non minùs ac qvodvis aliud votum exsolvendum esse, juxta *Ps. LXXVI, 12. Tom. VI. de adulterin. conjug.L.I.c.15.& 24 p 847.853.* & *Epist.XLV. ad Armentarium, T II p.159.* (β) Agnovisse hoc gentiles ipsos, qvi stupratas Vestales vivas (7) *ex Augustino.*

vivas defodiebant, *L.III. de Civit. DEI c. 5. T.V.p.161.* (γ) Paulum ideò erectum de pulvere ut sedeat cum potentibus populi, qvòd vovisset instar apostolorum cæterorum desertionem omnium. *L.XVII. C.D. 4.T.V.p.946.* (δ) Deiparam voto obstrictam, anteqvam conciperet Salvatorem mundi, qvod ex ipsius verbis *Luc.I,34.* manifestum putat, *lib.de S. Virginit.c.4. T. VI. p. 812.* (ε) Eunuchis *Esa.LVI,4.* nomen æternum promitti. *c.25 de S virginit.p.822.*

Patrum Autoritate in hac materiâ stari non posse, docetur.

Hîc *primùm* in genere tenendum, Patrum hâc in re judicio stari non posse, *tum* qvia ipsi, ac Augustinus præsertim *L. II. c. Crescon.c 32.T VII. p.241. Epist XIX. ad Hieron.T. II.p 70. L.III. de Trinit.proœm. T.III. p.280.* & alibi, scripta sua non pro canonicis haberi, sed ex canonicis scriptis dijudicari volunt: *in omnibus literis meis*, scribit postremo loco Augustinus, *non solùm pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero* &c. *tum* qvia ipsorum rationes mutuò ab ipsis refelluntur vel certè infirmis fundamentis innituntur: qvomodo celebre illud plerorumq; veterum argumentum de desponsatione sanctimonialium cum Christo Augustinus ipse, ceu antea observabamus: vicissim istud de primâ fide viduarum, in qvo multum roboris Augustinus ponit, Chrysostomus Ambrosius & Theophylactus refutant ac rejiciunt: *tum* qvia voto-

votorum defensores Patres votis suâ primùm ætate introductis graviter ab aliis contradictum esse, ipsi fatentur; qvomodo Basilio in Græcâ, Hieronymo in Romanâ, Ambrosio in Mediolanensi Ecclesiâ contigit: *tum* qvia & multò verecundius & modestiùs materiam votorum in praxi Ecclesiæ, qvàm Pontificii tractarunt: qvod ipsũ qvoq; sæpiùs laudatus Chemnitius *Exam. p.485.* observat. Elegans est Cypriani, antiqvissimi Doctoris sententia de virginibus DEO non per votum, sed animi propositum dicatis *L.I.Ep. XI. p.38*: *Qvòd si se ex fide Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ullâ fabulâ perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt vel non possunt, melius est, ut nubant, qvàm in ignem delitiis suis cadant.*

Ad loca Augustini respondetur.

Deinde qvod in specie ista Augustini loca attinet, observandum (α) vovendum qvidem esse, sed id qvod sub votum cadit: votum servandum esse, si fuerit legitimum. Jam qvia perpetua continentia in potestate voventis non est, (ut hoc unum nunc allegemus,) apparet, & temerariè eam voveri, & iniqvissimum laqveum esse, qvi hâc ratione conscientiis injicitur. Obiter & de *Epistolâ XLV.* Augustini, annotamus eruditissimi Erasmi censuram: *Hujus Epistolæ phrasis nihil habet Augustini: videtur ejusdem, cujus est trigesima octava.* (β) Analo-

giam Romæ paganæ & Papææ, uti in aliis, sic qvoad hanc superstitionem lubentes admittimus. (γ) *L. XVII. de C. D. c. 4.* non de Paulo, sed de illo sermo est, *qvi propter nos factus est pauper, cùm dives esset, ut nos ejus paupertate ditaremur*, ut ipse in præcedd. B. Augustinus loqvitur, incongruè hactenus à Masenio citatus. Votum verò Apostolorum cæterorum, qvale fuerit, superiùs *p. 247.* cognovimus: firmissimum scil. animi propositum omnia posthabendi vocationi suæ ad Apostolatum: atq; ita sese componendi, ut si aut uxorem, domum, bona eripi, aut abnegari veritatem agnitam necesse sit, non dubitarent illa deserere. Non enim de *spontaneâ per votũ Pontificium abdicatione* uxorum & bonorum, sed *patienti relictione per vim ereptorum* loqvuntur, ut ibi ostendimus. (δ) B. Mariam perpetuam virginitatem vovisse, priusqvam conciperet, fabula est, protevangelio Jacobi, unde originem traxit, digna, qvod Gelasius ipse *c. Sancta Romana d. 15.* sub titulo *libri de Nativitate Salvatoris & de S. Mariâ, & de obstetrice Salvatoris*, item Baron. *apparatu n. 38.* & Bellarm. *p. 32. de Scriptor. Eccles.* rejiciunt, & qvod *ab hæreticorum aliqvo instinctu diaboli sanctissimo Apostolo substitutum* censebat meus in cathedrâ Poëticâ Wittebergensi Decessor, Celeberr. Aug. Buchnerus p. m. *Comment. in Prudentii hymnum de Nat. Chr. p. 96.*

Mariæ votum virginitatis.

p.96 Eam fabulam prolixè confutavit Chamier *T.III. Panstrat. L. 20. c.14. toto*, Rivet *apolog. pro S. Virgine Mariâ, L I. c. XI. Tom. III. p. 627 sqq.* & ex nostris Gerh. *L. de Conjug. § 510.* & *Tom. III. Conf. Cath. p. 334. sqq.* Et qvis credat, perpetuam virginitatem vovisse, qvæ passa fuit viro se desponderi εἰς τὸ συνελθεῖν, *in hoc ut aliqvando congrederentur?* Matth. I, 18. Cur Sponsa facta fuisset, qvæ per votum conjux fieri non poterat? Præterea multum distant *virum non novisse*, qvod cum omnibus virginibus illibatis commune habebat Maria, & *conjugium omne ejerare*, qvod nullâ veri specie ex istis B. Virginis verbis, qvibus modum mirabatur annunciatæ conceptionis salutiferæ *Luc. I, 34.* extorqvent Pontificii. Qvi viderint, qvomodo cum istâ interpretatione concilient hæc Juris Canonici è B. Augustino repetita verba *c. Beata Maria 27. q. 2:* ***Committens virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroq; obediendo, posteà verò filium genuit, & qvod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterq; in virginitate permansit. Consensus ergò cohabitandi, & individuam vitæ consvetudinem retinendi eos conjuges fecit. &c.*** Luc. I, 34.

(t) Locum Esaiæ *puncti præced. Examine* discussi-

cusfimus. Nec eſt, cur actum ag
Sed & ipſam hanc Auguſtini accom
tionem conſideravit Chamier. *t. 3. L*
21 §. 3 ſqq.

(8) *Ex praxi; Vet. Ecclesiæ. Ubi expend. testim.*

Deniqve (8.) praxin veteris E
urget. *Legem de Cælibatu ſacerdotu*
p. 117.) jam in primo alteroq; Eccleſi
Centuriatores ex Ignatii Epiſtolis, Ho
nus ex Clemente Alexandrino, aliiq; Pro
tium ex Hilario, Baſilio aliisq; viguisſ
ſcunt. Eqvidem hoc Centuriato
Ignatii epiſt. obſervant, jam tum il
cœpiſſe admirationem virginitatis,
gem de Cœlibatu ſacerdotum Ignat
innotuiſſe, aut Clementi Alexandrin
lario, Baſilio approbatam fuiſſe, nec
riatores, nec Hoſpinianus, opinor, di

Ignatii, *Ignatius* certè adeò conjugium Cleri
non improbavit, ut in *Epiſtolâ ad Ph*
phienſes optet, *dignum ſe eſſe, qvi a*
Πέτρου καὶ ἄλλων ἀποστόλων τῶν γάμοι
ὁμιλησάντων, *Petri & Apoſtolorum a*

CL. Alex. *qvi conſvetudine conjugali uſi fuerunt*
niatur. Calixt. *p. 127. ſqq.* *Clementis A*
drini L. III. Stromatum ſub finem iſt
Jam verò unius qvoq; uxoris virum u
mittit (Paulus Apoſtolus,) *ſeu ſit Pre*
ſeu Diaconus laicus, utens matrimoni

Hilarii, *reprehenſionem.* *Hilario* conjugium
dotum improbatum fuiſſe, nemo

Digitized by Google

qvi ipsum, Pictaviensem licèt Episcopum, maritum fuisse noverit, qvod nec Baronius diffitetur *A. C.355. n.70.* Deqve hoc ipso Baptista Mantuanus *Lib. I. Fastor.* cecinit:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta toro, non horruit illâ
Tempestate DEus thalamos, cunabula, tædas.
Sola erat in pretio, qvæ nunc incognita, virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea Leges, qvæ sunt connubia contra,
Esse malas qvidam perhibent.

De *Basilio*, qvem & ipsum hîc ad partes vocat Malenius, Gregorius Nazianzenus (genitus & ipse è Gregorio Nazianzenæ Ecclesiæ Pastore in legitimo conjugio, ceu ipse de se, & alii de ipso testentur: vid. Calixt. *p.211.sqq.*) arctissimâ ipsi necessitudine devinctus, *monodiâ in ejus vitam*, aliqvantò post initium: *Basilii pater Basilius item appellatus, etsi matrimonio se vinxit, ita* *Basilii.*

ita tamen in eo vixit, ut nihil propterea ad perfectam virtutem ac philosophiam consequendam impediretur: & in statu conjugali vitam ac ritum servavit sacerdotalem. Ex quo tria hæc, castitas, matrimonium, sacerdotium, quæ diversa solent vitæ genera constituere, nequaquam in hoc pugnantia fuere, aut virtuti ullo modo offecerunt. Ejusdem Basilii fratrem Gregorium Nyssæ Episcopum, & uxoratū Nicephorus *L.XI.c.19.* memorat, sed & ipse de se Gregorius ille Nyssenus *lib. de virginit. c.3.* tradit. Non habebat ergò causam Masenius, cur ad Ignatium, Clementem, Hilarium, Basilium nos remitteret. Quid quòd Hieronymus ipse virginitatis nimius & cum contumeliâ matrimonii laudator *L.I.adv. Jovin.* negare non potuit, suo tempore plures sacerdotes uxores habuisse. Sed non agemus actum à Chemnitio, Chamiero, Calixto, qvi cùm totum hoc argumentum incredibili diligentiâ explicuerunt, tum exempla conjugatorum Sacerdotum excellentissimorum ex omni Veteris Ecclesiæ memoriâ recensuerunt. His responderet Masenius potiùs, qvàm ementito antiqvitatis Ecclesiasticæ suffragio glorietur.

PUNCT.

Digitized by Google

PUNCT. III. p. 118 121.

Rectenè in Ecclesiâ certi jejuniorum dies, & qvorundam ciborum præscribatur abstinentia?

De Jejuniorū (1) tempore,

DUo considerari vult Masenius: definitum jejunii *tempus*, & *modum* illius ac rationem. De *priori* id inqvirit, qvod ita crudè à nemine Protestantium negari, ipse fatetur p. 120 scribens, *Protestantes jejunia in S. literis præcepta per ditiones suas præscribere subditis, atq; eosdem in conscientiâ obligatos asserere, tum qvòd aliqvando jejunandum sit, dum qvòd scandalo reliqvis sint ejusdem mandati prævaricatores.* Hoc qvatenus verum sit, intelligetur posteà. Nunc ideò adduco, ut ipsius adversarii testimonio constet, neqvaqvam tam aversos esse Protestantium à disciplinâ Ecclesiasticâ animos, ut negent, rectè in Ecclesiâ præscribi & observari jejunia. Enimverò omni ævo piis hoc in more positum fuit, ut vel in luctu calamitatibusve constituti, vel peccata sua aut vicem proximi dolentes acerbiùs, vel ingens aliqvid, & qvod effectum dari absq; speciali auxilio DEI non poterit, moliti cibo potuqve ultra consvetum, sed naturæ

an certorum dierum;

turæ tamen durabile tempus abſtinerent, ſimul omnes corporis delitias abdicarent, ut ita dolorem teſtarentur ſuum pariter & ad pietatis exercitia alacriores redderentur. Qvod jejunium uti ſæpiùs teſtatus DEUS eſt placere ſibi, ſi ex verâ animi humilitate eſſet profectum & cum pio propoſito abſtinendi à peccato conjunctum: ita Proteſtantes neqvaqvam averſantur. Hoc verò negant contra Pontificios, jejunia ad certos dies ſic alliganda, ut ſine peccato mortali, ne in caſu qvidem necesſitatis, niſi diſpenſatio impetrata ſit. (qvod fieri pro pecuniâ ſolet) relaxari non posſint: negant, ea ut cultum neceſſarium urgenda eſſe: negant, jejunio pro peccatis ſatisfieri, aut gratiam ſalutemq; promereri: negant, certorum temporum jejunia vel carnisprivia potiùs ſub prætextu apoſtolicæ inſtitutionis in detrimentum Chriſtianæ Libertatis obtrudi debere. De *poſteriori* verò ſic jure meritoq; cenſent: veram jejunandi rationem non in ciborum diſcrimine, ſed in abſtinentiâ ab omni cibo potuqve, qvin etiam ab aliis vitæ laxamentis & voluptatibus veteri Adamo moleſtâ conſiſtere: atqve adeò Pontificiorum *qvadrageſimale, qvatuor temporum, feria Sextæ & Sabbati*, cæteraqve non jejunia, ſed jejunii Chriſtiani ludibria, qvibus parata Domini ſangvine libertas interverſa fuit, omninò abolenda fuiſſe. Qvid enim

& (2) modo: an certorum ciborum abſtinentiâ rectè præcipiatur?

enim faciat ad pietatem abstinere carnibus, qvæqve sementinam carnis habent originem, & interim piscibus optimis, omniqve cupediarum genere ventrem distendere? qvin vinum ingurgitare etiam, qvo magis tamen, qvàm carnibus, carnis concupiscentias accendi, & sine qvo frigere libidinum sacra, consensum hactenus est? *Non putatur hodie* (ita de suorum jejuniis sub necessitate salutis demandatis Georg. Wicelius *in viâ Regiâ p. 320.) jejunium, si vel medicam portiunculam carunculæ gustes, siq; ovum unicum, aut jusculum de gallinâ recoctum sorbeas. At verò jejunium est, si carnem variorum piscium vores, si vinô totus madeas, si satur mensâ lautissimâ surgas, & insuper prandio cœnam jungas.* Eadem de suis jejuniis Polyd. Virgil. *L. V. de rerum inventor. c. 2.* aliiq; profitentur, qvorum verba apud Gerhardum *Conf. Cath. tom. ult. p. 954.* habentur. Hîc Gvilhelmi tantùm Lindani judicium repetere placet, *L. III. Panopliæ c. 9.* sic scribentis: *Jejunia nostra, qvæ & vini copiâ natant, abundantiaq; redundant, & piscium varietate carnis superant delitias, adeoq;, qvod & Hieronymus de suæ ætatis moribus conqverebatur, cum DEO ludere videntur, dum pro intercepto, qvi ex ovis oritur, calore, olei flammas, vini æstum, omniúq; aromatum generis ignes beluoni infarciunt stomacho, veteribus Christianis omninò fuisse non modò incognita, sed & intolerabilia, atq;*

Pontificiorum jejuniorum ineptia

adeò abominanda, arbitramur notius, quàm ut ulla sint eâ de re verba profundenda. Neq; nos adeò plura profundemus hac in re verba, aut eas exaggerabimus fraudes prolixè, qvæ circa tempus refectionis & solvendi jejunium sese exerunt. Notavit eas Chemnitius, prolixissimus in hoc argumento, *P. IV Exam. C. T. p. 767. sqq.* ostenditq;, qvo artificio jejunia sua in vesperam usq; differant, vespertinum officium ante meridiem decantantes, qvo facto per totum diem jejunasse fictione juris videri volunt, cœnamqve circa vel ante prandii horam capiunt, vesperi autem collationem, ut vocant, sumunt, mensâ non stratâ solenniter, sed mantili tantùm circumposito. Conf. Balduin. *Cas. consc. L. II. c. 14. cas. 5. p. 510. sqq.* Vix enim ad has subtilitates attendent hodie, omne jejunium in ichthyophagiâ collocantes. Et pati qvidem poteramus, suo ipsos sensu ac palato abundare, sed qvòd ita jugum imponunt cervicibus Christianorum, qvòd placari iram Patris cœlestis, satisfieri pro culpâ & pœnâ, gratiam & salutem meritoriè impetrari per hujusmodi jejunia σιδηρόξυλα, h. e. per vini piscium aliarumq; cupediarum ingluviem contendunt, (lege testimonia apud *Gerb. l. c. p. 986.*) id verò qvis ferat? *Non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, qvæ certos dies, certos cibos præscribunt cum periculo conscientiæ, tanqvam istius-*

& impietas.

istiusmodi opera sint necessarius cultus: ita Conf. Aug. *art. 5. abus. p. 32.* qvæ ibidem ostendit copiosiùs, qvomodo Pontificius iste dierum ciborumqve delectus doctrinæ Legis pariter & Evangelii repugnet, dum Christi evacuat merita. humana autem præcepta divinis æqvat aut præfert: qvomodo conscientias in ultimum periculum injecto laqveo conjiciat; qvomodo discrimen ciborum Leviticum per Christum sublatum restauret, & libertatem Christianam penitus pessundet, dæmoniorum verò explosam Apostolo doctrinam in Ecclesiam ex orco reducat.

Nostra theseos fundamenta ex Scripturis.

Enimverò hoc manifestè illa Scripturæ loca docent, eqvibus aliqva Masenius, Protestantium confirmaturus sententiam adduxit. Fuit aliqvando, cùm discipuli Johannis idem Christo, qvod nobis Pontificii, objectarunt: *Qvare nos & pharisæi jejunamus tam freqventer? tui autem discipuli non jejunant?* Hic cùm maximè locus esset, Pharisæorum de jejuniis disciplinam confirmandi, vel novas Leges de statis jejuniorum temporibus necessariò observandas præscribendi, neutrum facit Salvator. Qvin potiùs pædagogias tales veteri panno comparat, qvi non sit assuendus novo, docetqve, crucem & calamitates præbituras esse caussam, & monstraturas tempus jejunii *Matth. IX, 14. sqq.* Rursum scribas & pharisæos,

cùm diſcipulos Chriſti increparent ob neglectam ſeniorum traditionem, *hypocritas* vocat, qvi id agant unicè, ut *neglecto DEI mandato* (v. g. de temperantiæ & ſobrietatis ſtudio perpetuo) *ſuas traditiones*, (de certis jejuniorum temporibus) *erigant, de qvibus verè dixerit Propheta: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Fruſtrà autem me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et addit: *Non qvod intrat in os, coinqvinat hominem; ſed qvod procedit ex ore, coinqvinat hominem. Matth. XV, 2. 3. 8. ſqq.* Ciborum verò diſcrimen qvale adverſarii præſcribunt, Paulus penitus proſcribit. Et qvanqvam in illorum gratiam, qvi recens à Judaiſmo converſi ad fidem Chriſtianam, libertatem Chriſtianam nondum plenè capiebant, *malit abſtineri à carnibus, qvàm ſcandalizari infirmum fratrem, Rom. XIV, 21. 22.* tamen extra hunc caſum nihil intereſſe, qvo qvalivè cibo veſcaris, ibidem docet: *Qvi manducat, Domino manducat, & qvi non manducat, Domino non manducat, & gratias agit DEO, v. 6.* Et qvia *noverat verſuaſumq; habebat per Dominum Jeſum, nihil eſſe commune per ſe v. 14.* norat, *regnum DEI non eſſe cibum aut potum, ſed juſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S. v. 18.* ideò jubet, ut *qvi manducat, non manducantem ne deſpiciat, & qvi non manducat, manducantem ne judicet, v. 2. 3. Eſca non commen-*

Digitized by Google

commendat nos DEO : neq; enim, si non manducaverimus, abundabimus, neq; si manducaverimus, deficiemus. Omne, qvod in macello venditur, manducate, nihil interrogātes propter conscientiam. I.Cor.VIII 8. X,25. Idem *mundis omnia munda esse* dicit *Tit.I,15.* qvod & vox cœlestis Petrum docebat, aliqvod ciborum discrimen suspicantem : *Qvod DEus mundavit, tu ne commune dicito. Actor. X, 15.* Itaqve graviter Colossenses suos monet, eosqve armat, ut sic dicam, in Pseudoapostolos, Papistarum per omnia antesignanos; *qvi verum caput Ecclesiæ non tenentes in humilitate & religione angelorum ambulabant, inflati sensu carnis suæ.* Contra horum vanas præceptiunculas scribit *Col. II 16.sqq: Nemo vos judicet in cibo aut potu &c. Si enim mortui estis cum Christo ab elementis mundi, qvid adhuc tanqvam viventes in mundo decernitis : ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectes. Qvæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum, qvæ sunt rationem qvidem habentia Sapientiæ in superstitione* (ἐθελοθρησκείας) *& humilitate, & læsione corporis,* (ἀφειδίᾳ σώματος) *non in honore aliqvo ad saturitatem carnis.* Cæterum qvantum intersit, hanc doctrinam sedulò inculcari in Ecclesiâ, & defendi, si impugnetur, restaurari ac vindicari, si aboleatur, *1. Tim.IV,1.sqq.* docet : Ibi enim cùm prædixisset de apostatis, qvi *sub novissima*

tempora auscultaturi erant spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loqventes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam, prohibentes nubere, & abstinere cibis, qvos DEus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis, qvi agnoverunt veritatem : adjecisset etiam rationem, cur nullum ciborum discrimen, tanqvam necessarium sit obtrudendum Ecclesiæ: *qvia omnis creatura DEI bona est, & nihil rejiciendum, qvod cum gratiarum actione accipitur : sanctificatur enim per verbum & orationem* : subdit : *Hæc proponens fratribus* (qvemadmodum Lutherus, eumqve secuti Doctores fecerunt,) *eris bonus minister enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, qvam secutus es.* Deniq; monet, non ponenda jejunia in parte cultûs esse, ac plurimum inter se differre pietatem & corporalem hujusmodi exercitationem per jejunia, abstinentiam à certis cibis, continentiam virginalem &c. de qvibus præcesserat: (confer Gerh. *Schola* Pietat. *præfat.*) *Corporalis*, ait, *exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, habens promissionem hujus & futuræ vitæ.* Simile huic, qvod *Ebr.* XIII. *9.* scribit: *Optimum est, gratiâ stabiliri cor, non escis, qvæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

Examen Maseniana responsionis.

Ad hæc similiaq;, non reperio, qvid magnopere respondeat Masenius, nisi hoc: Non prohiberi Lege Pontificiâ cibos tanqvam

Digitized by Google

qvam immundos. Certorum tantùm temporum abstinentiam traditione Apostolicâ; abstinentiam à certis cibis pietatis causâ indici. *Catholici cum Augustino respondent, à nullo suorum hos cibos tanqvam immundos prohiberi, certorum verò temporum abstinentiam Apostolicæ traditionis esse.* Scribit p. 118. extr. Rursum p. 120 init. scribit: *non prohiberi Manichæorum more, aut Joviniani cibos ab Ecclesiâ tanqvam immundos, sed causâ pietatis. Quia* (juxta Augustin. T. III. de fide ad Petrum c. 3.) *servi DEi in eo, qvòd à carnibus aut vino abstinent, non tanqvam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur. Et in eo, qvod conjugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam jugem bonis nuptiis meliorem esse non dubitant. Illa igitur* (pergit post hæc Augustini verba noster,) *doctrina dæmoniorum, prohibere nuptias & cibos qvasi non bonos, ex mente Augustini ad Jovinianos & Manichæos, non Catholicos spectant.* Qvid de Apostolica, qvam jactat, traditione habendum sit, mox intelligetur. Nunc expendenda Masenii limitatio est: *damnari scilicet à Spiritu S. hos, qvi cibos, ut immundos* prohibent, non qvi *pietatis causâ*. Cujus uti nullum in Scripturis vestigium comparet, ita multæ causæ frivolam illam ac nauci esse arguunt. *Primò* enim nihil facit ad ea Scripturæ loca, qvæ tueri liberta-

An damnentur à Sp. S. ii tantùm, qvi cibos, ut immundos prohibēt?

libertatem Christianam & non resuscitare elementa mundi vel ceremonias legis veteris volunt. Eâ enim Lege cibi certi non ex naturâ suâ, & ut creaturæ DEI, immundi pronuntiabantur, sed alias ob causas illarum usu interdicebatur. *Deinde* Paulus simpliciter de interdicto certorum ciborum ob religionem usu loqvitur, neqve de interdicentium animo vel opinione qvicqvam distingvit. Damnat, qvi ciborum *usu* Christianis interdicunt, non qvi de ciborum *naturâ* sic aliterve existimant. *Porrò* si ita distingvere venisset in mentem Apostolo, non dubium, multos ex hæreticis hoc fulmine, qvod in eos semper orthodoxa Ecclesia vibravit, non tangi. Montanistæ certè, ut ex Tertulliani *libro de jejuniis c. 15.* constat, eâdem excusatione utebantur, in qvos tamen Catholici verba Apostoli usurpare non dubitabant, ut *ejusdem libri c. 2.* Tertullianus Montani hyperaspistes qveritur. Confer. Chemnit. P. IV. *Exam. tit: qvæ fuerint leges jejuniorum, qvas historia à Montano latas, & ab Ecclesiâ illius temporis rejectas fuisse referunt, p. 784. sqq.* *Præterea* ostendi poterat, parum abire Pontificiam ciborum prohibitionem à Manichæâ aut Jovinianâ. Eqvidem negari non potest, qvin malitiam qvandam & immunditiem naturalem certis cibis inhærere putent, qvi à carnibus qvadrupedum potiùs, qvàm piscium abstineri

Pontificiorum Manichæismus in doctrinâ de discrimine ciborum.

tempo-

temporibus jejunio sacris vel ideò volunt, *qvòd DEUS terra maledixerit, aqvam verò destinaverit Sacramento, qvod peccata abluit,* vel *qvòd carnes seminarium & incentivum sint libidinis*, qvorum prius Durandus, Mimatensis Episcopus, *Rational. Divin. offic. L. VI. c. 7. extr.* posterius Bellarminus *L. II. de B. O c. 4. §. 4. § respondeo, carnium* & *cap. 5. §. ad alteram object.* urget, & hic qvidem sic philosophatur, ut videatur credidisse, neminem vel carnis frustulum gustare posse, qvin libidine contaminetur. Omitto ex ipsis Pontificibus Gregorium III. ejusqve successorem Zachariam Bonifacio Moguntinensi Archi episcopo rescribentes certos qvosdam cibos tanqvam *immundos atq; execrabiles* interdixisse, prout legere est apud Jo. Dallæum *L. I. de J jun & qvadrag. c. 8. p. 105.* Sed eò delabi necesse non est. Qvicunqve certos cibos prohibent, qvos creavit DEus ad percipiendum cum gratiarum actione, hi doctrinam dæmoniorum, Apostolo judice, instillant, qvocunqve eam prætextu pietatis pallient, qvacunqve excusent intentione. Imò qvò speciosiori προφάσει interdictum tale inculcant, hoc exactius in eos Paulina prædictio qvadrat. Non enim manifestâ blasphemiâ damnatū, sed per hypocrisin & speciem singularis sanctitatis prohibitum iri certos cibos ab his doctoribus novissimorum temporum, vaticinatur. Plura apud

 Dallæum

Dallæum *pag. 90. - 115.* Balduin. *Comm. h. l. qv. 2. 3 p. 1324. sqq.* & *Caſ. Conſc. L.* II. *c. 14. caſ. 5. p. 506.* Chemnit. *Exam. p. 756.* Chamier. *t. 3. L. 19. c. 5.* §. 30. *ſqq.* Auguſtini qvæ inſpergit verba de abſtinentiâ ſpontaneâ, non de interdicto conſcientiam obligante loqvuntur. Non qværitur autem: An ab hoc vel illo cibo ſe abſtinere aliqvis poſſit? ſed: an diſcrimen ciborum ſub opinione neceſſitatis obtrudi Eccleſiæ poſſit? Cæterùm ut intelligatur, qvàm bellè Manichæis & Pontificiis hac in re conveniat, aſcribam alia Auguſtini verba *de moribus Manichæor. c. 13. T. I. p. 787.* qvibus idem in Manichæorum moribus carpit, qvod nos in Pontificiorum. *Si qvis exiſtat ita homo parcus & frugi, ut appetitum ventris & gutturis moderans non epuletur bis per unum diem, & huic cœnanti oluſcula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atq; condita, qvantum comprimendæ fami ſat eſt, ſitimq; irriget propter diligentiam valetudinis duabus aut tribus vini meracis potionibus, isq; illi victus ſit qvotidianus: alius verò ex aliâ parte nihil guſtans carnium, nihil vini, exqviſitas & peregrinas fruges multis ferculis variatas, & largo pipere aſperſas nonâ horâ libenter aſſumat, noctis etiam principio talia cænaturus: bibat autem mulſum, carœnum paſſum, & nonnullorum pomorum expreſſos ſuccos, vini ſpeciem ſatis imitantes, atq; id etiam ſvavitate vincentes. & bibat*

bibat, non quantum sitit, sed quantum libet: -- quem horum duorum, quod ad cibandum potandumq; attinet, abstinentiùs vitam ducere judicatis? Non opinor, usq; adeò vos esse cæcos, qvin illum de parco lardo & vino huic gurgiti præferatis. Ita qvidem veritas cogit, sed vester error longè aliter canit. Electus enim vester -- si semel cum illo priore cœnaverit, frustoq; pernæ vel rancido labra unxerit, & vappâ udaverit, solutor signaculi & gehennæ illicò destinatus vestri autoris sententiâ judicabitur. Qvæso relinqvite errorem! qvæso, advertite rationem! qvæso aliqvantulum consvetudini obsistite! Qvid enim est istâ pravitate perversius? qvid magis delirum? qvid porrò insanius dici aut cogitari potest, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carænum, piper, laser distento ventre cum gratulatione ructantem, & qvotidie talia reqvirentem non inveniri, qvemadmodum à regulâ sanctitatis excidisse videatur; alium verò, fruges vilissimas fumoso obsonio condientem, tantumq; hinc assumentem, qvantum refectioni corporis sufficit, - certo supplicio præparari? Qvæso te, qvisqvis es Lector, qvid aliud hodie in Pontificios scriberet Augustinus? aut qvid inter horum & Manichæorum mores interest?

Argumenta Masenii pro

Videamus nunc fundamenta, qvibus Masenius tum stata jejuniorum tempora, tum delectum ciborum superstruit. Abstinen-

(l) Abstinentiâ certorum temporũ.

stinentiam certorum temporum *Apostolicæ traditioni* adscribit. Probanda ergò ex Apostolorum actis vel epistolis fuerat. *Si aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut actibus continetur, observetur ut sancta, hæc traditio:* scribebat olim Cyprianus *ad Pompejum contrà Epist. Stephani p.332.opp.* Verùm hîc aqva hæret. Noster ad Augustinum confugit, immemor eorum, qvæ ex ejus *Epist. LXXXVI. ad Casulanum* ipse modò repetierat: *In Evangelicis & apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellatur novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium: qvibus autem diebus oporteat non jejunare, & qvibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Siccine sibi dissimilem fuisse judicem controversiarum ab se electum Masenius dicet, qvi modò negaret, præcepto Apostolorum qvicqvam de certis jejuniorum diebus esse definitũ, modò affirmaret? Ubi verò affirmat? Hoc nimirum exsculpere vult ex canone, qvem *L. IV. de Bapt. contra Donat. c.24.* posuerit Augustinus his verbis: *Qvod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hîc non urgebo, traditionis Apostolicæ appellatione veteribus interdum qvamvis observationem ab antiqvis receptam venire, non qvòd ab Apostolis propriè trahe-

Ubi qvæsitum: An Qvadragesima Apostolicæ traditioni debeat originem?

Digitized by Google

traheret originem, sed qvòd Apostolis tribueretur, cùm ignoraretur ejus origo, majoris autoritatis conciliandæ causâ, qvod Rivet. *C.O.tr.2.q.10.§.1.* observat. Probanda erat Masenio illa de jejunio vel qvadragesimali, vel alio, qvod statis temporibus observari à Pontificiis solet, subsumtio eâ maximè parte, qvâ *semper retentum* observatumq; tale jejunium *in universâ Ecclesiâ* affirmat. Qvanqvam nec illud firmiter probari posse, in *nullo Concilio institutum* qvadragesimale jejunium fuisse, annotaverit Dallæus *de Jejun. L. III. c.3. p.409. sqq.* qvi toto illo *libro tertio* eruditè demonstravit, non fuisse agnitum trium proximorum à nato Christo seculorum autoribus qvadragesimale plurium hebdomadarum jejunium, de qvo maximè hîc intelligi vult Masenius. Neqve hic sanè ultra tempora Nicæni Concilii ascendere potuit, cujus *canonem 5.* citat, qvi observante Dallæo p. 484. primus, verus, certus & indubitatus antiqvitatis locus est, qvo *qvadragesima vocabulum* occurrit: *res* verò ipsa à qvadragesimali Papistarum jejunio longè diversissima notatur. Antepaschale enim veterum illorum jejunium, qvod primò unius, mox & alterius, dein plurium, tandem & sex dierum erat, à numero qvadraginta horarum, qvibus in morte suâ abfuit Ecclesiæ Sponsus, vel certè XL. dierum jejunii Christi, Eliæ, Mo-

Antepaschalis jejunii in primâ Ecclesiâ

sis

Libertas, ſis, qvos non duratione jejunii, ſed jejunio ipſo ſtudebant referre, qvadrageſimæ nomine (qvod & ad alia jejunia ab Hieronymo Amalario, Fortunato, Rabano Mauro & aliis applicari è Pontificiis Nic. Rigaltius *ad Tertull.p.118.* è Reformatis Dall. *de jejun. p. 484.ſqq.* docuerunt,) dictum, multum discrepare à qvadrageſimali, qvod ſenſim deinde aucto dierum numero introductum eſt, idem Dallæus *L.3.* de *jejun. c. 9.* eruditè demonſtravit. Certè nec Auguſtini qvidem ævo qvadrageſimale jejunium tam ſeveris Legibus fuiſſe alligatum, ſed ejus tempora devotioni cujuslibet relicta libera fuiſſe, ipſe illius locus docet, qvem noſter Maſenius è *L.XXX.contra Fauſtum c.5. T. VI. p. 474.* ſed mutilum produxit, nos aſcribemus integrum. *Chriſtiani, non hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis causâ propter animam ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandam, non qvòd illa eſſe immunda credant,* (NB) *non ſolùm à carnibus, verùm à qvibusdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci: vel certis diebus atq; temporibus, ſicut per qvadrageſimam* (NB) *ferè omnes, qvantò magis qvisq; vel minùs ſeu voluerit, ſeu potuerit.* Ecce, non ad Legem Eccleſiaſticam, cujus transgresſio peccatum eſſet, ſed ad liberum cujusvis arbitrium qvadrageſimalem abſtinentiam refert; qvalem nemo noſtratium improbet, ut ex G. Mylii

Digitized by Google

Mylii *Explicat. Aug. Conf. art. 5. abus. p. 127.* aliisq; videre est. Jam & mira difformitas ac discrepantia circa durationem, terminos, mores jejunii qvadragesimalis, satis evincunt, non fuisse lege aliqvâ, minimè omniũ autem Christi & Apostolorum sancitum tale jejunium. Socrates *L. V. c. 21.* apertè: *Jejuniorum rationem, qvæ ante Pascha fiunt, aliter ab aliis observatam esse, facile est reperire. Nam qvi sunt* (NB) *Romæ, tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul jejunant: qvi autem in Illyriâ & totâ Græcia, qviq; Alexandriæ habitant, ante sex septimanas jejunia, qvæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudq; tempus Qvadragesimam nuncupant. Alii præter horum consvetudinem septem septimanas ante illud festum initium jejunandi facientes, qvamvis qvindecim dies solùm, qvibusdam intervallis interpositis jejunent, nihilominus tamen tempus illud Qvadragesimam vocant. - - Qvin etiam non de numero dierum solùm discrepant, verùm etiam de abstinentiâ à cibis, variam seqvuntur rationem. Nam alii cum piscibus volucres etiam manducant, easq; ex aqvâ (ut est apud Moisen) nasci asserunt. Alii à fructibus, duris integumentis involutis, & ab ovis temperant: alii arido pane solo vescuntur: alii ne illo qvidem. Sunt, qvi cùm ad horam nonam jejunaverint,*

& varietas.

rint, variis ciborum generibus utuntur. Aliâ ratione apud alias gentes jejunatur, cujus rei sunt causæ propè infinitæ. Ac qvoniam nemo de ea præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere: perspicuum est, NB NB *Apostolos liberam potestatem in eadem cujusq; menti & arbitrio permisisse, ut qvisq; nec metu, nec necessitate inductus, qvod bonum sit, ageret.* Sed & longè antè Irenæus (ne Socratis autoritatem per falsò objectum Aërianismum & Novatianismum rejiciant, ut solent, Papistæ qvanqvam nec ista crimina ejus fidei in præsente causâ qvicqvam detraherent:) ad Rom. Episcopum Victorem qvi ab A. D. 186. ad 197. sedit, scribebat: *Non de die* (paschatis) *tantum discrepatio est, sed & de ipsâ specie jejunii. Siquidem alii unum sibi diem jejunandum esse putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes diem suum statuunt. Et ista jejunantium varietas, non nostro demum tempore, sed multò antea per illos cœpit, qui, ut verisimile est, consvetudinem per simplicitatem qvandam privatamq; libidinem introductam retinentes in posteros propagarunt.* (Hic sensus illorum Græcorum, qvæ qvidam aliter acceperunt: τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα· ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς

ὡς

ὡς εἰκὸς, κρατέντων τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Seqvitur autem:) *Nihilo tamen minùs omnes illi pacem inter se retinuerunt, & retinemus etiamnum*, καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, *& dissonantia jejunii concordiam fidei commendat.* Habetur hoc fragmentum Epistolæ apud Euseb. *L. V. Hist. Eccl. c. 23. (26.)* Eadem Sozomenus *L. VII. c. 19.* eadem Nicephorus *L. XII. c. 34.* narrant: qvæ cum traditione Apostolicâ Legis Pontificiæ de Qvadragesimâ qvomodo conciliet, viderit Masenius. De cæteris Pontificiorum jejuniis statis (ut de jejunio *feriæ sextæ*, & *Sabbati*, item *Rogationum* & *qvatuor temporum* &c.) minori veri specie affirmari originem Apostolicam posse, Dallæus *toto Libro IV. de Jejuniis* docuit. Conf. Gerh. *Conf. Cath. art. XXIV. c. 2. th. 2. Tom. ult. p. 967 — 986.* ubi ipsorum Pontificiorum reperies testimonia, qvi Telesphoro Pontifici qvadragesimalis jejunii institutum tribuunt. Non possum, qvin Joh. Casfiani ingenuam confessionem ascribam ex ejus *Collatione XXI.* qvæ de remissione qvinqvagesimæ agit. Sic ergò is *cap. 30. de causâ & initio Qvadragesimæ p. 954. edit. Basil. 1559: Sciendum, hanc observantiam qvadragesimæ, qvamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitùs non fuisse. Non*

enim præcepti bujus necessitate, nec qvasi legali sanctione constricti arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qvi per totum anni spatium æqvali jejunio concludebantur. Verùm cùm ab illâ Apostolicâ devotione desciscens qvotidiè credentium multitudo suis opibus incubaret, ne eas usui cunctorum fidelium secundùm Apostolorum instituta divideret, sed privatim impendiis suis consulens non servare tantùm, sed etiam augere contenderet, Ananiæ & Sapphiræ exemplum non contenta sectari, id tunc universis Sacerdotibus placuit, ut homines curis secularibus illigatos & penè (ut ita dixerim) continentiæ vel compunctionis ignaros ad opus sanctum canonicâ jejuniorum indictione revocarent, & velut legalium decimarum necessitate compellerent, qvæ utiq; infirmis prodesse posset, & perfectis præjudicare non posset, qvi sub gratiâ Evangelii constituti voluntariam legem devotione transcendunt, ut ad illam Apostolicæ sententiæ beatitudinem possint pervenire. Hæc ille jam seculo V. ut mirum sit, plusqvàm mille pòst annis demum hanc Apostolicam traditionem innotuisse, de qvâ veterum nemini qvicqvam constiterat.

NB.

An Christi exemplo sancita Qvadragesima?

Cæterùm ingeniosi sunt in comminiscendis rationibus, qvibus qvadragesimalis superstitio fulciatur, Papistæ. Produxit non paucas, ridiculas plerasqve, vanas ac ficulneas omnes *in Examine* Chemnitius. Noster Masenius

ſenius Auguſtinianam alluſionem ad Moſis, Eliæ, Chriſti jejunium, à B. Antiſtite illo *T.IV. qvæſt. ſuper Gen.L.I. c.169. p 124.* & *Epiſt.* (non CIX. qvam in marg ne Maſenii notatam deprehendimus, ſed) *CXIX. cap.15. T.II. p.573.* propoſitam pro demonſtratione venditat. Priori loco ait Auguſtinus: *Non fruſtrà qvadraginta dies jejuniorum ſunt conſtituti, qvibus Moſes, Elias, & ipſe Dominus jejunavit, & Eccleſia præcipuâ obſervatione jejuniorum qvadrageſimam vocat.* Atqve hæc Maſenius qvoqve deſcripſit. Auguſtinus verò hæc exempla non ut ſtabilimenta confirmandi probandiqve, ſed ut pigmenta & emblemata ornandi ac illuſtrandi antepaſchalis, qvale tum vigebat in Eccleſiâ, jejunii adhibuit. In qvo genere qvantum ſibi indulſerint Beati Patres, nemo neſcit. Et qvæſo te, Maſeni, ſi Moſis, ſi Eliæ, ſi Chriſti jejunia vim habuerunt obligandi pios ad jejunium totidem dierum, nonne peccaverint fideles veteris Teſtamenti, qvos Moſis & Eliæ qvadrageſimale jejunium imitatos, nec ipſe, opinor, dixeris? nonne Apoſtoli, qvi nec Chriſto in terris verſante jejunabant ita, (qvippe ob jejuniorum remisſionem ſæpiùs notati à Phariſæis, qvibus non qvadrageſimale eorum jejunium, ſed alias rationes opponit Salvator,) nec ſublato eo in cœlos? Itaqve Auguſtinus ſolennem apud ſuos jejunii diſciplinam hac alluſione velut umbrâ ornare ſal-

tem voluit: qvod & inde intelligitur, qvòd Augustinus ibidem qvadraginta dies sepulturæ Jacobi, qvadraginta dies pœnitentiæ Niniviticæ commemorat: alii & qvadraginta annos, qvibus in deserto erravit Israel, & qvadraginta commorationes Israelis similiaq; addunt: qvæ proinde & ipsa dicenda erunt habere vim obligandi ad qvadragesimale jejunium, qvo nihil absurdius cogitari potest. Transigat autem Masenius cum contribuli suo Joh. Azorio, si in argumentum qvadragesimæ suæ hoc qvicqvid est allusionis, rapere velit, qvi *L. VII. Inst. moral. c.12. q. 1.* fatetur: *Patres tantùm illud significâsse, qvòd ejusmodi jejunium in veteri & novâ Scripturâ exempla habeat in Christo, Mose & Eliâ, qvæ tamen non ad imitationem sint proposita, cùm Christus non qvicqvid ipse fecit, nos qvoq; facere jusserit.* Est sanè *actio Christi nostra imitatio;* non tamen ad *miraculosas* actiones & qvæ vires hominis excedunt, hoc veterum dictum extendendum. Sed intelligendum est de *moralibus*, & cum imitationis mandato conjunctis. Qvamobrem ut *Eliæ* exemplum imitaturi discipuli increpabantur *Luc. IX, 55:* ut absurdus esset, qvi ad *Mosis* imitationem virgam in serpentem convertere, mare diffindere, terram ad murmuratores consumendum aperire velit: ita qvi eas *Christi* actiones, qvas ipse ex Patris voluntate, & ex officii ratione obiit, imitari præsumat, non tam di-
sci-

ſcipulum, qvàm hoſtem Chriſti, & eorum, qvæ illius propria ſunt, prædonem demonſtrabit. Benè Auguſtinus *enarrat. in Pſalm. XC. Tom. VIII. p. 998: In qvo imitaturi ſumus vias Chriſti? num in eâ magnificentiâ, in qvâ Deus erat in carne? Aut ad hoc nos exhortatur, aut hoc à nobis exigit, ut talia miracula, qvalia fecit ipſe, faciamus? — — Neq; ad iſta opera te invitat Deus Salvator, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qvæ fecit ab initio, neq; ad illa, qvæ fecit in terrâ. Non hoc dicit: Non eris diſcipulus meus, niſi ambulaveris ſuper mare, aut niſi ſuſcitaveris mortuum qvadriduanum, aut niſi oculos nati cæci aperueris: nec hoc. Qvid eſt ergò intrare per januã? Diſcite à me, qvia mitis ſum, & humilis corde.* Et Chryſoſtomus *homil. 47. in Matth. XI, 29: Non dixit: Diſcite à me, qvòd jejunavi, qvamvis 40. illos dies poſſet proponere; ſed, qvòd mitis ſum & humilis corde. Imò verò Apoſtolos mittens, non dixit: Jejunate; ſed qvicqvid vobis apponitur, comedite.* Lege, ſi placet, de actionibus Chriſti, qvæ & qvatenus à nobis imitandæ, Gerhard. *Schola Pietat. L. II. P. II. c. ult.* Höpffner. *Iſag. de uſu S. Cœnæ, tract. theor. p 177. & tract. pract. p. 293. 343.* Nos in Maſenii gratiam, cui noſtri Prædicantes ſordent, Martini Delrio Jeſuitæ verbis rem planam facimus. *In rebus divinis* (ſic ille *Diſqviſit. mag. L. 2. q. 4. p. 106.*) *qvædam ſunt credenda, ut Trinitas: qvædam admiratione honoranda, ut Chriſti Domini &*

sanctorum hominum miracula : qvædam imitanda, ut qvæ ad morum & vitæ institutionem pertinent, qvæ Christus discere nos jussit, ut mansvetudo, humilitas, charitas : de qvibus est illud Apostolicum : Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Velle in illis prodigiosis effectibus (ut abstinentiâ qvadragesimali) *imitari, est animi prorsus superbi, & stulti, & volentis ambientisq; DEI similitudinem* &c. Sed qvæ deniq; Christi imitatio hæc est? Christus per XL. dies cibo potuq; abstinebat: Pontificii carne tantùm & ovis. Ille semel istud jejunium sustinebat: hi suum repetunt qvotannis. Ille statim post epiphaniam: hi aliqvot pòst septimanis: Ille qvadraginta ipsos dies omni cibo abstinebat: hi 36. dierum qvadragesimam celebrant. Unde non malè Dallæus, qvi *L. III. de jejun. c.17. à p. 613. ad 650.* eruditissimè hoc argumentum excussit: *Res tota merum ludibrium est : qvo jejunium non jejunio, sed prandiis cœnulisq; pisculentis, hoc est, nivis candorem carbonis nigredine imitantur ac repræsentant. Licebit isto exemplo & Christum super mare ambulantem imitari in triremi navigando ; licebit cœcos illuminantem, terrâ sputo maceratâ & in cœci oculos impactâ simulare.* Conf. Balduini *Casûs Conscientiæ, L.II. c.14. cas.8. p.518. sqq.*

Augustinus pro abstinen- En verò aliud non Qvadragesimæ modò, sed cæteris etiam statis in Ecclesiâ papali jejuniis paratum ex Augustino patrocinium. Is

Digitized by Google

Is *in certis diebus* (ita Masenius *p.119.*) *morem Ecclesiarum servandum ex Ambrosio docet, qvem Mediolani* (*ubi feriâ qvidem sextâ, non tamen Sabbato jejunabant, ut Romæ,*) *Augustinus de jejunio sciscitans hoc responsum tulit: Qvando hîc sum, non jejuno Sabbato, qvando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad qvamcunq; Ecclesiam veneritis, inqvit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eiq; suffecit, nec dubitavit, ei esse obediendum. Hoc & nos secuti sumus.* Tom. II. Ep. 86. sub finem. *Idem* (addit Masenius,) *si Lutherus Calvinusq; fecissent, nulla nobis hîc esset controversia, & ad hoc tenebantur. Nam ut idem Augustinus initio dixerat: In his rebus, de qvibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi DEI, vel instituta majorum pro Lege tenenda sunt.* Hæc noster Masenius ea ex Augustino producens, qvibus necessitas jejuniorum certis diebus instituendorum validè evertitur. Si enim *de his jejuniis nihil certi statuit scriptura, si mos loci, qvo degis, modò observandus est, & alii jejuniis dies Romæ, alii Mediolani destinantur,* qvilibet intelligit, nec potuisse ab Apostolis proficisci mandatum certorum jejuniorum, nec constituere cultûs partem, nisi Augustinum dicere velimus mutasse cum loco cultum, (qvod hodierni qvandoqve polypi solent,) atqve aliis etiam discessum ab Apostolicâ institutione imperâsse. Hic enim totâ

tiâ certor. temp. allegatus

eandem impugnat.

tâ illâ ad Casulanum epistolâ fusè de libertate Ecclesiarum in observationibus, *de qvibus nihil statuit Scriptura*, disserit, damnans Ecclesiam Romanam hodiernam in personâ *Urbici*, qvi homines ad Sabbati jejunium cogere volebat. *Totum hoc genus rerum*, (*sicuti est, qvòd alii jejunant Sabbato, alii verò non* &c.) *liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentiq; Christiano, qvàm ut eo modo agat, qvo agere viderit Ecclesiam, ad qvamcunq; fortè devenerit. Qvod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter qvos vivitur, societate servandum est.* Scribit idem Augustinus *ad Januarium, Epist. CXVIII. cap. 2. Tom. II. p. 556.* Non erat igitur, inqvies, Luthero temerè migrandus mos tam antiqvæ in Ecclesiâ observationis, si Augustinum audire voluisset. Imò verò, non erat, inqvam, Synagogæ Romanæ, si Augustinum audire proposuisset, libera jejuniorum observatio in laqveum commutanda, qvi conscientiis injiceretur, easq; opinione necessitatis, cultûs, meriti illigatas traheret in præcipitia. Jam cùm & pia ceremonia verteretur in impiæ superstitionis instrumentum, proq; veris jejuniis hypocriticæ ludificationes ciborumq; dæmoniaca interdicta observarentur, non potuit modò, ut Ezechias olim æneum serpentem, cùm superstitionis fieret instrumentum,

An rectè Lutherus jejunia abrogârit?

tum, ſed debuit etiam Lutherus jejunia illa abrogare, à qvibus idololatricæ, ſuperſtitioſæ, impiæ opiniones erant moraliter inſeparabiles: perinde ut olim Eccleſia in abrogandis *publicis vigiliis nocturnis* præclarum libertatis ſuæ documentum edidit, neqvicqvam repugnante Hieronymo, ceu Polyd. Virgilius *L. VI. c.4.* & Mimatenſis Epiſcopus *Rationalis divinor. offic. L. VI. c. 7. n. 8.* memorant. Fuit ergò hæc abrogatio Legis jejunialis, qvaſi publicus elenchus ſuperſtitionis & idololatriæ Romanæ. Leges enim Eccleſiæ tamdiu ſervari debent, dum fidei & charitati non officiant, & opinio neceſſitatis abſolutæ non ſtabiliatur. Confer Chemnit. *Exam. p.773.* Höpffner. *de Jejuniis th. XXX. §. 8. ſqq.* Hülſem. *Manual. D. XVII. §. 13. p. 762.*

(2) *Abſtinentiâ certor. ciborum: cujus neceſſitas nec veteris Eccleſiæ ſuffragio,*

Hactenus Auguſtinum *certis jejuniorum temporibus* prætexuit Maſenius. Qvæ pro *delectu ciborum* ex Ejusdem *L. 30. c. Fauſt. Manich. c. 5.* nunc ſubdit, ea pro nobis facere, paulò antè *p. 606.* ubi & verba ipſa deſcripſimus, obſervatum. *Non à carnibus modò, verùm à qvibusdam etiam terræ fructibus*, qvi ſcilicet lautiores credebantur, abſtinuiſſe veteres, narrat Auguſtinus, diſertè ſimul monet, non ex neceſſitate Legis, ſed planè liberè, & *qvantò magis qvisq; vel minùs ſeu voluerit, ſeu potuerit*, hoc factum. Tantum autem abeſt, ut lege irrefragabili abſtinentiam à carnibus ſanciat, ut omnia libertati voluntatis pro-

Digitized by Google

priæ, vel imbecillitati fratris tribui velit. Qvò pertinet, qvod *de moribus Ecclesiæ c. 33. T. I. pag. 772.* scribit: *Nemo urgetur in aspera, qvæ ferre non potest, nulli, qvod recusat, imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, qvòd in eis se imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim, qvantoperè Scripturis omnibus commendata sit charitas: meminerunt, omnia munda mundis; & Non qvod intrat in os vestrum, cor coinqvinat, sed qvod exit. -- -- -- Meminerunt: Esca ventri, & venter escis. DEUS autem & hunc & illas destruet. Et alibi: Neq; si manducaverimus, abundabimus: neq; si non manducaverimus, egebimus. Et illud præ cæteris: Bonum est, fratres, non manducare carnes, neq; bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur. Hic enim ostendit, qvàm sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. Alius enim credit, manducare omnia, qvi autem infirmus est, olus (inqvit) manducet: Qvi manducat, non manducantem non spernat: & qvi non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumit. Tu qvis es, qvi alienum servum judicas? Suo Domino stat aut cadit.* Et qvæ seqvuntur hanc

in

Digitized by Google

in rem plura. De suæ ætatis jejuniis Prudentius *hymno VIII. Cathemer.* qvi est *post jejunium, v. 65*:

Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neq; nos severus
Terror impellit, sua qvemq; cogit
Velle potestas.

Atqve huc memorabilis Historia spectat de Spiridione Trimythuntis Episcopo multis miraculis celebri à Sozomeno *L.I. c.XI.* narrata, qvi in Qvadragesimâ, cùm aliud non haberet domi, carnes suillas sale conditas apposuit: cumq; Hospes recusaret edere, diceretqve se Christianum esse, *Hanc ob causam*, dixit, *minùs recusare debes. Nam omnia munda mundis, Sacræ literæ pronunciant.* Qvam Historiam cùm ex tripartitâ recensuisset Lutherus *Comm. in Gal. II, 14. T.I. Jen. Lat. p. 340.* graviter subjicit: *Non velim præcepta majorum contemni ullo modo, sed rectè intelligi, qvòd ubi necessitas, vel charitas contrarium obtulerit, ibi (præsertim accedente consilio Confessoris vel boni viri) piâ humilitate & reverentiâ debet præceptum ejusmodi infringi. Ut non sit necesse, Confessionalia & indulta vendi & emi. Nam nisi aliâ causâ tibi licuerit leges infringere, nulla dispensatio, nullum confessionale, nullum*

lum indultum per se tibi satisfuerit. Si autem alia causa fuerit, jam illis non indiges, ut dixi. Ego autem Pontifices monerem, ut aliqvando Ecclesiarum periculis miserti, tollerent tandem leges suas, qvibus videmus nihil, nisi conscientias illaqveari, aut pecunias expiscari, insuper & fiduciam Christi penitùs suffocari, id est, veros Christianos extingvi, & Ecclesiam hypocritis & idolis repleri.

nec Pauli testimonio firmari potest.

Neqve verò Augustinus modò, sed ipse Paulus Apostolus sancivisse hanc abstinentiam (qvam *dæmoniorum* tamen *doctrinam* vocat,) à Masenio perhibetur, qvi *Rom. XIV. v. 20.* sic scribit: *Omnia qvidem munda mundis. Sed malum est homini, qvi per offendiculum manducat. Bonum est, non manducare carnem & non bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur.* Telum è Manichæorum pharetrâ petitum, ut ex Augustino *de morib. Manich. c. 14.* constat, ubi prolixè ad *h. l.* respondet *T. I. p. 788. sqq.* Hîc ex Masenio qværere libet, cur non & vino abstineant, qvam abstinentiam non minùs ac carnium hic commendat Apostolus? Qvem de cætero certum est, minimè omnium certi alicujus *cibi prohibitionem*, sed *evitationem scandali* procuratam velle. Neqve enim à carne tantùm & vino, sed omnibus rebus, qvibus scan-

scandalisatur frater, abstineri vult, licèt illæ non prohibeantur Lege aliqvâ. Breviter: *Moderationem* Libertatis Christianæ & directionem ad utilitatem proximi docet, non *abrogationem* ejus cum Pontificiis intendit, acerrimus qvippe illius contra PseudoApostolos defensor. Sed scandalizabatur tamen non unus frater, sed tota Ecclesia abrogatione illâ abstinentiæ, qvam tota Ecclesia sanciverat, inqvit Masenius. Hîc qvantum inter scandalum *datum* & *acceptum* intersit, recolendum animo est. Illud enim, cujus culpa penes scandalizantem est, prohibet Apostolus. Acceptum autem fuerit scandalum, qvod qvis ex sanæ doctrinæ vindicatione de usu libero rerum indifferentium, & necessariâ abrogatione abstinentiæ superstitiosæ ac impiæ ceperit. Neqve profectò si in rebus indifferentibus cedendum est *infirmis fratribus*, h. e. illis, qvi in cæteris doctrinæ capitibus nobis sunt ὁμόψηφοι de usu libertatis Christianæ tamen nondum satis informati; etiam *falsis fratribus*, nedum *professis hostibus* veritatis & Libertatis Christianæ prodenda causa Evangelii fuerit. *Falsis fratribus, qvi subintroierunt explorare libertatem nostram, qvam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent, neq; ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneret:* meritò cum Apostolo sentimus *Gal. II. 5. 6.* Confer. Balduin. *Cas. Consc. L. II. c. 14. cas. 7.* pag.

Qvid de scandalo per jejunii abrogationem orto habendum?

tem voluit: qvod & inde intelligitur, qvòd Auguſtinus ibidem qvadraginta dies ſepulturæ Jacobi, qvadraginta dies pœnitentiæ Ninivitica commemorat: alii & qvadraginta annos, qvibus in deſerto erravit Iſrael, & qvadraginta commorationes Iſraelis ſimiliaq; addunt: qvæ proinde & ipſa dicenda erunt habere vim obligandi ad qvadrageſimale jejunium, qvo nihil abſurdius cogitari poteſt. Tranſigat autem Maſenius cum contribuli ſuo Joh. Azorio, ſi in argumentum qvadrageſimæ ſuæ hoc qvicqvid eſt alluſionis, rapere velit, qvi *L. VII. Inſt. moral. c.12. q. 1.* fatetur: *Patres tantùm illud ſignificâſſe, qvòd ejusmodi jejunium in veteri & novâ Scripturâ exempla habeat in Chriſto, Moſe & Eliâ, qvæ tamen non ad imitationem ſint propoſita, cùm Chriſtus non qvicqvid ipſe fecit, nos qvoq; facere juſſerit.* Eſt ſanè *actio Chriſti noſtra imitatio*; non tamen ad *miraculoſas* actiones & qvæ vires hominis excedunt, hoc veterum dictum extendendum. Sed intelligendum eſt de *moralibus*, & cum imitationis mandato conjunctis. Qvamobrem ut *Eliæ* exemplum imitaturi diſcipuli increpabantur *Luc. IX, 55*: ut abſurdus eſſet, qvi ad *Moſis* imitationem virgam in ſerpentem convertere, mare diffindere, terram ad murmuratores conſumendum aperire velit: ita qvi eas *Chriſti* actiones, qvas ipſe ex Patris voluntate, & ex officii ratione obiit, imitari præſumat, non tam diſci-

ſci-

Digitized by Google

seipsum, qvàm hostem Christi, & eorum, qvæ illius propria sunt, prædonem demonstrabit. Benè Augustinus *enarrat. in Psalm. XC. Tom. VIII. p. 998: In qvo imitaturi sumus vias Christi? num in eâ magnificentiâ, in qvâ Deus erat in carne? Aut ad hoc nos exhortatur, aut hoc à nobis exigit, ut talia miracula, qvalia fecit ipse, faciamus? — — Neq; ad ista opera te invitat Deus Salvator, Dominus noster Jesus Christus, qvæ fecit ab initio, neq; ad illa, qvæ fecit in terrâ. Non hoc dicit: Non eris discipulus meus, nisi ambulaveris super mare, aut nisi suscitaveris mortuum qvadriduanum, aut nisi oculos nati cæci aperueris: nec hoc. Qvid est ergò intrare per januã? Discite à me, qvia mitis sum, & humilis corde.* Et Chrysostomus *homil. 47. in Matth. XI, 29: Non dixit: Discite à me, qvòd jejunavi, qvamvis 40. illos dies posset proponere; sed, qvòd mitis sum & humilis corde. Imò verò Apostolos mittens, non dixit: Jejunate; sed qvicqvid vobis apponitur, comedite.* Lege, si placet, de actionibus Christi, qvæ & qvatenus à nobis imitandæ, Gerhard. *Schola Pietat. L. II. P. II. c. ult.* Höpffner. *Isag. de usu S. Cœnæ, tract. theor. p 177.* & *tract. pract. p. 293. 343.* Nos in Masenii gratiam, cui nostri Prædicantes sordent, Martini Delrio Jesuitæ verbis rem planam facimus. *In rebus divinis* (sic ille *Disqvisit. mag. L. 2. q. 4. p. 106.*) *qvædam sunt credenda, ut Trinitas: qvædam admiratione honoranda, ut Christi Domini &*

 san-

ſanctorum hominum miracula: qvædam imitanda, ut qvæ ad morum & vitæ inſtitutionem pertinent, qvæ Chriſtus diſcere nos juſſit, ut manſvetudo, humilitas, charitas: de qvibus eſt illud Apoſtolicum: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti. Velle in illis prodigioſis effectibus (ut abſtinentiâ qvadrageſimali) *imitari, eſt animi prorſus ſuperbi, & ſtulti, & volentis ambientisq́ DEI ſimilitudinem* &c. Sed qvæ deniq; Chriſti imitatio hæc eſt? Chriſtus per XL. dies cibo potuq; abſtinebat: Pontificii carne tantùm & ovis. Ille ſemel iſtud jejunium ſuſtinebat: hi ſuum repetunt qvotannis. Ille ſtatim poſt epiphaniam: hi aliqvot pòſt ſeptimanis: Ille qvadraginta ipſos dies omni cibo abſtinebat: hi 36. dierum qvadrageſimam celebrant. Unde non malè Dallæus, qvi *L. III. de jejun. c.17. à p.613. ad 650.* eruditisſimè hoc argumentum excusſit: *Res tota merum ludibrium eſt: qvo jejunium non jejunio, ſed prandiis cœnulisq́ piſculentis, hoc eſt, nivis candorem carbonis nigredine imitantur ac repræſentant. Licebit iſto exemplo & Chriſtum ſuper mare ambulantem imitari in triremi navigando; licebit cæcos illuminantem, terrâ ſputo maceratâ & in cæci oculos impactâ ſimulare.* Conf. Balduini *Caſûs Conſcientiæ, L.II. c.14. caſ.8. p.518. ſqq.*

Auguſtinus pro abſtinen- En verò aliud non Qvadrageſimæ modò, ſed cæteris etiam ſtatis in Eccleſiâ papali jejuniis paratum ex Auguſtino patrocinium. Is

Digitized by Google

Is *in certis diebus* (ita Masenius *p. 119.*) *morem Ecclesiarum servandum ex Ambrosio docet, qvem Mediolani* (*ubi feriâ qvidem sextâ, non tamen Sabbato jejunabant, ut Romæ,*) *Augustinus de jejunio sciscitans hoc responsum tulit: Qvando hîc sum, non jejuno Sabbato, qvando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad qvamcunq; Ecclesiam veneritis, inqvit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eiq; suffecit, nec dubitavit, ei esse obediendum. Hoc & nos secuti sumus.* Tom. II. Ep. 86. sub finem. *Idem* (addit Masenius,) *si Lutherus Calvinusq; fecissent, nulla nobis hîc esset controversia, & ad hoc tenebantur. Nam ut idem Augustinus initio dixerat: In his rebus, de qvibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi DEI, vel instituta majorum pro Lege tenenda sunt.* Hæc noster Masenius ea ex Augustino producens, qvibus necessitas jejuniorum certis diebus instituendorum validè evertitur. Si enim *de his jejuniis nihil certi statuit scriptura, si mos loci, qvo degis, modò observandus est, & alii jejuniis dies Romæ, alii Mediolani destinantur,* qvilibet intelligit, nec potuisse ab Apostolis proficisci mandatum certorum jejuniorum, nec constituere cultûs partem, nisi Augustinum dicere velimus mutasse cum loco cultum, (qvod hodierni qvandoqve polypi solent,) atqve aliis etiam discessum ab Apostolicâ institutione imperâsse. Hic enim totâ

tiâ certor. temp. allegatus

eandem impugnat.

tâ illâ ad Casulanum epistolâ fusè de libertate Ecclesiarum in observationibus, *de qvibus nihil statuit Scriptura*, disserit, damnans Ecclesiam Romanam hodiernam in personâ *Urbici*, qvi homines ad Sabbati jejunium cogere volebat. *Totum hoc genus rerum*, (*sicuti est, qvòd alii jejunant Sabbato, alii verò non* &c.) *liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentiq; Christiano, qvàm ut eo modo agat, qvo agere viderit Ecclesiam, ad qvamcunq; fortè devenerit. Qvod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter qvos vivitur, societate servandum est.* Scribit idem Augustinus *ad Januarium, Epist. CXVIII. cap. 2. Tom. II. p. 556.* Non erat igitur, inqvies, Luthero temerè migrandus mos tam antiqvæ in Ecclesiâ observationis, si Augustinum audire voluisset. Imò verò, non erat, inqvam, Synagogæ Romanæ, si Augustinum audire proposuisset, libera jejuniorum observatio in laqveum commutanda, qvi conscientiis injiceretur, easq; opinione necessitatis, cultûs, meriti illigatas traheret in præcipitia. Jam cùm & pia ceremonia verteretur in impiæ superstitionis instrumentum, proq; veris jejuniis hypocriticæ ludificationes ciborumq; dæmoniaca interdicta observarentur, non potuit modò, ut Ezechias olim æneum serpentem, cùm superstitionis fieret instrumentum,

An rectè Lutherus jejunia abrogârit?

tum,

Digitized by Google

tum, sed debuit etiam Lutherus jejunia illa abrogare, à qvibus idololatricæ, superstitiosæ, impiæ opiniones erant moraliter inseparabiles: perinde ut olim Ecclesia in abrogandis *publicis vigiliis nocturnis* præclarum libertatis suæ documentum edidit, neqvicqvam repugnante Hieronymo, ceu Polyd. Virgilius *L. VI. c. 4.* & Mimatensis Episcopus *Rationalis divinor. offic. L. VI. c. 7. n. 8.* memorant. Fuit ergò hæc abrogatio Legis jejunialis, qvasi publicus elenchus superstitionis & idololatriæ Romanæ. Leges enim Ecclesiæ tamdiu servari debent, dum fidei & charitati non officiant, & opinio necessitatis absolutæ non stabiliatur. Confer Chemnit. *Exam. p. 773.* Höpffner. *de Jejuniis th. XXX. §. 8. sqq.* Hülsem. *Manual. D. XVII. §. 13. p. 762.*

Hactenus Augustinum *certis jejuniorum temporibus* prætexuit Masenius. Qvæ pro *delectu ciborum* ex Ejusdem *L. 30. c. Faust. Manich. c. 5.* nunc subdit, ea pro nobis facere, paulò antè *p. 606.* ubi & verba ipsa descripsimus, observatum. *Non à carnibus modò, verùm à qvibusdam etiam terræ fructibus*, qvi scilicet lautiores credebantur, abstinuisse veteres, narrat Augustinus, disertè simul monet, non ex necessitate Legis, sed planè liberè, & *qvantò magis qvisq; vel minùs seu voluerit, seu potuerit*, hoc factum. Tantum autem abest, ut Lege irrefragabili abstinentiam à carnibus sanciat, ut omnia libertati voluntatis pro-

(2) Abstinentiâ certor. ciborum: cujus necessitas nec veteris Ecclesiæ suffragio.

priæ, vel imbecillitati fratris tribui velit. Qvò pertinet, qvod *de moribus Ecclesiæ c. 33. T. I. pag. 772.* scribit: *Nemo urgetur in aspera, qvæ ferre non potest, nulli, qvod recusat, imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, qvòd in eis se imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim, qvantoperè Scripturis omnibus commendata sit charitas: meminerunt, omnia munda mundis; & Non qvod intrat in os vestrum, cor coinqvinat, sed qvod exit. -- -- -- Meminerunt: Esca ventri, & venter escis. DEUS autem & hunc & illas destruet. Et alibi: Neq; si manducaverimus, abundabimus: neq; si non manducaverimus, egebimus. Et illud præ cæteris: Bonum est, fratres, non manducare carnes, neq; bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur. Hic enim ostendit, qvàm sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. Alius enim credit, manducare omnia, qvi autem infirmus est, olus (inqvit) manducet: Qvi manducat, non manducantem non spernat: & qvi non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumit. Tu qvis es, qvi alienum servum judicas? Suo Domino stat aut cadit.* Et qvæ seqvuntur hanc

in

in rem plura. De suæ ætatis jejuniis Prudentius *hymno VIII. Cathemer.* qvi est *post jejunium, v. 65*:

Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neq; nos severus
Terror impellit, sua qvemq; cogit
Velle potestas.

Atqve huc memorabilis Historia spectat de Spiridione Trimythuntis Episcopo multis miraculis celebri à Sozomeno *L. I. c. XI.* narrata, qvi in Qvadragesimâ, cùm aliud non haberet domi, carnes suillas sale conditas apposuit: eumq; Hospes recusaret edere, diceretqve se Christianum esse, *Hanc ob causam,* dixit, *minùs recusare debes. Nam omnia munda mundis, Sacræ literæ pronunciant.* Qvam Historiam cùm ex tripartitâ recensuisset Lutherus *Comm. in Gal. II, 14. T. I. Jen. Lat. p. 340.* graviter subjicit: *Non velim præcepta majorum contemni ullo modo, sed rectè intelligi, qvòd ubi necessitas, vel charitas contrarium obtulerit, ibi (præsertim accedente consilio Confessoris vel boni viri) piâ humilitate & reverentiâ debet præceptum ejusmodi infringi. Ut non sit necesse, Confessionalia & indulta vendi & emi. Nam nisi aliâ causâ tibi licuerit leges infringere, nulla dispensatio, nullum confessionale, nullum*

lum indultum per se tibi satisfuerit. Si autem alia causa fuerit, jam illis non indiges, ut dixi. Ego autem Pontifices monerem, ut aliqvando Ecclesiarum periculis miserti, tollerent tandem leges suas; qvibus videmus nihil, nisi conscientias illaqveari, aut pecunias expiscari, insuper & fiduciam Christi penitùs suffocari, id est, veros Christianos extingvi, & Ecclesiam hypocritis & idolis repleri.

nec Pauli testimonio firmari potest. Neqve verò Augustinus modò, sed ipse Paulus Apostolus sancivisse hanc abstinentiam (qvam *dæmoniorum* tamen *doctrinam* vocat,) à Masenio perhibetur, qvi *Rom. XIV. v. 20.* sic scribit: *Omnia qvidem munda mundis. Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est, non manducare carnem & non bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur.* Telum è Manichæorum pharetrâ petitum, ut ex Augustino *de morib. Manich. c. 14.* constat, ubi prolixè ad *h. l.* respondet *T. I. p. 788. sqq.* Hic ex Masenio qværere libet, cur non & vino abstineant, qvam abstinentiam non minùs ac carnium, hic commendat Apostolus? Qvem de cætero certum est, minimè omnium certi alicujus *cibi prohibitionem*, sed *evitationem scandali* procuratam velle. Neqve enim à carne tantùm & vino, sed omnibus rebus, qvibus scan-

ſcandaliſatur frater, abſtineri vult, licèt illæ non prohibeantur Lege aliqvâ. Breviter: *Moderationem* Libertatis Chriſtianæ & directionem ad utilitatem proximi docet, non *abrogationem* ejus cum Pontificiis intendit, acerrimus qvippe illius contra PſeudoApoſtolos defenſor. Sed ſcandalizabatur tamen non unus frater, ſed tota Eccleſia abrogatione illâ abſtinentiæ, qvam tota Eccleſia ſanciverat, inqvit Maſenius. Hîc qvantum inter ſcandalum *datum* & *acceptum* interſit, recolendum animo eſt. Illud enim, cujus culpa penes ſcandalizantem eſt, prohibet Apoſtolus. Acceptum autem fuerit ſcandalum, qvod qvis ex ſanæ doctrinæ vindicatione de uſu libero rerum indifferentium, & neceſſariâ abrogatione abſtinentiæ ſuperſtitioſæ ac impiæ ceperit. Neqve profectò ſi in rebus indifferentibus cedendum eſt *infirmis fratribus*, h. e. illis, qvi in cæteris doctrinæ capitibus nobis ſunt ὁμόψηφοι, de uſu libertatis Chriſtianæ tamen nondum ſatis informati; etiam *falſis fratribus*, nedum *profesſis hoſtibus* veritatis & Libertatis Chriſtianæ prodenda cauſa Evangelii fuerit. *Falſis fratribus, qvi ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, qvam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent, neq; ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneret:* meritò cum Apoſtolo ſentimus *Gal. II 5. 6.* Confer. Balduin. *Caſ. Conſc. L. II. c. 14. caſ. 7.* pag.

Qvid de ſcandalo per jejunii abrogationem orto habendum?

lint, certis illam diebus per ditiones suas subditis praescribunt, atq; eosdem in conscientiâ obligatos asserunt, tum qvòd aliqvando jejunandum sit, tum qvòd scandalo reliqvis ejus mandati sint praevaricatores. Qvomodò igitur aut Lutherus cum suis praevaricari tanto Ecclesiae scandalo potuit, aut ipsius hodiè scrutatores tempus praecipiunt, qvod à Catholicis praeceptum damnant? Facilè ad hoc respondebit, qvi perpendet, qvantum jejunia Protestantium & Pontificiorum, doctrina item Protestantium & Pontificiorum de obligatione praecepti de jejunio inter se differant. Differunt scilicet omnibus causis jejunium Pontificium & Christianum. Nostra jejunia juxta testimonia & exempla Scripturae (à Chemnitio *Exam. P.IV. tit. de Jejunio sub init. p.745. sqq.* collecta) in spontaneâ ab omni cibo potuq; ac voluptatibus corporis aliis abstinentiâ ad excitandam majorem devotionem consistunt. Pontificia juxta doctrinam daemoniorum abstinentiam à carnibus tantùm & lacticiniis, ceu cultum necessarium ad meritum gratiae & satisfactionem pro peccatis sub interminatione aeternae damnationis impetrant: caeterùm cuticulam curare lautè permittunt, libertatem verò Christianam penitùs pessundant. Qvid mirum ergò, jejunia rectè indici interdum, si ferant ita tempora, ab Ecclesiâ verâ, ac teneri ad talium observationem ipsius membra: contrà verò ad Pontificia

(l) *de jejunio.*

tificia non observanda, sed abominanda obligári per conscientiam pios qvosvis? Deinde de obligatione conscientiæ per jejunii indictionem aliter longè Pontificii, aliter Orthodoxi sentiunt. Norunt hi, ex affectu spontaneo proficisci debere devotionem, cujus incitabula jejunia sunt. Qvare indici qvidem jejunia autoritate publicâ posse concedunt, (qvomodo per plures annos hactenus à Pientissimo Patriæ nostræ Patre in Provinciis hisce Saxonicis solennissimos jejuniorum dies publicè indictos ac religiosè celebratos recordamur:) ita tamen, ut nulla coactio aut absoluta necessitas, qvoad durationis tempus ac cibos certos inducatur. Cumq; Pontificii Legi, qvam de jejuniis statis semel tulit Ecclesia, obligationem in conscientiâ *directam, absolutam & immediatam* tribuant; Orthodoxi *indirectè, hypotheticè & mediatè* obligari conscientiam per præceptum jejunii asserunt. Lege hæc explicata apud B. Meisnerum *de Legibus Lib. IV. sect. 2. a. 1. q. 2. p. 452. sqq. collat. sect. I. q. 11. p. 304. sqq.* & Balduinum *Cas. consc. L. II. c. 14. cas. 1. 3. 4. p. 494.-502.* qvi inter alia sic rem decidit *p. 499: Jejunium ab Ecclesiâ indictum specialiter & directè conscientiam non obligat, qvia constitutio illa non est immediatè à DEO, sed ab hominibus, qvorum potestas tantùm est exterior, non interior: conscientiis enim non dominatur, neq; cultum aliqvem divinum, sed excitationem saltem*

(2) de obligatione conscientiæ per jejunii indictionem.

sanctorum hominum miracula: qvædam imitanda, ut qvæ ad morum & vitæ institutionem pertinent, qvæ Christus discere nos jussit, ut mansvetudo, humilitas, charitas: de qvibus est illud Apostolicum: Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Velle in illis prodigiosis effectibus (ut abstinentiâ qvadragesimali) *imitari, est animi prorsus superbi, & stulti, & volentis ambientisq; DEI similitudinem &c.* Sed qvæ deniq; Christi imitatio hæc est? Christus per XL. dies cibo potuq; abstinebat: Pontificii carne tantùm & ovis. Ille semel istud jejunium sustinebat: hi suum repetunt qvotannis. Ille statim post epiphaniam: hi aliqvot pòst septimanis: Ille qvadraginta ipsos dies omni cibo abstinebat: hi 36. dierum qvadragesimam celebrant. Unde non malè Dallæus, qvi *L. III. de jejun. c.17. à p. 613. ad 650.* eruditissimè hoc argumentum excussit: *Res tota merum ludibrium est: qvo jejunium non jejunio, sed prandiis cœnulisq; pisculentis, hoc est, nivis candorem carbonis nigredine imitantur ac repræsentant. Licebit isto exemplo & Christum super mare ambulantem imitari in triremi navigando; licebit cæcos illuminantem, terrâ sputo maceratâ & in cæci oculos impactâ simulare.* Conf. Balduini *Casûs Conscientiæ, L.II. c.14. cas.8. p.518. sqq.*

Augustinus pro abstinen- En verò aliud non Qvadragesimæ modò, sed cæteris etiam statis in Ecclesiâ papali jejuniis paratum ex Augustino patrocinium.

In

Is *in certis diebus* (ita Masenius *p. 119.*) *morem* *tiâ certor.*
Ecclesiarum servandum ex Ambrosio docet, *temp. alle-*
qvem Mediolani (*ubi feriâ qvidem sextâ, non* *gatus*
tamen Sabbato jejunabant, ut Romæ,) *Augustinus de jejunio sciscitans hoc responsum tulit: Qvando hîc sum, non jejuno Sabbato, qvando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad qvamcunq; Ecclesiam veneritis, inqvit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eiq; sufficit, nec dubitavit, ei esse obediendum. Hoc & nos secuti sumus.* Tom. II. Ep. 86. sub finem. *Idem* (addit Masenius,) *si Lutherus Calvinusq; fecissent, nulla nobis hîc esset controversia, & ad hoc tenebantur. Nam ut idem Augustinus initio dixerat: In his rebus, de qvibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi DEI, vel instituta majorum pro Lege tenenda sunt.* Hæc *eandem*
noster Masenius ea ex Augustino producens, *impugnat.*
qvibus necessitas jejuniorum certis diebus institituendorum validè evertitur. Si enim *de his jejuniis nihil certi statuit scriptura, si mos loci, qvo degis, modò observandus est, & alii jejuniis dies Romæ, alii Mediolani destinantur,* qvilibet intelligit, nec potuisse ab Apostolis proficisci mandatum certorum jejuniorum, nec constituere cultûs partem, nisi Augustinum dicere velimus mutasse cum loco cultum, (qvod hodierni qvandoqve polypi solent,) atqve aliis etiam discessum ab Apostolicâ institutione imperâsse. Hic enim to-

tâ illâ ad Casulanum epistolâ fusè de libertate Ecclesiarum in observationibus, *de qvibus nihil statuit Scriptura*, disserit, damnans Ecclesiam Romanam hodiernam in personâ *Urbici*, qvi homines ad Sabbati jejunium cogere volebat. *Totum hoc genus rerum*, (*sicuti est, qvòd alii jejunant Sabbato, alii verò non* &c.) *liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentiq; Christiano, qvàm ut eo modo agat, qvo agere viderit Ecclesiam, ad qvamcunq; fortè devenerit. Qvod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter qvos vivitur, societate servandum est.* Scribit idem Augustinus *ad Januarium, Epist. CXVIII. cap. 2. Tom. II. p. 556.* Non erat igitur, inqvies, Luthero temerè migrandus mos tam antiqvæ in Ecclesiâ observationis, si Augustinum audire voluisset. Imò verò, non erat, inqvam, Synagogæ Romanæ, si Augustinum audire proposuisset, libera jejuniorum observatio in laqveum commutanda, qvi conscientiis injiceretur, easq; opinione necessitatis, cultûs, meriti illigatas traheret in præcipitia. Jam cùm & pia ceremonia verteretur in impiæ superstitionis instrumentum, proq; veris jejuniis hypocriticæ ludificationes ciborumq; dæmoniaca interdicta observarentur, non potuit modò, ut Ezechias olim æneum serpentem, cùm superstitionis fieret instrumentum,

An rectè Lutherus jejunia abrogârit?

tum, ſed debuit etiam Lutherus jejunia illa abrogare, à qvibus idololatricæ, ſuperſtitioſæ, impiæ opiniones erant moraliter inſeparabiles: perinde ut olim Eccleſia in abrogandis *publicis vigiliis nocturnis* præclarum libertatis ſuæ documentum edidit, neqvicqvam repugnante Hieronymo, ceu Polyd. Virgilius *L. VI. c.4.* & Mimatenſis Epiſcopus *Rationalis divinor. offic. L. VI. c 7. n.8.* memorant. Fuit ergò hæc abrogatio Legis jejunialis, qvaſi publicus elenchus ſuperſtitionis & idololatriæ Romanæ. Leges enim Eccleſiæ tamdiu ſervari debent, dum fidei & charitati non officiant, & opinio neceſſitatis abſolutæ non ſtabiliatur. Confer Chemnit. *Exam. p.773.* Höpffner. *de Jejuniis th.XXX. §.8.ſqq.* Hülſem. *Manual. D.XVII. §.13. p.762.*

Hactenus Auguſtinum *certis jejuniorum temporibus* prætexuit Maſenius. Qvæ pro *delectu ciborum* ex Ejusdem *L.30. c.Fauſt. Manich. c.5.* nunc ſubdit, ea pro nobis facere, paulò antè *p. 606.* ubi & verba ipſa deſcripſimus, obſervatum. *Non à carnibus modò, verùm à qvibusdam etiam terræ fructibus*, qvi ſcilicet lautiores credebantur, abſtinuiſſe veteres, narrat Auguſtinus, diſertè ſimul monet, non ex neceſſitate Legis, ſed planè liberè, & *qvantò magis qvisq; vel minùs ſeu voluerit, ſeu potuerit*, hoc factum. Tantum autem abeſt, ut lege irrefragabili abſtinentiam à carnibus ſanciat, ut omnia libertati voluntatis pro-

(2) *Abſtinentiâ certor. ciborum: cujus neceſſitas nec veteris Eccleſiæ ſuffragio.*

priæ, vel imbecillitati fratris tribui velit. Qvò pertinet, qvod *de moribus Ecclesiæ c. 33. T. I. pag. 772.* scribit: *Nemo urgetur in aspera, qvæ ferre non potest, nulli, qvod recusat, imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, qvòd in eis se imitandis fatetur invalidum: meminerunt enim, quantoperè Scripturis omnibus commendata sit charitas: meminerunt, omnia munda mundis; &, Non qvod intrat in os vestrum, cor coinqvinat, sed qvod exit. -- -- -- Meminerunt: Esca ventri, & venter escis. DEUS autem & hunc & illas destruet. Et alibi: Neq; si manducaverimus, abundabimus: neq; si non manducaverimus, egebimus. Et illud præ cæteris: Bonum est, fratres, non manducare carnes, neq; bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur. Hic enim ostendit, qvàm sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. Alius enim credit, manducare omnia, qvi autem infirmus est, olus (inqvit) manducet: Qvi manducat, non manducantem non spernat; & qvi non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumit. Tu qvis es, qvi alienum servum judicas? Suo Domino stat aut cadit.* Et qvæ seqvuntur hanc

in

in rem plura. De ſuæ ætatis jejuniis Prudentius *hymno VIII. Cathemer.* qvi eſt *poſt jejunium, v. 65:*

Laxus ac liber modus abſtinendi
Ponitur cunctis, neq; nos ſeverus
Terror impellit, ſua qvemq; cogit
Velle poteſtas.

Atqve huc memorabilis Hiſtoria ſpectat de Spiridione Trimythuntis Epiſcopo multis miraculis celebri à Sozomeno *L. I. c. XI.* narrata, qvi in Qvadrageſimâ, cùm aliud non haberet domi, carnes ſuillas ſale conditas apposuit: cumq; Hoſpes recuſaret edere, diceretqve ſe Chriſtianum eſſe, *Hanc ob cauſam,* dixit, *minùs recuſare debes. Nam omnia munda mundis, Sacræ literæ pronunciant.* Qvam Hiſtoriam cùm ex tripartitâ recenſuiſſet Lutherus *Comm. in Gal. II, 14. T. I. Jen. Lat. p. 340.* graviter ſubjicit: *Non velim præcepta majorum contemni ullo modo, ſed rectè intelligi, qvòd ubi neceſſitas, vel charitas contrarium obtulerit, ibi (præſertim accedente conſilio Confeſſoris vel boni viri) piâ humilitate & reverentiâ debet præceptum ejusmodi infringi. Ut non ſit neceſſe, Confeſſionalia & indulta vendi & emi. Nam niſi aliâ causâ tibi licuerit leges infringere, nulla diſpenſatio, nullum confeſſionale, nul-*

lum

lum indultum per se tibi satisfuerit. Si autem alia causa fuerit, jam illis non indiges, ut dixi. Ego autem Pontifices monerem, ut aliqvando Ecclesiarum periculis miserti, tollerent tandem leges suas, qvibus videmus nihil, nisi conscientias illaqveari, aut pecunias expiscari, insuper & fiduciam Christi penitùs suffocari, id est, veros Christianos extingvi, & Ecclesiam hypocritis & idolis repleri.

nec Pauli testimonio firmari potest.

Neqve verò Augustinus modò, sed ipse Paulus Apostolus sancivisse hanc abstinentiam (qvam *dæmoniorum* tamen *doctrinam* vocat,) à Masenio perhibetur, qvi *Rom. XIV. v. 20.* sic scribit: *Omnia qvidem munda mundis. Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est, non manducare carnem & non bibere vinum, neq; in qvo frater tuus offenditur.* Telum è Manichæorum pharetrâ petitum, ut ex Augustino *de morib. Manich. c. 14.* constat, ubi prolixè ad *h. l.* respondet *T. I. p. 788. sqq.* Hîc ex Masenio qværere libet, cur non & vino abstineant, qvam abstinentiam non minùs ac carnium hic commendat Apostolus? Qvem de cætero certum est, minimè omnium certi alicujus *cibi prohibitionem*, sed *evitationem scandali* procuratam velle. Neqve enim à carne tantùm & vino, sed omnibus rebus, qvibus scan-

ſcandaliſatur frater, abſtineri vult, licèt illæ non prohibeantur Lege aliqvâ. Breviter: *Moderationem* Libertatis Chriſtianæ & directionem ad utilitatem proximi docet, non *abrogationem* ejus cum Pontificiis intendit, acerrimus qvippe illius contra PſeudoApoſtolos defenſor. Sed ſcandalizabatur tamen non unus frater, ſed tota Eccleſia abrogatione illâ abſtinentiæ, qvam tota Eccleſia ſanciverat, inqvit Maſenius. Hîc qvantum inter ſcandalum *datum* & *acceptum* interſit, recolendum animo eſt. Illud enim, cujus culpa penes ſcandalizantem eſt, prohibet Apoſtolus. Acceptum autem fuerit ſcandalum, qvod qvis ex ſanæ doctrinæ vindicatione de uſu libero rerum indifferentium, & neceſſariâ abrogatione abſtinentiæ ſuperſtitioſæ ac impiæ ceperit. Neqve profectò ſi in rebus indifferentibus cedendum eſt *infirmis fratribus*, h. e. illis, qvi in cæteris doctrinæ capitibus nobis ſunt ὁμόψηφοι de uſu libertatis Chriſtianæ tamen nondum ſatis informati; etiam *falſis fratribus*, nedum *profeſſis hoſtibus* veritatis & Libertatis Chriſtianæ prodenda cauſa Evangelii fuerit. *Falſis fratribus, qvi ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, qvam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent, neq; ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneret:* meritò cum Apoſtolo ſentimus *Gal. II* 5. 6. Confer. Balduin. *Caſ. Conſc. L. II. c.* 14. *caſ.* 7. pag.

Qvid de ſcandalo per jejunii abrogationem orto habendum?

p. 515. sqq. & *Comm. in l.c. Ep. Rom. P. II. qv. 1. pag. 249.*

Qvalia jejunia ab Augustino commendata?

Porrò qvid de verbis Augustini *c. 17. de utilit. cred.* habendum sit, suprà *p. 240.* vidimus. Nam & suprà Masenius *Praxeos suæ p. 70.* urgebat. Hîc tantùm addo, si *continentia usq; ad tenuissimum victum panis & aqvæ, & non solùm qvotidiana, sed etiam per contextos plures dies continuata jejunia* veram Ecclesiam indicant, nullibi eam minùs, qvàm in claustris monachorum vel Episcoporum palatiis inventum iri, qvorum continentia non usqve ad tenuissimum panis & aqvæ victum se demittit, sed ad lautissimas cupedias ascendit: qvorum jejunia non continuantur per plures dies, sed pluribus unius diei comessationibus absolvuntur, ut & nos antè indicavimus. Ingeniosè Jo. Bapt. Mantuanus *L. II. Fastorum:*

Non tamen illicitum pisces adhibere minutos.
Gregorius grandes prohibet, sed longior usus
Obstitit, & ponti pecuaria magna per omnes
Jam volitant Procerum mensas & prandia Regum.
Sordida Gregorii leges observat egestas,
Qvæ tenues scrutatur aqvas & flumina summa.
Grande ac pingve pecus fundo versatur in imo.

At

At sacri Proceres, qvi lina capacia Petri
Altiùs immergunt, laqveant genus omne natantum.

Lege qverelas Pontificiorum de nimio jejuniorum luxu apud Gerh. *Conf. Cath. tom. ult. p. 953. sqq.* Augustinus verò qvalia *jejunia continuata* intelligat, è *lib. de morib. Eccles. c. 31. & 33. Tom. I. p. 770. 772.* cognosci potest: ubi mirabilem qvorundam & diuturnam ab omni cibo abstinentiam memorat, qvæ in tantum processerat, ut restringenda nonnullis, & qvasi ad humanos fines revocanda videretur. Pontificiam autem illam solas exosam carnes abstinentiam perstringit. *Sunt qvidam* (in Pontificios hæc dicere Augustinum putes *Serm. I. in octavâ Pascha, qvi est 157. de temp. T. X. p. 949.*) *observatores Qvadragesimæ deliciosi potiùs, qvàm religiosi, exqvirentes novas svavitates magis, qvàm veteres concupiscentias castigantes, qvi pretiosis copiosisq; apparatibus fructuum diversorum qvorumlibet varietates & sapores superare contendunt. Vasa, in qvibus cocta sunt carnes, tanqvam immunda formidant, & in carne suâ ventris & gutturis luxuriam non formidant: — — artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus tantum capiunt manducando, qvantum digerere non sufficiunt jejunando.*

Examinandum nunc est, an aliqvid ad rem faciat *praxis Protestantium*, de qvâ cavillatur Masenius: *Si qvam ipsimet Protestantes apud suos jejunii, in S. literis præcepti curam esse velint,* *Protestantium sententia*

lint, certis illam diebus per ditiones suas subditis præscribunt, atq; eosdem in conscientiâ obligatos asserunt, tum qvòd aliqvando jejunandum sit, tum qvòd scandalo reliqvis ejus mandati sint prævaricatores. Qvomodo igitur aut Lutherus cum suis prævaricari tanto Ecclesiæ scandalo potuit, aut ipsius hodiè scrutatores tempus præcipiunt, qvod à Catholicis præceptum damnant? Facilè ad hoc respondebit, qvi perpendet, qvantum jejunia Protestantium & Pontificiorum, doctrina item Protestantium & Pontificiorum de obligatione præcepti de jejunio inter se differant. Differunt scilicet omnibus causis jejunium Pontificium & Christianum. Nostra jejunia juxta testimonia & exempla Scripturæ (à Chemnitio *Exam. P.IV. tit. de Jejunio sub init. p.745. sqq.* collecta) in spontaneâ ab omni cibo potuq; ac voluptatibus corporis aliis abstinentiâ ad excitandam majorem devotionem consistunt. Pontificia juxta doctrinam dæmoniorum abstinentiam à carnibus tantùm & lacticiniis, ceu cultum necessarium ad meritum gratiæ & satisfactionem pro peccatis sub interminatione æternæ damnationis imperant: cæterùm cuticulam curare lautè permittunt, libertatem verò Christianam penitùs pessundant. Qvid mirum ergò, jejunia rectè indici interdum, si ferant ita tempora, ab Ecclesiâ verâ, ac teneri ad talium observationem ipsius membra: contrà verò ad Pon-

(1) de jejunio.

tificia non observanda, sed abominanda obligari per conscientiam pios qvosvis? Deinde de obligatione conscientiæ per jejunii indictionem aliter longè Pontificii, aliter Orthodoxi sentiunt. Norunt hi, ex affectu spontaneo proficisci debere devotionem, cujus incitabula jejunia sunt. Qvare indici qvidem jejunia autoritate publicâ posse concedunt, (qvomodo per plures annos hactenus à Pientissimo Patriæ nostræ Patre in Provinciis hisce Saxonicis solennissimos jejuniorum dies publicè indictos ac religiosè celebratos recordamur:) ita tamen, ut nulla coactio aut absoluta necessitas, qvoad durationis tempus ac cibos certos inducatur. Cumq; Pontificii Legi, qvam de jejuniis statis semel tulit Ecclesia, obligationem in conscientiâ *directam, absolutam & immediatam* tribuant; Orthodoxi *indirectè, hypotheticè & mediatè* obligari conscientiam per præceptum jejunii asserunt. Lege hæc explicata apud B. Meisnerum *de Legibus Lib. IV. sect. 2. a. 1. q. 2. p. 452. sqq. collat. sect. I. q. 11. p. 304. sqq.* & Balduinum *Cas. consc. L. II. c. 14. cas. 1. 3. 4. p. 494.-502.* qvi inter alia sic rem decidit *p. 499: Jejunium ab Ecclesiâ indictum specialiter & directè conscientiam non obligat, qvia constitutio illa non est immediatè à DEO, sed ab hominibus, qvorum potestas tantùm est exterior, non interior: conscientiis enim non dominatur, neq; cultum aliqvem divinum, sed excitationem saltem*

(2) de obligatione conscientiæ per jejunii indictionem.

tem corporalem concernit, neq; transgressio ejus adjunctam habet comminationem æternarum pœnarum, qvâ conscientiæ & directè & principaliter obstringuntur ad obediendum. Obligat autem conscientiam generaliter & indirectè, qvia ejus transgressione (1.) resistitur bono ordini, (2.) scandalum præbetur infirmis.

Matth. XVIII, 17. Jamq; patet, opinor, qvod unicum in hac consideratione restat, num qvicqvam periculi nobis à jactatâ tantoperè *p. 121. Ecclesiæ autoritate* immineat, & num ideò *sicut Ethnici & publicani* simus habendi, qvia Ecclesiam Romanam impia hujusmodi jejunia præcipientem non audimus, qvod ex *Matth. XVIII, 17.* conficere vult Masenius. Ubi Christus loqvitur de Ecclesiâ lites juxta verbum dirimente, non contra verbum ἐθελοθρησκείας venditante sub necessitatis Lege. Et Augustinus *T. IX. tr. 73. in Joh.* perinde, *I. Sam. XV v. 22.* ut olim Samuel, cujus verba è *I. Sam. XV, 22.* allegat, inobedientiam reprehendit DEO ipsi abstinentiam à pomo vetito, & cædem Amalekitarum imperanti recalcitrantem: neuter verò obediri vult Superioribus contra DEI verbum aliqvid imperantibus. Qvod imperant sanè, qvi alligatam ad certa tempora abstinentiam à carnibus, ut DEI cultum, ut satisfactorium meritoriumq; opus promulgant. Hos qvi redarguunt, hi nec *DEI* tanguntur *increpatione Esa. LVIII, 3.* nec *Israëlitarum* carnes in deserto concupiscentium

exem-

exemplo (utrumqve hîc Masenius miscet,) in ruborem dantur. *Hoc* enim iis opponendum est, qvi divinitùs negata effræni libidine concupiscunt, non his, qvi concessa divinitùs eripi sibi prædonum ungvibus nolunt. *Illa* verò eos ferit, qvi electitio hypocriticoq; cultu placare DEUM, (*v.5.*) eumq; qvasi obæratum per jejunia sua debitorem in jus vocare audent, (*v.2.3.*) interim in peccatis pergunt, (*v.4.*) & opera charitatis negligunt, (*v.6.7.*) qvæ multò gratiora sibi, qvàm jejunia esse, DEUS ipse testatur, *v.8.sqq.* Nos postqvam abundè declaravimus, maximè dissentire à revelatâ DEI voluntate jejunia Pontificia, consentire cum eâ svavissimè jejunia Christiana, finimus cum Masenio: *Uti laudabile jejunium est, qvod Ecclesiæ tuæ* (tuæ, inqvam, mi JESU, non antichristianæ) *institutis, adeoq; tuæ conforme est voluntati: ita maledictum, qvod ab illis dissentit.*

Es.LVIII, v.3.

EXAMEN
Considerat. XIII.

De
(1.) Invocatione Angelorum & Sanctorum: (2.) Reliqviarum & (3.) imaginum Christi ac Sanctorum honore, deq; (4.) observatione rituum non præscriptorum in verbo DEI.

PUNCT. I. p.122 --125.

De Invocatione Sanctorum

Rectenè Angeli & Sancti invocentur, ut pro nobis apud DEUM intercedant, & postulata per eos impetremus?

I. Orthodoxiæ confirmatio:

NEgant hoc Protestantes cum Scripturâ, qvod affirmare Papistas *cum Augustino ex S. literis* ait Masenius. Est sanè in Scripturâ fundatissimum, nullam creaturam, adeoq; nec angelum, nec sanctum hominem vitâ hac defunctum invoca-

tione

tione religiosâ, qvocunqve veniat nomine, sive ut mediatorem, sive ut intercessorem coli posse. In qvâ veritate cœlesti asserendâ vindicandaq; solidè copiosissimeq; à Doctoribus nostris juxtà ac Reformatis est laboratum. Vid. Chemnit. *P. III. Exam. C.T. à p.*573. *ad* 651. Gerh. *Tom. VIII. L. de Morte à §.*370. *ad* 479. & *Conf. Cath. art. X. c.* 2. *p.* 549. *sqq.* Garth. *tract. de invocat. Sanctorum contra Becanum*, Schröder. *in apodixi de Sanctis honorandis non invocandis*, Balduin. *toto L. XIII. Phosphori Cathol.* Hunn. *T. I. Marpurg. Disp.* 38. Gisenius *T. VI. Giess. D.* 21. Feuerborn. *fasc. IV. Disp.* 8. Affelmann. *Refut. Jesuitar. Paderbornensium de Invocat. Sanctor. P. I. Syntagm. p.* 665. *sqq.* Schlüsselburg. *Catal. Hæret. T. IIX. p.* 60. *ad* 89. Dannhau. *T. I. Hodom. Pap. p.* 1107. *sqq.* & *Colleg. Decal. Disp. II. p.* 63. *sqq.* Dorsch. Religions-Scrup. *V — XII.* Hülsem. *Manual. Disp. XVIII.* Calov. *Tom. IV. Syst. p.* 100. *sqq.* & *Matæol. Papist. S. IV. controv.* 4. *p.* 185. *sqq.* Carpz. *Isag. in art. XXI. Aug. Conf. p.* 537. *ad* 563. Dreier. *AntiPap. p.* 877. *ad* 924. Mornæus *de Eucharist. L. III. à c.* 12. *ad* 18. Chamier *Panstr. T. II. L. XIX. & XX.* Rivet. *Cath. Orth. tract.* 2. *qvæst.* 45. 48. 49. 52. Vossius *Est talis L. I. de Idolol. c.* 41. & 42. & *Historico-Theol. cultus Disp. VII. & sqq.* Valkenier. *Idolol. Pap. p.* 134. *sqq.* Molinæus *novit. Pap. p.* 517. *sqq.* & alii infiniti. Qvi solidissimè demonstrârunt, & (1.) *cæcum planè incertumq;* talem cultum (1) ἄγραφ-

 esse, φ

esse, omni qvippe mandato, exemplo omni approbato in Scripturis destitutum, (qvod nec Eccius, Tannerus, Salmero, Bellarminus aliiq; ex Jesuitis ipsis sunt diffessi, qvorum testimonia lege ap. Gerh. *CC.t.3. p.*579. Dorsch. VIII. Rel. Scrupel p. 281. Hülsem. *c. Hager. D. XVIII. init. p.*832. *sqq.*) & (2.) *injurium in DEI* optimi maximi, nostriq; *Salvatoris honorem:* nam & Deus *se solum adorari, sibiq; soli serviri* jussit *Deut. VI*, 13. *Matth. IV*, 10. *alienos* autem *coram se deos haberi* severissimè interdixit *Exod. XX*, 3. (unde & Veteres ex invocatione religiosâ veram Deitatem Filii & Spiritûs S. invictè demonstrare potuerunt:) nec nisi *unicus est Mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus, qvi dedit semetipsum in pretium redemtionis pro omnibus*, I. Tim. II, 5. qvi *solus via, veritas & vita est; nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum*, Joh. XIV, v. 6: Ipse (qvod de nullo Sanctorum dicitur,) *sedet ad dextram DEI, & interpellat pro nobis*, Rom. VIII, 34. ut *si peccemus, ipsum habeamus advocatum apud Patrem*, (nec opus, alios qværere patronos) *Jesum, qvi est justus, & propitiatio pro peccatis nostris, imò totius mundi*, 1. Joh. II, 1. Ostenderunt (3.) absurdissimum hunc esse cultum, si *Sanctos ipsos* sive ex hypothesi Pontificiâ, sive ex rei veritate consideres. Cùm enim *juxta Pontificiam doctrinam* nemo certus esse possit, an ipse vel alius in gratiâ sit apud DEUM, incerti sint opor-

(2.) Ἀντίγραφος.

(3.) Ἄλογος, *sive spectes Sanctos ex hypothesi Pontificiâ*,

oportet omnes, an hic vel ille Sanctus sit in gloriâ apud DEUM, nisi peculiari revelatione innotescat, beatum aliqvem esse. Sic fatetur Alexander III. Pontifex, fuisse hominem qvendam in ebrietate peremtum, qvem vulgò pro Sancto colerent, factaq; ad memoriam ejus miracula *Decret. Greg. L. 3. tit. 45. c. 1.* Fatetur Bellarminus, animam aliqvando damnati pro Sancto cultam esse, *de Beatit. Sanctor. c. 7. extr.* Fatetur Spondanus *ann.* 530. *n. 7.* Faustum hæreticum inter Sanctos à martyrologio Gallico numeratum fuisse. Qvin integras nationes in judicio de Sanctis decipi potuisse, Raim. Lullii exemplo noster docuit Dorsch. *P. II. Vindic. Exodi Diss. V. §. 7. p 85 sqq.* Similia exempla lege apud Gerh. *L. de morte §. 417. sqq.* 480. & confer Hüllsem. *Diss. III. c. Hager. qv. 3. §. 9. p.* 110. & *Diss. XVIII. §. 21. p. 898. sqq.* Qvæ reputans animo Papista viderit, qvàm securè inniti intercessioni Sancti, licèt à Pontifice (qvem falli posse in qvæstionibus facti fatentur ipsimet ejus asseclæ. Vid. Bellarm. *de R. P. IV.* 12.) canonizati possit? Si ipsum Augustinum, qvem inter Sanctos præcipuum habent, ad inferos ob hæresin damnare Bonifacius II. potuit; (suprà ad *Instruct. p.* 37.) qvis de cæteris inferioris subsellii Sanctulis tam securus sit, ut nunqvam eos exturbatum iri ab aliqvo Pontifice confidat? Cæterùm,

ut mittamus Pontificiorum hypothesin, &
sive ex rei rem putemus *ipsam*, neqve omniscii sunt
veritate. Sancti ac καρδιογνῶσται, *Es. LXIII*, 16. *Eccles.*
IX, 5. neqve omnipræsentes, neqve omnipotentes, neqve beneficiorum cœlestium datores: hæc enim omnia soli DEO Scriptura vindicat, non daturo gloriam suam alteri, *Esa. XLII*, 8. de Sanctis vel tacet, vel negat; qvæ ad invocationem religiosam tamen reqviruntur. Unde & Sancti pariter ac angeli talem honorem repudiarunt, additâ ratione, qvòd is non hominibus, non conservis angelis, sed soli DEO competat: prout ex *Act. X*, 25. *XIV*, 15. *Apoc. XIX*, 9. *XXII*, 8. no-
(4.) Descriptioni veræ invocationis repugnans. tissimum est. Postremò (4.) qvæcunqve ad invocationem reqviri Scriptura docet, ea in tali ad angelos mortuosq; Sanctos directâ invocatione desiderantur, qvæ neqve mandato divino sancita, neq; promissionem habet exauditionis, & probatis destituitur exemplis, ut antè monitum, neqve formæ ab optimo precandi magistro *Matth. VI. & Luc. XI.* præscriptæ & ad Patrem modò cœlestem, neminem Sanctorum directæ congruit, (*at qvisqvis in oratione dicit id, qvod istâ Evangelicâ prece non continetur, vel carnaliter, vel illicitè orat*, Augustino judice, *Epist. CXXI. cap.* 12. *T. II. p.* 625.) & incerta est de ejus, qvem invocat, existentiâ & sanctitate, postremò gentilem superstitionem imitatur, qvæ omnia magno numero allegati nobis

Scri-

Scriptores eruditè demonstrant. Lege hîc vel Gerh. *de morte* §. 409. *sqq.* Nobis res in nervum contrahenda, & eundo per Masenii vestigia inqvirendum (1.) num responderit aliqvid ad nostras rationes: (2.) qvalia sint, qvibus suam stabilire sententiam annisus est.

In *responsionibus ad argumenta nostra* (1.) supersedere poterat labore, qvem impendit ostendendæ orthodoxiæ *de beatâ animarum piarum cum Christo ab ipso solutionis momento conjunctione.* Nemo nostratium dubitavit, *sintne in cœlis cum Christo piè defunctorum animæ, qvia Johannes viderit sub arâ DEI animas interfectorum, Apoc. VI.* qvod qvidem delirium qvibusdam Protestantium Masenius imputat, tamdiu mendacii reus habendus, qvoad ex Protestantibus hoc ostenderit, qvod nunqvam futurum est. Johannis eqvidem XXII. Romani Pontificis olim hæc erat hæresis, qvi interprete Adriano VI. Pontifice in *Lib. IV. Sent. de Satram. Confirm. art.* 3. *§. ad secundum principale* (unde citat Alf. à Castro *L. III. adv. hæreses, verbo: beatitudo, hæres.* 6.) *Publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, animas piorum è corporibus migrantes non frui visione DEI, & beatitudine cœlesti ante judicium universale.* Qvod idem de hoc

II. Ad exceptiones responsio. Ubi (1) Psychopannychitarum errorem, à Johanne XXII. creditum,

Pontifice Marsilius, Occamus, Gerson, Aventinus, Paulus Langius, Sixtus Senensis, Sanderus, Gregorius de Valentia, Bellarminus aliiq; affirmant, qvorum aliqvi & hoc adjiciunt, *publicè hunc Pontificem hæresiarcham, eum ob errorem, declaratum fuisse.* Eorum testimonia Gerhardus *Tomo I. Conf. Cath. p.* 236. & *L. de Morte §.* 304. bonâ fide collegit, ostenditq;, qvantum se torqveant Papistæ, ut Romani Pontificis infallibilitatem tueantur, qvi negare tamen hunc Johannis errorem non possunt. A qvo alienissimos esse Protestantes, hinc intelligitur, qvòd hunc Psychopannychitarum errorem in Patrum nonnullis notant, in Armenis autem Photinianis, & Arminianis acriter configunt, iisdem inter alia argumentis utentes, qvibus hîc Masenius larvas suas oppugnat. Vid. Gerh. *L. de morte §.* 160. *sqq.* 297. *sqq.* Calov. *Socinism. proflig. S. X. a.* 1. *q.* 3. *p.* 989. *sqq.* & *Arminianism. c.* 19. *§.* 1 — 8. *p.* 454. *sqq.* Jo. Meisn. *Disp. I. de Statu animæ separ.* §. 25. *sqq.* Scherzer. *Disp. CXLI. Colleg. Anti-Socin. p.* 1140. *sqq.* Bebel. *Exam. seriæ disqvisit. de Statu, loco, & vitâ animarum separatar. p.* 130. *sqq.* 184. *sqq.* Cæterùm jamdum Lutherum ab hac calumniâ (vetus enim illa est) defendit Gerh. *L. de morte §.* 165. 305. & *T. III. Conf. Cath. p.* 644. *sqq.* Calvinum Rivetus *Cath. Orth. tr.* 2. *qv.* 51. Chamier *Panstr. T. III. L.* 25. *c.* 2. utrumqve eruditissimus Jo. Rai-

per mendatium Protestãtibus imputat.

nol-

noldus *L. I. de idolol. Rom. Eccl. c. 7. p. 253. sqq.* aliiqve. Utinam viderent manticæ, qvod in tergo est, Jesuitæ, & qvæ absurdissimis eorum erroribus de Sanctis Veteris Testamenti, qvorum nullum ante Christum ad beatam DEI visionem admissum, omnes nescio qvo Limbo inferni oberrâsse, donec à Christo gloriosè ad inferos descendente liberati cœlesti gaudio ascriberentur, de aliis item piis animabus non antè ad conspectum DEI admittendis, qvàm purgatoriis ignibus plenè ab omni maculâ fuerint expurgati, opposuerunt Protestantes, rectiùs urgentes Pauli desiderium *Phil. I, 23.* & Christi promissum *Luc. XXIII, 43.* qvàm Protestantibus ea opposuit Masenius, abstergerent priùs, qvàm in hujus erroris societatem raperent innocentes.

Utiqve ex isto fonte promanat, qvòd (2.) ad argumentum *à conditione defunctorum*, qvos nihil novisse ampliùs rerum nostrarum, affirmat *Ecclesiastes, c. IX, 5.* & *Esaias c. LXIII, 16.* (*Abraham nescit nos, Israël verò ignorat nos:*) reponere voluit. Qvod enim locum *Esaiæ* attinet: *Demus*, ait *p. 123. init.* *Patres Veteris Testamenti cum Abraham, nondum cœlo receptos*, (en errorem, cujus nos inculare volebat,) *nos ignorâsse: hoc modernos non tanget.* Eligit ex variis subterfugiis (parùm enim sibi hîc Papistæ, ut solet in malâ causâ, constant,) id, cui rimam modò ob-

(2.) *Exceptio ad argum. à conditione defunctorum. Ubi vindic.*

(α.) *Esa. LXIII, 16. qvi locus ad SS. V. T. malè restringitur.*

ſtruximus. Falſisſimum enim dogma eſt, Sanctos Veteris Teſtamenti cœlo nondum receptos fuiſſe. Colligi eos in faſciculum viventium, 1. *Sam. XXV*, 29. aſſumi in Paradiſum ipſo, qvo moriuntur die, *Luc. XXIII*, 24. ac ſtatim à morte conſolationis participes fieri, perinde ut damnatæ animæ tormenta ſentiunt in flammâ infernali, *Luc. XVI*, 25. Scriptura teſtatur. Et expendat Maſenius, annon hoc fuerit incidere nervum omnibus argumentis illis, qvæ ex Vet. Teſt. Jeſuitæ ſolent adducere, invocationem Sanctorum demonſtraturi? Sanè ſi in Vet. Teſt. Patres ideò non potuerunt invocari, qvia cœlo recepti nondum erant, qvam conſeqventiam cum Maſenio Svarez *in III. Thomæ*, *q*. 52. *Diſp*. 42. *ſ*. 1. Bellarm. *de Sanctor. beatit. c*. 19. *ſub init*. Salmero *diſp*. 8. *in* 1. *Tim*. 2. *p*. 473. Eccius *enchir. c*. 15. aliiq; admittunt: inepti ſunt, cùm ex *Ex. XXXII. I. Sam. XXVIII. Job. V. & XXXIII. Zach. I. II. Macc. XV.* aliisq; ſimilibus locis theſeos ſuæ argumenta qværunt. Erat autem & hoc oſtendendum Maſenio, diſparem rationem invocationis in utroqve teſtamento fuiſſe. Una fides utrobiqve: Una igitur & invocatio eſt. Qvarè rectè Auguſtinus ex hoc Eſaiæ textu colligit, defunctos hodieq; necesſitatibus noſtris non intereſſe, aut illorum habere exactam notitiam, qvæ apud nos geruntur. Verba ejus *lib. de curâ pro mortuis cap*. 13. *T. IV. pag*. 890. hæc ſunt:

Pro-

Profectò qvod ſacer Pſalmus perſonat, verum eſt: qvoniam Pater meus & mater mea dereliqverunt me, Dominus autem aſſumſit me. Si ergò dereliqverunt nos patres noſtri: qvomodo noſtris rebus & curis interſunt? Si autem parentes non interſunt, qvi ſunt alii mortuorum, qvi noverunt, qvid agamus, qvidve patiamur? Eſaias propheta dicit: Tu es enim Pater noſter: qvia Abraham nos neſcivit, & Iſraël non cognovit nos. Si tanti Patriarchæ, qvid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, qvibus DEO credentibus populus ipſe de ipſorum ſtirpe promiſſus eſt: qvomodo mortui ſuorum rebus atq; actibus cognoſcendis adjuvandisq; miſcentur? Qvomodo dicemus eis fuiſſe conſultum, qvi obierunt anteqvam venirent mala, qvæ illorum obitum conſecuta ſunt: ſi & poſt mortem ſentiunt, qvæcunq; in vita humana calamitate contingunt? An fortè nos errando iſta dicimus, & hos putamus qvietos, qvos inqvieta vita vivorum ſollicitat? Qvid eſt ergò, qvod piiſſimo Regi Joſiæ pro magno beneficio promiſit DEUS, qvod eſſet antè moriturus, nè videret mala, qvæ ventura illi loco & populo minabatur? — — Ibi ergò ſunt ſpiritûs defunctorum, ubi non vident, qvæcunq; aguntur, aut eveniunt in iſtâ vitâ hominibus.
Qvid clariùs contra Pontificios ſcribi potuiſſet, non intelligo. Demonſtrat ſanè ex Eſaiæ textu, non habere Sanctos, qvos nunc qvoqve obire diem contingit, notitiam eorum,

rum, qvæ apud nos aguntur. Confer tamen, & de hoc textu Gerh. *L. de morte* §. 315. 316. Balduin. *Phosph. p.* 1190. Menzer. *Disp. VI. c. Pistor.* §. 64. *sqq.* Garth. *de invocat. Sanctor. p.* 70. *sqq.*

(β) *Ecclesiastæ IX, v. 5. in qvo loco novam DEI revelationem sanctis factam*

Ad Ecclesiastæ locum *c. IX, 5. mortui nihil noverunt amplius*, ista videntur spectare, qvæ subjicit: *Mortuos fatemur, naturâ suâ hæc nostra non novisse, sed vel per DEI, vel angelorum revelationem: uti Abraham de Mose & Prophetis cognoverat*, Luc. XVI, 29. *Et qvid mirum? si homines in hac vitâ sic vel absentia, vel futura cognoscere didicimus? Vidit, inqvit Augustinus*, (L. XXII. de C. D. c. 29.) *Helisæus accipientem munera servum suum, ubi ipse non erat: Itanè cùm venerit, qvod perfectum est, nec jam corpus corruptibile aggravabit animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi Sancti ad ea, qvæ videnda sunt, oculis corporeis, qvibus Helisæus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Qvantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm DEUS erit omnia in omnibus?* Hæc Masenius. Et paulò antè: *Qvis cognoscere illic omnia dubitet, ubi videntem omnia vident? Ubi majus est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, qvàm super 99. justis, qvi non indigent pœnitentiâ.* Luc. XV, 7. *Qvomodò ergò gaudebunt, si illum & hos non videbunt?* In hoc Masenii discursu (1.) miror,

ror, cur multum in solvendo per futilem distinctiunculam nodo occupetur, qvi secari uno ictu poterat multò feliciùs, si dispar sit Sanctorum Veteris & Novi Testamenti ratio, qvod modò ajebat Masenius. Sanè juxta hanc ipsius hypothesin mortui, de qvibus Salomo loqvitur, nihil qvicqvam sciebant, neqve ex naturâ suâ, neqve per revelationem. Abraham enim, qvippe nondum cœlo illatus planè Israëlitas nescit, juxta Masenium. Deinde (2.) qvis potestatem fecit Masenio comminiscendi novam revelationem, è qvâ Sanctis, qvod ignorabant per naturam, innotesceret: cùm simplicem illis rerum nostrarum ignorantiam Scriptura tribuat? Porrò (3.) qvàm ridiculum est, DEUM revelare Sanctis desideria nostra, & preces ad ipsos directas, ut intercedere pro nobis possint, fieriq; adeò nostrum apud Sanctos intercessorem, qvos ceu intercessores apud DEUM invocamus? Qvàm absurdum, angelis revelationem istam tribuere, qvi nec ubiqve præsentes sunt, neqve cordium occulta nôrunt, fatentibus Pontificiis?

præter necessitatem

& cum manifestâ absurditate fingit, eamq; nequicqvam probat

Neq; angeli, neq; animæ beatæ etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, qvando solâ cogitatione oramus. Et prætereà ad cognoscendas preces, qvæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed reqviritur vera ubiqvitas, qvam

nec

nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus. Ita Bellarm. *de beatit. Sanctor. c.20. §. alii dicunt.* Neqve confirmandæ huic sententiæ qvicqvam facit (4.) *Abrahami de Mose & Prophetis post Abrahamum exortis cognitio.* Maldonatum suum evolvisset Masenius illius loci exegetam, & intellexisset, in hac parabolâ non tam videndum, qvid dives aut Lazarus fecerit, qvàm qvo animo Christus, id eos fecisse, finxerit. Scilicet parabola in his, qvæ extra ejus scopum sunt, & ornamenti tantùm gratiâ adduntur, argumentativa non est. Qvid enim vetat aliàs, qvò minùs & animabus mortuorum propriè dictos digitos, oculos, lingvas per hanc parabolam tribuamus? Ego verò conciliare non possum, qvomodo ex Abrahami exemplo notitiam defunctorum circa res mortalium demonstrarit, & Abrahamum tamen ante Christi ad inferos descensum ignorâsse statum superstitum, neqve in argumentum posse rapi, cùm de Sanctis Novi Testamenti qværitur, scripserit Masenius. Neqve seqvitur demum, si unum alterumve caput revelетur animabus in Domino mortuorum, illicò omnium eas actu ipso habere notitiam. Qvomodo Augustinus Masenio respondit in *de curâ pro mortuis gerendâ c.14. T.IV. p.890.* ubi cùm aliam occupâsset objectionem Jesuitis solennem, (*si nulla est mortuis cura de vivis, qvomodo ille dives, qvi apud inferos torqve-*

a) *ex Abrahami de Mose & Prophetis notitiâ, Luc. XVI, 29.*

qvebatur, rogabat Abraham Patrem, ut mitteret Lazarum ad qvinq; fratres suos &c.) ad hoc ipsum argumentum progreditur, idq; sic format: *Qvomodo qvid hîc ageretur, Abraham pater nesciebat, ubi sciebat, esse Mosen & Prophetas, id est, libros eorum, qvibus homines obediendo tormenta inferni evitarent: ubi deniq; noverat, divitem illum in delitiis, pauperem verò Lazarum in laboribus doloribusq; vixisse? qvæ utiq; apud vivos, non apud mortuos gesta fuerunt.* Ad qvod respondet: *Verùm non cùm agerentur in vivis, sed eis mortuis potuit Lazaro indicante cognoscere, ne falsum sit, qvod ait Propheta: Abraham nescivit nos. Proinde fatendum est, nescire qvidem mortuos, qvid hîc agatur, sed dum hîc agitur; posteà verò audire ab eis, qvi hinc ad eos moriendo pergunt: non qvidem omnia, sed qvæ sinuntur indicare, qvi sinuntur etiam ista meminisse, & qvæ illos, qvibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab angelis, qvi rebus; qvæ aguntur hîc, præstò sunt, audire aliqvid mortui.* Qvod (5.) de *Elisæo* ex Augustino addit, alienum est à proposito. Qvisqvis locum Augustini evolverit, deprehendet, de sanctis animabus postqvam receperint in beatâ resurrectione corpora, non de separatis à corpore, de qvibus nunc sermo, locutum fuisse S. Patrem. Sic enim caput inchoat: *Nunc jam qvid acturi sint in corporibus immortalibus atq; spiritualibus Sancti, videa-*

b) *ex Elisæi de absente servo notitiâ II.Reg. V, 26.*

deamus. Hos ergò ſe invicem, & omnia, qvæ ipſorum ſcire interſit, cognituros docet. De eo verò nulla contentio. Neqve qvisqvam negat, multa cognoſcere nunc etiam beatas animas, ad qvæ cognoſcenda oculis corporeis non indigent. Cognoſcunt enim, *qvæ oculus non vidit, nec auris audivit*, 1. *Cor*. II, 9. Cæterùm ut Eliſæo non omnia revelabat DEUS, ſed ea tantùm, qvæ ad expediundùm prophetæ munus neceſſaria videbantur; alia, ut mortem filii Sunamitidos, ipſum celabat, *II. Reg*. IV, 27. ita Sanctis per hoc exemplum, ſi maximè præter Auguſtini intentionem, ad animas ſeparatas extendi patiamur, reſtricta tantùm aliqvorum revelatio fuerit tribuenda. Qvomodò verò hinc confirmabitur conſcientia hominis pii, ut ſciat, Sancto huic, qvem invocat, revelatum iri preces ſuas? (6.) *Speculum Deitatis, in qvo omnia videre Sanctos*, Maſenius cum aliis ſui cœtûs Doctoribus putat, ocioſa Scholaſticorum ſpeculatio eſt. Becanus ſanè *Theol. Schol. P. I. c. 9. q. 12.* & Gabr. Vaſqvez *T. I. in I. Thomæ Diſp. 50.* operosè nec futilibus argumentis impugnant hunc cognoſcendi modum, & qvàm inepta ſit ratiocinatio, qvâ ab objecto omniſcio viſionis beatificæ ad potentiam omnia ſciendi colligitur, accuratè demonſtrant, vocato etiam ad partes Auguſtino, qvem negat Becanus diſſimulaturum fuiſſe *c. 15. de curâ pro mortuis, modum hunc videndi creaturas in Deo tan-*

c) ex ſpeculo Trinitatis.

tanqvam objecto cognito, si illum approbasset. Qvi Solem vident, non illicò collustrata ab eo conspiciunt. *Vident angeli semper faciem Patris, qvi in cœlis est*, Matth. XVIII, 10. qvos non videre tamen omnia, qvæ in DEO sunt, ignorantia novissimi diei *Matth. XXIV, 36. Marc. XIII, 23.* manifestè docet. Unde multi ex ipsis Pontificiis disputant, non omnia videri in DEO à Sanctis, sed qvæ DEUS vult, & qvæ ad ipsorum statum pertinent. Vid. Tanner. *T. I. Theol. Schol. D. II. dub. X.* Sed si non omnia in DEO vident, qvis certus sit, suas calamitates, suas preces ab ipsis cognosci? Plura apud Dorsch. *Pentadec. Disp. prælim. §. 34. p. 21. sqq.* & XI. Religions Scrupel *p. 345 — 355. edit. 2.* Gerh. *L. de Morte §. 334. sqq.* Calov. *Isag. ad SS. Theol. tr. 1. c. 8. p. 134.* Deniqve (7.) gaudium angelicum super peccatore pœnitentiam agente *Luc. XV, 7. 10.* non est, qvòd gaudium Masenio excitet obtentæ causæ. Neqve ab *unius* rei cognitione ad cognitionem *omnium* (qvæ necessaria fuerit, si fides invocantis ei inniti debeat,) neqve à notitiâ *angelorum* ad notitiam *beatarum animarum* conseqventia valet. Illi namqve ut Spiritûs administratorii in mediâ Ecclesiâ versantur, eamq; tuentur ac custodiunt, videntes interim semper faciem DEI, qvod de Sanctis mortuis dici non potest, ceu bene observat Garth. *de Invoc. SS. p. 92.* Balduin. *Phosph. XIII, 3. p. 1171.* Rivet. *C. O. 2, 52, 4.*

d) *ex gaudio in cœlis super pœnitentibus Luc. XV, 7. 10.*

Ac notavit præterea Dorschæus in accuratis vindiciis hujus loci, qvas XI. Religions-Scrupel *p.331 — 344.* instituit, nihil cogere, ut verba Domini de gaudio angelorum in cœlo *gloriæ* exponamus, cùm non invito ac eò ducente potiùs contextu de gaudio in regno *gratiæ* ex peccatoris conversione nato interpretari liceat.

(3.) Exc. ad argum. à Christi officio mediatorio incommunicabili. Ubi observ. a) Sanctos non posse dici Mediatores intercessionis, Scripturâ

Sed hæc de argumento, qvod à conditione defunctorum petimus, dixisse sufficiat. Ad (3.) argumentum à *Christi officio* desumtum, qvi *solus Mediator* est, & advocatus noster apud Patrem interpellans pro nobis, inter mediatorem *redemtionis* & *intercessionis* distingvit. *Illud secure*, ait, *à Sanctis & angelis poscimus, ut orent pro nobis atq; etiam intercedant, non ut Mediatores sangvinis ac* redemtionis, (*qvalis solus Christus est,*) *sed* deprecationis, *qvalis Job, Moses, Samuel, Onias, angelus Tobiæ Raphaël fuere. Qvæ precandi tàm nostra, qvàm Sanctorum ratio tàm necessariò ad solam creaturam spectat, ut non nisi cum summâ injuriâ DEO possit appropriari.* Mirum non venisse Apostolo hujus distinctionis in mentem, cùm *unicum tantùm mediatorem DEI & hominum Jesum Christum* agnosceret, & ita qvidem unum, ut DEUS unus est, *I. Tim. II, 5.* Vellem autem videre Sanctorum fiduciarias literas, qvibus fidem

fidem faciant, admissos se à judice cœlesti viventium mediatores & advocatos. Eqvidem de seipso hoc jurisjurandi interpositâ fide asseruit Sanctus Sanctorum: *Qvæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Johan. XIV, 3. XVI, 23. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, ait Joh. XIV, 6. *Per hunc habemus accessum per fidem ad Patrem*, ait Paulus Rom. V, 2. Eph. II, 18. III, 12. Hic *sedet ad dextram Patris, & ceu advocatus noster interpellat pro nobis*, Rom. VIII, 34. Hæc, inqvam, ex Scripturâ certissima sunt: qvæ nullum alium *mediatorem hominum apud DEUM* memorat, qvàm eum, *qvi propitiatio est pro peccatis totius mundi*, (I. Johann. II, 1.) & vi meriti sui agendo & patiendo præstiti Patrem placat pro nobis intercedens. Unde disertè Augustinus in loci Johannei expositione Sanctos excludit advocaturâ istâ. *Ille, talis vir* (S. Johannes) *non dixit: advocatum habetis apud Patrem; sed, si qvis peccaverit, advocatum habemus. Non dixit: habetis, nec, me habetis dixit, nec, ipsum Christum habetis; sed & Christum posuit, non se, & habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, qvàm ponere se pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbos. — — Hoc qvi tenuit, heresin non fecit: hoc qvi tenuit, schisma non fecit. Unde enim facta sunt schismata? Cùm dicunt homines: nos justi sumus;*

& Augustino judice.

cùm dicunt homines : nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios : nos petimus, nos impetramus. T.IX. expos. in Ep. Joh. tr. I. p. 581. De eodem Apostoli textu *L. II. contra Epistolam Parmeniani c.8. T.VII. p.32.* scribit: *Si diceret Johannes: Si qvis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus qvodam loco mediatorem posuit Episcopum inter DEUM & populum: qvis eum ferret bonorum atq; fidelium Christianorum? Qvis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Et tamen lacûs detriti fumosam aqvam, istorum superbiam ferunt, & Spiritum Sanctum continere non possunt, ut servent unitatem Spiritûs in vinculo pacis, & in omnibus orationibus suis de uno mediatore securi sint. Homines enim omnes Christiani se invicem commendant orationibus suis. Pro qvo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus,* ***hic unus verusq; Mediator est.*** Et post pauca: *Nam si esset mediator Paulus, essent utiq; cæteri Apostoli ejus, ac sic multi Mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio, qvâ dixerat: Unus DEUS, unus Mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus.* Similiter angelos excludit alibi. *Qvem invenirem, qvi me reconciliaret tibi? adeundum mihi ad angelos? qvâ prece? qvibus Sacramentis? Multi conantes ad te redire, neq; per*

seipsos

ſeipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt hoc & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus: Scribit *L. X. Confeſſ. c. 42.* Ita & autor *L. II. de viſit. infirm. c. 2.* qvod opus à Turriano & Alano Auguſtino tribuitur, in cujus ſcriptis *T. IX. p. 963.* habetur: *Tutiùs & jucundiùs loqvor ad meum Jeſum, qvàm ad aliqvem ſanctorum ſpirituum DEI: plus debet mihi* (ex promiſſione & merito ſuo, atqve in comparatione impropriâ,) *Chriſtus, qvàm alicui Sanctorum Spirituum.*

β) *Sanctos à Pontificiis fieri Mediatores redemtionis.*

Cæterùm ipſam illam *mediatoriam interceſſionem,* qvam Sanctis tribuunt Papiſtæ, meritum ſimul & ſatisfactionem includere, & apertè verbis Pauli repugnare, qvibus is unicè unicum Mediatorem DEI & hominum profeſſus eſt, (*I. Tim. II, 5. 6.*) invictè demonſtravit Hülſemannus *Diſp. XVIII. contra Hagerum p. 849. ſqq.* Sed nec ipſi Papiſtæ craſſiores id diffitentur. Dum enim Sanctos per merita ſua intercedere, nec intercedere modò, ſed exigere etiam, (qvæ natura eſt meriti Pontificii, juxta Scholaſticos Hulſemanno *p. 863.* memoratos,) imò imperare etiam DEO dicunt, (qvomodo Maria & Joſephus implorari ſolent, ut jure ſuo uſi Filio imperent, indice G. Caſſandro *Conſult. art. 21. p. 113. ſqq. edit. Conring.* Dorſch. *Intervent. pro myſt. Trin. c. 29. p. 448. ſqq.* Danhau. *Hodom. Pap. T. I. p. 1114. 1156. ſqq.*) dum conceptis verbis

Mariæ contritionem capitis ſerpentini tribuunt, eamq; cum Chriſto in calcatione torcularis conjungunt, cooperatamq; Chriſti ſacrificio & redemtioni noſtræ blaſphemant, profitenturqve, plus ſibi ſpei in uberibus matris qvàm in Filii vulneribus poſitum:

(Lege & obſtupeſce horrendas blaſphemias inſanisſimorum Mariolatrarum collectas à Chemnitio *P.III.Exam. p.581.595. 607.ſqq.* Gerh. *L. de morte §.387.435.* & *Conf.Cath. tom.III. p.622. 650.ſqq.* Hülſem. *Manual. D.XVIII. §.12.ſqq. à p.867.ad 890.* Danhau.*Tom. I.Hodom Pap. p.1150. ad 1172.* & *antichriſtoſ. p.627. in Tab.* nec non *Lact. Catech.tom.I.Conc.9. p.144.ſqq.* Dorſch. *intervent. c. 27.ſqq. Detect. malæ fid. Pap.p.714. 738. 880. 978. 1145.ſqq. Thèol. Zach. P.I. §.268. Kircher. dev. §.40. ſqq. à pag.221. ad 266.* Walther. *Offic. Bibl. p.662. ſqq.* Dounam. *de Antichr. L.V. c.2. §. 2.ſqq. p.323.ſqq.* aliisqve pluribus.)

dum Franciſcum à Chriſto nullâ re, niſi cucullo differre, ajunt, Chriſtiq; illum faciunt ſocium in liberandis animabus: (V. Hunn. *pell.ovin. §.149.*) dum deniqve Sanctis cæteris non modò attributa divina convenire affirmant, (Gerh. *de morte §.321.333.344.348. 353.*) ſed in illorum meritis & intercesſione fidu-

fiduciam collocant, & per ipsos liberari ab æternâ damnatione & omnibus malis petunt: (vid. ex innumeris emblemata hujusmodi apud Chemnit. *à p.583. ad 593.* Dounam. *de antichr. L.V. c.2. §.6.sqq.p.329.* &c.) hæc, inqvam, & similia satis produnt, non intercessionis modò, sed redemtionis mediatores constitui Sanctos maximâ injuriâ in unicum Mediatorem ac Consummatorem fidei ac salutis nostræ: qvomodo rectè iis objecit Apol. A. C. art.21. p.225. Confer de hoc Mediatoris titulo, & num Sanctis ille applicari possit, Gerh. *Conf. Cath. L.II. P.I. a.2. c.4. th.2. p.466. sqq.* Danh. *tom. II. H. P. p.65. sqq.* Carpz. *Isag. p.544. sqq.* Rivet. *C.O. tr. 2. q. 49.* Chamier *t.2. L.8. c.6.*

Consideremus autem, qvid noster Masenius afferat, probaturus, qvod de Sanctorum intercessione dixerat. Dicit (1.) tales Mediatores fuisse *Jobum*, (c.XLII, 8.) *Mosen, Samuelem*, (I.Sam VII, 8. Jerem XV, 1.) *Oniam*, (II. Maccab XV, 12.) *angelum Tobiæ Raphaëlem* &c. Nebulæ dudum dispulsæ. (α.) Jobus vivens intercedebat pro amicis. Ergò Sancti defuncti sunt Mediatores nostri. Qvæ (malum!) hæc conseqventia est ab intercessione συναγωνιστικῇ ad intercessionem mediatoriam & ἱλαστικὴν, à vivi hominis compellatione ad defuncti religiosam invocationem? V. Chemn. *Exam. 620.* Chamier *t. 2. L. 20. c. 4. §. 3.* (β.) *Si Moses & Samuel coram me sta-*

γ) Nihil ad rem, facere exempla Jobi, cap. XLII, 8. Mosis & Samuelis,

Jer.XV,1. *ſtarent & orarent*, ut olim, cùm in vivis eſſent, (ita *Chryſoſt. Theodoret. Gregor.M. Gloſſa interlin. Thomas* interpretantur) *pro populo hoc:* ait Dominus *Jer. XV, 1.* (*a*) hypotheticè, (*b*) de vivorum interceſſione (*c*) generali pro toto populo. Hinc qvomodo (*a*) abſoluta aſſertio (*b*) interceſſionis mortuorum (*c*) pro hujus illiusve neceſſitatibus, deniqve ſi & talis concederetur, (*d*) invocatio defunctorum conſeqvatur, oſtendendum erat. V. Chemn. *Exam. p. 619.* Dorſch. Religions-Scrup. *VI. p. 63. ſqq.* Gerh. *C.C. tom. 3. p. 604.* & *L. de morte §. 442.* Feurborn. *faſc. IV. Diſſ. 8. §. 18. ſqq. p. 699.* Voſs. *Theſ. Hiſtorico-Theol. p. 123.* (γ.) Somnium ex libro, ipſius *Gregorii M. Cajetani* & aliorum Papiſtarum ſententia, apocrypho ſumtum (de qvo incertus ſis, an divinum ſit, an absqve involucro

Oniæ, II. Macc. XV v. 12. rem nudè deſcribat,) de generali Oniæ & Jeremiæ interceſſione ad demonſtrandum fidei dogma de interceſſione defunctorum ſpeciali, & eorum invocatione religiosâ incommodè afferri in propatulo eſt. Chemn. *p. 624.* Gerh. *§. 443. de morte*, Garth. *de invocat. SS. pag. 130.* Dorſch. R. S. *p. 66. ſqq.*

Raphaëlis, Tob. XII, 12. (δ.) Raphaël confictus à Scriptore, qvem apocryphum poſt *Melitonem, Athanaſium, Hieronymum, Ruffinum, Epiphanium*, aliosq; è veteribus, *Lyranus, Hugo de S. Victore, Richardus de S. Victore, Dionyſ. Carthuſianus, Alf. Toſtatus, Cajetanus* cenſent, non oraſſe

pro

pro Tobiâ dicitur *c. XII, 12.* sed *preces obtulisse*, qvod æqvè de oblatione ἱστορικῇ seu simplici, è qvâ invocatio perperam colligeretur, ac ἱλαστικῇ seu propitiatoriâ, qvæ soli Christo vindicatur *Rom. IIX, 34. Apoc. VIII, 3.* intelligi poteſt. Dorſch. Reliq. Scrup. *p. 57. ſqq.* Calov. *T. IV. Syſt. p. 162. 179.* Carpz. *Iſag. pag. 549.*

Dicit *(2.)* Mediatoris illud officium, qvod in deprecando ſ. intercedendo conſiſtit, *tam neceſſariò ad ſolam creaturam ſpectare, ut non niſi cum ſummâ injuriâ DEO posſit appropriari. Qvis enim DEUM rogare auſit, ut pro ſe oret atq; intercedat?* Parum erat, Chriſti gloriam cum aliis communem feciſſe, niſi eadem ipſi penitùs eriperetur. Qvæ enim impudentia eſt, intercesſionem Chriſti (qvem DEUM utiqve non negabunt eſſe,) negare, & injuriam in DEUM interpretari, qvod Scriptura diſertè de *proprio DEI Filio* affirmat; ſcilicet qvòd *ſedeat ad dextram DEI & interpellet pro nobis.* Rom. VIII, 32. 34. *Salvare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad DEUM, ſemper vivens, ad interpellandum pro nobis.* Ebr. VII, 25. IX, 24. I. Joh. II, 1. Neqve enim eſt, qvod excipere velis, Chriſto non ratione divinæ, ſed humanæ naturæ iſtam intercesſionem competere. Ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν eſt, & ad officium Chriſti mediatorium pertinet, in qvo exeqvendo *utraq; natura agit, qvod ſuum eſt, cum communicatione alterius,*

(d) Interceſſionem Filii DEI impiè à Maſenio negari.

rius, juxta canonem Concilii Chalcedonensis. Vide aliqvot argumentis demonstratam utriqve in Christo naturæ competentem intercessionem, à Feurbornio *fascic. IV. diss. 6. §. 50. sqq.* & *Syntag. II. diss. 20. §. 29. Opp. p. 667. sqq. 1718.* Nulla verò est illa absurditas, *DEUM apud seipsum pro nobis intercedere.* Ut enim *DEUS erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi*, Pauli stylo *II. Corinth. V, 19.* sic DEUS in Christo Θεανθρώπῳ applicationem hujus reconciliationis intercedendo apud DEUM nobis impetrat. Et si absurdum non est, Spiritum Sanctum, qvi ipse DEUS est, intercedere in nobis apud DEUM *Rom. VIII, 26. 27.* cur absurdum sit Filium DEI κατ' οἰκονομίαν pro nobis intercedere, tali scilicet intercessione, qvæ Deum decet. Conf. Danh. *Hodos. p. 724. 725.* Sed enim Jesuiticum ὕπουλον hîc latet de officio mediatorio Christi, qvod ipsi tantùm ut homini competere contendunt, accuratè ideò confutati à Gerhardo *L. de Christo §. 165. sqq.* & *ejus Loci exegesi §. 325.* nec non *Conf. Cath. L. II. P. I. a. 2. c. 4. th. 1. p. 448.* Danh. *Hodom. Pap. t. 2 p. 75 sqq.* B. Parente meo *Syst. P. II. p. 185. 294. sqq.* & aliis. Rectissimè B. Augustinus *Lib. de ovibus c. 12. T. IX. p. 1088. Divinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas.*

(4.) Ad *mandatum Dei de solo Deo adorando* Matth. IV, 10. & *interdictum angeli*, Apoc. XIX, 10. nec non *Apostoli* Col. II, 8. ista pertinere videntur. (a.) Cultum tantùm divinum interdictum fuisse. *Sed cavendum*, ait, *ne per hoc cultus divinus creaturæ deferatur. Ipsi enim Sancti*, (juxta Augustinum *L. XX. c. Faust. c. 21. T. VI. p. 375.*) *vel homines, vel angeli exhiberi sibi nolunt, qvod uni DEO deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnabâ, cùm commoti miraculis, qvæ per eos facta sunt, Lycaonii tanqvam diis immolare voluerunt. Apparuit & in angelis, sicut in Apocalypsi legimus, angelum se adorari probibentem, ac dicentem adoratori suo: Conservus tuus sum & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritûs exigunt.* Hæc ex Augustino Masenius. Utinam verò satis caverent Pontificii, ne cultus divinus creaturæ deferretur: qvos illa cultûs *divini* & *divino inferioris*, religiosi tamen, distinctio crimine intentatæ idololatriæ neqvaqvam expedit. Nolit profectò maritus rivalem admittere conjugis, qvæ affirmet, amare se multùm inferiori gradu adulterum, qvàm maritum. Et ferat fortis ille zelotes DEUS, debitum sibi soli religiosum cultum, qvanqvam gradu, ut fingunt, inferiori transferri in Sanctos? Sanè verò Satanas, cui hoc DEI mandatum obvertebat Salvator *Matth. IV, 10.* non postulabat, absolutè pro DEO haberi (nihil enim ampliùs, qvàm

(4.) Exc. ad argum. (a) ex Matth. IV, 10.

expensa distinctio cultûs religiosi Pontificia.

qvàm Romanus Pontifex, mentie
dita sibi regna mundi, (*Luc.IV*, 7.)
nus repellitur à Christo, tanqvan
dololatrici postulator. Scilicet men
λόγημα est, qvod in illâ cultûs r
λατρείαν & δουλείαν (qvibus & ὑπ
recentiores ob Mariam & Christ
nem adjecere) partitione qværun
Certè qvidem voces ipsas permut
de, & δουλείαν de DEI religioso c
τρείαν de cultu hominis civili usu
L. Vallam Lud. Vives, Pontificius
Aug. X. C. D. 1. aliiq; lingvarum
docuerunt. Qvod si maximè disc
qvod arbitrarium unus alterve vet
stituerunt, sic comparatum illud f
tera vox cultum religiosum, alte
(qvem Sanctis nemo nostratium n
signet. Pontificii verò, species rel
tûs repugnante & vocum indole &
Scriptores Ecclesiasticos & profan
stingvunt. Lege de hac re Vossiu
idol. cap. ult. Hoornbek *Exam. Br*
VIII. de cultu imag. p. 132. sqq. Cha
L. 19. c. ult. & ex nostris Gerhard. *I*
§. 380. sqq. & *Conf. Cath. tom. 3. p. 59*
duin. *Cas. Consc. L. II. cap. 5. cas. 5.*
Höpffner. *metamorphosi salutationi*
th. XVI. p. 533. sqq. Calov. *Syst. t. IV*
B. Parens meus *Isagoges p. 539.* qvi

bus aliis vanitatem istius distinctionis apertissimè docuerunt. Nos hîc observamus modò, & ipsam δουλείαν *illam religiosam non nisi DEO deberi*, & talem *Sanctis à Pontificiis decerni cultum, qvalem* λατρείας *nomine ipsi appellant*. *Prius* facilè intelligitur, si expendas, in tali duliâ, qvam vocant, cordis fiduciam reqviri, qvâ corporalia ac spiritualia qvævis beneficia te impetraturum confidas ejus beneficio, qvem invocas. *Qvomodo autem invocabunt, in qvem non crediderunt?* qværit Apostolus *Rom.X,14*. Jam talem fiduciam sibi soli vendicat DEUS Opt. Max. maledicens ei, qvi fiduciam in homine collocat, *Jer. XVII, 5*. *Posterius* non negabitur ab eo, qvi cogitabit, Pontificios in ipsis Sanctis DEUM colere, (ut olim Israelitæ in vitulo DEUM eductorem ex Ægypto venerabantur,) qvod nisi per latriam fieri neqvit. V. Tanner. *Theol. Schol. T.III. Disp.V. q.2. dub.2. n.60. p.1362.* Sed qvicqvid de hoc sit, nomina divina Sanctis dari, juramenta, vota, festa, jejunia, peregrinationes, templa, aras, supplicationes iisdem dedicari atq; institui solent. Ea autem omnia pro actibus religionis ipsi venditant. Et enimverò qvi Pontificiæ Ecclesiæ praxin cogitat, deprehendet, cultum Sanctorum à DEI cultu à Scriptoribus, cùm literâ Scripturæ S. urgentur, utcunqve distingvi, ei verò reverà exæqvari in exercitio. Interim Masenius

& excusatio idololatriæ per bonam intentionem.

(β) Bonâ intentione iſtas loqv mulas, qvæ honorem DEO debitu ctos transferre videntur, excuſat. *E* (ait) *creaturam aliqvam venerer, &* *etiam adorans obteſter, etiamſi uta divino cultu uſitatis, intentio tame nullumq́; periculum idololatriæ, qvi DEI neceſſariò divinam & infinitam tiam ſpectat.* Præclarum εὕρημα! c ficio idololatræ qvivis, imò blaſphe mendaces, convitiatores omnem nem effugient, modò bonam ſuam nem dicant fuiſſe. Non factum ex ne, ſed intentionem ex facto æſti ac deteſtatur omnem cultum relig teri præter ſe qvovis modo præſti *ore tuo judicabere, neqvam!* Luc.X

(β.) Ex Apoc.XIX v.10 & c. XXII, 9.

(γ.) Auguſtinum adducit, qv *q. 61. in Gen. p. 97.* ideò reprehenſu nem *Ap.XIX.* ſentiat, qvòd cultum bitum detulerit angelo, qvem pro tè habuiſſet. *Damnantur idololatr ſervitutem exhibentes idolis, qvæ deb Nec moveat, qvòd prohibet angelus adorare ſe, & admonet, ut Domi adoretur. Talis enim apparuerat a pro DEO poſſet adorari.* Sit hoc ita. tur ergò Auguſtini judicio multò piſtæ, ſervitutem exhibentes ang DEO debetur, cùm angelos eſſe ſc hannes reprehendebatur, qvòd

gelo se prosterneret, h. e. cum exhibere cultum vellet, qvem angelis Sanctisq; qvotidiè Papistæ decernunt. Qvòd autem pro Deo habuerit hunc angelum Johannes, alii Jesuitæ, ut Corn.à Lap.& Viegas *h.l.* Lorinus *in Act. X, 25.* nō concesserint, alias rationes commenti, qvibus elidant geminum illud argumentum, qvod partim à suâ conditione angelus depromit, *(qvia Conservus esset,)* partim à divinâ excellentiâ, cui adoratio religiosa propria est, *(DEUM adora.)* Vid.Gerh.*L.de morte §.403.* *Conf.Cath. t.3.p.596.* Dannhau.*Hod. Pap. t.I.p.1084.* Calov. *Syst.IV. p. 112.* Chamier *t.2. L. 19. c.4. § 19.sqq.* Rivet. *C. O. tr.2. q.45. n.5. p. 246. T.3.*

(δ) Ad gravissimum Pauli interdictum Col. II, 18. ista reddit: *Ejusmodi cultu angelorum prohibemur seduci, ut Platonici, & cultu deiparæ, ut Antidicomarianitæ. Qvibus tamen ut creaturis à DEO sanctificatis honoratisq; meritò suus honor debetur.* Si verò eum modò honorem impenderent Sanctis & angelis, qvem creaturis sanctificatis honoratisq; à DEO impendi fas est, nihil qvereremur. Consistit ille honor in hoc, ut laudes ipsorum celebremus, & honorificam mentionem faciamus, virtutem fidemq; admiremur & imitemur, postremò DEUM pro gratiâ & gloriâ in ipsos collatâ glorificemus. Vide *Luc.I, 48. Ebr. XIII, 7.* & confer, qvæ Majores nostri *Apolog. Aug. Conf.p.223.* hanc (γ) *Ex Coloss. II, 18.*

in rem differuerunt. Summa huc r
inus martyres eo cultu dilectionis &
qvo & in hac vitâ coluntur sancti
nes, qvorum cor ad talem pro Evang
tate passionem paratum esse sentimu
tantò devotiùs, qvantò securiùs p
omnia superata: qvantò etiam fide
de prædicamus, jam in vitâ felicior
qvàm in istâ adhuc usq; pugnantes,
Augustini è L. XX. c. Faust. c. 21. T.
mentem ejus ac nostram ediſſeram
cii verò dum Sanctos religiosè inv
Mediatores, ut largitores bonorum
redemtores, meritò damnati ab
cultûs rei peraguntur. Cæterùm
τῶν ἀγγέλων, qvam vocat Apostol
fortè *Theodoreto* meliùs exposuit,
ba, qvòd in Pontificios apprimè
ex ejus *opp. p.* 766. apponemus:
defendebant, eos etiam ad angelos co
ducebant, dicentes fuiſſe Legem per e
Mansit autem diu hoc vitium in P
Pisidiâ. Qvocirca Synodus qvoq; qv
Laodiceæ, qvæ est Phrygiæ metropolis
hibuit, ne precarentur angelos. Et
num usq; diem licet videre apud illos
finitimos oratoria sancti Michaëlis.
hoc consulebant, utiq; humilitate ute
" *centes, universorum Deum nec cerni,*
" *prebendi, nec ad eum poſſe perveniri:*
" *tere per angelos divinam sibi benev*

Θρησκεία τῶν ἀγγέλων.

Digitized by Google

conciliare. Hoc autem dixit: In humilitate & cultu angelorum. Eodem modo *Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus* exponunt, ringente Baronio, qvi *T.I. annal. ad A.LX.n.20.* accusare Theodoretum erroris, qvàm errorem suum agnoscere maluit. Nihil verò cogit, restringere Apostoli verba ad eos, qvi divinam naturam angelis tribuebant, cùm omnem ἀγγελοθρησκείαν damnet. Neqve sanè Platonici, ut summum Deum angelos, vel ut ipsi vocabant, dæmonas suos colebant, sed ut Deum inter & creaturam substantias medias, qvâ de re nunc disputare non attinet. v. J. T. Major *de Natura & cultu angelorum,* nec non Gerh. *de morte* §.407. Danh. *t.I.H.P. p.*1087. Calov. *T.IV.Syst.p.*115.*sqq.* Cæterùm ut id obiter notemus, ignorantiam Historiæ prodit, qvòd *Antidicomarianitas* in cultu deiparæ modum excessisse innuit. Illi enim hæretici, qvi & ab autore *Helvidiani* dicebantur, tantum abest, ut cultum Mariæ nimium tribuerint, ut perpetuę ejus virginitati detraxerint, plures cum Josepho liberos illã genuisse mentientes. Et vel nomen hæreticorum adversarios potiùs, qvàm adoratores Mariæ suggerere poterat. *Antidiçomarianitæ, hoc est, adversarii Mariæ, velut inimicitiam adversus Virginem habentes, & gloriam illius extenuare volentes, invidiâ qvâdam aut errore elati, & hominum mentes polluere volentes, ausi fuerunt dicere, sanctam Mariam*

Antidicomarianitarum

postqvam Christum genuit, viro co

& Collyridianorum error. Ita Epiphanius *hæresi LXXVIII.* *comarianitarum* est, *p.* 460. Con *in Prudentii hymnum de Nat. Ch* Si *Collyridianos*, ut suspicor, app nius voluit, Mariolatriâ infam genus, de qvibus *hæresi seq. LX* Epiphanius commemorat, ob est, non deam humanæ natur creditam Mariam ab ipsis fuisse Baronius, ut nihil cum iis Roma siam commune habere persvade niscitur *Apparat. n.* 43.) sed ut d cultam fuisse, qvod & ipsum Po unt.* Vid. Casaub. *Exerc. I. r.* 18. *Thes. Historico Theol. Diss. XI.* §. vet. *apol. pro S. virgine Mariâ L* *Opp. p.* 692. Danh. *Christeid. p.* 4 *Cent. IV. L.* 4. *c.* 17. *p.* 453.

III. Objectionum solutio: qvas petit (1) ab angelorum officio: An angeli preces nostras ad Deum ferant?

Videamus jam, posteaqvam n factanda sententiæ nostræ fun Masenio proferri intelleximus, r ra sint, qvibus suam suffulcit. (1. mentum ab *officio angelorum.* *angeli non solùm nobis beneficia D etiam illi preces nostras. Nam ubi angelus hominibus dicit: Ego riam orationis vestræ. Etenim beatæ civitatis supernæ Hierusale rium missi, propter eos, qvi hæred unt salutis, ut eos liberent ab ini*

custodiant in omnibus viis suis, confortent qvoq; & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ majestatis tuæ. Margini ascribit Augustini *Epistolam CXX. c.* 29. & *T.IX. soliloq.* (qvæ ab Augustino non conscripta esse, omnes eruditi agnoscunt) *c.*27. ubi & ista leguntur. Ponamus autem offerri preces nostras DEO per angelos, qvâ hypothesi & *Apologia Aug. Conf. p.*224. & Luth. *artic.Smal.p.*310. utitur: nondum tamen hinc probabitur religiosa invocatio, ad qvam DEI expressum mandatum, divinaq; in invocando potentia præsentiaq; reqviritur. *Etsi angeli*, scribit *l. c.* Lutherus, *in cælo pro nobis orent & Sancti in terris, & fortassis etiam in cælis: tamen inde non seqvitur: angelos & Sanctos à nobis esse invocandos, adorandos, jejuniis, feriis, missis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum fundationibus & aliis modis honorandos, ut patronos & intercessores, & unicuiq; eorum certa auxilia esse tribuenda, ut Papistæ docent & faciunt. Hoc enim idololatricum est, & hic honor soli DEO tribuendus est. Potes qvidem, ut Christianus & Sanctus in terris pro me orare, non in unâ tantùm, sed in omni necessitate, propterea autem non debeo te adorare, invocare &c.* Cæterùm qvanqvam intercessionem generalem

ralem angelorum & Sanctorur
Augustino, Philippo & Luther
bilem opinionem, non articu
mittamus; si tamen ad specialia
rumvis desideria extendas, n
Scripturis probari posse, sed,
potiùs, jure meritoq; statuimu
libri Tob. c. XII, 12. qvo maxi
Zach. I, 12. paulò antè diximus. *Zachariæ*
Apoc. IIX, *Apoc. VIII*, 3. de angelo increate
v. 3. unico Mediatore sermo est, Pa
torum Papistarum, *Riberæ*, *Bl.*
judicio. Vid. Dorsch. Religion
p. 54. 79. Calov. *T. IV. Syst. p.* 17
eruditè docet, *ex Platonicoru
dogma hoc enatum primùm fu
Scripturam audiamus, Dei vo
velatam sæpè hominibus per a
vix unqvam autem angelos d
piorum preces deprehendemus

(2) *Ex Job. XIX*, 21. (2.) Jobi *c. XIX*, 21. inclamatic
pit: *Qvare & hoc fretus p*
dum exclamat: Miseremini me
mei, ô Amici! Angelos videti
ut pro eo deprecentur, aut certe
pro pœnitente orent. Citat a
Augustini *annot. in Jobum*, qvæ
bentur: & qvas Augustinus ipse
sas & obscuras rejicit, & *nunqv*
tas optat *L. II. Retract. c.* 13. *T. I. p.*

ctivè tn.loqvitur B.antistes; *aut de angelis, aut de hominibus sanctis* sermonem esse; qvorum alterum ne Masenius qvidem admiserit, qvi Abrahamum aliosve in limbo Sanctos temporibus Veteris Testam. invocari non potuisse agnoscit. Præterea non ut certum asserit, sed *videri* ait. Qvicqvid ejus sit, apertissimè contextus docet, Jobum amicos suos alloqvi, qvi tum affligebant animam suam *v.1.* eumq; persеqvebantur *v.22.* &c. Vid. Affelmann. *Syntagm. P.I. p.* 740. Gerh. *L. de Morte* § 453.

(3.) *Jacob benedicens filios Joseph, ait inter cætera: Et invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum.* (Gen. XLIIX. v.16.) *Unde notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam invocationem dici aliqvando, qvæ non DEI, sed hominum sint.* Augustin. *T. III. locut. in Gen. XLVIII. p.* 105. Hîc (α) conciliare non possum istam interpretationem cum eo, qvod *pag. eadem* scripserat Masenius, *Veteris testam. Patres cum Abrahamo nondum cælo receptos nos ignorasse*, eamq; ob causam non fuisse invocatos. (β) Verum omninò est, qvod Augustinus scribit, *invocationem* in Latinâ versione h. l. *de iis, qvæ hominum sunt*, non de religiosâ invocatione, qvæ DEI est, dici. Scilicet (γ) de denominatione tantùm Ephraimi ac Manassis à se Parentibusq; suis loqvitur, atqve hoc vult: fore ut Manasseh & Ephraim non pro ne- (3) *Ex Gen. XLIIX,* 16

potibus, ſed pro filiis Jacobi hab
diſtributione terræ promiſſæ, g
tribum inter filios conſtituant. *S*
cundum phraſin Ebraicam, ut Ephra
naſſes tanqvam ex Jacob geniti n
gaudeant, æqve atq; alii filii, ceu
piſta *h. l.* ſcribit. *Vitium* enim e
tablus Profeſſor Pontificius Pariſ
in vulgatâ verſione. Ita namq;
buit: Vocetur in eis nomen me
poſthac vocentur filii mei, & fili
meorum, qvæ fuit nota adoptioni
cob hosce ſuos ex Joſepho nepote
adoptabat, ſicut dicitur vocari n
riti ſuper uxorem Eſa. IV, verſ.
xor à capite, cui ſubeſt, nomen n
Conſentiunt huic certisſimæ inte
ni non *Hugo* ſolùm & *Liranus*, ſed
Papiſtæ, ac Jeſuitici ordinis Patre
tidæ ignorantiæ hujus pudebat, A
ſeca, Eman. Sa, Jacob. Menochius
Corn. à Lapide, Jac. Bonfrerius, L
rius *ad h. l.* Ribera & Chriſtoph. à
Amoſ. IX, 12. Hector Pintus *in Eſa.*
Conf. de *h. l.* ex noſtris Gerhard.
§. 461. & *Conf. Cath. t.* 3. *p.* 599. Cal
h. l. & in *Syſt. t. IV. p.* 160. 193. Gei
in Dan. IX, 18. *p.* 708. 711. è Reform
tius *Exerc.* 176. *in Gen.* & *Cath. Orth.*
§. 2. Cham. *t.* 2. *L.* 20. *c.* 3. §. 11. 12.

(4.) Audacior factus his præclaris ex Scripturâ demonstrationibus Masenius, *Nihil*, ait *p. 124. verebor, cum D. Augustino Deiparam supplex venerari, atq; his adorare vocibus: (è T. X. serm. 18. de Sanctis, qvi est 2. in festo annunc. p. 1203.) Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refice flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, qvicunq; celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assiduè orare pro populo DEI, qvæ meruisti benedicta ferre Redemtorem mundi. Et ad S. Cyprianum: Adjuvet nos orationibus suis in istius carnis mortalitate tanqvam in caliginosâ nube laborantes.* (Tom. VII de Bapt. contra Donat. L. VII. c. 1. p. 478.) Fuerunt inter Pontificios, qvi admitterent, non *adorandos* esse Sanctos, *invocandos* autem esse, futili distinctionis commento linere crassissimum errorem volentes. *Nunqvam vel fando auditum, Sanctos esse adorandos:* censent Colonienses apud Gerh. *L. de morte* §. 434. Noster verò Masenius nihil veretur S. Mariam supplex adorare, eoq; in studio Augustinum se æmulari fingit. Allegatq; primò *Sermonem*

(4) *Ex August. Serm. 18. de Sanctis,*

nem 18. *de Sanctis.* Ad qvem facilè cum Stapletono è *Relect. principior. fidei contr.* 6. *q.* 3. *a.* 4. *ad* 4. respondere poteramus: *Qvæ à Patribus pro concione ad populum dicuntur, non ita pressè & propriè & juxta dogmaticam veritatem accuratè dici solent, sicut alia, qvæ disputando & commentando scribunt; sed sæpè probabiliter atq; moraliter adeoq; populariter Oratorum more multa dicuntur, qvæ ad regulam scholasticam exacta minùs solida & firma inveniuntur.* Idem & Sixtus Sen. *Biblioth. S. L. VI. annot.* 152. observat: *Sæpè monuimus*, inqvit, *non esse Concionatorum verba semper eo rigore accipienda, qvò primùm ad aures auditorum perveniunt. Multa enim declamatores per hyperbolen crebrò enunciant & inculcant, vel occasione locorum, temporum ac personarum adducti, vel affectuum impetu ac orationis cursu rapti.* Conf. ejusdem *præfat. L. V.* ac M. Canum *L. XI. LL. c.* 6. *p.* 540. Verùm non attinet, multum de eâ homiliâ laborare, qvàm à superstitiosulo monacho, qvàm catholico Ecclesiæ Doctore profectam multò verisimilius est. Augustini certè non esse, Erasmus & Lovanienses agnoscunt, nec abnuit Baronius *martyrol. Rom. ad Mart. d.* 25. Neqve Augustini ætate Festum Annunciationis, cui

dictus

dictus ille sermo, fuit: cujus nec Concilium Moguntinum A. 813. festa enumerans, nec Lugdunense qvidem A. 1271. apud Gratianum *de consecratione dist.* 3. *pronunciandum* mentionem facit, observante R. Coco *Censura p.* 370. Alter locus è *L. VII. de Bapt. c.* 1. Augustini qvidem est; Cyprianum verò non invocat ibi Augustinus, ut pro se intercedat, sed qvid optet fieri ab eo, indicat. Et hoc qvidem ideò, ut affectum suum testetur in eum, contra cujus sententiam nunc disputare instituebat. Cæterùm qvatenus intercessionem Sanctorum crediderit Augustinus, docuit prolixè noster Chemnitius *Exam. p.* 642. *sqq.* Qvid autem de Sanctorum invocatione sentiat, age eloqvatur ipse. *Non sit nobis religio* (arrige aures Maseni!) *cultus hominum mortuorum: qvia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales qværant honores: sed illum à nobis coli volunt, qvo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergò sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubicunq; sint, non sunt colendi.* Hæc Augustinus *Lib. de verâ relig. c.* 55. *T. I. p.* 743. & paulò pòst: *Qvare honoramus eos charitate, non servitute:* (en δουλείαν religiosam removet.) *Nolunt enim se sic honorari à nobis, qvia nos ipsos, cùm boni sumus, templa summi DEI esse noverunt. Rectè itaq; scribitur, hominem ab angelo prohibitum, ne se adoraret, sed*

& *L. VII. de Bapt. c.* 1.

Augustin. contra invocationem Sanctorum

sed unum DEUM, sub qvo ei esset & c.
Idem Augustinus *L. XX. contra Faust*
T. VI. p. 375. sic scribit: *Colimus ma*
cultu dilectionis & societatis, qvo &
vitâ coluntur sancti DEI homines, qv
ad talem pro Evangelicâ veritate p
paratum esse sentimus &c. Rursum *L*
C.D. c.25. *T* 5. *p.* 487. *Nullo modo qva*
monum medietatem ambiendum est
volentiam seu beneficentiam deorum v
angelorum bonorum, sed per bonæ v
similitudinem, qvâ cum illis sumus, cu
vimus, & cum illis DEUM, qvem colu
mus. Prolixiora sunt, qvàm ut asc
sint, qvæ *Enarr. Ps. XCVI. T.VIII. p.*
& *lib. de Pastoribus c.*8. *T.IX. p.* 1061
contra invocationem Sanctorum
lorum disputat. Non possum tame
clausulam *Epistolæ XLII.* è *Tom.II. p.*
bam, ubi rotundè sensa animi prod
summam, ait, *ne te hoc lateat, & in*
convitia imprudentem trahat, scias à
nis Catholicis, nullum coli mortuorum
deniq;, ut Numen adorari, qvod sit fa
conditum à DEO, sed unum ipsum DE
fecit & condidit omnia. Satis ex his
tatis Augustini scriptis intelligetur,
an invocationem Sanctorum cum
ciis afferat, an nobiscum improbet.
gamus seqvi Masenium.

(5.) Ex Historiâ Augustino memoratâ.

(5.) *Fidam etiam*, pergit iste, *S. Stephani intercessioni, per qvam Palladia miserabili tremore afflicta, D. Augustino spectante, (& L. XXII. C. D. c. 8. testante,) sanitati est restituta.* Fide, Maseni, sed cui, vide. Exemplum sanè istud ἀπροσδιόνυσον. Non hoc modò, sed multò plura miracula conspexisse se ad S. Stephani memoriam & reliqvias narrat Augustinus *l.c.* Cæterùm Stephani intercessionem ab ægrotantibus, qvi sanitatem receperunt, imploratam fuisse, ne verbo qvidem indicium facit. Hoc verò capite illo toto agit, ut demonstret, facta miracula fuisse, ut mundus in Christum crederet, & à gentili idolomaniâ ad fidem se converteret, non ut damnata ἀγγελοθρησκεία & mortuorum invocatio Christiano orbi inferretur.

(6.) Ex facto Pauli, Rom. XV, 30.

(6.) Sed ad Bilica iterum exempla se recipit Masenius, & Paulinam praxin Pontificiæ prætexit. *Divus Paulus*, ait, *orationibus fratrum se adjuvari postulans*, Rom. XV, 30. *nihil hâc intercessione Christo sensit derogari, illâ etiam demissione laudandus, qvòd & se peccatorem exaudiri minùs dignum, & plurium orationes magis valituras, & deniq; horum non minùs preces, qvàm suas CHRISTI meritis subnixas intelligeret.* Collectio à baculo ad angulum, qvâ ante Masenium Costerus, Bellarminus, Estius, Corn. à Lap. aliiq; usi. Qvantum autem differant

com-

compellatio viventium, qvi rebus n
sunt, àd mutuas *preces synagonisti*
mandatum habent (*Jac. V*, 16. *I.*
& exempla, & promissionem;
invocatio mortuorum, absentium
stras ignorantium, ad *intercessione*
toriam, cæcus sit, qvi non pervid
danda utiqve demissio ejus, qvi
torem audiri minùs dignum,
orationes magis valituras, & om
ces Christi meritis subniti oport
git. Improbanda verò illius su
protervia, qvi eorum preces effla
pro se orare nescit, & ita efflagit
cationem DEO debitam ad ipso
suasq; preces, meritis illorum, qv
cat, suffulcit. Conf. Balduin. *Com*
Weller. *annot.* & Calov. *Bibl. illust*

(7.) A simili Regis in Legato culti.

(7.) Ecce verò mirificam simi
In regiis Legatis Regem magis
rum personas veneramur. Qva
di ratio tantùm abest à Christi i
ut etiam contemni sine ipsius i
possit. Sed ea qvatuor pedibus,
bet proverbium, non currit. Pri
literæ fiduciariæ producantur op
bus edoceatur, qvæ legatio dem
ctis à DEO imposita sit. Deinde
sanè, non contemnendi sunt Lega
honoris eo genere, qvod ex præs

bi Divini convenit, non qvo optimus maximus Princeps disertè protestatus de gloriâ suâ alteri non dandâ, coli unicè debet. Qvis verbi ministrum, DEI ἄγγελον seu legatum (*Mal.II*, 7. *II.Cor.V*, 20.) eo honore afficiendum esse censeat, qvi DEO ipsi debetur. Nos invertimus cum Philone, Scriptore Judæo qvidem, sed qvem & Augustinus magnifaciebat, ceu ex *L. XII. contra Faustum c.* 39. *Tom. VI. pag.* 273. patet. Is *lib. de Decalogo p.* 479. edit. Sigism. Gelenii 1561. ita sentit: *Qvemadmodum si qvis magni Regis honores satrapis ejus præfectisq; exhiberet, non stultitiæ solùm argueretur, sed & periculosæ audaciæ, tribuens servis; qvod debetur Domino: ita qvicunq; sic creaturas colit, ut Creatorem, sciat, se impudentissimum & injustissimum, qvi paria largiatur imparibus, non tam in honorem inferiorum, qvàm in superioris contumeliam.* Facilè autem intelligi potest, ex Socinianorum pharetrâ hoc petitum telum, qvi & angelis olim in V. T. deferri debuisse, ut DEI personam referentibus, divinum honorem, & hodieq; Christo licèt nudo homini deferri posse, mentiuntur, de qvibus vid. præ aliis Dn. Calov. *Theol. Nat. & revel. L. IV.* §.203. 211. *sqq. p.* 592. 630.

(8.) Be-

Concessa à Masenio, qvæ Pontiff. doctrinæ repugnant: utpote

(8.) Benè habet, qvòd deniq
veritatis fatetur (α.) non necel
Sanctorum cultum: (β.) Spem in
sti meritis collocandam: (γ.) nu
rum dedicanda templa ac aras ess
renda sacrificia: postremò (δ.) nu
ræ tribuendum esse, qvod Create
toriq; soli DEO debetur. Adscrib
fessionem hominis, utinam ir
*Cùm ad DEUM Christumq; accessi
teat, (α.) liberum cuiq; sit Sanct
teritis, non tamen contemtis, orat
lum suas tantùm dirigere. (β.) Ho
ciam, qvo me sensero maximè in
qvam, sive Sanctos, sive Christum
vocem, in solis semper Christi mer
bo, per qvem solum sancti sunt, qv
ctificantur. Sic populus Christianu
martyrum religiosâ solennitate cele
excitandam imitationem, & ut me
(qvi sunt fructus meritorum Chr
cietur atq; orationibus adjuvetur. It
ut nulli martyrum, sed ipsi DEO
qvamvis in memorias Martyrum, co
altaria. Qvis enim Antistitum in lo
rum corporum assistens altari aliqv
Offerimus tibi, Petre, aut Paule, au
Sed qvod offertur, offertur DEO, q
coronavit.* (Augustin. *T. VI. c. Fa*
XXII. ut allegat Masenius, sed *XX.*
Hoc credam, hoc seqvar, & (δ.) *si*

Digitized by Google

limites excedant, qvi creaturæ tribuant, qvod Creatori Redemtoriq; soli DEO debetur, hos negligam, meâ pietate ac conscientiâ securus. Hæc si ex animo scripsit Masenius, fieri vix potest, qvin receptum hactenus in Ecclesiâ Papali àq; se defensum cultum Sanctorum penitus proscriptum eat. Etenim (α) si ubiq; patet accessus ad Deum: cur à Christo, velut austeriori principe, ad Sanctos ceu placabiliores ministros ablegantur homines? Si cuiqve liberum, præterire in precibus Sanctos, cur viam regiam ac compendiariam relinqvimus? cur qværimus ambages? Cur cultum non-necessarium præter verbum DEI sectamur? Cur ἐθελοθρησκείαν contra DEI interdictum excogitamus? *Qvod ego præcipio tibi, hoc tantùm facias, nec addas qvicqvam, nec minuas:* Domini vox est *Deut. XII, ult.* Si impetrare à DEO, qvæ volumus, præteritis Sanctis licet, neqve ullum hujus invocationis habetur in S. literis præceptum, (qvod Cassander *Consult. art. 21.* & ipsi Jesuitæ suprà nobis *p. 630.* memorati fatentur:) *frustrà colunt* Papistæ *Deum mandatis hominum, Matth. XV, 9. Qvis* enim *reqvisivit hæc de manibus vestris?* Esa. I, 12. Conf. Chemn. *Exam. p. 612. sqq.* (β) Si in solis Christi meritis spes collocanda est: cur in omnibus liturgiis & preculis per Sanctorum merita DEO se commendant miseri? Cur Mariam *salutem & spem sperantium in ipsam* appellant? *In*

(α) *Sanctos præteriri planè in precibus posse;*

(β) *fiduciam in solis CHRISTI meritis collocandam esse;*

In Te, Domina, speravi, non confund-
num. Beati, qvi habent in eâ spem &
tiam &c. &c. Et qvis numerum t
mularum ineat? (γ) *Si soli DEO*
martyrum nemini constituenda altar
pla sunt, qvod Augustinus tum *L.X*
c.21. (qvem locum Masenius recita
bi cum studio inculcat, ut cùm *T.*
C. D. 10. p. 1355. scribit: *Nos mar*
stris non templa, sicut diis, sed mem
hominibus mortuis, qvorum apud D
spiritûs, fabricamus: Si hæc, inq
habent: concidit tum Jesuitarum
qvam *L. III. de SS. beatit. c. 4. §. q*
pos. sic proponit Bellarminus:
mûs non solùm DEO, sed etiam S
ædificantur & dedicantur; tum
Pontificiorum *praxis*, qvâ *divis qvi*
ri, qvod Augustino judice, uni D
tur, Erasmus fatetur *in marg. a*
L.I. contra Maximin. p. 689. T. VI.
nius *tom. I. annal. A. 44. §. 88.* conf
gentilium & papalium superstitio
ad templorum Sanctis factam
nem non agnoscit. Deniqve (δ) si
di sunt, qvi creaturæ tribuunt, qvo
ri Redemtoriq; soli DEO debetur:
qvid Pontificiâ religione fieri opo
religiosum cultum, qvem soli D
Filio Christo-homini deberi ante
mus, transfert in Sanctos. *Hoc* erg

(γ) *nemini sanctorum dedicanda altaria & templa:*

(δ) *negligendos esse, qvi creaturæ tribuunt, qvod Creatori debetur.*

hoc seqvar, (utinam & credat & seqvatur Masenius, cujus hæc verba sunt:) *& si qvi alii hos limites excedant, qvi creaturæ tribuant, qvod Creatori Redemtoriq́; soli DEO debetur, hos negligam, meâ pietate ac conscientiâ securus.*

PUNCT. II. p.125. 126.

De Reliqviarum cultu

An Sanctorum corpora & reliqvias conveniat cum honore ac veneratione asservari?

I. Controversiæ status, à Masenio involutus:

(a) de qvibus reliqviis,

Sic qvæstionem format Masenius, eamq́; negari à *Protestantibus*, affirmari à *Pontificiis* contendit: non meliori fide in controversiæ figendo statu, qvàm in tuendâ thesi usus. Implicat rem omnem, neqve qvales *reliqvias*, nec qvalem *honorem* intelligi velit, exponit. Sunt autem Sanctorum reliqviæ non unius generis, qvas cum Petro Molinæo *Volum. 1. Dispp. Sedan. p.398.* dividere possis in *veras* reliqvias *verorum* Sanctorum, in *veras* reliqvias *falsorum* Sanctorum, ut Francisci, Ignatii Lojolæ, & canonizati qvinto ab hinc anno Fr. Borgiæ, & in *falsas* reliqvias *verorum* Sanctorum, qvarum ingentia plaustra è Pontificiorum templis colligas; qvibus accedunt *Chimaricorum Sanctorum*, & qvi nun-

 qvam

qvam in rerum naturâ extiterunt, qvales Sancti Christophorus, Georg ginus, tres Reges, Margaretha, Urs innumeri in Papatu coluntur, & qva raginem Gisbertus Voetius colleg *Dispp. select. p. 473. — 532.* Rursu *rum* nomine aut corpora Sanctor unt & membra, (qvem unicum sen qvissimis Christianorum in usu fui mier *panstr. t. 2. L. 20. c. 8. §. 3. 4.* o vel adjuncta & utensilia, ut vestes, *(Voet. t. 3. Dispp. select. p. 1003.)* Imò ficum instrumenta huc referunt Pa bus vexata Christi Sanctorumq; corpora fuisse plebeculæ simplici p

(β) de qvo cultu sermo Jesuitis in hac materiâ?

Porrò nulla de cultu tabulæ secund nobis qvæstio, sed de religioso & a tabulam decalogi spectante. Jam stratium est, qvin verorum Sanct pora honoranda esse existimet. repugnet, qvò minùs ea, qvæ grata memoriam refricare possunt, co beantur. At cùm illorum corpora, ticulæ ædium qvas coluerunt, qvam calcarunt, aliævè reliqviæ, utplurimùm esse, constat, religi tur, iisq; singularis virtus in avert generis malis & conferendis bonis ritualibus tum temporalibus adsc cùm qvi in mundo nunqvam fue superstitionum mancipia & instrum lolatriæ pro Sanctis venditantur:

gloriâ DEI, cui religiosus cultus uni debetur, acriter depugnamus. Neqve dubitamus cum Ezechiâ æneum serpentem, cujus aspectus olim Israelitis vitam & salutem attulerat, confringere, si tolli aliâ ratione fœda idololatria non possit. *2.Reg.XVIII,4.* Qvicqvid enim Bellarminus *L. II. de Reliq. c,2.4.* aliiq; tricentur, non divinum cultum decerni reliqviis: adorationes tamen,& oscula religiosa, & oblationes, & spes ac fiducia in reliqviis collocatæ, & juramenta per eas facta, & ipsæ precationum ad lanceam v.g. qvâ transfixus Christus, ad faciem pictam in sudario, ad mappam in qvâ cœnavit, ad crucem, è qvâ pependit,&c.formulæ (v.Am.Polan. *Syntagm. L. IX. c.21. p. 4024.sqq.* Voet. *t.p.510.*) aliud evincunt. Atqve sic pleriqve ex ipsis Jesuitis disputant, eandem speciem cultûs reductivè deberi reliqviis, qvæ personis, qvarum reliqviæ sunt, decernitur: qvomodo Christi reliqviæ latriâ, Mariæ hyperduliâ, Sanctorum reliqvorum duliâ juxta confictam à Pontificiis cultûs religiosi distinctionem colentur. vid. Bellarmin. *L. II. de Eccl. triumph. c. 25. extr.* Valentia *T. III. in Thom. D. VI. q.11. punct.6 propius fin.* Vasqvez. *in III. Thomæ q.25. Disp. CXIII. c.2.3.* Qvicqvid verò sit de illorum sententiâ, norunt Protestantes, soli DEO hujusmodi cultum, nulli creaturæ, nedum ullius hominis reliqviis deberi: norunt, omnem electitium cultum

II. Fundamenta Orthodoxiæ.

DEO improbari, nec ullibi hanc
colendi rationem vel præcipi, vel
ſaltem comprobari in Scripturis: n
ſanctisſimorum hominum in V. & N
pora terræ mandata à ſuis, neqvaq
ſculanda & adoranda expoſita fui
modo & *Moſis corpus Deus ipſe be*
dum illud propriis manibus ſepelivit, u
Bellarm. *L II. de Eccl. triumph. c. 3.*
dum *L. II. de Purgator. c. ult.* ſcrip
ſulitur (per ſepulturam) *honori eoru*
in hominum memoriis viventium,
caret ignominiâ qvadam, qvòd fœdi
corporis aliorum conſpectibus pateat
neceſſe habet, vero hoc & neceſſari
Sanctos ſpoliari per Pontificios, ac af
miniâ, dum ex ſepulchris effoſſa eo
inter ſe dividunt, indeq; turpem nun
nem exercent. Poſtremò norunt &
Pontificiorum, qvæ vix aliâ in re
tiùs, qvàm in reliqviis jactandis proc
Unde factum, ut in ipsâ Papali Eccl
plures in has ſcrutariorum technas
cias inveherentur. Candidè & ſine
ſolet, Georg. Caſſander *art. XXI. Con*
edit. Conring: Conſtat, poſterioribus
bus nimium reliqviis & memoriis S
indultum & tributum fuiſſe, ſic ut à be
viris pio zelo præditis, ſumma qvaſi
in hujusmodi reliqviis conqvirendis,
gemmis exornandis, memoriis ſeu tem

III. Reliqviarum impoſturæ.

tuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis qvoq; hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superfluo reliqviarum collocaretur. Qvare in Concilio Cabilonensi reprehenduntur, qvi Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant, putantes freqventatione horum locorum se à peccatis purgari, & impunè peccare. Accesserunt & alia mala, qvòd avaritiæ causâ ad simplicem populum illiciendum falsæ reliqviæ supponebantur, & ficta prædicabantur miracula, iisq; miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum raperetur, qvàm ad Sanctorum imitationem vel vitæ emendationem provocaretur: nonnunqvam autem astu & illusione dæmonis, hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa novæ reliqviæ revelabantur, & ejusdem operatione miracula edi videbantur. Et post allegata eam in rem Concilii Lugdunensis & Carthaginensis decreta: *Item permulti reperti sunt, qvi Sanctorum reliqvias, seu falsas, seu veras, qvæstui habuerunt, ita ut passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis im-*

perito vulgo commendar
die verò cùm passim om
ctorum plena esse vident
ne si Episcopi aut Princ
qviis inqvirendis &
qvam debent, operam a
tes & detestandæ impos
qvemadmodum in non
est, & olim B. Martino
locum qvendam suæ di
cujusdam tanqvam mar
isset, deprehendit non m
latronis monumentum
freqventatum, qvod ev
scindi jussit. Itaqve sap
Cùm igitur veræ & c
præsertim in his provinc
& multæ ex iis, qvæ ost
merè suspecta haberi po
NB. NB. *freqventatio & venerat*
tati, plurimum verò sup
stui serviant, multò con
ab omni reliqviarum ost
tur, & populus ad ver
qvias colendas, id est, e
virtutum, qvæ in scripti
de ipsis extant, imit

Hæc ille eruditisſimus inter Pontificios Theologus, cùm conſulere in medium ab auguſtisſimis Rom.Impp. Ferdin.I. & Maximil.II. de Controverſiis ſui temporis juſſus eſſet. EademGeorg.Wicelius *Compendio de ſemitis antiqvis*, ſed vehementiori ſtylo, eadem H. Corn. Agrippa, eadem doctisſimus Eraſmus perſtringit, tum *annott. in Matth. XXIII.* ad verba: *ut videantur ab hominibus*, tum in *Eccleſiaſte p.m.157.* ubi iſtos reliqviarum inſtitores *agyrtis* comparat, *qvi menſâ in foro poſitâ oſtentant eductos dentes, lapides è veſicis exſectos* &c.*Horum*,inqvit,*non disſimiles ſunt, qvos nimium diu tulit mundus, qvi circumferunt reliqvias ac ſtatuas Sanctorum, ſummâ impudentiâ jactantes miracula, qvæ nunqvam geſta ſunt, & interdum plusqvam ſcurrili impudentiâ fœnum aut ſtramenta ex latrinâ fortasſis aut borreo ſumta offerunt ſimplicibus oſculanda, oſtendunt carbones è foco ſumtos, mentientes his aſſum fuiſſe Laurentium.* Idem in Colloqvio, cui titulus: *Peregrinatio religionis ergò p.473. edit. noviſs. Lipſ.* hoc cacoëthes ſale Satyrico,ut meretur,perfricat.Confer excerpta *ex libro de ſpoliis, exuviis & reliqviis SanctorumRomæ 1525.edito*,apudWolfſium *Lect.memorab. Tom.II.p.233.ſqq.* & vide recenſitas inibi reliqviarum ineptias. Qvarum cum apertisſimâ fraude conjunctarum ſpecimina legi poſſunt & ap. Gerh. *L.deMorte §.103.* Dorſch. *P.II. Vindic. Exodi p.93.* &

in *specimine primo & secu*
palis : nec non in *confu*
nicâ Christi inconsutili a
in *Sylloge semestri p.62. sq*
bus ad relationem anony
ci in Augiâ divite qvie
Christeid. p. 793. sqq. Jo
rio Reliqviarum, Joach
templi Jesuitici p.353. sqq
Bullæ Urbani VIII. de cul.
Polan. *Syntagm. L.IX. c.*
mier. *Panstr. T. II. L. XV*
De imposturis reliqviarum
qvantum in his artibus v
seculi XIV. in Perside c
furis abscissum caput pr
ctæ martyris Teimurazi
runt, perq; id miracula p
qvæ fraus qvomodo &
fuerit, & qvomodo pe
suitæ cum infamiâ expel
monachus & exarchus
literis Trapezunte d. 16. N
qvas *mysteriis Jesuitarum*
vetus esse voluit, *T. III.*

IV. Objectionum Masenii solutio: qvi

Sed nos Masenium nun
cemus. Qvanqvam qvæ
ab aliis sint discussa. Vid
tium *P. IV. Exam. sub init.*
λυγμα illud refellit, &
sariorum dejicit, & qvi

Reliqviis Sanctorum visum, qvibus item gradibus fuerit successu temporis ad illam λειψανομανείαν processum, eruditè docet. Adde Heilbrunner. Uncatholisch Pabstthum *art.13. c. 6. pag. 689. — 704.* Gerhard. *L. de Morte §.95. — 123.* & *Conf.Cath. T.3. p.658. — 679.* Danh. *tom. 1. Hodom. Pap. p.1172. sqq.* & *Colleg. decal. p.58. sqq.* Chamier. *t.2. L.20. c. 8. & 9.* Molinæ. *Dispp. Sedan. pag.394. — 419.* Rivet. *C. O. tr. 2. q. 54.* Heidegg. *anat. C. T. p. 1106. — 1118.* & alios. Nos Masenium nostrum seqvimur.

(1) *Catholici dicunt, cultum religiosum propter increatam excellentiam tribui etiam posse rei creatæ, aliàs nec humanitati Christi honor aliqvis religiosus deberetur, qvod omninò insanum sit asserere.* Ita Masenius. Mihi verò, qvod ejus pace dixerim, insanum videtur ita colligere. Qvod enim proprium est increatæ excellentiæ, ut est sanè cultus religiosus, rei creatæ tantùm abest, ut tribui possit, ut vel ideò, qvia ad increatam excellentiam pertinet, alteri dari non possit, *Esa. XLII, 8.* Alteri, inqvam. Humana enim natura τῷ λόγῳ personaliter unita est, ut non alius atqve diversus à Filio DEI sit homo Christus: sed idem, *qvi est ex Patribus secundum carnem, DEUS benedictus est in secula. Rom. IX, vers. 5.* Dum ergò ab humanâ Christi naturâ unum cum DEO ὑφιστάμενον constituente ad corpora, membra, vestes san-

(1.) ex cultu humanitati Christi exhibito

cultum reliqviarum impiè probare vult.

ſanctorum hominum concludit, a
addit impietatem. Humanæ Chri
ut *tota plenitudo Deitatis Col. II. 9.*
nos religioſæ adorationis vi perſon
nis communicatus eſt, cujus ple
citium cum ſtatu exaltationis cep
unâ indiviſâ adoratione Chriſtus n
rus DEUS, ſed ut Θεάνθρωπος ad
cundum illam etiam naturam, ,
qvam *donavit illi DEUS nomen f*
nomen, ut in nomine Jeſu omne gen.
Phil. II, 9. Dan. VII, 14. Ebr. I, 6. ce
monſtrant orthodoxi contra Ca
cum qvorum Neſtorianiſmo par
ciunt Pontificii denegantes huma
naturæ divinum cultum, ut lege
Dorſch. *interv. c. 37. p. 610.* Balduin
L. II. c. 5. caſ. 7. p. 167. Dannhau. T
dom. Pap. p. 48. Höpffner. *Sax. Ev*
Dn. Rappolt. *de Adorat. carnis Chri*
& alios. Sic illi Chriſto-homini d
vinum cultum adimunt, qvem trib
qviliis. Thomas ipſe crucem Chri
jus reliqviis infinitas fraudes re
fragmenta ejus docent, qvot cap
Eraſmus cenſebat, una navis on
ſit:) cultu latriæ adorari jubet ob
Sanctisſimi corporis, *P. III. q. 25. a.*
men *ibid. a. 2.* duliæ tantùm cult
nitati Chriſti relinqvit, qvem hy

alii pleriqve appellant, eundemq; cum Mariæ cultu faciunt. Sed nos ista mittamus, & hoc solùm relinqvamus expendendum, qvàm proba sit collectio ista: Humanitati Christi in personam Filii DEI inseparabiliter assumtæ cultus divinus exhibetur propter increatam majestatem & excellentiam sibi communicatam: Ergò & Sanctorum reliqviis debebitur. Nonne hoc insanum sit asserere? Sed audiamus porrò differentem.

(2.) *Cur non Sanctorum reliqviis tanqvam vasis Spiritûs Sancti qveat tribui cultus religiosus? Etiam canem amici propter amicum admittimus, & tam vilis nobis DEUS sit, ut cujus lapidea veneramur templa, viva aspernemur?* Qvasi verò de æstimio aut vilipendio templorum DEI vivorum, (permittamus enim corpora dudum corrupta & putredine absumta viva templa Jesuitico acumine dici:) de amore aut odio reliqviarum, de honorificâ asservatione aut abjectione corporum qvæstio nobis sit. De religioso cultu qværitur, qvem si ob inhabitantem DEI spiritum vivis illius templis convenire putas, Maseni, cur non fideles qvosvis, cur non teipsum adoras, oscularis, auxilium poscis? cur non miracula ob præsentiam tuam fieri, pelli morbos, gratiam impetrari jactas? Fideles enim omnes, qvorum numero eximi tu nolueris, templa DEI esse, Apostolus affirmat,

(2) Simile canis propter possessorem admissi urget.

mat, ideò qvòd Spiritus DEI habi
1. Cor. III, 16. Et qvis canem eo
honore, qvo amicum ipſum? Pud
rum in defendendo reliqviarum
fraudum non pudet, qvas in colli
exponendisq́; toti dudum orbi
Jeſuitæ! Nos Auguſtinum ſeqvim
c.13. T. V. p.56. egregiè explicante
qve ſe honor vivis iſtis DEI temp
extendat. *Nec ideò tamen contemn*
jicienda ſunt corpora defunctorum
juſtorum atq; fidelium, qvibus tan
nis & vaſis ad omnia bona opera S
eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis
ac ſi qvid hujusmodi tanto carius e
qvanto erga parentes major affectus
do ipſa ſpernenda ſunt corpora, qv
tò familiariùs atq; conjunctiùs, qv
indumenta geſtamus. Hæc enim n
mentum vel adjutorium, qvod ad
trinſecus, ſed ad ipſam naturam hor
nent. Unde & antiqvorum juſtor
officioſâ pietate curata ſunt & ex
bratæ, & ſepultura proviſa &c. In
mites ſi Pontificiorum ſe contine
qvem corporibus Sanctorum hab
nobis lis eſſet. Ecce verò novum v
ſuiticæ emplaſtrum.

(3) Fraudes reliqviarum (3.) *Et ſi qvandoq; in reliqviis, ut a*
remus: qvid refert, ſi DEUM ſolum
gnis reveremur atq; intuemur? Uti

rari necesse est in plerisqve. Qvis enim credat, tot capita Petro, aut Johanni tot indices digitos, imò tot corpora fuisse S. Dionysio, tribus Regibus aliisqve, qvot passim demonstrantur? Qvis verum sangvinem Christi credat esse, cujus hîc aliqvot, aliqvot illic guttæ exponuntur, cùm universus in corpus optimi Salvatoris redierit, inq; cœlum fuerit assumtus, qvod ex Pontificiis Thomas ipse *P.III. q.54. a. 2. ad 3.* agnoscit? (Lege omninò Dorsch. *P.I. Vindic. Exodi Dissert.IV. §.5. sqq. p.103. sqq.*) Qvis verum Mariæ lac, cujus tanta copia in Papatu adoratur, ut centum mulctralia eo, si qvis colligat, impleri posse *Liber* antè memoratus *de spoliis, exuviis, & reliqviis SS.* testetur? Sed non recoqvemus nunc aniles Papistarum fabellas. Ablegavimus jam dum Lectorem ad Scriptores, qvi dignas eorum, qvi in Papatu è reliqviis qvæstum faciunt, fraudes habuerunt, qvas literis consignatas mundo detegerent. Qvid verò Masenius? Cùm negari imposturas illas non posse intelligeret, excusandas censuit. *Parum referre* existimat, *verene sint, qvorum putantur Sanctorum reliqviæ, an secus, dummodò qvis in iis signis DEUM revereatur.* Mirum ergò, tantam efficaciam hujus illiusve Sancti reliqviis tribui, cùm nihil referat, veræne sint, an fictæ. Porrò autem, qvæ cogitari poterit idololatria adeò crassa, ut hoc patro-

piâ intentione excusat.

patrono se tueri non possit? Rect
Israelitæ, in vitulo tanqvam sign
suum ex Ægypto eductorem, reve
eorum posteri, in simulacris Jer
idem facere conati: qvos excusar
idololatriâ illi Doctores Pontific
nolunt, qvi Franc. Moncæji *Aaro*
tum, & Jac. Gaffarelli *Curiositate*
eo nomine improbant. Vid. Corn
Exod.32.p.577. & qvod de Sorbon
rinum observavit nuperrimè Jul.
de amuletis p.3.

(4.) Ab amore proximi propter Deum cultum reliqviarum colligit.

(4.) Pergit: *Etiam proximum*
vinâ charitate propter DEUM, &
bendit? Hîc neq; qvid *divinæ cha*
pellatione sibi velit, neqve nervum
nis satis asseqvor. Sanè proximum
mur divino amore proseqvi, h. e.
toto corde, ex totâ animâ, ex to
adeoq; supra nos ipsos, sed sicut
Luc.X,27. Deinde nec divinum cu
ctis propter DEUM, sed divino i
tribuere Papistæ videri volunt. Q
vino honore reliqvias proseqve
rent, qvarum cultus omnis ab ho
ctorum, qvorum reliqviæ sunt, d
Invertemus igitur: Ut non divinâ
qvalem DEUS exigit in Lege, cha
pter DEUM diligere proximum
ita Sanctorum corpora propter D
divino, sed qvali DEUS voluit, h

cienda sunt. Qvalis autem DEO placeat, tum ex verbis divinis *Gen. III, 19.* tum ex facto divino *Devt. XXXIV, 6.* tum exemplis DEO approbatis Saræ, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josuæ, Davidis, Johannis Baptistæ, Stephani protomartyris, qvorum exuvias non adorandas exposuerunt, sed honorificâ sepulturâ composuerunt sui, abundè laudati anteà Theologi docuerunt.

Audi tamen (5) Bone Lector, apodixin Scripturæ! *De terrâ, ubi Christus sepultus, dictum: Erit sepulchrum ejus gloriosum, Es. XI, 10.* Hîc primò ostendendum de terrâ, ubi Christus sepultus est, sermonem esse. Sanè in fontibus nihil de sepulchro, qvod voce מְנוּחָה nullibi in Scripturâ denotatur, observante Hakspanio *P. II. Notar. p. 580.* Reqviem ea significat, qvam de morte Christi verè gloriosâ Hieronymus *Comm. h.l.* Cyrillus & Procopius *h.l.* Luther. *Operat. in Ps. III. T. III. Jen. Lat. p. 23. b.* & Hakspan. *l.c.* ipsiq; adeò Papistæ qvidam, Sanctius, Pintus, Tirinus explicant, è qvibus postremus: *Sepulchrum hîc non tam locum significat, in qvo positum fuit cadaver Christi, qvàm ipsam mortem, dormitionem seu reqviem, qvæ fuit causa sepulturæ: Porrò mors Christo gloriosissima accidit: nam simul atq; exspiravit, anima victrix apud inferos triumphavit, & corpus honorifico conditum sepulchro, qvod etiam angeli suâ*

(5) *Locum Es. XI, 10. pervertit.*

præſentiâ & cuſtodiâ cohoneſtabant *tertiâ die reſurrexit.* Alii vi cont totus de beneficiis regni Mesſiani qvie, qvam ſuis fidelibus paravit, de Eccleſiâ, in qvâ reqvies ejus, *P* *v.14.* interpretandum cenſent, ſec tionem Apoſtolicam hujus loci *R* Ita Junius, Arcularius, Calovius *I* Glaſs. *Rhetor. S. tr.1. c.7.p.132.* Urſ *Sacr. volum.I. L. I. c.55. extr.p.83* curatè demonſtravit, non de loco etiam,ſed de beneficio Mesſiæ ſer ſe, Dorſch. *præfat.Sceletoman. Po* *2.ſqq.* Deinde, ſi ponamus etian ſepulturæ Chriſti ſermonem eſſe, râ tamenChriſti ad omniumSanct canonizavit Pontifex, reliqvias, conſeqventia eſt, qvàm à gloriâ a nem, ceu benè monitum Chamie *c.9. §.6.7.8.* Non enim ob cult pôſt ſeculis ab idololatris defere tur ſepulchrum glorioſum, ſed tos parentatores, ob comites f ignobiles, ob honeſtam collocati dignitatem loci à nemine antè ſtructuræ nobilitatem, qvibus c mnia præceperant animis Dom *Eſ. LIII,9.* Danh. *Chriſtoſoph. p.* *L. de morte §.112.* Calov. *Crit. S.*

(6.) Reliqviarum (6.) Miraculis reliqviarum aſ *Auguſtinus (XXII. C. D.8.) per h*

facta se præsente mirandà commeminit. Et post pauca: *Plura refert Augustinus miracula partim absente, partim præsente se ad corpora Sanctorum Gervasii & Protasii divinitùs perpetrata, qvæ in libro ejus XXII. de Civit. DEI c.8. videre poteris.* Placet respondere primò verbis Augustini, qvibus ipse illam de miraculis narrationem suam (de qvâ & paulò antè *p.669.* vide,) *non longè ab initio cap.8.* præmunit: *Ea exempla non tanta commendat autoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, qvamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.* Deinde ut maximè certa illa sint omnia: hoc saltem doceri cupimus, qvomodo ex eo, qvòd facta ad SS. martyrum memorias miracula sunt, religiosè illas coli oportere conseqvatur. Num piscinam pecuariam Bethesdam cultu religioso ideò venerabantur, qvia isthic edita miracula Johannes celebrat? Num Elisæi ossa adorabantur, qvòd tacta cadaver hominis mortui vitæ reddidissent? Et qvid verbis opus? Ipse Augustinus libro illo docet, miracula neqvaqvam ad confirmandum cultum præter & extra verbum institutum facta, sed ad testificandam & confirmandam fidem Christi, pro cujus confessione sangvinem profuderant martyres. *Cui nisi huic fidei* (qværit *c.9. init.*) *attestantur ista miracula, in qvâ prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Nam & ipsi martyres hujus*

miracula recenset.

fidei martyres, id est, testes fuerunt. ...
degger. *de peregrinat. relig. p.129.* ...
rùm qvid *de monachis membra m*...
tamen martyrum, venditantibus ...
censuerit, legi poteſt *Opp. illius T*...
re Monachor. c. 28. p. 800.

(7.) *Arca fœderis cultum objicit.*

(7.) De Arcâ fœderis addit, ...
riſum, qvàm aſſenſum extorqv...
Arca qvantâ in veneratione a...
tas, ſolius DEI ſingulari favo...
intuitu? De eadem Auguſtinus ...
cianum: Qvod autem qværi...
qvod ſcriptum ſit: Intravit R...
& ſedit ante Dominum: qvid ...
ligendum eſt, niſi qvia ſedit i...
Domini, ſive ubi erat arca Teſta...
qvam ſacratior & commendati...
præſentia Domini accipi poteſt. ...
ſtionum ad Simplicianum, q. 4. T...
Ridiculum argumentum. Qvi...
fœderis, in qvâ ſe qvieſcere ve...
qvodam gratioſæ præſentiæ mod...
aliqvoties teſtatus eſt, ad Sanc...
qvias, de qvarum cultu nec vola ...
gium in S. Literis? Neqve ſanè a...
culta religiosè fuit, ſed Dominus, ...
ſens erat. At Papicolæ cultûs rel...
ctum ac terminum faciunt qviſc...

as pro Sanctorum reliqviis mendaci ut-
urimùm ore venditant.

(8.) *De Petri* tamen *vinculis Augustinus* .X.in festo SS.Petri & Pauli Serm.5.p.1227.) qvit: *Per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si enim medicabilis fuit obumbratio visitantis, qvantò magis catena vincientis? Ut umbra, inqvam, transeuntis Petri obumbraret eos, ad hoc langventes aspirabant.* Hæc si Augustinus diceret, in homiliâ diceret, ubi nimis qvandoqve luxuriat Patrum stylus, ut suprà *p.666.* ex ipsis Pontificiis observavimus: & pretiosum qvidem ferrum pœnalium vinculorum, pretiosum, inqvam, tum ob memoriam summi Apostoli, tum ob medendi virtutem, qvam præsente illo exeruerat DEUS; neqvaqvam verò adorandum diceret. Nunc fatetur Baronius *Annal.T.V.ad A.439.n.5.* Augustini ævo vincula Petri nondum reperta, neqve vel Erasmus vel Lovanienses sermones illos in festo SS. Petri & Pauli Augustino tribuere audent. Vid. Gerh. *Conf. Cath. T.I.p.683.* Cocus *censuræ p.371.sq.* De cætero argumentum, qvo utitur iste, qvisqvis est, Scriptor, vel Jesuita Lorinus confutet, sanationem illam ægrotorum *Comm. in Act.V, 15.* non umbræ Petri, qvæ mera privatio est, sed præsentiæ ipsius tribuens. Et qvid dicturum Petrum fuisse

(8.) Cum Augustiniastro

Petri umbram & vincula crepat.

 cre-

credibile eſt, ſi prævidiſſet umbræ ſuæ aſcriptum iri talia miracula, qvalia ſibi ipſi denegabat, *Act. III, 12.?* Cogitet verò pius qvivis, qvâ conſeqventiâ id, qvod extraordinariè vivis thavmaturgis conceſſum fuit, ad conſtituendum cultûs religioſi generale aliqvod fundamentum abripiatur? Mirum, qvòd non & mortui Petri oculis videndi, auribus audiendi vis tribuitur, qvia ea in vivente reperta fuit. Neqve ſanè umbram Petri religioſè cultam legimus, qvod tamen de reliqviis demonſtrandum nunc erat. Lege hoc argumentum retundentes Gerh. *L. de morte* §.114. & C. C. *tom. 3. p. 678.* Dallæ. *L. IV. de objecto cultûs religioſi c. 1.* Rivet. *tr. 2. C. O. q. 54. n. 3. 4.* Heidegg. *Anat. C. Tr. p. 1112.*

(9.) *Ex eodem* (9.) Concludit cum eodem *T. III. de Eccl. dogm. c. 73. p. 207: Sanctorum corpora & præcipuè beatorum Martyrum reliqvias, ac ſi Chriſti membra ſinceriſſimè honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta divino cultui mancipata affectu piiſſimo & devotione fideliſſimâ adeundas credimus. Si qvis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.* Qvibus addit Maſenius: *Abſit ô Deus meus, ut hunc tibi tuisq; Sanctis honorem denegem, & Eunomianus malim, qvàm Chriſtianus emori.* Ecce nunc Auguſtini Liber eſt, qvem Colonienſes in Cenſurâ ſuâ *ne Catholici qvidem Scriptoris eſſe* concedebant; Trithemius autem,

autem, Lombardus, Thomas, Platina, Sixtus Senensis, Alph. de Castro, Bellarminus, Baronius pluresq; alii Augustino constanter abjudicant, qvorum testimonia censurasq; lege apud Gerhardum *tom. I. Conf. Cath. p. 674.* Rivet. *Crit. S. L. 4. c. 13.* Cocum *cens. p. 340.* Sed ita ludunt Jesuitæ, ita librum eundem modò damnant, modò in cœlum tollunt laudibus, & pro principio fidei venditant, prout causa exigere videtur. Porrò nec hoc concesserim temerè, autorem, qvisqvis fuit, religiosum cultum reliqviarum istis verbis asseruisse, qvâ culpâ eum Chemnitius qvoqve *Exam. p. 667.* liberat, docetqve, Eunomii ac seqvacium damnare impietatem, qvi basilicas Apostolorum & Martyrum, referente Hieronymo, adeò abominabantur, ut ne ingrederentur qvidem, ipsorum verò corpora & ossa pro re immundâ & abominabili haberent: idq; ob hanc causam, qvòd martyres fidem Deitatis Christi, qvam Eunomius impugnabat, sangvine fuso testati fuissent. Idem Vigilantio Hieronymus tribuit, judicio vero usus, an affectuum abreptus intemperie, nihil hîc attinet disqvirere. Vide, si lubet, Gerh. *C. C. art. 10. c. 3. sub fin. p. 679.* Rainold. *de Idolol. R. E. L. I. c. 6.* Rivet. *C. O. tr. 2. q. 54. §. 6.* Qvòd si censuit Vigilantius, *reliqvias martyrum cilicio colligendas potiùs & in sterqvilinium projiciendas, qvàm honorificè sepeliendas esse*, meritò damnatus fuit: neqve

Vigilantianismi & Eunomianismi nos accusat.

Christianus, sed Eunomianus aut Vigilantianus per nos qvoqve habebitur, qvi debito honore Sanctorum corpora & loca divino cultui mancipata privat. Cæterùm cùm Hieronymo Vigilantii antagonistâ (cujus ista *Ep.53. ad Riparium* verba sunt,) *Nos non dico martyrum reliqvias, sed ne Solem qvidem, & Lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, qvod nominatur, & in præsenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs, qvàm Creatori, qvi est benedictus in secula. Honoramus autem reliqvias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Ita nec Eunomiani emoriemur, nec denegabimus DEO Sanctisq; honorem, qvem & his & illi eripiunt Pontificii, dum corpora Sanctorum eruta sepulchris discerpunt miserè, simul religioâ adoratione proseqvuntur.

Punct. III. p.127.128.

De Cultu Imaginum

An etiam imagines Christi, crucis Sanctorumq; memoriæ venerationisq; religiosæ causâ admitti possint?

Nega-

I. *Status Controversiæ à Masenio involutus explicatur.*

Negari hoc Protestantium plerisqve Masenius per fallaciam plurium interrogationum ait. Alia enim qvæstio est de *usu Historico* imaginum, alia de *abusu religioso*. Illum nemo Lutheranorum negat. Damnamus constanter non modò iconolatriam Pontificiam, sed etiam iconoclasiam Puritanam, ac mediâ viâ cum Francofurtensi Concilio inter Constantinianæ Synodi furorem, & rabiem Nicenæ pseudo-Synodi incedimus, prout jam olim Chemnitius *Exam. P. IV. p. 673. 681. 701.* & ante hunc Urb. Rhegius *form. cautè loqvendi c. 17.* mentem Ecclesiarum nostrarum declaravit, qvas & praxis ipsa ornatusq; templorum nostrorum, & tot nostratium scripta contra Calvinianos omni suspicione absolvunt. Vid. ex multis Danhaueri *Iconothetes Christianus*, ejusdemq; *Hodom. Calvin. T. II. pag. 1124. 1137. sqq. Colleg. Decal. pag. 118. sqq.* Meisner. *Colleg. adiaphorist. Disp. III.* Gerhard. *L. de Lege §. 65. sqq.* Calov. *Armin. c. 12. §. 13. p. 324. sqq.* &c. Nempe eadem nobis mens, qvæ Gregorio olim Magno Romano Episcopo, cùm Serenum Episcopum Massiliensem obfractas imagines corriperet *L. IX. ep. 9.* Verba *c. perlatum dist. 3. de consecrat.* etiam habentur: *Qvòd Sanctorum imagines adorari vetuisti, omninò laudamus; fregisse verò reprehendimus. Aliud enim est, picturam adorare, aliud per picturæ historiam, qvid adorandum sit, discere. Nam qvod legentibus Scriptura, hoc*

idiotis præstat pictura cernentibus. Similia *L.VII. ep.109.* perscripserat. Partim ergò affirmamus qvæstionem, partim negamus. Concedimus, memoriæ ornatûsq; causa admitti imagines posse, qvibus vel θεοφάνειαι, vel Historiæ sacræ utiliter repræsentantur. At cùm coluntur religiosè, cùm iis affingitur singularis DEI præsentia & virtus, eriguntur altaria, dedicantur templa, libantur religiosa oscula, accenduntur cerei, fiunt vota, supplicationes, obsecrationes, sacrificia, (qvæ fieri omnia à Pontificiis, notum est,) hunc non modò verbo DEI non præscriptum, eoq; rejiculum, sed & verbo gloriæq; DEI adversum cultum ac fœdissimam idololatriam interpretamur, & abominamur. Permovet omninò clarissima severissimaq; DEI Lex, à Masenio hic repetita, nec ullis obfuscanda distinctiuncularum præstigiis: *Non facies tibi, (ad hoc ut colas, Lev.XXVI, 1) sculptile, neq; ullam similitudinem, qvæ est in cœlo desuper, & qvæ in terrâ deorsum, nec eorum, qvæ sunt in aqvis, aut in terrâ. Non adorabis ea, neq; coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes. Exod.XX,4.5.*

II. Exceptiones Masenianæ ad interdi-

Mirum autem planè hìc in probatione sententiæ suæ deficere Masenium, pro qva nihil habuit afferre, nisi Augustini dictum, qvod qvia in fine collocavit, nos etiam in finem examinis rejiciemus. Cæterùm in eluden-

dendo interdicto divino totus desudat. (1.) Dicit, *eas prohiberi imagines, qvæ pro DEO adorentur, sicut fecerunt Israëlitæ, qvi adoraverunt sculptile, & obliti sunt DEUM, qvi salvavit eos, dicentes: Hi sunt Dii, qvi eduxerunt nos de Ægypto* (Psalm. CVI, 21.) *Hinc præceptum: Non facietis vobis sculptile, ut adoretis.* Margini verò ascribit: *Certum est, qvòd imagines divino cultu adorandæ non sint.* Ficûs folia, qvæ tegendæ Papistarum turpitudini neqvaqvam sufficiunt. Ubi enim (α) DEUS ita in Lege suâ distinxit? Ubi adorandum in imaginibus se proposuit? Omne sculptile, omnem similitudinem vetuit adorari aut coli ullo modo. Se solum adorari voluit ad regulam, qvam in verbo suo præscripsit ipse. Aliam qvi excogitat rationem, idololatra est. Duplex enim idololatria est, una ratione *objecti*, altera ratione *modi*. *Priorem* uti Papistæ committunt, qvi rem, qvæ Deus non est, religiosè colunt, v. g. crucem, Sanctos, Papam: ita *posteriorem*, dum Deum in imaginibus colunt. Michæ similes, qvi theraphim sibi fabricans, in qvibus Jehovam adorabat, (*Jud. XVII, 3. 13. XVIII, 5.*) idololatra tamen habetur. Qvanqvam (β) si rectè putes, divino omninò cultu adorentur in Papapatu imagines. Docet non modò praxis, sed multorum qvoq; confessio, qvi sentiunt diserteq; scribunt: *Imaginem eodem honore &*

ctum de sculptilibus Exod. XX. 4. 5.

(1.) prohiberi imagines, qvæ pro DEO coluntur, non in qvibus DEUS colitur.

Imaginũ divinus cultus in Papatu:

& cultu coli & honorari, qvo colitur id, cujus est imago. Qvæ sententia non tantùm est unius Thomæ, sed communi Theologorum consensu recepta: ut scribit Azorius *IX. Instit. c.6. a.3.6.* Aliorum DD. in Papatu, ipsorumq; Jesuitarum verba ascripsit noster Gerhardus *L. de Lege DEI §.78.79.* & *Conf.Cath. t.3.p.681.715. sqq.* Confer. Dorsch. *Vindic. Exodi P.I.p.91. 92.* Hoornbeek *Exam. Bullæ Urb. VIII. de Cultu imag p.126. sqq.* Voetius *Disp. Select. P.III. p.877. sqq.* Qvòd si (γ) dicas, qvicqvid hîc religiosi cultûs est, non ad imaginem, sed ad exemplar reduci oportere, fateberis idololatriam. Sive enim Sanctorum fuerint imagines; idololatricus est omnis religiosus cultus, qvi Sanctis defertur, ceu *punct. præced.* ostensum: Sive DEI ipsius; impinges in interdictum de sculptilibus aut ullâ similitudine DEI colendâ. Neq; (δ) Israelitæ tam erant insulsi, ut crederent, per hunc vitulum, qvem paucas ante horas viderant fieri, se eductos ex Ægypto. Ipsi Jehovæ cultus is instituebatur, *Exod. XXXII, 5.* atq; Elohim, DEUM illum, qvi eduxerat ex Ægypto *(v.4.)* in vitulo colebant. *Obliti in hoc Deum, qvi salvavit eos*, qvatenus mandata ipsius, id maximè, qvo interdixerat fabricatione idolorum, posuerunt ex oculis. Et (ε) qvam non idololatriam sic excusabimus? Sanè gentiles non ligna ipsa, aut lapides, sed Numen repræsentatum

adeoq; verissima idololatria.

tatum

tatum adorare se profitebantur, ceu ex Arnobio & Lactantio G. Cassander *Consult. art.* 21. observat. Sed jam responsum huic exceptioni ab Augustino *Conc.* 2. *in Psal.* 113. *T. VIII. pag.* 1306. *Ne qvisqvam dicat, cùm irrisa fuerint simulacra: Non hoc visibile colo, sed Numen, qvod illic invisibiliter habitat.* Et mox: *Videntur a. sibi purgatioris esse religionis, qvi dicunt: Nec simulacrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, qvam colere debeo. — — — Respondent autem, non se ipsa corpora colere, sed qvæ illis regendis præsident numina. Itaq; Apostoli una sententia pœnam istorum damnationemq; testatur: Qvi transmutaverunt, inqvit, veritatem DEI in mendacium: & coluerunt & servierunt creaturæ potiùs, qvàm Creatori, qvi est Deus benedictus in secula. Nam priore parte simulacra damnavit: posteriori autem interpretationes simulacrorum. — Qvis autem adorat vel orat intuens simulacrum, qvi non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari, qvod desideret, speret?* Qvæ qvidem contra gentes scribit Augustinus, ita tamen, ut & Pontificiam paganæ gemellam idololatriam impugnent.

(2.) Prohiberi cultum idolorũ gentilium,

(2.) Pergit Masenius atqve aliud qværit effugium: *Si meminisset Calvinus, hoc ipsum, qvod repræsentabatur gentibus, vel fuisse creaturam detestabilem, ut vitulum Ægyptiorum, aut hominem impium vel dæmonem qvempiam,*

vel

non imaginum Christianarum.

vel figmentum, ut Mercurium aut Venerem; nos autem vel Christum, vel Sanctos, aut qvippiam ad eosdem spectans proponere, ut dignum rebus figuratis cultum præstemus, animadvertisset ingens discrimen. Gentium enim cultus, cùm figmentum venerantur, in ficto idolo; cùm aliam creaturam spectat, in hac tanqvam Deo terminatur. Unde modò sculptile adorare in S. literis dicuntur, modò dii gentium esse dæmoni &c. Qvid tale in cultu Christianorum, ubi Deus verus, aut Sancti ejus per signa proposita, eodem cultu, qvo sine his signis honorantur? Est sanè aliqvod discrimen, non autem qvantum sufficiat ad cultum Papalem ab idololatriæ crimine absolvendum. Præterqvam enim qvòd inter Sanctos, qvorum imagines adorandæ proponuntur, non pauci sunt, qvi perinde, ut Mercurius aliqvis aut Venus, in rerum naturâ nunqvam extiterunt; idololatria æqvè est adorare hominem sanctum ac impium. Uterqve enim creatura est, cui divinum qvi honorem exhibet, idololatriæ reus est. Et Scriptura ipsa Legem *Ex. XX*, 4. de veri DEI imagine seu similitudine ad cultum non proponendâ interpretatur *Esa. XL*, 18.25. *XLVI*, 5. Par ergò ratio in utroqve gentilis & Papalis cultûs, qvatenus & in creaturâ terminatur, & DEUM ipsum in imagine adorat. Sed in Sanctis, inqvit Malenius, non terminatur cultus, tanqvam

qvam in DEO? Perinde qvasi adultera non sit, qvæ alteri se prostituit, qvem non habet pro conjuge. Ipsum hoc est, qvod idololatriæ & fornicationis spiritualis condemnat Pontificios, qvòd amorem honoremq; religiosum, qvi soli DEO debetur, cum creaturis & imaginibus communem faciunt. Harmoniam aliàs gentilis & Pontificiæ iconolatriæ texere perfacile esset. Vide, si lubet, Chemn. *Exam. P. IV. de usu imag. apud Ethnicos p. 676. sqq.* Nic. Hunn. *de Apostas. Rom. Eccl.* §. 378. *sqq.* & *demonstrat. qvòd Ecclesia Pontificia non sit Christiana §. 69. sqq.*

(3.) Solennem cantilenam ingeminat, inter cultum *absolutum* & *respectivum* distinvendo: *Si qvid honoris signa habeant, non nisi propter repræsentata merentur: qvæ si tollas, nihil, nisi qvod in materiâ resident, relinqves. Ipsa crux Christi, & serpens in deserto æneus non æstimabitur Christi passione sublatâ. Cherubim & arcam ridebimus: nisi Deus singulariter ei assistat. Ad unum igitur verum Deum, qvem (secus qvàm gentes & Israelitæ, cùm dicerent de figura vituli: Hi sunt dii, qvi nos eduxerunt de Ægypto,) agnoscimus ac veneramur, referunt postremò symbolici honorem omnem. Qvem nisi à men-* *(3.) Prohiberi cultum absolutum, non respectivum:*

mente affectuq; illorum sustuleris, nunqvam in cultu Sanctorum vel reliqviarum, signorum atq; imaginum, idololatras facere poteris. Hîc optandum primò, ut de genere cultûs imaginibus debiti transigerent Cadmæi fratres, qvibus hactenus non satis de eo convenit, aliis improprium, aliis externum tantùm & qvi gestu absolvatur, aliis respectivum, aliis objectivum, aliis eundem imaginum & prototypi, aliis inferiorem imaginis, qvàm prototypi cultum asserentibus. Lege eorum contradictiones ap. Dorsch. *P. I. Vindic. Ex. p. 90. sqq.* Bellarmini sanè conclusionem de Imag. SS. *L. II. c. 21.* (*Imagines Christi & Sanctorũ venerandæ sunt non solùm per accidens & impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm ut vicẽ gerunt exemplaris:*) nec non Tanneri *T. III. Theol. Schol. D. V. q. 2. dub. 7. n. 175.* (*Pro certo habendum, ipsam veram crucem, in qvâ Christus pependit, aliasq; Sanctorum reliqvias, tanqvam res sacras, posse etiam per se ac seorsim aliqvo modo coli & adorari, non advocato directè exemplari seu personâ illâ, ad qvam pertinent.* Cui subjungit *n. 202*: *Eodem etiam modo coli possunt imagines, spectatæ ut Prototypo relativè opponuntur*) cum Masenianis istis conciliare non possum.

cui thesi alii Jesuitæ contradicunt.

possum. Non sanè riderent hi crucem, Cherubinos, arcam, licèt non considerato Deo, Christove, qvod volebat Masenius tamen. Imò illorum sententiam, qvi *prototypon modò coli coram imagine* sentiunt, sic confutat idem Tanner. *l.c. dub.*5. *n.*139. ut censeat, eâ planè omnem imaginum cultum everti. Præthereà verò falsissimum est, propter exemplar adorari imagines debere, sive Deum repræsentent, sive Sanctos. Deus enim in imagine se coli prohibuit, & in creaturam religiosus cultus non cadit: monitumq; paulò anteà, si sufficiat respectus ad adsolvendum religiosum cultum ab idololatriæ crimine, paratissimum fore omni gentili idolomaniæ præsidium. Nunc addimus, ita rem qvamvis, etiam inanimatam, imò diabolum ipsum, qvatenus respectum habet ad Deum, adorari posse, cujus evidentiam collectionis agnosci concediq; à Valentiâ *L.III.de adorat.D.*1.*c.*8.*& Disp.IV.c.*4. Gisb.Voet.*T.III. Disp.Select.p.*880.observat. Porrò si maximè consideretur imago in tali cultu, qvatenus repræsentat prototypon, erit nihilominus materia circa qvam adorationis, eamq; per modum objecti terminabit, qvâ in re manifestissimæ idololatriæ naturam consistere in propatulo est. Adoratur enim ita creatura, qvocunqve id fiat respectu, qvi rem in sese malam reddere bonam ac licitam neqvit.

De cultu Cherubinorum, Arcæ,

Qvæ de cruce, ſerpente æneo, Cherubinis & arcâ inſpergit, parum ad rem faciunt. Ubi enim vel crucem, vel ſerpentem æneum, vel Cherubinos etiam & arcam adoratam legimus? Benè olim Patres in Francofurtenſi Synodo à Carolo Magno A. DCCXCIV. indictâ, cujus vindicias contra ſycophantias ac corruptiones eorum, qvi rejectum imaginum cultum ab eâ fuiſſe negant, Dorſcheus inſtitutâ ad hanc Synodum (*Collatione S. II. c. 6. p.* 51. — 100. & Höpfnerus *Sax. Evang. S. III. P. I. c.* 3. *ſqq. p.* 385. *ſqq.* dederunt. Hi ergò ſic inter alia de Cherubinis & arcâ reſpondent *L. I. Capitularis c.* 15. *Feciſſe Sanctus Moſes præcipiente Domino propitiatorium & arcam Teſtamenti, & duos Cherubim aureos, nec non & excidiſſe tabulas lapideas legitur: non tamen adorare juſſiſſe, nec ea ob præteritarum rerum qvarundam memoriam, ſed ob futurorum myſteriorum ſacratisſimam præfigurationem creditur condidiſſe. Et cap.* 20. *Qvæ dum ita ſe habeant, qvantæ ſint abſurditatis, qvantæq́; dementiæ illi, qvi his ſacratisſimis & ſummo honore dignis rebus præcipiente Domino à Legislatore conditis imagines æqviparare conantes, illarum adorationem his exemplis ſtabilire moliuntur, nec ferrea vox expli-*

plicare, nec nostri sensûs existimatio poterit indagare: præsertim cùm illa sacratissimorum sensuum exuberent arcanis; hæc parum utilitatis habeant, exceptâ recordatione rei, cujus sunt. Iidem *c.* 18. docent, de serpente æneo ex Historiâ Ezechiæ *II. Reg. XVIII.* & *II.Chron.XXIX.* descriptâ constare, qvòd non debuerit adorari: qvia Ezechias, intelligens eò abripi serpentis hujus usum, qvi typicus erat & memorialis, jusserit deleri illum penitus. Conf. Höpffner. *loco modò cit. cap.* 9. *p.* 459. *sq.* De *cruce* Domini nihil hac vice addimus, nisi Minucii Felicis verba, contra objectam à gentibus σταυρολατρείαν se suosq; tuentis: *Cruces nec colimus, nec oramus. Vos planè, qvi ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis:* & illa Ambrosii Orat. funebri Theodosii: *Invenit Helena titulum, Regem adoravit, non lignum utiq; qvia hic gentilis est error, & vanitas impiorum. Adoravit illum, qvi pependit in ligno, scriptus in titulo.* Plura autem de usu crucis in Ecclesiâ veteri, & idololatrico ejusdem in Papatu abusu lege apud Chamier. *T. II. L.* 20. *toto,* Voet. *T. III. Disp. Select. p.* 884 — 931. Casaub. *Ex. XVII. n.* 33. Dounam. *de Antichr. L. V. c.* 4. Rivet. *C. O. tr.* 2. *q.* 20. Hoornbeek *Exam. Bullæ Urb. VIII. de Imag. p.* 181. *sqq.* Valkenier. *idol. p.* 247. *sqq.* & ex nostris Dorsch. *vindic. Exo-* *& crucis.*

 di

di P.I. p.98. sqq. P.II. p.37. sqq. nec non *Pentadec. Diss. VII. th.14.* Danh. *Hodom. Pap. T. I. p.* 1212. 1228. 1240. *Colleg. Decalog. p.* 60. *sqq.* Buchner. *in Prudent. de Nat. Christi pag.* 101. Dilherr. *Elector. L. I. c.* 24. Elmenhorst. *in Minut. Felic. p.* 284. *sq.*

(4) *Errorem qvorundam in Papatu circa cultum imag. non præjudicare cultui ipsi,*

(4.) Videtur prævidisse Masenius periculum illius de relativâ imaginum adoratione doctrinæ, qvod & Patribus Francofurtensibus suboluit, qvi *L. III. c.* 16. sic scribunt: *Etsi à doctis qvibusq; vitari possit hoc, qvod illi in adorandis imaginibus exercent, qvi videlicet non qvid sint, sed qvid innuant, venerantur; indoctis tamen qvibusq; scandalum generant, qvi nihil aliud in his, præter id, qvod vident, venerantur & adorant. Unde cavendum est, ne evangelicam sententiam subeant, qvi tot pusillos ad scandalizandum impellunt.* Hoc ergò saxum ita removendum sibi putavit Noster: *At dices, homines qvandoq; simplices huc cogitationes non referre, verùm signis Sanctisq; tantùm adhærescere. Demus hanc simplicitatem, qvæ tamen in catholicè instructo vix solet reperiri. Qvid ad te? tu tantùm hanc simplicitatem cave, & saluti tuæ consuluisti. Si alius ex eqvo delapsus cervices frangat: an tu iccircò omnem eqvum*

eqvum vitabis? Si sapis, tu uteris cautiùs, & ad iter faciliùs expediendum hoc te idcircò commodo minimè privabis. Egregia verò doctrina, qvæ facilè patitur nec repugnat qvicqvam, incurri à simplicibus idololatriam, hoc est, peccatorum gravissimum. At Paulus in re indifferenti (qvalis Masenio est cultus imaginum, ut mox intelligemus,) extrema pati malebat, qvàm ut scandalizari fratrem permitteret, *Rom. XIV*, 13. 21. *I.Cor. IIX*, 12.13. Nunc tantum tamq; præsens istud periculum est, ut vix ipsos Doctores effugere illud posse, Bellarminus censeat *L. II. de imag. c.22.* § *qvartò.* sic scribens: *Dicere populo, imaginem Christi vel crucem adorandam esse latria cultu*, (qvod multi è Pontificiis existimant) *non caret magno periculo: nam qvi defendant imagines adorari latriâ, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, qvas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.* Qvorsum attinet ergò, comminisci cultum, qvi cum tanto periculo conjunctus sit, ac præterea ex naturâ qvoqve suâ malus & à DEO severissimè prohibitus? Sed expendamus tamen bellam, si diis placet, eqvi & imaginum comparationem, qvam ita porrò exeqvitur: *Ut eqvo ad iter carere, si velis, potes: sic etiam ad viam salutis cultu imaginum & Sanctorum. Non præcipit hanc* (hunc) *Ecclesia, sed consulit, ut his mediis excitatus ferventius ad Deum pro-*

qvem periculosum agnoscit,

& indifferentem facit

properes: Liber hic cultus, non necessarius est. Hîc dum causam defendere vult Malenius, deserit. Si enim (ut in margine etiam repetit) *liber est hic cultus, nec à DEO aut Ecclesiâ præceptus:* dicta jam à Salvatore sententia est: *Frustrà colunt me mandatis hominum, Matth. XV, 9.* Neqve magis approbaverit Deus institutum Pontificiorum in imaginibus sucolentium, qvàm Aaronis, Gedeonis aliorumqve, qvi cultu electitio honorare Deum voluerunt. Iterum enim iterumq; observari animo debet istud divinæ majestatis scitum: *Non faciat qvisq;, qvod in oculis ipsius rectum videtur: sed qvod præcipio tibi, hoc tantùm facias, non addes, neq; deminues ex eo, Deut. XII, 8. 32.* Cæterùm si liber hic cultus, neqve à Scripturâ, nec ab Ecclesiâ præceptus est: qvî fit, qvòd ex mandato Dei de faciendis Cherubinis & serpente æneo, qvòd ex mandato Davidico *Psalm. XCIX, 5.* excudere imaginum cultum pleriqve laborant, qvi defensionem hujus idololatriæ suscipiunt? Qvî fit, qvòd alii (ut Thomas *Summæ P. III. q. 25. a. 3. ad 4.* & qvidam in Synodo Nicenâ ap. Binium *T. III. p. 314.*) ad traditionem Apostolicam referunt? qvòd iconolatrarum patrona Synodus Nicena pronunciat: *Non tantùm haberi posse sacras imagines ad usum historicum, sed ex mandato divino necessarias esse in Ecclesiâ?* qvòd Tridentinum

contra Papalis Ecclesiæ doctrinam.

num Concilium *Sess. XXV. mandat*, tanqvam partem non postremam religionis, pietatis, & cultûs divini, *imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas, & retinendas, eisq; debitum honorem* (h. e. adorationem, ut semper appellat Pseudosynodus Nicæna, ad qvam Tridentini provocant:) *& venerationem impertiendam?* Sed de hoc viderit ipse.

Nos de *Augustini* loco, qvo punctum hoc claudit è *tr.* 3. & 36. *in Joh. T. IX. p.* 22. 278: *Homines sumus Christiani, & si Christiani, utiq; ipso nomine ad Christum pertinentes, hujus signum in fronte gestemus, de qvo non erubescimus, etsi in corde gestamus. Signum est humilitatis ejus. Per stellam eum Magi cognoverunt, & erat hoc signum, de Domino datum, cœleste atq; præclarum. Noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus, inde glorificatus est. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem, de diabolo superato, tanqvam tropæum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri J. C. per qvem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil nunc est in fronte gloriosius. Qvid servat fideli suo, qvi talem honorem dedit supplicio suo?* Hîc ut ad- *Ad locum Augustini respondetur,*

orationem religiosam crucis sanciri intelligas, Jesuitico acumine opus est. Ego *mnemoneuticum* usum, non *latreuticum* deprehendo. Neqve de imagine crucis adorabili, sed signo crucis, qvo se signare formato in aëre solebant in vetustissimâ Ecclesiâ, ad memoriam crucifixi, (ceu ex Tertull. observat Chemnit. *Exam. C.T. p.* 688.) sermo est Augustino. Qvi de cætero planè cum Scripturâ consentit, unde & ad eum Patres Francofordiensis Concilii provocant. Ecqvid enim clarius istis? *Nolite consectari turbas imperitorum, qvi in ipsâ verâ religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulcbrorum & picturarum adoratores.* Lib. de moribus Eccles. Cath. c. 34. T. I. p. 774. *Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qvi talia fabricantur, qvos tamen colere non debemus.* Eod. Tom. lib. de verâ Relig. c. 55. p. 743. *Ut in primo præcepto Patrem intelligamus, ubi probibetur coli aliqva in figmentis bominum DEI similitudo, non qvia non babet imaginem Deus, sed qvia nulla imago ejus coli debet, nisi illa, qvæ hæc est, qvod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo,* (hoc est: Filius.) Sed plura de hoc argumento incomparabilis Chemnitius *P. IV. Exam. C. T. p.*673—705. Schröderus *pecul.*

ejusq. sententia confirmatur.

de Imaginibus tractatu, Gerh. *T.III. Conf. Cath. p.*680.*sqq.* & *L. de Lege. §.* 74.*sqq.* Höpffn. *Sax.Evang. S.III. P.I. c.*7.8.9. *p.*440.*sqq.* Danhauer. *T. I. Hodom. Pap. p.* 1211.*sqq.* & *Deuteronom. ad prae.*1. Dreier. *AntiPapist. Disp.XXX.& XXXI.* tum dogmaticè, tum historicè disseruerunt. Qvibus ex Reformatis addendi, (qvatenus idololatriam Papalem impugnant, non qvatenus ἀνθολκῆς studio in contrarium abrepti εἰκονοκλάστας agunt) Dallæus *qvatuor de Imaginibus libris*, Mornæus *L.II. de Eucharist. c.*2.*sqq.* Hoornbeck *Exam. Bullæ Urb. VIII. de Imag.* Hospinian. *de templis c.*8.*sqq.* Dounam. *de antichr. L.V. c.*4.5. Valkenier. *Roma paganiz. p.*18.*sqq.* Rainold. *de Idolol. L. II. c.* 1.*sqq.* Chamier. *T.II. Panstr. L.XXI. c.* 12. Rivet. *Explic. Decal. in Dissertat. de Cultu Imag. T. I. Opp. p.*1261.*sqq.* & *Cath. Orth. tr.* 2. *qvæst.*34. *T.III. p.* 204. *sqq.* Voet. *T. III. Disp. Select. p.* 870.*sqq.* Heidegger. *Anatom. Conc. Trid. p.* 1119.*sqq.* aliiqve. Nos finimus cum Psalte: (*Psal. XCVII. vers.* 7.) *Confundantur omnes, qvi adorant sculptilia, & qvi gloriantur in simulacris suis.*

PUNCT. IV. p. 129. 130.

De Ritibus Ecclesiasticis

An ritûs ac ceremoniæ, non præscriptæ in S. literis, in Ecclesiam cultumq; DEI admittendæ sint?

I. Sententia Protestantium

Ad qvæstionem satis perspicuè responsum jam ab Aug. Conf. *art. XV: De ritibus Ecclesiasticis docent* (Protestantes,) *qvòd ritûs illi servandi sint, qvi sine peccato servari possunt & prosunt ad tranqvillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia. De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanqvam talis cultus ad salutem necessarius sit* &c. In his multò clariùs sententiam suam explicant Protestantes, qvàm Masenius in istis, qvæ qvæstioni illicò subjicit: *Protestantes qvasdam ajunt concordiæ gratiâ admitti posse; sed tamen ad has neminem adstringendum, sed debere esse liberas.* Etenim (1.) concordiam Ecclesiæ, nemo Protestantium in ritibus constituit. *Ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrinâ Evangelii, & administratione Sacramentorum. Nec necesse est, ubiq; esse similes traditiones humanas seu ritûs aut ceremonias ab hominibus institutas,*

involuta à Masenio,

evolvitur,

ajunt

ajunt Confessores Augustani *art. VII.* (2.) Nemo ita liberas facit hujusmodi ceremonias ab Ecclesiâ publicè receptas, ut integrum sit cuivis, servare eas vel omittere; sed uti res ipsas in sese & naturâ suâ indifferentes manere, nec fieri necessarias, vel ut cultum DEI, vel ad gratiam & salutem impetrandam, ex verbo DEI docemus: ita Ecclesiæ tamen hanc potestatem facilè concedimus, qvâ exercitium rerum indifferentium qvoad singulos ita determinare possit, ut non liceat temerè uni vel alteri Ecclesiæ membro citra inobedientiæ notam aut turbationem decentis ordinis ritum inveteratum abrogare aut substituere novum. *Aliud* ergò est, observantiam ceremoniarum cuivis facere liberam: *aliud*, affictam iis sub opinione cultûs ac meriti necessitatem impugnare. Illud falsò Protestantibus tribuit Masenius. Apertè enim illi docent *Apolog. art.* 15. *sub fin. p.* 214. *usum libertatis in his rebus ita moderandum esse, ne imperiti offendantur, & propter abusum libertatis fiant iniqviores veræ doctrinæ Evangelii, neve sine probabili causâ mutetur aliqvid in usitatis ritibus, sed ut propter alendam concordiam serventur veteres mores, qvi sine peccato, aut sine magno incommodo servari possunt.* (Conf. Urb. Rheg. *de Formulis cautè loqvendi præfat. n.* 18. *&* c. 13. Balduin. *Cas. Consc. L. IV. c. XI. cas.* 1. *p.* 1136.

& qvalem illi Libertatem defendant, explicatur,

sqq.)

Meisner. *de Legg.* p.651.661. Höpffner. *Sax. Evang. S.II. P.I. c.3. p.* 204. Iidem autem & p.205.*sqq.* solidè ostendunt, istâ talis necessitatis persvasione, Evangelium ac justitiam fidei pessundari penitus, dum ceremoniis hujusmodi tribuitur, qvod uni fidei assignat Scriptura: enervari præcepta DEI propter traditiones, (*Matth.XV.*6.) vexari conscientias injecto laqveo, contradici deniqve verbo DEI, qvod omnem cultum repudiat, qvem DEUS non præcepit, *Ezech.XX.*18. *Esa. XXIX,* 13. *Matth. XV,* 8. 9. *neq; judicari fideles vult in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum*; sed acerrimè potiùs interdicit omnibus, *qvi mortui sunt cum Christo ab elementis hujus mundi, ne tanqvam viventes in mundo decretis talibus se teneri patiantur: ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis, qvæ sunt omnia in interitum in ipso usu secundum præcepta & doctrinas hominum*, Col.II, 16. *sqq.*

sententiaq; eorum confirmatur.

II. De Sententiâ Pontificiâ, observ. Ritûs eorum

Consideremus verò, qvàm callidè involvat Masenius Ecclesiæ suæ placita. *Catholici,* ait, *docent, nihil qvidem in ritibus admittendum, qvod adversetur Legi aut doctrinæ Christi; laudabiliter tamen adhiberi, qvæ ad præscriptum DEI cultum exornandum extollendumq; faciunt, atq; hæc etiam ab Ecclesiâ ob decus conformitatemq; in tractandis sacris præscribi: qvòd subditi ad observationem eorum tene-*

teneantur, qvæ ab Ecclesiæ rectoribus legitimè præscribuntur. Frustrà enim Leges, ubi nulla obedientia. Hinc tam difformes in Ecclesiis Protestantium, qvamvis in angulo tantùm orbis repertis, ritûs: tàm verò uniformes apud Catholicos, licèt toto orbe diffusos. Hîc (1.) verbis Masenii praxis Ecclesiæ Pontificiæ repugnat. Pleriqve enim, certè præcipui, ritûs *doctrinæ Christi adversantur*, ut qvi in Sanctorum cultu, sacrificio missatico, processionibus, consecrationibus cereorum, ciborum, campanarum, ungventorum &c. adhibentur. Pleriqve non abnuentibus summis in Ecclesiâ Papali Scriptoribus Judaismo atqve Ethnicismo debent originem. *Sylva Judaicarum ceremoniarum sic paulatim agrum dominicum occupavit, ut periculum sit, ne aliqvando ipse Dominus illud agricolis crimini det, ab eiúq́ petat: Qvis enim qvæsivit hæc de manibus vestris? verùm ut non parùm multa à Judæis, ita non modica ab aliis gentibus instituta, aut casu rationeve accepta tam in freqventem usum consvetudinemve venere, ut pro nostris haberentur:* Scribit Polyd. Verg. *præf. L. IV. de Rer. invent.* Similia aliorum in Papatu testimonia lege apud Dorsch. *Mysar. Missæ c. ult.* §. 27. *sqq. p.* 339. *sqq.* Hunn. *apostas. Rom. Eccl.* §. 238. *sqq.* Deinde (2) laudabiliter sanè adhibentur, *qvæ adpræscriptum Dei cultum exornandum extollen-*

(1) doctrinæ Christi adversari,

(2.) vero cultui officere:

lendūq; faciunt: qvæ v. vel pro cultu ipso venditantur ceremoniæ, vel ad vetitum verboq; Dei adversum cultū fucandum ornandumq; comparata sunt, cum cultu illo suo, rejiciuntur meritò. Sed & nimii ritus vitandi sunt, qvòd cultui ipsi, cui ornando adhibentur, obsint potiùs, qvàm prosint. Qverebatur olim Augustinus *Epist. CXIX. c. 19. T. II. p. 576.* de multis observationibus in Ecclesiam introductis, *de qvibus qvamvis inveniri non possit, qvomodo contra fidem essent: ipsam tamen religionem, qvam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia DEI liberam esse voluit, servilibus oneribus premebant, ut tolerabilior Judæorum esset conditio, qvi etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciebantur.* Et paulò antè: *Hoc nimis doleo, qvia multa, qvæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumtionibus plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur, qvi per octavas suas terram nudo pede tetigerit, qvàm qvi mentem vinolentiâ sepelierit.* Certè qvidem Cassander *Consult. art. 15* fatetur, *multos fuisse* suo ævo *qvi in externâ talium traditionum observatione justitiam & fiduciam collocabant, neglectis interim veræ & internæ pietatis, qvibus servire illæ debebant, officiis: neq; defuisse, qvi præposterâ æstimatione*

tione has traditiones præceptis divinis non modò æqvare, sed præferre sint visi: ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut charitatis & misericordiæ neglexerint & earum qvacunq; de causâ transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem esse judicarint. In qvos ibi meritissimo verba Christi *Matth. XV, 8 9.* intorqvet. *Erasmum* etiam laudat, *qvi non immeritò conqvestus sit, totam ferè religionem hactenus redactam fuisse ad ceremonias, & vigorem Evangelicum ferè per eas fuisse antiqvatum.* Qvas effusurum qverelas putabimus, si histrioniam Papalem hodiernam, & mutatum in ceremonias superstitiosas, frigidas, fatuas, ridiculas cultum omnem videre eum contingeret? (3) Ab Ecclesiâ *præscribi ritûs certos ob decus & conformitatem in sacris tractandis posse*, nemo negat. At verò orbi universo ab Ecclesiâ præscribi posse ritûs certos (non dicam, impios & ineptos,) sub opinione vel cultus, vel necessitatis intrinsecæ, qvæ ipsam eorum indifferentiam tollat & sub jugum servitutis redigat liberatos per Christum, vel tanqvam media promerendi gratiam aliosq; effectûs spirituales producendi, qvod Pontificii volunt. (vid. Carpz. *isag. p. 459.* ipsumq; Bellarm. *L. II. de Effectu Sacram. c. 31. propos. 5.*) id verò est, qvod impugnamus. Qvoniam ea doctrina naturam verosq; fines ceremonia-

(3) præcipi sub opinione cultûs, meriti, necessitatis.

lendiq; faciunt: qvæ v.vel pro cultu ipso venditantur ceremoniæ,vel ad vetitum verbo Dei adversum cultû fucandum ornandumq; comparata sunt, cum cultu illo suo, rejiciuntur meritò. Sed & nimii ritus vitandi sunt,qvòd cultui ipsi, cui ornando adhibentur, obsint potiùs, qvàm prosint. Qverebatur olim Augustinus *Epist. CXIX. c. 19. T. II. p. 576.* de multis observationibus in Ecclesiam introductis, *de qvibus qvamvis inveniri non possit, qvomodo contra fidem essent: ipsam tamen religionem, qvam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia DEI liberam esse voluit, servilibus oneribus premebant, ut tolerabilior Judæorum esset conditio, qvi etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciebantur.* Et paulò antè: *Hoc nimis doleo, qvia multa, qvæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumtionibus plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur, qvi per octavas suas terram nudo pede tetigerit, qvàm qvi mentem vinolentiâ sepelierit.* Certè qvidem Cassander *Consult. art. 15* fatetur, *multos fuisse* suo ævo *qvi in externâ talium traditionum observatione justitiam & fiduciam collocabant, neglectis interim veræ & internæ pietatis, qvibus servire illæ debebant, officiis: neq; defuisse, qvi præposterâ æstima-*
tione

tione has traditiones præceptis divinis non modo æqvare, sed præferre sint visi: ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut charitatis & misericordiæ neglexerint & earum qvacunq; de causâ transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem esse judicarint. In qvos ibi meritissimo verba Christi *Matth. XV, 8 9.* intorqvet. *Erasmum* etiam laudat, *qvi non immeritò conqvestus sit, totam ferè religionem hactenus redactam fuisse ad ceremonias, & vigorem Evangelicum ferè per eas fuisse antiqvatum.* Qvas effusurum qverelas putabimus, si histrioniam Papalem hodiernam, & mutatum in ceremonias superstitiosas, frigidas, fatuas, ridiculas cultum omnem videre eum contingeret? (3) Ab Ecclesiâ *præscribi ritûs certos ob decus & conformitatem in sacris tractandis posse*, nemo negat. At verò orbi universo ab Ecclesiâ præscribi posse ritûs certos (non dicam, impios & ineptos,) sub opinione vel cultus, vel necessitatis intrinsecæ, qvæ ipsam eorum indifferentiam tollat & sub jugum servitutis redigat liberatos per Christum, vel tanqvam media promerendi gratiam aliosq; effectûs spirituales producendi, qvod Pontificii volunt, (vid. Carpz. *isag. p. 439.* ipsumq; Bellarm. *L. II. de Effectu Sacram. c. 31. propos. 5.*) id verò est, qvod impugnamus. Qvoniam eâ doctrina naturam verosq; fines ceremonia-

(3) præcipi sub opinione cultûs, meriti, necessitatis.

niarum Christianarum evertit. Eæ enim ornamenta cultûs, non pars sunt: neqve de cultu constituere in Ecclesiæ aut ullius hominis potestate situm est. (4) *Tenentur subditi ad observationem eorum, qvæ ab Ecclesiæ rectoribus præscribuntur*, si pia illa sunt, nec DEO ejusq; verbo adversa. At verò si novos cultûs contra interdictum DEI *Devt. IV*, 2. *XII*, 32. *Num. XV*, 39. *Jer. XIX*, 5. &c. procudant, aut libertatem Christianam violent, tum magis parendum DEO, qvàm hominibus *Act. V*, 29. standumq; in libertate, in qvam per Christum sumus asserti, *Gal. V*, 1. Prætereà & illud tenendum, qvod laudatus modò Cassander aliqvoties observat ex Thomâ, *Leges Ecclesiasticas, qvibus ritûs sanciuntur, in tantum obtinere vim & rationem Legis, qvatenus ordinantur ad finem suum, si verò ab illo deficiant, virtutem obligandi non habere.* Item: *Differre in hoc præcepta Ecclesiæ positiva à divinis: qvòd ad hæc omnes teneantur in qvolibet casu. Præcepta verò Ecclesiæ* (ait *l. c. p.* 88.) *de iis præcipiuntur, qvæ per se neq; semper sunt bona, sed possunt esse mala. Qvare intentio Legislatoris nec est, nec esse debet, ut semper observetur præceptum: Itaq; ob causas rationabiles hujusmodi statuta solvi posse; tum autem esse causam rationabilem, cùm cessat ratio Legis.* Scilicet si finis talium rituum (qvi est decens in Ecclesiâ ordo sacrorum, *I. Cor. XIV*, *ult.*

(4) observari cum violatione Legis divinæ, & christianæ libertatis.

XIV, ult. seu imperitiorum per externa signa ad notitiam rerum sacrarum vel devotionem pædagogia,) citra scandalum proximi & Ecclesiæ contemtum aliis mediis obtineri possit, multoq; magis, si temporum mutatione hominumve malitiâ tales ritûs qvoad veri finis intentionem, corrumpantur, adeoqve plus damni, qvàm utilitatis invehant in Ecclesiam, non solùm licitè omitti, sed abrogari etiam possunt. Qvod more suo, h. e. accuratissimè in thesi, & hypothesi noster Hülsemannus deduxit *Diss. XIII. contra Hager. p.* 499. *sqq.* Atqve sic Vigiliarum usum abrogatum ab Ecclesiâ veteri fuisse suprà *p.* 617. observabamus. Spectatq; huc exemplum Pauli cum gentilibus contra institutum Petri comedentis, ne abstinentia à convictu gentilium confirmaretur, tanqvam ad salutem & conscientiæ tranqvillitatem necessaria, *Gal. II*, 4. 5. 14. (5.) Ponamus jam, *difformes in Ecclesiis Protestantium, qvamvis in angulo orbis repertis, ritûs: uniformes apud Papistas toto licèt orbe diffusos esse,* qvod addit *Masenius.* Qvid posteà? Maneat *consonantia fidei*, qvam miserè discerpunt Papicolæ; qvicqvid sit de *dissonantiâ rituum, qvâ non tolli fidei harmoniam, sed commendari*, dicebat apud Eusebium *L. V. Hist. Eccl. c.* 23. Irenæus, cujus sententiam Socrates qvoq; *L. V. c.* 21. & Sozom. *L. VII. c.* 19. confirmant, docentq;, non reperiri similes per omnia tra-

Expensa difformitas rituum in nostris Ecclesiis.

 ditio-

ditiones in omnibus Ecclesiis, qvæ in fide consentiunt. Conqveruntur tamen de qvibusdam, qvos Papistarum prodromos dixeris, *qvi de diebus festis, tanqvam de vita decertabant, Dei præcepta evertebant, sibiq; ipsis Leges sanciebant, Legis promulgationem ab Apostolis traditam contemnebant, qvi propter festi celebrationem se justificatos putabant, studioq; Judæos imitandi ducebantur.* Cæterùm nemo, cui sanior mens, illorum sententiam approbabat; perinde ut Papisticæ opinioni nemo subscripserit facilè, qvi rem in timore Domini paulò altiùs expenderit. Qvid qvòd Augustinus etiam, qvem de illis ceremoniarum jactatoribus modò conqverentem audiebamus, *Epist. LXXXVI. sub fin.* diversitatem rituum Mediolanensis & Romanæ Ecclesiæ observat: neqve tamen Mediolanensem ad Romanæ exemplum se componere, sed ejus Ecclesiæ, ad qvem veneris, morem servare jubet. Verba suprà nobis objiciebat Masenius, qvæ nos *p.615.* asseruimus. Ac velimus huc omninò referri aurea Augustini verba, qvæ ex ejus *Epistolâ ad Januarium* ibidem *pagin. 616.* descripsimus: qvòd omnem rituum necessitatem, simulq; argumentum, qvo ex unitate rituum unitatem fidei colligere Masenius voluit, validissimè prosternunt. Ronchum verò, qvo *Ecclesias Protestantium in angulum orbis* rejicit, parum eqvidem curamus. *Noli timere, grex parve,*
pla-

placuit enim Patri vestro vobis dare regnum! Qvanqvam & fidem nostram, fatentibus ringentibusq; hostibus, per totum orbem diffundi, inq; medio Papatu vigere, *dominante Christo in medio inimicorum suorum*, (Psalm. CX, 2.) suprà observaverimus *p*.230. Cæterùm *uniformitatem rituum apud Catholicos toto orbe diffusos* jactanti Masenio dudū Hülsemannus objecitMoguntiam atq;Coloniam,imò diversa ejusdem Coloniæ templa, in qvibus rituum dissimilitudinem deprehendas, atqve Spalatensis Archiepiscopi, ac Bellarmini allegat suffragia, *Manual. p*.518. Sed non eò descendemus. Componat priùs Pontificiorum inter se pugnas circa fidei dogmata, de qvibus & suprà monuimus, atqve tum nobis rituum dissimilitudinem exprobret. Lege, si placet, Balduinum *L.IV. Cas. Consc. c.XI. cas*.4.*p*.1143.*sqq*. eruditè docentem, neqve necessarium nec utile esse, ut uniformitas rituum in omni Ecclesiâ introducatur. Adde Meisner. *L.IV. de Legibus S.*2. *a*.4.*q*.4.*p*.662.*sqq*.

& uniformitas in Ecclesiis Papalibus.

Sed pergit Masenius, ac tria profert exempla ceremoniarum, qvas à Protestantibus non aliam ob causam observari existimat, qvàm qvia sic constituit Ecclesia: indeq; concludit, causam non esse, cur, qvi in aliqvibus Ecclesiæ traditionem admittunt, repudient in aliis. *Et nisi hanc Ecclesiæ potestatem admittant* Protestantes, (sic scribit) *qvomodo*

III. Objecta rituum necessariò observandorum exempla:

modo (1.) *ritum cœnæ, qvam jejuni hoc tempore sumunt, tueri possunt? cùm ut ipsi Centuriatores tradunt, non solùm Apostoli, sed & primi Christiani, hanc non jejuni sumserint? ut icciro Apostolus dicat* 1. Cor. XI, 34. *Si qvis esurit, domi manducet:* (2.) *In Concilio etiam Hierosolymitano statutum sit, ut à sangvine & suffocato abstineatur*, Act. XV, 20. *cui postea ab Ecclesiâ est derogatum periculo scandali sublato. Deniq;* (3.) *qvomodo cultus Sabbati in diem Dominicum translatus ubiq; cum obligatione tenetur?* Priora verò duo exempla planè confirmant ceremoniarum Libertatem, & despoticum, qvod Rom. Ecclesia sibi in hoc genere arrogat, imperium validè evertunt. Si enim cessante causâ hujus illiusve ceremoniæ, licèt ab Apostolis ipsis sive receptæ, sive (edicto periodico ac temporario, non universali ac perpetuo) præceptæ, eam ipsam liberè mutare potuit Ecclesia: qvis dubitaret, idem licuisse orthodoxis, qvando non modò causa desiit observandorum talium rituum, sed gravissimæ urserunt rationes, ut illi abrogarentur? Nullâ hîc traditione opus necessariò seqvendâ. Sufficiunt scriptæ à Paulo de Libertatis Christianæ usu Leges. Neqve sanè Ecclesia orthodoxa sic à jejunis sumi S. Cœnam jussit, ut grande nefas haberet, si à pastis usurparetur. Pertinet ritus ille ad externam disciplinam, cujus Lex charitas esse debet. Vide Balduin. *Cas. Consc. L. II. c. 11. cas.*

(1.) *S. Cœnæ à jejunis sumtio.*

caſ. 15. *p.* 461. Feurborn. ap. Dedekenn. *Conſil. volum. I. P. II. L. III. S. III. num.* 16. *p.* 573. Höpffner. *Iſag. pract. de uſu S. Cœnæ, S. I. a.* 1. *c.* 1. *aph.* 3. & *S. II. a.* 2. *c.* 3. *aph.* 5. 6. *p.* 7. 272. Dannhau. *Hodoſ. p.* 1254. Neqve libertas ſuffocati & ſangvinis comedendi ex traditione neceſſariò arceri debet. Satis clara habemus Scripturæ teſtimonia, qvibus licitus omnium, qvæ in macello veneunt, uſus extra caſum ſcandali, confirmatur, 1. *Cor. X,* 25. 29. 30. *Rom. XIV,* 3. ut neceſſe non ſit, novam comminiſci Eccleſiæ traditionem, qvæ Concilii Apoſtolici canonem relaxet. Vide Auguſtin. *L. XXXII. c. Fauſt. c.* 13. *T. VI. p.* 484. ubi ex Scripturis hanc libertatem deducit, & accuratè cum Apoſtolicâ conſtitutione conciliat: & confer, ſi vacat, qvæ Dorſcheus *diſſertatione peculiari ad Act. XV,* 20. contra Hug. Grotium, Steph. Curcellæum aliosq; qvosdam vetiti hodieq; ſangvinis defenſores diſputavit: qvod brevius & Walther. *Harmon. p.* 1018. Gerh. *in Gen. p.* 241. & *in Deuteron. p.* 772. *ſqq.* aliiq; præſtiterunt. Veterum qvorundam explicationem, qvi Apoſtolicum interdictum de effuſione ſangvinis & crudelitate vitandâ intelligebant, (qvomodo relaxari id nullâ Eccleſiæ traditione poſſet,) non morabimur. Lege de eâ Elmenhorſt. *ad Minut. Felicem p.* 301. Sabbati verò in feriam primam translatio huc planè non pertinet. De ritibus enim Eccleſiæ autoritate conſti-

(2) Libertas comedendi ſangvinis & ſuffocati:

(3) Sabbati in primam feriam translatio.

 tutis,

tutis, non ordinatis à Christo aut Apostolis controvertitur. Docent autem manifesta Scripturæ indicia, *Marc. XVI*, 2. *Job.* XX, 19. 26. *Act.*XX, 7. *I. Cor.*XVI, 1. 2. *Apoc.I*, 10. jam Apostolorum ævo mutationem illam factam, sive ex Christi mandato, (qvod B. Danhauerus putat *Colleg. Decal. Disput. VIII.* §. 5. *p.*546. *sqq. Hodos. p.*512. & *Lac. Catech. Tom.I.p.*522. & Nic. Vedelius *Exerc.II. in Epist. Ignatii ad Magnes. c.*7. *p.*79.) sive ex Christianâ libertate. Vid. Chemnit. *Exam. P. IV. de Festis, p.*807. & *Locor. P. II. p.* 138. *sqq.* Balduin. *Cas. Consc. L.II. c.*13. *cas* 2. *p.*473. Menzer. *Exeg. Aug. Conf. art. XV. p.*676. Hülsem. *breviar. c.XII.* §. 15. *p.* 171. Dn. Calov. *T. I. Bibl. Illustr. Vet. Test. p.* 415. Dn. Ziegler. *ad Grot. de J. B. & P. I,* 1, *ult. p.* 69. Dn. Ægid. Strauch. *Breviar. Chronol. L.II. c.*2. *q.*11. *p.*161. B. Parens meus in *Isag. ad libb. Symb. p.* 320. 751. 970. Si *prius* placeat, non jam ad adiaphora spectabit ampliùs; si *posterius*, inter rem indifferentem & ejus exercitium: inter actualem non-immutationem, & absolutam immutabilitatem distingvendum. Neqve enim, si hactenus ad Apostolorum exemplum (à qvo ut recedamus, causa nulla est,) diem primum feriatum habemus, absolutè necessaria illius diei & immutabilis celebratio fuerit, nisi ex Christi mandato sit profecta. Qvicqvid ejus sit, patet, non esse, cur ad

Eccle-

Ecclesiæ traditionem confugiamus, qvando ex Scripturis constat, jam ab Apostolis Dominicum diem loco Sabbati observatum fuisse. Confer, si placet, Rivet. *Cath. Orth. Tract. I. q. 9. §. 16. 17. p. 66.*

Porrò ex Magdeburg. *Centur. II. c. 4. de adiaphoris p.* 65. Ignatii verba ex ejus *Epistolâ ad Philadelph.* repetit: *Dico Episcopis & Presbyteris in Domino: qvicunq; cum Judæis pascha egerit, aut solennia dierum festorum eorum susceperit, comparticipabit eis, qvi Dominum & Apostolos ejus occiderunt.* Et paulò antè: *Dies festos nolite inhonorare, qvadragesimam nolite pro nihilo habere &c.* Hic non multum de Epistolæ illius autoritate disputabo, qvam cum qvinqve, vel, ut Vedelius volebat, sex aliis ab ipso Ignatio profectam qvidem, sed tamen in plurimis corruptam agnoscit, laudatus modò Nic. Vedelius *apologiâ pro Ignatio*, qvam septem ejus Epistolis genuinis, & qvinqve suppositititiis Genevæ Anno 1623. ab se editis & per eruditas Exercitationes, qvibus dogmata Pontificia ex Ignatio confutantur, illustratis præfixit, *cap.* 3. & Jac. Usserius Armachanus Archiepiscopus, qvi hanc cum qvinqve aliis Ignatianis multipliciter interpolatam è duobus vetustis MSCC. Latinis in Angliâ repertis Anno 1644. restituere integritati annisus

Ignatii locus pro ceremoniarum necessitate adductus expenditur.

eſt; cujus inſtitutum ſummis laudibus Rivetus extollit *Critici Sacri L.II. c.1. extr.* Johannes verò Dallæus *L.III. de Jejun. & qvadrageſ. c.4. p.416.* ne iſtas qvidem, qvas Usſerius dedit, ab Ignatii manu profectas credere volebat: Neqve ſanè iis multum adeò Rob. Cocus *in cenſurâ* tribuit. Sed hanc diſputationem nolim nunc meam facere. Hoc tantùm obſervo, Magdeburgenſes, qvorum autoritate velut κατ' ἄνθρωπον diſputaturus Malenius nititur, hæc Ignatii referre ad *Inclinationem doctrinæ, complectentem peculiares & incommodas opiniones, ſtipulas & errores Doctorum, qvi palam qvidem, h. e. in ſcriptis traditi ſint*, ut habet titulus *p.55.* Qvam ob cauſam & illa de Ignatio ſic auſpicantur: *Doctrina de Libertate Chriſtianâ nonnihil cœpit obſcurari, & ſuccrevit paulatim error de traditionibus neceſſariò obſervandis. — — Satis tamen durè etiam Ignatii Epiſtolæ de mediis rebus loqvuntur.* Neqve ignotum eſt, qvantis animorum motibus controverſia de Paſchate, ipſo illo ſeculo, in cujus initia ſcriptio Ignatii incidebat, agitata fuerit, adeò ut res in manifeſtum ſchiſma inter orientales & occidentales Eccleſias per Victoris inprimis Romani Epiſcopi fervorem nimium erumperet, illis ex inſtituto Johannis & Polycarpi in ipſo plenilunio, d. 14. Martii cum Judæis; his ex Petri & Pauli mandato, ut

ut præ se ferebant, die qvavis dominicâ, post plenilunium proximâ Pascha celebrantibus, atq; orientales Qvartadecimanorum appellatione ostentui habentibus, ut hac ratione Pascha σταυρώσιμον Judæorum, & ἀναστάσιμον Christianorum accuratiùs distingveretur. Qvæ res sex conciliis provincialibus occasionem dedit, & in Nicæno demum Oecumenico composita est, ut pluribus eâdem *Centur. II. c. 6. de Festu Christianorum ac primùm de Paschate*, & *cap. 8. Schismate de Paschate*, nec non *c. 9. de Conciliis p.* 118. 152. 159. 199. legi potest. Mirum itaqve non sit, si Ignatius Occidentalibus favens durius qvid adversus Orientales scripserit: cùm præsertim interesse videretur, Christianos ab impiis Judæorum cœtibus qvàm longissimè separari, nec committi qvicqvam, qvod collusionis speciem haberet. Igitur, si qvis omninò excusare Ignatium velit, ad illud tempus hæc ipsius de indifferentibus sententia pertineat, non verò Lex sit indifferentiam ceremoniarum penitùs tollens. Cæterùm qvòd *dies festos inhonorari, Qvadragesimam pro nihilo haberi* vetat, rectè omninò habet, neqve qvisqvam nostratium sit, qvi aliud sentiat.

Jamq; ad qvæstionem, qvâ *Conclusionem* suam Masenius complectitur, responderi

facilè poteſt. *Qvid hic* (qværit ille,) *Proteſtantes dicturi ſunt? Cur Scripturâ neglectâ, in qvibusdam Eccleſiæ autoritatem & traditionem admittunt, in aliis repudiant? Cur feſtivitatibus, ornamentis, ritibusq; Eccleſiæ ſublatis ad eum deniq; ſqvalorem templa & miniſteria Eccleſiæ redigunt, ut jam ſacra à profanis nihil differre locis pluribus videantur?* Expendant, annon illa *Poſſidonii in vitâ Auguſtini* (c. 28. T. I. p. 878.) *qverela, ob Vandalos Africæ vaſtatores, nunc repeti ob Proteſtantes tot Eccleſiarum Catholicarum invaſores posſit: Videbat Eccleſias Sacerdotibus ac miniſtris deſtitutas, virginesq; ſacras, & qvosq; continentes ubiq; disſipatos, & in his alios defeciſſe tormentis, alios gladio interemtos eſſe. — — Cernebat etiam hymnos DEI & laudes de Eccleſiis deperiſſe, ædificia Eccleſiarum qvàm plurimis locis ignibus concremata eſſe, ſolennia qvoq; qvæ DEO debentur, de propriis locis defeciſſe: Sacrificia ac Sacramenta divina vel non qværi, vel qværenti qvi tradat, non facilè reperiri.* Non deeſt Proteſtantibus, qvod dicant. Admittunt veræ Eccleſiæ traditionem in ceremoniis indifferentibus, cùm

An nos Eccleſiæ autoritatem, qvà ceremonias, negligamus?

cùm illarum exercitium pro temporum ratione & salvâ libertate Christianâ determinat; repudiant Antichristiani cœtûs dictatorias & qvasi Rhadamanteas sententias, qvibus laqveum injicere, conculcare Christianam libertatem, novos fingere cultûs, nova gratiæ ementiri merita laborat. Qvin & stipulati sæpiùs sunt nostrates, conformare sese ad ritûs Romanæ Ecclesiæ, dummodò necessitas observationis ad salutem, vis obligandi citra scandalum & Ecclesiæ contemtum, & virtus meriti illis demeretur. Hanc verò impietatem postqvàm pertinacissimè defendunt Pontificii, nec à ceremoniis suis separatam illam cupiunt, non fuerit sanè Protestantium, approbare cum ritibus impietatem moraliter ab iis inseparabilem. Vide loca *Augustanæ Confessionis*, & *Formulæ Concordiæ* hanc in rem allegata ab Hülsemanno *cit. Disp. XIII. contra Hager. §. 8. 12. p. 511. 518.* Festorum, ornamentorum, rituum abolitionem, templorumqve sqvalorem iis objectet, qvi culpæ hujus rei sunt. Nos detestamur cum Luthero Carlstadianum illum Puritanumqve furorem, celebramus festa Christi & Apostolorum, ritûs (ut fert cujusqve loci consvetudo) tenemus, picturis piis templa ornamus, ut neqvaqvam in nos competat qverela Posidonii de Vandalis Ecclesiarum Afri- *Posidonii qverela*
cana-

qvo jure nobis applicata? canarum vaſtatoribus: qvam rectiùs in eos convertas Eccleſiarum verè-Catholicarum invaſores, qvi ædes ſacras juſtis poſſeſſoribus vi armatâ eripiunt, ereptas in idolea convertunt, Confeſſores, verbi miniſtros maximè, officiis, patriâ, bonis omnibus ejiciunt, vel durisſimis carceribus laboribusq; obſcœnis damnant. Surgeret Auguſtinus, & videret proh dolor! *Eccleſias ſacerdotibus ac miniſtris deſtitutas, & in his* (qvod addit Poſidonius, qvaſi ſtatum presſisſimæ hodie Eccleſiæ deſcribens,) *alios defeciſſe tormentis, alios gladio interemtos eſſe, alios in captivitate perditâ animi & corporis integritate malo more ac duro hoſtibus deſervire. Cerneret etiam hymnos DEI* (orthodoxos) *& laudes de Eccleſiis deperiiſſe*, cerneret *Sacramenta divina vel non qværi, vel qværenti qvi tradat, non facilè reperiri:* cerneret (pertexamus enim Poſidonii qverelam, hodiernis perſecutionibus deſcribendis aptisſimam:) *in ipſas montium ſylvas & cavernas petrarum & ſpeluncas confugientes, vel ad qvascunq; munitiones, alios fuiſſe expugnatos & interfectos, alios neceſſariis ſuſtentaculis evolutos atq; privatos, ut fame contabeſcerent, ipſosq; Eccle-*

NB. NB. *ſiarum præpoſitos & Clericos, qvi fortè DEI beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaſerant, rebus omnibus exſpoliatos atq; nudatos egentisſimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, qvibus fulciendi eſſent, ſubveniri*

niri posse. Vix tres videbat (ita Posidonius de Augustino) *superstites ex innumerabilibus Ecclesiis, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem & Cittensem, qvæ DEI beneficio excisæ non sunt.* Hodie vix unam videret in totis regnis, persecutionem passis, Ecclesiam ex innumerabilibus. Sed nostrum nunc non est, huic qverelæ hîc qvidem immorari. Aget DEUS causam suam, pius verò qvivis, in qvem Posidoniana qverela rectissimè qvadret, intelliget.

Qvod sub finem de Horis Canonicis & Missâ inspergit, non moramur. De *Missâ* infrà redibit sermo. Illas verò *orationis Horas*, (vulgò *Canonicas* vocant,) *tertiam, sextam, nonam, ad qvas Petrus ibat, ingenti divini honoris, pietatis, salutis deniq; & animarum clade negligi*, nemo credet, qvi Salvatori, istam hypocrisin *Matth. VI. vers. 5. 6. Johann. IV. vers. 21. sqq.* rejicienti fidem habuerit. Enimverò certas diei horas precibus publicis, ubi ministrorum copia suppetit, Ecclesiarum nostrarum rectores, ut cujusqve loci fert ratio, constituerunt. Ast Pontificia illa officia, de qvorum numero ipsis non satis convenit, aliis septem, aliis octo statuentibus, & qvorum abusûs maximos ex ipsis Papistis, si qvi magis essent ingenui, detestati sunt, professiqve ipsius rei novi-

De Horis Canonicis qvid habendum?

novitatem, qvam ad Gregorii aut Pelagii II. aut si altiùs omninò ascendas, ad Damasi tempora referunt: agnoscunt tamen & ab eorum instituto multum hodie degenerasse Clerum Papalem: qvando ad has horas, *minores ordines & eos qvi valdè exiguos fructûs capiunt, ut octo solùm ducatorum, non teneri, & vel unâ horâ septem ista officia universa absolvi posse*, sentiunt, ceu ex Jesuitâ Sâ Rivetus annotavit *Tr.II.Cathol. Orth. q.35. de Horis Canonicis §.6.* qvi & §.7. ad Petri exemplum docuit, qvàm festiva hæc sit conseqventia: Petrus templum horâ nonâ, qvæ erat nobis tertia pomeridiana, adeoqve sacrificii vespertini divinitùs instituti tempus, ascendit: Ergò septem sunt horæ canonicæ in Ecclesiâ ab iis, qvi beneficio qvodam octo ducatos superante fruuntur, recitandæ. Sanè nihil conseqvetur ampliùs, qvàm decere Christianos, ut precibus certas horas constituant. Qvod facilè admittimus. Cæterùm mercenarias, qvæ in Papatu vigent, ἐθελοθρησκείας, sub necessitatis ac meriti opinione obtrusas, meritò rejicimus. Etenim

nim ut de idololatricis hymnis, antiphonis, collectis taceam, (*Salve Regina, Mater misericordiæ &c.*) doceri facilè poterat, & impiè ad homines voto obstrictos hunc cultum restringi, (qvi tamen per vicarios sæpiùs id administrant:) & Lingvâ ignotâ; qvam ipsi sæpiùs, qvi decantant, æqvè ac vulgus Latinitatis ignarum, capiunt, decantari, & divinis mandatis hanc hominum traditionem exæqvari, & ne actualem intentionem qvidem mentis, qvæ anima precum est, reqviri: & qvi plures sunt detestandi abusûs, multis gravibus ac eruditis viris in Papatu notati, qvorum testimonia de novitate, vanitate, varietate, abusibus ac impietate Horarum canonicarum lege apud Gerhardum *Conf. Cath. T. Ult. a. 24. c. 1. p. 942. sqq.* & adde Anonymi qvidem, sed Pontificiæ tamen Ecclesiæ singularem devotionem approbantis Scriptoris *Consultationem de Reformandis Horis canonicis*, qvæ Anno 1644. in Belgio, qvod typus docet, prodiit, ac eruditè docet, qvantum hodierna Clericorum praxis à veteri Ecclesiâ in hoc genere discrepet. Confer

fer Höpffner. *Sax. Evang. p. 565. sqq.* Gerhard. *Disp. VIII. de corruptelis veræ pietatis per Pontiff. &c. §. 4. T. I. Dispp. Acad. pag. 1056. sqq.* Danhauer. *Hodom. Pap. T. I. pag. 1298. sqq.* Voët. *T. III. Dispp. Select. disp. pecul. de Horis Canon. pag. 1056. sqq.* Rivet. *l. c. T. III. Opp. p. 210. sqq.* Mares. *Anti Tirin. Tom. II. Controv. 17. n. 4. p. 406. sqq.*

EXA-

EXAMEN
Considerat. XIV.

De

(1.) Sacramentis Ecclesiæ in genere, (2.) Baptismo & (3.) Pœnitentiâ in specie.

PUNCT. I. p. 131. 132. 133.

Sintnè in Ecclesiâ Sacramenta qvædam, tanqvam signa visibilia Christianis propria, & (2.) qvænam illa, & qvid (3.) in Veteri Testamento, qvid (4.) in Novo præstent?

De Sacramentis in genere.

QVatuor, ut apparet ex numeris, qvibus qvæstionem distinximus, inqvirenda sibi Masenius sumit: qvibus duas qvoqve alias qvæstiones misceri, Lector deprehendet: *alteram* de efficaciâ Sacramenti ab impio ministro administra-

qværit Masenius:

Aaa ti,

ti, *p.132. alteram* de Baptismô Johannis, *p.133.* Ut ad sex capita omnis reduci possit Masenii consideratio. Age, qvid ille sentiat de singulis, ordine expendamus.

(1.) de Sacramentorum in utroq; Testamento existentia.

(1.) *Fuisse qvædam ejusmodi signa populi DEI in lege Moysis, ut est circumcisio, Agnus paschalis, Purificationes, Expiationes, Esus panum Propositionis, Consecratio Sacerdotum &c. constat. Esse etiam in lege Christi Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, Extremam unctionem &c. pauci negant.* Docet hæc primæ qvæstionis solutio, non magis existentiam Sacramentorum propriè dictorum in utroqve Testamentô, probare, qvàm confusionem eorum cum aliis ritibus sacris introducere, adeoq; sternere fundamentum Septenario suo voluisse Masenium. Miscet enim Veteris Testamenti ritûs Sacramentales cum Sacrificialibus atqve Ecclesiasticis aliis, ut in Novo Testamento (errorem qvem in appellatione *Legis Mosaicæ & Christianæ* occultat, suprà notavimus *p.464.*) Sacramentis alios qvoqve ritûs accensere possit. Qvod ut feliciùs obtineat, generalissimè Sacramenta describit, *tanqvam Signa visibilia Christianis propria:* qvanqvam & ita è Sacramentorum numerô Conjugium excludit, qvod Christianis cum omni hominum genere commune est. Licèt verò dispar sit ratio Veteris ac Novi Testamenti, neqve è ritibus, qvos in illo observari DEUS voluit, (qva-

(qvales erant *purificationes*, *expiationes*, *panes propositionis*, *consecratio Sacerdotum* &c.) colligi posit, observari hujusmodi ceremonias in Novo qvoqve Testamento necessariò oportere: umbras enim præsente corpore evanuisse novimus; certum est tamen, subvenire hactenus in N. etiam Testamento voluisse Deum infirmitati nostræ; dum gratiam in Evangelio universis oblatam per instituta ab se Sacramenta sigillatim cuilibet Christiano exhibere, veraq; fide usurpanti conferre & obsignare voluit, ut ita verbum gratiæ redderetur visibile, nec per aures modò, sed etiam per oculos in corda influeret, neqve dubitare qvisqvam fidelium posset, ad se qvoqve gratiam Patris, meritum Filii, & communionem Spiritûs S., peccatorumq; adeò remissionem, justitiam ac vitam æternam pertinere, postqvam eadem cœlestia bona, qvæ voce Evangelii omnibus offeruntur, sibi qvoqve in individuo applicata & obsignata per hæc signacula justitiæ (*Rom. IV, 11.*) intelligit. Qvare nemo dubitat, dari in Ecclesiâ Novi Testamenti Sacramenta, ut hâc qvæstione supersedere potuisset Masenius. Majus verò momentum in *alterâ* situm, de qvâ pergit:

(2) De numero Sacram. Novi Test. Cujus qvæstionis

(2.) *Sed tamen, an præter duo, Baptismum & Cœnam (qvæ Protestantes solùm agnoscunt) alia qvoq; Sacramenta admittenda sint, disceptatur.* Disceptatur sanè, nec præter neces-

 sita-

ſitatem. Neqve enim mera λογομαχία eſt, ſed neceſſarium de rebus ipſis certamen, cùm binarium Sacramentorum numerum defendimus. Dudum obſervavit Chemnitius *P. II. Conc. Trid. ad Seſs. VII. can. I. p. 198. 206.* multum intereſſe, ut res illæ, qvæ absq; ritibus mandatum DEI habent, ab iis, qvæ ritibus mandatis veſtitæ ſunt; item ritûs divinitùs mandati & promisſionem habentes, ab hominum commentis ſeparentur: utq; diſcrimen promisſionum beneficia redemtionis offerentium ac exhibentium mediantibus certis ſymbolis, & aliarum, qvæ beneficia qvidem divina, non tamen peccatorum remisſionem, gratiam DEI ac ſalutem æternam ſolô ac nudô verbô pollicentur, ſartum tectum in Eccleſiâ conſervetur. Itaqve cùm adverſarii multa peregrina, falſa ac impia, qvæ rebus ipſis ac doctrinæ de pœnitentiâ, de miniſterio verbi, de Conjugio, de confirmatione, de incremento donorum Spiritûs, de conſolatione ægrotorum addiderunt, non plauſibiliori ſpecie ſeſe tueri poſſe intelligant, qvàm prætextu appellationis Sacramenti, ideoqve pro numero Sacramentorum tanqvam pro aris & focis dimicent: meritò docent Orthodoxi, non poſſe Pœnitentiam, Ordinationem, Conjugium, Confirmationem, Extremamq; unctionem eâ ratione eôq; ſenſu Sacramentis annumerari, qvô Baptiſmus ac Cœna Domini hoc nomen

(a) *Momentum.*

men hactenus in Ecclesiâ DEI occupant. Ut proinde non de solo Sacramenti *titulo* qvæstio sit, de qvo non multum sese litigaturam *Apologia Aug. Conf. p. 200.* profitetur, si modò rectè conservarentur res in Scripturâ traditæ; sed de *re ipsâ*: an scilicet septem, nec plura, nec pauciora sint Sacramenta talia, qvalia Baptismus & Eucharistia ratione essentialium proprietatum utriqve illi Sacramento proximè communium? Atqve hoc est, qvod negamus & pernegamus, Scripturæ secuti autoritatem, qvæ licèt nec Sacramenti vocem sive de Baptismo & Eucharistiâ, sive de illis rebus, qvas Sacramenta Papistæ vocant, uspiam usurpet, (Græcè qvippe & Ebraicè exarata in fontibus, cùm Sacramenti vox Latina sit, è republicâ vel militari in Ecclesiam adducta;) sic tamen de Cœnâ & Baptismô, qvi omnium confessione Sacramenta sunt, exponit, ut inde colligere facilè possimus, qvæ in eundem censum rectè, qvæ malè revocentur. Masenius verò noster, qvasi causæ diffisus illicò ab hac qvæstione ad aliam dilabitur, neqve toto puncto qvicqvam de eâ, qvam frustrà tamen proposuisse non debebat, respondet: nisi qvòd *in Affectu*, ceu vocat, ferè sub finem *p. 133.* ita suspirat: *O mi DEUS, ne permitte, ut tantam injuriam Christo divinisq; ejus Sacramentis irrogem, ut potiorem illorum partem rejiciam, & duo tantùm (contra veteris Ecclesiæ sensum,*

(β) *Explicatio:*

agnita,) non nisi inanium elementorum loco cen Judæorum ritûs umbramq́ futurorum habeam. Cæterùm assumtâ hâc veluti; præsuppositâ hypothesi defictitiis illis Sacramentis in seqq. disputat. Nos verò, qvod inprimis notandum, *rebus* ipsis, qvas huic numero includunt Papistæ, non detrahimus, ac ne hoc qvidem pugnamus, nullo modo Sacramenti appellationem aptari illis posse: qvam modò *latiùs*, modò *strictiùs*, modò *specialissimè* à veteri Bibliorum interprete & Scriptoribus Ecclesiasticis usurpari, omnes literati fatentur: Hoc tantùm volumus, ut ita de rebus illis loqvantur atq; sentiant pii qvivis, sicut Scriptura præscribit. Inde verò hoc discimus, nulli eorum, qvæ Sacramenta præter Baptismum & Cœnam Domini vocantur à Papistis, hoc nomen eô sensu, qvem illi intendunt, hoc est, specialissimô, & qvo Baptismus & S. Cœna illud obtinent, competere. Qvod de singulis in seqventibus demonstrabitur. Hîc fundamenti loco substernimus, qvod in Chemnitio Bellarminus approbavit *L. 1. de pœnit. c. XI. §. Martinus Kemnitius.* sic scribens: *Non malè Kemnitius ex Baptismo & Eucharistia, qvæ omnium consensu vera Sacramenta sunt, naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere investigandam esse censet.* Patet autem ex institutione horum duorum Sacramentorum, duo ad ea reqviri: Verbum & Elementum. *Accedat*

(γ.) Confirmatio tum ex Scripturis,

cedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum: regula Augustini est *tract. 80. in Joh. T. IX. p. 445. Elementum* utrinqve est (1.) externum & materiale, idq; (2.) ab instituente nominatum, & (3.) juxta ejusdem institutionem certo ritu tractandum, & usurpandum; non nudum tamen (4.) sed sacramentale, hoc est cum re cœlesti, qvam exhibet simul, unitum. *Verbum* tum mandati & *institutionis*, tum *promissionis*. Utrumqve divinum esse oportet, atqve à Jesu Christo immediatè profectum, qvod è Pontificiis Rob. Bellarm. *L. 1. de Sacram. c. 23.* Alex. Pesantius *in III. Thomæ q. 64. a 2. Disp. 2. p. 856.* Johannes Rada *P. IV. Controv. inter Thomam & Scotum controv. 2. a. 1, concl 5. p. 34.* Wilhelmus Estius *in IV. sentent. d. 1. §. 16. p. 15.* Martinus Becanus *Theol. Schol. P. III. tract. 2. c. 5. q. 1. p. 641.* agnoscunt. Verbo autem *institutionis* dispensatio rerum institutarum (1) præcipitur (2) in Novo Testamento, (3) usqve ad finem mundi observanda *Matth. XVIII, 20. 1. Cor. X, 14.* Verbum *promissionis* (1) non simpliciter nudè & per se habet testimonium in verbo DEI, sed divinâ ordinatione annexum signo Sacramenti & eo qvasi vestitum esse oportet; nec (2) primariò est de qvibusvis donis sive spiritualibus, sive corporalibus, sed de applicatione meriti Christi, & gratuitâ remissione peccatorum propter Christum,

deniqve (3) non in genere tantùm annunciat & significat ista bona, sed etiam omnibus offert, & illis, qvi fide utuntur Sacramentis, confert, applicat & obsignat. Hæ conditiones omnes ac singulæ Baptismo ac Cœnæ Dominicæ per se & proximè conveniunt. At in cæteris Pontificiis Sacramentis vel una, vel plures desiderantur. Aut enim elementum materiale divinitùs mandatum non habent, ut *Pœnitentia*, aut mandato immediato divino destituuntur, ut *Confirmatio, Ordinatio, & extrema Unctio*, aut Ecclesiæ Novi Testamenti propria non sunt, ut *Matrimonium & Pœnitentia*, aut promissione remissionis peccatorum certis ritibus vestitâ destituuntur, ut pleraq; illa, in qvibus & cæteras Sacramentorum proprietates desideres, ceu cuivis ex speciali illorum examine constabit. Lege interim Chemnitium *l.c.p.204. sqq.* Höpffner. *Dispp. Acad. p.148. sqq.* Scilicet ut in Veteri Testamento non nisi duo Sacramenta propriè dicta fuerunt: alterum initiationis, alterum confirmationis, Circumcisio & Paschalis agnus, de qvorum virtute & efficaciâ mox pluribus: ita in Novo Testamento non plura, qvàm duo esse Salvator voluit, qvorum alterum in locum circumcisionis, *Col. II, 11.* alterum in locum Paschatis successit, *Matth. XXVI, 28.* & qvæ pulcherrimè præfigurata transitu per mare rubrum, & Mannæ cœlesti cibo docet Apostolus *I.Cor.X. 2.sqq.* Atqve hinc

hinc est, qvòd Johannes præter *Spiritum* (seu Verbum Evangelii audibile, qvod Spiritus est & vita *Joh. VI, 63.*) duos tantùm testes visibiles in terrâ constituit: *aqvam* & *sangvinem*, h. e. Sacramentum Baptismi ac Cœnæ Dominicæ *I. Joh. V, 8:* qvi si septem agnovisset Sacramenta, octo non tres testes nobis, addito Sacramentis Verbo, annumerare debuisset. Lege Dorsch. *Dissert. de tribus in terrâ testibus §. 14. sqq. & 30.* Danhau. *Hodos. p. 965. sqq.* Enimverò Veteris Ecclesiæ Patres, in aqvâ & sangvine è latere Christi in cruce mortui effluente clarissimam Sacramentorum Novi Testamenti figuram reperisse sibi visi sunt.

tum ex Ecclesiæ Veteris sensu,

De latere in cruce pendentis lanceâ perensi Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt: Scribit Augustinus *Enarrat. Psal. 40. T. IIX. p. 370.* Rursum *tr. 9. in Joh. T. IX. p. 85: Mortuo Christo lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta, qvibus formetur Ecclesia.* Tract. 120. in Joh. p. 553: *Ut illic qvodammodò vita ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine qvibus ad vitam, qvæ vera vita est, non intratur.* L. XV. de C. D. c. 26. T. V. p. 857: *Qvod ostium in latere* (Arca Noæ) *accepit, profectò illud est vulnus, qvando latus crucifixi lanceâ perforatum est. Hac qvippe ad illum venientes ingrediuntur: qvia inde Sacramenta manarunt, qvibus credentes initiantur.* L. II. de Symbolo ad Cate-

chumenos cap. 6. T. IX. p. 1111: *Ascendat Sponsus noster thalami sui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur latus ejus, & Ecclesia prodeat virgo, ut qvomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis: ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum enim est ejus latus, ut Evangelium loqvitur, & statim manavit sangvis & aqva, qvæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta. Aqva, in qva est Sponsa purificata: Sangvis, ex qvo invenitur esse dotata.* Omitto parallela aliorum Patrum testimonia, (è qvibus Græcos ferè omnes hanc expositionem approbare, Bellarminus *L. II. de effectu Sacram. c. 27.* observat:) unius illius autoritate contentus, qvem controversiarum decisorem Masenius facit. Cui proinde causa non erat, cur *contra Veteris Ecclesiæ sensum duo tantùm Sacramenta* à Protestantibus agnosci scriberet. Si accuratiùs sensum Ecclesiæ veteris fuisset scrutatus, deprehendisset non plura duobus Sacramenta seculo II. Justinum, & Irenæum, tertio Tertullianum, qvarto Cyrillum Hierosolymitanum in libris κατηχήσεων, & Ambrosium, cùm ex professo de Sacramentis commentaretur, nec non Chrysostomum, qvinto Augustinum & Cyrillum Alexandrinum agnovisse. Vide illorum testimonia prolata & vindicata apud Chemnitium *Exam. C. T. p. 201. 206.* Dreierum *Disputat. XXXII. anti-Papist. p. 982.*

qvem falso Masenius jactat:

p.982.sqq. Chamier. *T.IV. Panstrat. L.IV. cap.5.*

De Augustino dubitare non sinunt, qvæ modò ex ipsius Scriptis attulimus, confirmatq; mentem ejus, qvod *L.XIX. c.Faust.c.16. T. VI. p.349.* de omnibus Sacramentis scribit, qvòd sint *invisibilis gratiæ visibilia signa, qvæ habent speciem corporalem*, eaq; *lib. de catechizandis rudibus c. 26. T.IV. p.923. Signacula rerum divinarum visibilia* vòcat. Qvâ restrictione pleraqve Pontificiorum, vel potiùs omnia, qvæ illi comminiscuntur, Sacramenta proscribit. Qvanqvam verò negari non possit, Sacramenti vocem sæpè latissimâ significatione usurpatam ab Ecclesiæ vetustis Doctoribus fuisse, ita ut Tertullianus *L. IV. contra Marcionem* universumChristianismum *religionis Christianæ Sacramentum* diceret, Augustinus etiam ad *qvodvis rei sacræ signum* Sacramenti appellationem extenderet *Epist. V. ad Marcellinum T. II. p.20.* utq; alibi signum crucis etiam omnesq; ritûs in Baptismo adhibitos, imò *L.IV. de Symb. ad Catechumenos c.I. Tom.IX. p.1030* omnia qvæ cum catechumenis aguntur ante Baptismum, Sacramenta appellaret: certum tamen est, eâ notione, qvâ Sacramentum venit, cùm de Baptismo & S. Cœnâ sermo est, septenarium Pontificium nemini in mentem venisse, anteqvam Seculo XII. Hugo de S. Victore *opere de*

Augustini sententia.

re de Ceremoniis, Sacramentis, officiis & observationibus Ecclesiasticis, & Petrus Lombardus *L. IV. Sent. d. 2.* hoc secretum proferrent in lucem, qvod in Concilio Florentino Eugenius IV. Papa tribus pòst Seculis Græcæ etiam Armenorumqve Ecclesiæ obtrudere voluit. Unde & M. Antonius de Dom. *L. V. de Rep. Eccles. c. 4. n. 18. p. 47.* testatur, *primum Lombardum Ecclesiæ oculos aperuisse, ut septem inspiceret Sacramenta:* cui & G. Cassander consentit *Consult. Art. XIII: Neminem ante P. Lombardum repertum fuisse, qvi definitum aliqvem Sacramentorum numerum statuisset.* Et tamen contra veteris Ecclesiæ sensum Protestantes faciunt Masenio judice, cùm sacrum illum septenarium, non Scripturæ, non antiqvitatis testimoniis, sed ridiculis qvibusdam congruentiis, qvas vocant, miserè suffultum (Lege eas apud Petrum Svavem *L. II. Hist. Conc. Trid. p. m. 209.* Chemnitium *Exam. p. 199.* Menzer. *Exeg. Aug. Conf. art. 13. p. 618.* Danh. *Tom. II. Hodom. Pap. p. 444.*) approbare nolunt. Sed pergamus ad *Qvæstionem tertiam*, qvam sic proponit:

(3.) de Sacramentorum Novi Testamenti efficaciâ:

(3.) *Tum deinde qværitur: Sintne tantùm gratiæ exterioris, seu remissionis peccatorum, ob imputatam Christi justitiam, signa & qvasi sigilla, qvæ fidem promissæ per Christum gratiæ excitent; ut volunt Protestantes, an cum iisdem ritè perceptis, gratia etiam interior animam ab omni maculâ peccati emundans, justi-*

justificansq́; significetur simul & conferatur, ut volunt Catholici? Protestantibus illa Pauli sententia videtur suffragari: Credentes signati sumus Spiritu promissionis Sancto, qvi est pignus hæreditatis nostræ. Sed Catholici illud *ubi refellitur* *Pauli addendum dicunt: Signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Nam charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qvi datus est nobis. Sic enim Christus dilexit Ecclesiam, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aqvæ, in verbo vitæ: ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam.* *Masenii a) Calumnia:* Sacramenta ita esse signa & sigilla remissionis peccatorum, ut non sint organa fidem virtutesq́; alias conferentia, & animam à labe peccati emundantia, nemini Orthodoxorum venit in mentem. Qvi sic de totâ re sentiunt: Sacramenta organa salutis efficacissima esse ex parte DEI, tum δοτικὰ seu *dativa*, tum ἐνεργητικὰ, seu *operativa*. In justificatione sunt qvasi manus DEI *offerentis* justitiam Christi, & actu ipso eandem communicantis illis, qvi fide apprehendunt. In regeneratione & renovatione sunt manus DEI *operantis*, ac efficientis non modò vires ad credendum, sed ipsam qvoqve fidem cæteraq́; charismata: adeoq́; non tantùm offerunt atq; obsignant remissionem peccatorũ, sed etiam animam fide, qvæ oblatum bonum apprehendat simul, simul per charitatem operetur, aliisq́; virtutibus exornant. Lege post

Hö-

Höpffner. *de Justific. Disp. I. c. 2. memb. I. aph. 6. Disp. VII. c 2. aph. 6 §. 3. sqq.* & *Disp. VIII. c. 4. aph. 2. p. 48. 533 634.* B. Parentis mei *Vindicat. Doctrinæ Orthodoxæ de Sacram. in genere à corruptelis Tridentinor. Aph. IV. §. 18 sqq.* Scilicet in apertissimô hîc mendacio hærent, qvi Luthero cæterisq; veræ doctrinæ assertoribus hanc dicam jam olim scripserunt, qvòd ex Sacramentis nuda signa ac sigilla promissæ gratiæ faciant. Neqve Andreas Fabricius, Joh. Cochlæus, Thomas Heinrici, Bellarminus unqvam suæ isti calumniæ fidem conciliabunt. Par hîc est ratio verbi & Sacramentorum, utq; illud non medium theoreticum modò est, ac signum voluntatem DEI cognoscendi, sed reverà *potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. I, 16.* atqve efficax organum gratiam ac vitam æternam offerens, fidem virtutesq; Christianas non morali svasione, sed physicæ æmulâ, hyperphysicâ tamen operatione animæ ingenerans: ita & Sacramenta eandem vim obtinent, eundemq; in finem à Christo data sunt. Sic *per baptismum, tanqvam lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. salvos nos facit DEUS,* Tit. III, 5. Imò *ipse ille, qvi tradidit semetipsum pro Ecclesiâ, mundat eam lavacrô aqvæ in verbo*, Eph. V, 26. eundem *induimus in Baptismo*, Gal. III, 27. tum ut donum per fiducialem apprehensionem, *Rom. V, 17.* tum ut exemplum per sedulam imitationem, *I. Pet. II, 21.*

II, 21. Rom. XIII, 14. qvod ut præstare possimus, efficaciæ baptismi debetur, qvi & bonum justificum offert, & vires vitæq; novitatem operatur. Sic & Cœna S. non tantùm in remissionem peccatorum, sed & practicam Christi memoriam verâ fide utentibus, vi verborum institutionis cedit. Sed non multum laborabimus hâc de re, postqvam in ipso Tridentino Concilio unanimi Patrum voce, *pro Zwinglii doctrinâ agnita fuit hæc opinio, Sacramenta non aliud esse, qvàm signa*, ceu refert Petrus Svavis, *Concil. Trid. Hist. L. II. pag. 211.* Hunc ergò Doctorem qvi secuti efficaci virtute Sacramenta privant, viderint, qvid Pontificiis, imò qvid nostris acerrimè hunc errorem impugnantibus (vid. Menzer. *Tom. II. Giess. Disp. VI. p. 176, 203. sqq.* Danhau. *Hodom. Calvin. p. 3176. 3194. sqq.* &c. &c.) respondeant. Nostri sonorâ voce sententiam suam de efficaciâ Sacramentorum *Aug. Conf. art. V.* eloqvuntur: *Per verbum & Sacramenta tanqvam per instrumenta donatur Spiritus Sanctus, qvi fidem efficit.* Cæterùm hoc ignorare nos Petrus Svavis *l. c.* noluit, interfuisse Synodo Tridentinæ Franciscanos, qvi Bonaventuram, Scotum, Durandum secuti, *simpliciter vim omnem effectivam Sacramentis denegabant, ideoq; Sacramentum continere gratiam, tanqvam in signo, efficaci non vi ac virtute suâ, sed DEI, gratiamq; per Sacramenta ad eum modum percipi, qvo Canonicus per librum,*

brum, & Episcopus per annulum in possessionem mittuntur. His ista Pauli verba, qvæ ascribit, opponeret Masenius, non nobis, qvibus tale qvid in mentem nunqvam venit.

β) sententia Sed patet, aliud qvid occultâsse hîc Masenium, geminum nempe errorem, qvo (1) justificationem in infusione habitualis justitiæ constituunt, atqve (2) per baptismum hominem ab inhærentiâ etiam peccati plenè liberari sentiunt. Huc enim, nisi fallor, verba Pauli è *Roman. V. v. 5.* & *Ephes. V. v. 25.* pertinere voluit: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qvi datus est nobis:* Et: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aqvæ in verbo vitæ: ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam.* Clarissimè verò sensa animi eloqvitur, dum sic *pag. 132.* Affectum inchoat: *Infelices igitur illos, qvi, ut ipsimet fatentur, suis in peccatorum sordibus manent, maculam originalem qvoad culpam retinent, non renascuntur ex peccatis eruti, non innovantur, nisi per imputatam Christi justitiam, qvæ in Christo manet. Et qvid talibus fides in animo excitata prodest, si peccati lepra Sacramento non tollitur? Qvid hæc signa juvant Sacramentorum, ubi res & Spiritus S. gratia cordibus infusa deest? vel enim ipsa fides, qvæ per verbum DEI, sine his signis in nobis excitatur, ad salutem sufficit: & sic frustrà hæc signa sunt instituta: vel*

non

non sufficit, & sic fides nostra infirmo nititur signorum (qvod nemo dixerit) fundamento. Nos utrumqve errorem suprà ad *Confid. X. Punct. I. & III.* studiosè profligavimus, & in eo nunc iterum occupari, esset actum agere. De verbis Apostoli *Rom. V, 5.* ibidem *p. 444.* lege. De loco *Ephes. V. vers. 26.* respondeat pro nobis Augustinus: *Qvemadmodum lavacrum regenerationis purgat à* reatu *omnium peccatorum, qvæ humana traxit nativitas, & contraxit iniqvitas: ita illa perfectio* (qvæ olim in alterâ vitâ nobis obtinget,) *purgat ab omni* labe *vitiorum, sine qvibus humana esse non potest in hoc seculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam, qvod ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam &c. Hoc est enim lavacrum aqvæ in verbo, qvo mundatur Ecclesia. Sed cùm tota dicat Ecclesia, qvamdiu hìc est: Dimitte nobis debita nostra: non utiq; hîc est sine maculâ aut rugâ, aut aliqvid hujusmodi: ex eo tamen, qvod hîc accipit, ad illam gloriam, qvæ hîc non est, perfectionemq; deducit.* Hæc Augustinus *L. I. Retract. c. 7. T. I. p. 9.* Et *L. II. c. 18. p. 46: Ubicunq; commemoravi Ecclesiam non haben-*

Vindic. Eph. V, 26.

 tem

tem maculam aut rugam, *non sic accipiendum est, qvasi jam sit, sed qvæ præparatur, ut sit, qvando etiam apparebit gloriosa.* Agnoscebat nempe Augustinus, mundari qvidem in baptismo Ecclesiam ejusq; membra virtutè meriti Christi à peccati *reatu*, labefactari qvoqve peccati *dominium*, plenam verò *extirpationem*, tanqvam finem baptismi, (qvem illicò plenè obtineri, non ait Apostolus) in alterâ demùm vitâ expectandam esse. Qvæ verissima interpretatio (qvinqve argumentis Dn. Calovio firmata *annot. ad h.l.*) Bernhardo etiam, Thomæ, Ghislerio, Alphonso de Castro, Martino Delrio, & Jac. Tirino probatur; qvorum testimonia Gerhardus descripsit *L.II. Conf.Cath. P.II.p 915.sqq.* Confer Meisneri *Anthropol. Dec.1. Disput. VIII. §.47.p.252.* & Glassium in explicatione Canonis, qvem Scripturæ exemplis illustrat: *Denominatio rei sæpè à futuro eventu petitur*, Gram.Sac. *tract.I. can.3. p.385.* Non erat autem, cur infelicitatem nostram Crocodilus deploraret, dolens scilicet, *nos in peccatorum sordibus manere, maculam originalem qvoad culpam retinere, non renasci peccatis erutos, non renovari nisi per imputatam Christi justitiam.* Deploret potiùs cœcitatem

tem suam, qvâ *semet ipse seducit, dicens, peccatum se non habere, I. Joh. I, 8.* Nos scimus, & regenitis adhærere labem peccati εὐπερίστατον, *Ebr. XII, 1. Rom. VII, 17.* & culpam seu reatum in regeneratione tolli, renovationem verò cum regeneratione inchoari, & per totam vitam continuari, donec olim, *cùm venerit perfectum, & evacuatum fuerit, qvod ex parte est,* (*I. Corinth. XIII, 10.*) consummetur. Repete hîc omninò, qvæ *suprà p. 383. sqq.* copiosè ac perspicuè de hac re dicta & clarissimis Augustini suffragiis roborata sunt. Inepta oppositio, qvam inter *fidem, verbum,* & *Sacramenta* facit, indigna Christiano homine est: qvi nosse debebat, media salutis δοτικὰ (*Verbum & Sacramenta*) & ληπτικὸν (*Fidem*) subordinari potiùs vel conjungi in negotio salutis, qvàm opponi oportere. Nec enim fides ex sese & ratione *actûs sui* ad salutem concurrit, sed virtute *objecti* salvifici, qvod parvulis in Sacramento initiationis primùm offertur & applicatur, adultis verò & fidem jam ex verbo indeptis confirmatur & obsignatur. Neqve proindè *infirmo signorum nititur fundamento*, sed immotæ basi verbi DEI, qvi per Sacramenta gratiam offerre, & verâ fide usurpantibus efficacissimè conferre promisit.

(4) *de Sacramentorum V. T. efficaciâ*

(4) Seqvitur qvæstio de *efficaciâ Sacramentorum Veteris Testamenti*, seu adeò de illorum *à Sacramentis Novi Testamenti differentiâ*: de qvâ noster ita sentit: *In qvo munere â veteris legis Sacramentis nova differunt, qvòd illa solùm significarent gratiam per Christum conferendam, atq; in eum excitarent fidem: hæc reipsâ à DEO conferri testentur, nisi ponatur obstaculum, ut adulti pravâ mente accedentes ponunt, Augustino teste: Habere, inqvit, multi DEI dona possunt, charitatem non possunt. Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis, qvale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon Magus: (à Petro baptizatus.) Hanc nobiscum non communicant mali. Possunt communicare baptismum, possunt communicare cætera Sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, & istam conjunctionem, charitatem nobiscum non communicant.* (T.VIII. *in Ps.103. Conc.1. p.1177.*) *Sic, eodem ex S. Scriptura Judice, lex vetus hac gratiâ caruit. Lex, inqvit, per Moysen data est gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Si enim discernimus duo testa-*

testamenta, vetus & novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa. Quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. (Eodem Tomo VIII. *in Ps. LXXIII. p. 802.*)

Ita eâdem operâ & Veteris & Novi Testamenti Sacramentis detrahit Masenius, dum illis tantùm vim *significandi* gratiam conferendam, his vim *testandi* duntaxat de gratiâ actu collocatâ relinqvit. Ast Sacramenta & in Veteri Testamento conferebant gratiam, & in Novo non tantùm testantur, eam conferri, ut sigilla, sed reipsa conferunt, ut efficacia organa. Ut qvodammodo accusari erroris de Novi Testamenti Sacramentis, qvem nobis impingere volebat, posse videatur. Sed hoc transeat. De controversiâ ipsâ ut judicium rectè formari possit, prænotandum, (1.) non de omnibus ritibus à DEO in Veteri Testamento præceptis, & futuræ gratiæ significativis, sed propriè *Sacramentalibus*, & annexam gratiæ exhibendæ & obsignandæ promissionem habentibus sermonem esse: (2.) neqve de eo qværi, an nullum omninò sit inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti discrimen; sed an *ratione finis & efficaciæ* differant: ita qvidem, ut gratiam illa præsignificaverint modò & adumbrarint, qvam hæc non ponenti obicem conferant? Eqvidem ultrò fatemur,

Ubi

a) differentia Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti exponitur.

tantum inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti discrimen intercedere, qvantum inter Testamenta ipsa: *Omne enim Sacramentum seqvitur naturam sui Testamenti*, ceu benè observat Menzer. *T.II. Disp. Giess. D.XIV. §.18. p.474.* Differunt ergò non tantùm *materiâ terrestri* & *formâ* seu ritibus externis, sed etiam *materiâ cœlesti*, certô modô, qvatenus scilicet in Veteri Testamento Christum venturum præfigurabant, qvi ut exhibitus in Novo sistitur. Qvin & in gratiæ (non substantiâ, sed) *circumstantiis* diversitas occurrit, qvà *intensionem* lucis, *extensionem* locorum & objectorum (Sacramenta enim Veteris Testamenti tantùm ad Judæos spectabant, nostra catholica sunt,) deniqve & *protensionem* temporis, qvod illic cum Synagogâ, hìc cum seculo eosdem limites habet. Sed his discriminibus non contenti Pontificii, contra Scripturæ & Orthodoxæ antiqvitatis consensum in *fine effectuq;* differentiam qværunt. Postqvam enim Hugonis ac Lombardi tempore projectum in medium Eridos hoc pomum, & à Scholasticis ultrò citroq; agitatum fuit, tandem Papa Eugenius in Concilio Florentino A. 1439. sic decrevit: *Sacramenta antiqvæ Legis non causabant gratiam, sed solùm eam per passionem Christi dandam figurabant; sed nostra & continent gratiam, & ipsam conferunt.* Vide Binium *T.IV. Concil.*

β) *sua Sacramentis V. T. efficacia vindicatur.*

cil. p. 493. b. Qvam eandem ſententiam Tridentini poſteà *Seſs. II. Can. 7* qvanqvam ſubobſcurè propoſuerunt, clariùs dicturi, niſi Franciſcanorum contradictio id prohibuiſſet, teſte Petro Svavi *L. II. Hiſt. p. 212.* Qvi verò ſecuri ſunt Scriptores, non dubitarunt, apertè, qvid ſentirent, proloqvi, cum qvibus noſter Maſenius Sacramentis Veteris Teſtamenti ſignificatam tantùm, non collatam gratiam cenſet. Velim verò audire ex Maſenio cauſam, cur qvam efficaciam verbum ἀκουστὸν habuit, eam τῷ ὁρατῷ & ſignis ſacramentalibus veſtito negent? Certè qvidem verbum promisſionis in Veteri Teſtamento habuiſſe efficaciam offerendi, conferendi & obſignandi gratiam ac fidem, non negabit, qvi Abrahami Exemplum recolet, cui per verbum oblatam collatamq; juſtitiam ſacer Scriptor *Gen. XV, 6.* teſtatur. Expendat verò qvivis, qvæ de Circumciſione & Agno Paſchali traduntur. Circumciſioni tribuitur receptio in fœdus DEI, *Geneſ. XVII, 13. 14.* itemq; obſignatio *Rom. IV, 11.* adeò ut gratiâ circumciſionis freti Jonathan & David triumpharent metum periculumqve *I. Sam. XIV, 6. XVII, 26.* Contrà, qvòd omisſio circumciſionis cauſaret perditionem animæ, *Gen. XVII, 14.* ex eo colligi vi oppoſitorum poteſt, illius uſurpationem cauſam ſalutis extitiſſe. Unde & Apoſtolus *Col. II, 11.*

permutatis Circumcisionis ac baptismi vocibus significat, nos è baptismo, ac fideles Veteris Testamenti è Circumcisione eandem utilitatem accipere. Confer Danhau. *Mysterios. p. 205. 222. sqq.* Dn. Seb. Schmidium *de Circumcis. p. 412. 460. sqq.* Sed qvid opus multum de hoc Sacramento laborare, cùm non modò Pontificii antiqviores, sed Jesuitæ etiam fateantur, *peccatum originis per Circumcisionem fuisse deletum, gratiamq; collatam, perinde ut hodiè per baptismum*, qvæ disserta Lombardi, Scoti, Thomæ, Bonaventuræ, Hugonis, Durandi, Bielis, Dominici Soto, Svarezii, Bellarmini, Valentiæ, Lorini verba sunt, legenda apud Gerhardum *L. II. Conf. Cath P. II. p. 832. — 840.* & qvomodo qvæso traditionis necessitatem hinc probare inter alia Bellarminus *L. IV. de Verbo DEI c. 4. §. Probatur tertio*, & Becanus *Manualis L. I. c. 2. n. 7.* voluerunt, qvod *remedium, qvo fœminæ à peccato originali purgarentur, ac salutem obtinerent*, revelatum in Scripturis non sit, si Circumcisio peccatum non delevit, neqve gratiam contulit, sed olim conferendam modò figuravit? De *Agno Paschali* idem vel hinc constare potest, qvod illud fide mactari, comediq; debuisse Paulus *Ebr. XI, 28.* innuit. Fides autem respicit adjunctam gratiæ promissionem, inq; hoc consistit, ut gratiam oblatam fiducialiter apprehendat. Vide duodecim argumenta, qvibus hic finis

Agni

Agni Paschalis confirmatur apud Dorsch. *Dissert. de Agno Paschali* §.53. *sqq.* p. 413. *sqq.* Qvod si & signa qvædam temporaria Veteris Testamenti gratiam conferre, ac roborare fidem debuerunt, ut de transitu per mare rubrum, aqvæ de petrâ eruptione & potione, commoratione sub nube & esu Mannæ luculentissimè indicat Apostolus *I. Cor. X,* 1. *sqq.* multò magis perpetua & ordinaria Veteris Testamenti Sacramenta id præstiterunt. Lege, qvæ ex hoc Apostoli Textu prolixè ac eruditè de efficaciâ Sacramentorum Vet. Test. disputat B. Danhauerus *Hodosoph.* p.1021 - 1029. & *Mysteriosoph.* p.177 - 186.

Noster Masenius contrarium probaturus Augustini geminũ locum producit, qvẽ nos suprà ascripsimus. Prior οὐδὲν πρὸς ἔπος. Neqve, opinor, qvisqvam tam fuerit syllogizandi artifex, ut ex illis verbis hanc conclusionem eliciat: *Ergo Sacramenta Veteris Testamenti gratiam præfigurant, Novi conferunt.* Sed apparet, si verba Masenii accuratiùs rimeris, aliud Pontificiorum delirium insinuare illum voluisse. Sic enim porrò de Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti discrimine ipsi philosophantur. *Illa* ajunt habere salutarem efficientiam (de efficaciâ internâ non qværitur,) *ex opere operantis*, h. e. non virtute aliqvâ ipsius Sacramenti, sed tantùm ex fide ac devotione usurpantis,

γ) ad loca Augustini respondetur:

ubi efficacia Sacramentorũ N. T.

qvæ non organicè, sed meritoriè, non tàm per Sacramentum, qvàm in usu Sacramenti gratiam obtineat, ceu Valentia *T. IV. D.* 4. *q.* 3. aliiq; differunt. *Hac* verò *ex opere operato* eandem habere, h. e. Sacramentum ipsum, sive DEUM in usu Sacramenti (de hoc enim non conveniunt Cadmæi fratres. Vid. Bellarm. *L. II. de Effectu Sacr. c. XI.* §. *Tertiò agetur*) operari & efficere gratiam justificationis, etiam sine devotione utentis, aut fidei influxu activo, dummodò obex per peccatum mortale non ponatur. Qvæ sententia ut Scripturæ è diametro repugnat, qvæ *& Veteres per gratiam Jesu Christi* (fide in verbo audibili & visibili apprehensam) *salvatos, perinde, uti nos*, Act. XV, 11. *unumq; Deum esse qvi justificet circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, Rom. III, 30. affirmat: & nihil prodesse Sacramenta Novi Testamenti sine fide, docet *Marc. XVI,* 16. *Act. VIII,* 37. *I. Cor. XI,* 29. qvia Verbum (ut audibile, sic) visibile, gratiam non nisi credenti confert, ut è Scripturæ testimoniis *Rom. I,* 16. *IV,* 3. 11. *X,* 10. *Ebr. X,* 38. & perpetuâ promissionis & fidei relatione clarum est: ita nec Augustino unqvam in mentem venit. Ut mirari oporteat Masenii incogitantiam, qvi cùm hunc errorem sed obscurioribus verbis (*gratiam in Sacramentis reipsâ conferri, nisi ponatur obstaculum, ut adulti pravâ mente acceden-*

ex opere operato,

tum Scripturâ,

dentes ponunt) insinuasset, Augustini ea verba in subsidium vocat, qvibus opus operatum potiùs evertitur, qvàm confirmatur. Etenim si hypocritæ munera Sacramentorum accipientes, non accipiunt salutarem eorum fructum, apparet fidem omninò reqviri, si salutaris usus esse Sacramentorum debeat. Atqve hoc alibi qvoqve non obscurè B. Augustinus profitetur. ut cùm *L. III. de Baptismo contrà Donatistas c.* 14. *T. VII. p.*407. scribit: *Non interest, cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, qvid credat, & qvali fide imbutus sit ille, qvi accipit Sacramentum. Interest qvidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti qvæstionem nihil interest.* L. V. c.8. p.439: *Sicut de Lege dicit Apostolus: Bona est lex, si qvis eâ legitimè utatur: ita de Baptismo rectè dicere possumus: Bonus est Baptismus, si qvis eo legitimè utatur. — Nec remissio irrevocabilium peccatorum conseqvitur baptisma, nisi non solùm legitimum, sed etiam legitimè habeatur.* Tract.53. in Joh. T. VIII. p. 386: *Non prosunt Sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi est, credere in eum, qvi justificat impium, credere in Mediatorem, sine qvo interposito non reconciliamur DEO.* Rursum tract. 80. p. 445: *Qvare non ait, Mundi estis propter baptismum, qvo loti estis; sed ait: propter verbum, qvod locutus sum vobis? — —*

tum Augustini testimoniis refellitur.

Unde

Unde ista tanta virtus aqvæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non qvia dicitur, sed qvia creditur. Similia passim apud ipsum, maximè in libris contra Donatistas legas. Vide hunc errorem accuratè & copiosè confutatum apud Chemnit. *Exam. P.II. p.*218. *sqq.* Gerh. *Conf. Cath. T.III. p.*816. *sqq.* & *L. de Sacram.* §. 78 — 86. Hülsem. *Disp. XI. contra Hager. qv.*2. & 3. *p.* 426. *sqq.* Carpz. *Vindic. Doctrinæ de Sacram. Aph. V.* & *Isag. p* 408. *sqq.*

Sacramenta V. Testam.

Alterum Augustini locum ex *Enarratione Psalmi* 73. qvod concernit, distingvit ibi S. Præsul *inter Sacramenta dantia salutem* (in Novo Testamento) *& promittentia Salvatorem* (in Testamento Veteri.) Nempe qvod superiùs monuimus, discrimen innuit, qvod utriusqve Fœderis Sacramentis intercedere qvà modificationem materiæ cœlestis, suprà diximus. Ut enim Verbum, ita & Sacramenta *Veteris Testamenti* non Christum ipsum ejusq; incarnati & occisi corpus ac sangvinem exhibebant, sed exhibendum promittebant, ac præfigurabant. Interim virtutem incarnationis ac meriti Christi ejusq; salutarem fructum æqvè offerebant, applicabant, obsignabant, ac Sacramenta Novi Testamenti. Geminum enim habebant, ut sic dicam, officium Sacramenta Veteris Testamenti, dum & præfigurabant Christum ejusqve passionem ac meritum, ceu *typi*; & exhibebant

& Typi, & media conferentia gratiam.

bant

bant meriti fructum, tanqvam *media salutis*. Neqve hoc negat Augustinus. Sacramenta verò *Novi Testamenti*, qvia typi ac umbræ non sunt (præsente enim corpore umbræ evanuerunt) cum virtute ipsum qvoqve Christum & redemtionem per eum factam exhibent. Atqve sic explicandum Augustinum esse, intelliget, qvi disputata ab illo *contra Faustum Manichæum L. XIX. c.* 14. *& sqq.* expenderit.

Allegat obiter *sub finem* dicta qvædam *Vindic.* Scripturæ, unde colligere vult, Sacramenta Veteris Testamenti omni efficaciâ justificâ destituta fuisse. Habentur illa *Ebr. X.* *Ebr. X,* 1. *v.*1. *Joh. VI*, 49. *II. Cor. III*, 6: unde (1) colligi videtur posse: *Si Lex Veteris Testamenti umbram tantùm habuit futurorum bonorum, & accedentes perfectos facere non potuit per sua sacrificia*, juxta *Ebr. X*, 1. Sacramenta Veteris Testamenti conferre gratiam non potuerunt. *Resp.* Conseqventia hæc nulla est. *Futura* enim *bona* h.l. non designant gratiam DEI, remissionem peccatorum, (hæc enim fidelibus Veteris Testamenti præsentia erant per fidem;) sed substantiam rerum cœlestium, h. e. Christum cum corpore & sangvine suo, omnibusqve, qvæ nostri causâ fecit passusq; est, ceu clarè & *h.l.* & *Col. II*, 17. docet oppositio Apostolica. Non repugnat ergò habere umbram rei cœlestis olim in Novo Testamento exhibendæ, & conferre

gra-

gratiam. Deinde qvanqvam non possent sacrificia *perfectos facere accedentes*, qvatenus in *statu suo physico* considerantur; sic enim omnium victimarum sangvis ne unius qvidem hominis expiando peccato suffecisset: tamen qvatenus in *usu mystico & typico* spectantur, vi antitypi sui placabant DEUM & expiabant peccata, qvod totus Leviticus affirmat. Conf. Danh. *Mysteriosf. p.* 500. *sqq.*

(2) Lex vetus Evangelio tanqvam *Spiritui vivificanti* opponitur titulo *literæ occidentis*, II. Cor. III, 6. *Resp.* Sunt sanè hæ diversæ oppositæq; operationes Legis & Evangelii, qvòd illa mortem & iram operatur, hoc vitam contritis præstat per Christum. Negamus verò Sacramenta ad *Legem mortificantem* pertinuisse: cùm nihil fuerint aliud, qvàm gratiæ Evangelicæ involucra, qvibus promissio, qvam DEUS jam Protoplastis *Gen. III*, 15. dederat, repetita applicataq; fuit. Licèt ergò ejusdem ministerio sancita fuerint, qvi mediator Veteris Testamenti erat, (qvanqvam & Circumcisio longè ante Mosen fuerit à DEO ipso ἀμέσως instituta;) non tamen ad vetus illud ac Legale pactum spectabant propriè. Nam ut Apostoli, qvorum potissimum aliàs officium erat prædicare Evangelium, Legis qvoqve minas, cùm terrendi essent animi auditorum, miscebant; sic & Moses literæ occidentis minister, suos

II. Cor. III. v. 6.

ad

ad Christum per verbum & Sacramenta ducebat.. Alioqvin illâ ætate nemo fuisset salvatus, cùm per Legis opera non possit justificari ulla caro, *Gal. II, 6.* (3.) Joh. VI, 49. *Patres manducaverunt Manna, & mortui sunt, (* neqve enim Manna qvà naturalem suum usum medium vitam æternam dandi esse debuit,*) qvi verò manducat hunc panem, qvi de cælo descendit, (* sive per fidem tantùm, sive in Sacramentis etiam, qvod suo modo & fideles in V.Test. salvati fecerunt*) vivet in æternum.* Nulla hic oppositio Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti, sed comparatio panis typici & antitypici. *Joh. VI, 49.*

(5.) Qvæstio illa: *An Ministri impietas salutari efficaciæ Sacramenti aliqvid detrabat?* ad discernendam veritatem nostræ & Papalis doctrinæ nihil facit. Negat illam Masenius. Negat & Augustana Confessio, cujus *Art. VIII.* hæc verba habentur: *Licet uti Sacramentis, qvæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisæi in cathedrâ Mosis &c. Et Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas & similes, qvi negabant, licere uti ministerio malorum in Ecclesiâ, & sentiebant, ministerium malorum inutile & inefficax esse.* Eundem in sensum sed adhuc *(5.) De Ministri intentione*

huc clariùs Apologia *p*.148.150.156. & Formul. Conc. *p*.732. pronunciat, ut *contra qvosdam* hîc disputans Masenius nostros ferire non possit. Videant modò Pontificii, qvàm benè efficaciam, imò essentiam ipsam Sacramentorum ab *intentione Ministri* suspendant; cùm tamen omnis operatio ac virtus Sacramentorum sit opus solius DEI. *Tit. III*, 5. *Eph. V*, 26. neqve infidelitas hominum possit DEI fidem irritam reddere, *Rom. III*, 3. ac proinde ut verbi efficaciæ nihil derogat ministri intentio, *Phil. I*, 15. 18. ita Sacramento, cujus eadem, qvæ verbi, ratio est, modò institutio Autoris per omnia essentialia observetur, ministri major minorve intentio nihil addat vel detrahat. Pontificii tamen hoc dogmate suo, qvod omnis antiqvitas Ecclesiastica ignoravit, rem eò adducunt, ut qvemvis dubitare oporteat, an sit baptizatus, ipsisq; adeò Papistis constare non possit, an Ecclesia sua habeat caput: cùm inter visibilis Capitis Ecclesiastici reqvisita baptismum ipsi numerent, de intentione verò ministri nemo certus esse possit. Lege de doctrinæ hujus (qvam cautè Masenius dissimulavit, & qvam cum alterâ de opere operato conciliare neqveo) falsitate, novitate & absurditate Chemn. *Exam. Conc. Trid. P. II. tit. de Intentione p*.223.*sqq*. Gerh. *L. de Sacram*. §.31.*sqq*. & *Conf. Cath. art. XI. c* 1. *ib I. p*.799. *sqq*. Danhau. *Mysterios. p*.124.*sqq*. & *Hodom.*

Pap.

Pap. T.II.p.423.sqq. B. Parens meus *Vindic. doctrinæ de Sacram. Aph. VIII.* Mares. *T. II. Anti Tirini controv.18.n 5.* Chamier. *Panstrat. T. IV. L. I. c.19. sqq.* Heidegger. *Anat. Conc. Trid. p. 303. sqq.*

(6.) Supereſt, qvod de Johannis Baptiſmo inſpergit, cui virtutem more Papiſtis ſolenni detrahit, eumq; iterandum fuiſſe contendit. *Cur Johannis Baptiſmus, qvi & fidem in Chriſtum excitabat, iteratur, niſi qvia ille tantùm baptizavit in aqvâ, ipſe autem* (Chriſtus) *baptizavit in Spiritu? Matth. III, 11.* (*Marc. I, 8. Luc. III, 16. Act. I, 5.*) *Act. XIX, 4. 5.* Nempe jam in Concilio Tridentino *Seſs. VII. can. I. de Bapt.* anathema vibrabatur in omnes, qvi dicerent, *Baptiſmum Johannis eandem habuiſſe vim cum Baptiſmo Chriſti.* Qvæ ſententia cùm & frigidam Socinianis affundat, (de qvibus lege Calov. *Sociniſm. Sect. VIII. art. 1. qv. 7. p. 828. ſqq.* Scherzer. *Anti-Socin. Diſp. XCVI. CVII. CVIII. p. 782. 867. ſqq.*) & Scripturæ manifeſtè repugnet, plurimaq; poſt ſe abſurda trahat, meritò à noſtris confutatur, è qvibus Brentium lege *in Act. I. & XIX. Homil. 2. & 188. fol 4. 172.* Chemnit. *P. II. Exam. Conc. Trid. tit. de Bapt. Johannis, p. 230. ſqq.* Fink. *T. V. Gieſſenſ. Diſp. XIII. p. 291. ſqq.* Danhauer. *Myſterioſ. p. 333. 569. ſqq.* Calov. *Exeg. Aug. Conf. Art. IX. c. 2. §. 4. ſqq.* & inprimis Gerhard. *L. de Bapt. §. 43. — 65.* nec non *Confeſs. Cath. T. III. art. XII. c. 4. p. 922. — 934.*

(6.) De Baptiſmo Johannis:

a) Sententia orthodoxa

& confer è Reformatis Gomar. *in Matth. III. qvæst. 3. P. I. opp. p. 23. sqq.* Chamier. *T. IV. L V. c. 12. 13.* Heidegger. *Anat. Conc. Trid. p. 315. sqq.* Abundè hi ostenderunt, ut efficiente, (*Joh. I, 33. Luc. III, 3. VII, 30. Matth. XXI, 25.*) & materiâ, (de qvâ dubium non est.) ita & formâ (puta affusione aqvæ in nomine ejus, qvi eum miserat ad baptizandum, *Joh. I, 33.* & qvi tum venturus dicebatur, ratione publicæ manifestationis, *Act. XIX, 4.*) atqve effectu convenire Christi & Johannis baptismum. Utriqve tribuitur remissio peccatorum, *Marc. I, 4. Luc III, 3.* fides in Christum, *Act. XIX, 4.* & fuga venturæ iræ *Matth.* III, 7. *Luc.* III, 7. præterea testatur Christus de Baptismo, qvalis tunc in Ecclesiâ vigebat per Johannem, qvòd per eum regenerentur homines, tanqvam per ordinariè necessarium salutis medium, *Joh.* III, 5. Qvam ob causam & Johannes *daturus scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum* prædicitur *Luc. I, 77.* qvia per verbum non minùs visibile, qvàm audibile, tanqvam efficax organum homines ad æternam vitam perducturus erat. Neqve apparet sanè, qvomodò Baptismus noster per baptismum Christi à Johanne susceptum sanctificatus fuisset, nisi qvem Johannes administravit, baptismus idem specie & efficaciâ cum nostro fuisset. Sed de his plura apud laudatos modò Scriptores.

Duo-

Duobus tamen argumentis hanc tàm luculentam veritatem Malenius impugnat, qvorum alterum ab *iteratione* Baptismi Johannæi, alterum ex *oppositione* Baptismi Johannæi & Christiani petit. Illam ex *Act. XIX*, 4.5. probare vult. Verba ipsa hæc sunt: Vers. 4: *Dixit autem Paulus: Johannes qvidem baptizavit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, ut in eum, qvi venturus esset post ipsum, crederent, hoc est, in Jesum Christum.* Vers. 5. *His verò auditis baptizati sunt in nomine Jesu Christi.* *Resp.* Nulla hîc baptismi repetitio, sive *versum* 5. Lucæ narranti, sive Paulo docenti tribuas. Si *Lucas* loqvatur, sensus fuerit: *Erant autem, qvi hæc audiebant*, (à Johanne prædicari,) *baptizati* (ab eodem) *in nomine Domini Jesu*, (ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.) Si *Paulus* loqvi ad Ephesios pergat, res adhuc clarior. Qværebat is Ephesios *v. 2.* an Spiritum S. ratione donorum miraculosorum (*Joh. VII, 39.*) accepissent? Cumq; illi omninò ignorarent, esse Spiritum S., (prout is non aderat, antеqvam Christus glorificaretur *Joh. l.c.*) Paulus *v. 3.* inqvirit, qvo ergò baptismo essent tincti? siqvidem mirifica Spiritûs S. dona baptismum illâ tempestate comitabantur. Illis, Baptismo Johannis, respondentibus: Benè, ait Apostolus. Johannis inter & Apostolorum post Christi exaltationem Baptismum hoc interest, qvòd Johannes qvidem

β) Malenii argumenta, 1. ab iteratione baptismi Johannei, ex Actor. XIX, 4.5.

baptizavit baptiſmo pœnitentiæ, populo dicens, ut in Jeſum Chriſtum, qvi tum ratione (non nativitatis ampliùs, ſed) publicæ manifeſtationis *venturus* dicebatur, crederent; Hæc verò, (pergit idem Paulus) qvi audiverunt, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et deinde impoſitis manibus Spiritûs S. dona iisdem conceſſit. Atqve hic poſterior ſenſus omninò particulis illis relativis μὲν, *v.4.* & δὲ, *v.5.* optimè qvadrat. Neqve omiſiſſet Paulus, hos Epheſios, ſi baptizaſſet, catalogo baptizatorum manu ſuâ *1.Cor.I, 14.16.* inſerere. Qvare, ut Apollos, qvi tantùm Johannis baptiſmum noverat, non rebaptizabatur, ſed accuratiùs modò in viâ Domini inſtituebatur, *Act. XVIII, 25.26:* uti Samariæ fideles baptizati in nomine Domini Jeſu, non rebaptizabantur, ſed manuum tantùm impoſitione conſecrabantur, ut Spiritûs S. compotes fierent, *Act.* IIX, *16.17:* ita & Epheſiis illis, fidem in baptiſmo Johannis indeptis, manum tantùm imponebat Apoſtolus, ut donis miraculoſis exornarentur. Vide eruditas vindicias hujus interpretationis, textui omnium optimè congruentis, apud laudatos anteà Gerh. *L. de Bapt. §.62. 63. 64.* Danhau *Hodoſ. p.1072* Calov. *Sociniſm. p.830.* Scherz. *p.869. ſqq.* Chamier. *l.c. cap.13. §.42. ſqq.* & adde prætereà Er. Schmidium, Theodorum Bezam, J. Tob. Majorem *annot ad h.l.*, Thummium *Impiet. Photin. p.575.* Walthe-

therum *Harm. p. 1025. sqq.* König. *Vindic. Scr. Diss.* XXX. Feurborn. *fascic. II. Diss. VII. corollar. Opp. p. 325.* Glaſs. *Grammat. Sacr. tr. 7. can. 14. p. 818.* Marel. *Anti-Tirin. Controv. 17. p. 492.* Rivet. *Cath. Orth. tract. 3. qv. 2. n. 6* & *animadverſ. in Grotium ad Caſſandrum art. 9. Tom. III. Opp. p. 301. 941.* Qvòd ſi maximè cum Ambroſio ſtatuas, Epheſios illos adulterino qvodam baptiſmo ſub nomine baptiſmi Johannis non tam tinctos, qvàm ſordidatos, adeoq; omninò non tàm rebaptizandos, qvàm baptizandos fuiſſe, nihil tamen per hoc vero Johannis baptiſmo decedet. Non addam nunc, qvod Brentio, Oſiandro *in h. l.* Franzio *Tom. II. Witteb. Diſſ. XI. §. 47. p. 739.* Brochmando *T. II. Syſtem. L. de Bapt. p. 2043.* aliisq; qvibusdam obſervatum, poſſe verba *versûs 5.* metaphoricè de effuſione donorum Spiritûs Sancti exponi, ita ut *verſus 6.* prioris exegeſin contineat: *baptizati ſunt in nomine Jeſu: Hoc eſt: Cùm Paulus illis impoſuiſſet manum, acceperunt peculiaria Spiritûs S. dona.* Neqve enim attinet proprietatem literæ ſine neceſſitate deſerere.

Levius adhuc telum eſt, qvod è *Matth. III. v. 11.* eiq; parallelis locis ſuprà aſcriptis petit. Opponitur ibi non Chriſti & Johannis baptiſmus, ſed baptiſmus *Fluminis & Flaminis,* atqve hoc vult dicere Baptiſta: ſe qvidem per baptiſmum aqvæ tanqvam organum divinitùs ordinatum Spiritûs S. dona ſanctifi- *2. ab oppoſitione bapt. Joh. & Chriſti: Matth. III 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16. Act. I, 5.*

 can-

cantia conferre; at Dominum Jesum exaltatum ad Patris dextram dona ministrantia ac miraculosa Spiritûs in Pentecostali igne super eos effusurum esse. Interpres vaticinii Dominus ipse, *Act. I, 5.* & servus, *Actor. X, 16.* Testimonia autem Veterum ac recentiorum adjicere in re clarâ supersedeo, & pergo ad

PUNCT. II. p. 133.-136.

De Baptismi

An (infantibus) & qvo ritu conferendus baptismus, & num ad salutem omnibus necessarius?

Duo considerat Masenius: *primò* Necessitatem Baptismi, ac *deinde* illius ritus.

(1.) Necessitate, expenditur

De *Necessitate* (1.) sententias *Anabaptistarum*, *Calvinianorum*, *Lutheranorum*, *Pontificiorum* proponit: (2.) postremam confirmat, deniqve (3.) Calvinianis & Lutheranis respondet.

(a) Maseniana sententiarum commemoratio:

Primò ergò sententias partium sic proponit: *Anabaptistæ infantibus conferendum negant: qvia tenentur credere, qvod ante usum rationis neqveunt. Dictum enim est, qvi crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus*

salvus erit; qvi verò non crediderit, condemnabitur. Hinc varii errores. Calvinistæ & qvidam Lutherani cum Anabaptistis sentiunt, infantes fidelium sine baptismo fide parentum salvos fore, negligendum tamen baptismum cum iisdem non ducunt: ne contemptus damnet. Alii Lutheranorum baptismum cum fide reqvirunt, & exemplo Joannis Baptistæ pios fidei motûs infantes sentire existimant, per qvos aqvâ accedente justificentur. Catholici etiam baptismum ad salutem necessarium esse tradunt, sed fidem Ecclesiæ vel parentum volunt sufficere. In hoc Masenii discursu primùm ἐξαγώνια à controversis, deinde & vera à falsis distingvenda sunt. *Anabaptistarum* error, qvi infantibus & fidem & propter hujus defectum baptismum qvoqve aufert, nihil ad nos spectat. *Damnant* (Ecclesiæ nostræ) *Anabaptistas, qvi improbant baptismum puerorum, & affirmant pueros sine baptismo salvos fieri.* Aug. Confess. *art. IX.* Conf. Apolog. *p. 156.* Similiter & confutant Doctores nostri alterum errorem *Calvinianorum*, qvi infantes fide privant, privari tamen baptismo nolunt, ne contemtus damnet; interim necessitatem baptismi non aliam, nisi *præcepti* admittunt. *Medium*

Ubi

enim efficax conferendi gratiam & operandi regenerationem baptiſmum eſſe negant, & ſigillum modò fœderis, in qvo jam ſint ante baptiſmum regenitorum infantes, faciunt. Qvæ ergò contra Anabaptiſtas pro baptiſmo parvulorum, & contra Calviniſticam ſanctitatem non-baptizatorum hîc diſputat Maſenius, ea à nobis non vocantur in controverſiam. Falſum verò, qvòd *qvibusdam Lutheranis* errorem Calvino-Anabaptiſticum objicit, qvaſi *infantes fidelium ſine baptiſmo fide parentum ſalvari* ſtatuant. Aſcripſiſſet ullius γνησίως Lutherani Doctoris verba, ſi calumniæ fidem facere voluiſſet. Qvid de Anabaptiſtarum ſententiâ cenſeant Lutherani, abundè ex *Aug. Conf. l. c.* conſtat.

objecta Lutheranis conſpiratio cum Anab. & Calvin. refellitur,

Calvinianorum verò de negatâ *infantum fide propriâ & actuali* errorem, qvem illi cum Pontificiis communem habent, (perinde ut hi cum Anabaptiſtis conſpirant in eo, qvòd parvulorum baptiſmum ex Scripturâ probari poſſe negant: uti Bellarm. *L. IV. de V. D. c. 4. §. Decimo.* ſcribit: *Credunt nobiscum Lutherani & Calviniſtæ contra Anabaptiſtas, baptiſmum parvulorum eſſe ratum. Id autem ex ſolis Scripturis nec Catholici probant, nec Lutherani probare ullo modo poſſunt.*) acriter ubiqve impugnant. Norunt enim, *juſtum non niſi ſuâ fide vivere*, *Habac. II, 4. 5. Rom. I, 17.* neqve qvenqvam *regenerari inq; filium DEI adoptari, à peccatis mundari, juſtificari, DEO* pla-

& fides infantum propria demonſtratur.

placere, DEUM laudare, vincere mundum, & accipere regnum cœlorum posse sine fide. Hoc enim apertissima Scripturæ testimonia docent, qvæ ad hæc omnia obtinenda fidem reqvirunt, *Eph.* III, *16. 17. Joh.I, 12. Act.XV, 9. Rom.* III, *22. Ebr. XI, 6. Rom.X, 14. I Joh.V. v.4. Joh V, 39.* Cæterùm baptizatos omnes, adeoq; & parvulos mundari à peccatis, *Eph. V, 26.* regenerari, & adoptari in filios, *Joh.* III, *5. Tit.* III, *5. 6. 7.* Christum induere, *Gal.* III, *25.* justificari & placere DEO, *I: Joh. II. 12. 14. Matth.XIX, 14.* laudare Deum, *Psal. VIII, 3.* & accipere regnum cœlorum, *Matth. l.c. & Marc.X, 14.* certum est. Ut negari proinde non possit, eosdem actu credere. Norunt, qvàm arctè Salvator fidem baptismo annectat, ut indicet sine fide baptismum nihil prodesse, fideiq; absentiam absolutè damnare, qvod de baptismi absentiâ non affirmat: *Qvicunq; crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Qvi verò non crediderit, condemnabitur, Marc. XVI, 16.* Itaqve Salvatori suo fidem habent, liqvidissimè affirmanti, *parvulos in se credere, & qvi salutem obtinere velit, illum, non aliter, qvàm infantes, capere eam posse, Matth.* XVIII, *3.* XIX, *13. 14. Marc. X, 13. 14. 15. Luc.* XIIX, *15. 16. 17.* qvæ loca non de grandiusculis, sed infantibus intelligenda esse rectè Jansenius *Concord.c.100.* Maldonatus *in Matth.* XIX, *13.* & Bellarminus

L. I. de Bapt. c. 8. §. Altera solutio. **notant.** *Verba Evangelistarum* (ait Bellarminus, qvi tamen hoc ipsum *c. 11. ejusd. libri §. secundum argumentum.* negat, secum ipse **pugnans**) *parvulos & infantes significant.* ***Matthæus** & Marcus habent* παιδία, *id est, parvulos: Lucas habet* βρέφη, *id est, infantes.* ***Et ibidem** Lucas dicit, portatos fuisse, non suis **pedibus** venisse.* Hæc & alia, qvæ omnia hîc **repe**tere longum foret, cùm secum **reputant** Orthodoxi, fidem actu apprehenden**tem Chri**sti meritum, non reflexam qvidem **illam, di**rectam tamen in infantibus per **baptismum** ordinariè, extraordinariè verò & **immedia**tè in iis, qvos necessitatis casus baptismo **ex**cludit, à Spiritu Sancto accendi d**ocent: li**cèt modum, & qvalis sit illa Spiritûs S. **ope**ratio, exprimere verbis neqveant. De qvo argumento piè & accuratè in thesi **& anti**thesi egerunt Affelmannus & Bal**duinus** ***pe**culiaribus Exercitationibus*, qvæ **habentur in** illius *Opp. P. I. p. 820. — 863.* & ***Tom.* III. *Wit**teb. Disp. I. p. 1. — 50.* Menzer. ***Tom. II. Giess.*** *Disp. XIV. §. 229. — 265. p. 541. sqq.* Förster. *Dec. III. de Baptismo, probl. 2.* Gerh. ***L. de Bapt.*** *§. 218. — 233.* & *Conf. Cath. art.* **XII. *cap. 2.*** *Tom.* III. *p. 905. — 911.* Höpffner. ***Disp. XI. de*** *Justific. c. 2. p. 925. sqq.* ut alios **taceam.**

(β) *Maseniana* Sed hæc ad Malenianam sententi**arum re**censionem annotâsse sufficiat. **Nunc *secundò*** **con-**

confirmatio ſententiæ Pontificiæ expenden-da. *Catholici*, ait Maſenius, (1.) *Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe tradunt. ſed* (2.) *fidem Eccleſiæ vel parentum volunt ſufficere.* Duo proinde demonſtranda ſumit: (1) abſolutam Baptiſmi neceſsitatem, (2.) ſufficientiam fidei parentum. *Illam* Scripturæ unico textu è *Joh.* III, 5. & gemino Auguſtini loco oſtendere laborat: alterum ex ejus *Epiſt.* (non 215. ut in margine allegatur, ſed) XXVIII. *ad Hieronymum*, alterum ex *L.I. de peccator. meritis & remiſs. c.* 23. Sed & ad Chriſti verba, & ad priorem Auguſtini locum jam ſuprà *p.* 108. 112. reſponſum, cùm Maſenius *Conſid.VI. puncto I. p.* 52. eadem tela in nos vibraret. Neqve eſt, qvòd de altero Auguſtini textu, (qvi *T.VII. p.*670. ſic habet: *Nulla ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, qvam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda*) multùm laboremus. Contra Pelagianos ibi B. Auguſtinus diſputat, qvi baptiſmi neceſsitatem, qvòd vim peccati originalis non agnoſcerent, negabant. Contra hos rectè docet, nullam ordinariè ex noſtro arbitrio promittendam ſalutem infantibus, extra baptiſmum. Qvid verò aliàs de hâc qvæſtione viſum ipſi fuerit, & qvid nobis juxta Scripturam

confirmatio tum absolutæ necesſitatis Baptiſmi:

ram videri debeat, jamdum ſup
pend mus, neqve nunc actum a

tum ſufficientia fidei parentum: Potius eſt, ut conſideremus
cùm *Parentum fidem ſufficere i*
monſtrare voluit. Atqve hîc
qvidem nihil, geminum mod
Auguſtino recitat. Unum
verbis Apoſt. T. X. p. 327: *Cr*
de qvâ *fantes. Unde credunt? qvom*
Fide parentum. Si fide paren
tur, peccato parentum pollut
pus mortis in primis parentib
eos peccatores: Spiritus vitæ
bus parentibus regeneravit
Alterum è L. III. de Lib. arb. c.
Et hoc Eccleſiæ commendat
autoritas, ut ex eo qvisq; ſenti
proſit fides ſua, qvando in a
beneficium, qvi propriam non
poteſt aliena commodari. Q
viduæ profuit fides ſua, qva
tuus non habebat, cui tamen
tris, ut reſurgeret? Qvant
fides aliena conſulere poteſt p
B. Auguſtini ſententia explicatur. *ſua perfidia non poteſt imput*
cenſuit Auguſtinus, nullam fi
bus per baptiſmum conferri,
Chriſti apprehendant ipſi, ſola

fidem imputari, non dubitabimus eadem parrhesiâ ab illius sententiâ discedere, qvâ relinqvi illum à Pontificiis in dogmate agnato *suprà p. 110. 111.* observavimus. Nunc si cum aliis illius locis hæc, qvæ Masenius attulit, conciliare velimus, necesse fuerit ea sic explicare, ut vel modum fidei, (qvalis in adultis est, cum actu reflexo, luctâ, & externâ operatione) non fidem ipsam negaverit, vel de adductione tantùm ad baptismum fuerit solicitus. Ubi fatemur & ipsi, fidem parentum infantibus prodesse, non ut salventur infantes, sed ut ad baptismum, per qvem ordinariè fides salvifica in ipsis à Spiritu S. accenditur, perveniant. Audiamusq; optimum mentis suæmet interpretem. Sic ille *Epist.* XXIII. *ad Bonifacium, T. II. pag 89: Ut autèm possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cùm offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex qvo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: Nisi qvis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide: sed, Nisi qvis renatus fuerit ex aqvâ & Spiritu. Aqva igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcili-*

cilians bonum naturæ, regene
nem in uno Christo, ex uno A
tum. Regenerans ergò Spirit
ribus offerentibus, & parvul
natoq; communis est: ideò p
cietatem unius ejusdemq; Spiri
offerentium voluntas parvulo
des non tam fide parentum re
fantem, qvàm ad regeneration
promoveri, Augustino judice. Q
p.93. docet, fidem talem, qvam i
se habere norit, deesse infantibus
men fidem in iisdem per gratian
accendi: *Cùm respondetur*, ait
credere, qvi fidei nondum habe
respondetur fidem habere propt
cramentum, & convertere se a
propter conversionis Sacrament
& ipsa responsio ad celebratione
Sacramenti —. Itaq; parvulu
dum fides illa, qvæ in credentiu
te consistit, jam tamen ipsius f
mentum fidelem facit. Atqve
actum reflexum à directo clarè
priorem modò illum infantibus n
steriorem tribuens, *Epist.LVII. ad*
T.II. p.278: Dicimus in baptizat
qvamvis id nesciant, habitare Sp
ctum: Sic enim eum nesciunt; qvam

qvemadmodum nesciunt & mentem suam: cujus in eis ratio, qvâ uti nondum possunt, velut qvædam scintilla sopita est, excitanda ætatis successu. Confer Chemnitium *P. II. Exam. Conc. Trid. ad Can 3. de Baptismo, p. 245. 246.* ubi plura pro ὁμωψηφίᾳ Augustini eruditè disseruntur.

Tertiò respondet Masenius tum *Calvinianis*, fœderalem, qvam comminiscuntur, sanctitatem infantum parentibus Christianis genitorum è *I. Cor. VII, 14.* probare neqvicqvam cupientibus: qvibus rectè pulcherrima duo Augustini loca (è *Tom. VII. de pecc. mer. & remiss. L. II. c. 26. p. 711.* & è *Tom. X. de verbis Apost. serm. 14. post med. p. 326.*) opponit: tum *Lutheranis, qvi exemplo Johannis Baptistæ pios fidei motûs infantes sentire existimant*, ut in sententiarum recensione scripserat Masenius. His ergò ita respondet: *Se verò à Johanne Baptista in utero matris exsultante exemplum ducant, occurrit idem Augustinus: Neq; enim, inqvit, (Epist.* modò laudatâ *VII. ad Dardanum T. II. p. 277.) cum hoc antè Evangelio narraretur, dictum est: Credidit infans in utero ejus, sed Exultavit in gaudio. Neq; ipsa dixit: Exultavit in fide infans in utero meo, sed exultavit in gaudio. Etiam hoc in miraculis habendum divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Nam qvando DEUS voluit, etiam jumentum mutum rationabiliter est locutum. Nec ideò sunt ad-*

(γ) *Masenii responsio tum ad argumentum Reform. è I. Cor. VII, 14. tum ad instantiam Lutheran. è Luc. I, 41. 44. de fide Johannis in utero.*

mo-

moniti homines in deliberationib asinina expectare consilia. San ita nobis Augustinus, si è Joha exemplo regulam universalem mus. Qvod, tantum abest, ut potiùs miraculosum hoc & extr exemplum fuisse, contra eos as naturalem hunc embryonis m pretantur, ne cogantur conced Sanctum etiam in infantili pect dei excitare posse. Cæterùm ex hoc exemplo colligimus, no sibile, ut Spiritus S. operetur pe fidem in parvulis, qvi & in em tare eandem potuit. Breviter: exemplo, non ut *argumento* thesin, sed ut *instantia* refellen Malo hæc, ut fidem dictis facia illustrium Theologorum nos verbis effari. Ita Balduinus *D fantum th.127:* (Tom. III. Di p. 48.) *Ex hoc exemplo Johann regulam universalem constituimu nobis objiciunt adversarii, qvasi i fantibus idem fiat: Sed Deo oper extraordinariam non esse impos inusitatam, rectè inferimus dicent stino Epist. 57. ad Dardanum: illo puero (Johanne) usus ration tis acceleratus, ut intra viscera m agnoscere & credere & consentir*

miraculis habendum divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Et Affelmannus *de fide infantum, th.* 17. (Opp. P.I. p.830.) *Neq; ex Johannis exemplo concludimus sententiam nostram, OMNES baptizatos infantes Christianorum credere; ex singulari namq; & extraordinario exemplo talis generalis conclusio inferri non potest: Et si posset, non esset à baptismo, sed ab ipsâ gestatione in utero inchoanda infantium fides,* (vide pulchrè *Augustin. Tom.* 2. *Oper. Epist.* 57.) *sed tantùm pro instantiâ urgemus ad argumentum adversariorum, qvo ex ἀδυναμία naturali, & defectu ratiocinationis concludunt, infantes non posse credere. Huic argumento rectissimè opponitur illud Johannis Baptistæ exemplum, ut inde concludatur,* (1.) *de fide infantum judicandum esse non ex viribus & actionibus naturalibus, sed potiùs ex virtute & operatione Spiritûs S.* (2.) *Infantes qvoq; actualis fidei per operationem Spiritûs S. posse esse capaces. Cum enim Johannes Baptista infans potuerit ejus capax esse, qvidni & in infantiâ, Baptista Principis Pisauri filia, qvæ tres de verâ religione scripsit libros, qvidni alii aliævé infantes capaces esse posint, potuerint? Ulterius extendi exemplum non debet. Distingvendum est, inqvam, accuratè inter duo argumentandi genera, qvibus in hoc certamine utendum, unum est pro veræ seneentiæ adstructione, alterum pro adversæ partis fundamentorum de-*

 stru-

structione: Illud est κατασκευαστικὸν, *hoc* ἀνασκευαστικὸν: *Illud suppeditat argumenta, qvibus nostra stabilitur* θέσις, *hoc verò, qvo adversariorum refellitur* ἀντίθεσις: *Illic fundamenti loco sextuplex superius recitata demonstratio ponitur, hic verò exemplum Johannis Baptistæ in subsidium adhibetur.* Sed hæc de priore *Puncti hujus* membro.

(2.) Ritibus, ubi Supereſt, ut de *Ritibus Baptiſmi* videamus. Breviter qvidem. Qvando enim de eſſentialibus conſtat, non eſt, qvòd de ceremoniis, qvæ neqve ad eſſentiam, neqve ad integritatem Baptiſmi, ſed ad ornatum tantùm pertinent, multùm digladiemur, modò obſerventur ea, qvæ de Ritibus Eccleſiæ in genere ad *Conſid. præc. punct. 4. p. 714. ſqq.* annotata ſunt. Ea dum parum penſi habuerunt Papiſtæ, & *(1.)* ritûs ab hominibus bono fortè conſilio primùm inventos, ſub neceſſitatis Lege, ceu partem Sacramenti reqviſiverunt, iisq́; præterea (2.) neſcio qvas ſpirituales virtutes Dæmonem pellendi, conferendiq́; gratiam tribuerunt, (3.) adjecerunt etiam theatrales mimicosq́; geſtûs, qvi nihil ad ſalutarem commonefactionem, plurimùm verò ad turbandam devotionem faciunt, idq́; *(4.)* cum inſigni Libertatis Chriſtianæ detrimento; hinc impoſita nobis neceſſitas, priſcam illam ſacratiſſimi lavacri ſimplicitatem ab aſpersâ labe vindicandi.

a) Rituum Papiſticorum vitia, ac novitas.

Lege

ge hîc, qvæ Dallæus *Libro I. toto de Reli-*
is Latinorum cultibus ex professo contra
XII. ceremonias Baptismi solennis à Bellar-
no reqvisitas disputat, ac docet, plerasqve
arum ante Annum Dom. CCC. Ecclesiæ
noratas, nullam verò ante Ann. CLX. in
u fuisse. Certè apparatum illum scenicum,
em è Rituali & Pontificali Romano *cap. I.*
ponit, omnis ignoravit antiqvitas, idq;
dit operam potiùs, ut salutari institutione
verbo DEI imbuerentur piorum animi, &
s precibus accenderentur, qvàm distrahe-
ntur hujusmodi ineptarum ceremoniarum
lvâ. Qvod dum scribo, neqvaqvam omnes
nninò ritûs à Baptismo abfuisse volo; hoc
tem volo, nimios illos & inutiles abfuisse,
sq; etiam, qvos usurpârunt, liberè inven-
s, liberè mutari potuisse. Meminit Tertul-
nus *de coronâ mil. c.3.* & *Lib.I. contra Mar-*
nem c.14. baptizatis in occidentis Eccle-
mel ac lac (vinum etiam addit Hieron. *in*
a.LV. ad verba: *Venite, & comparate abs-*
pretio vinum:) præbitum. Dicat causam
nsenius, cur ritum illum, cur alios Dallæo
cit. cap.15. p.75. sqq. memoratos antiqva-
rit Romana Ecclesia, si vetustatis praxis
rpetua ceremoniarum Lex esse debeat?
d non immorabimur huic negotio; suffi-
e enim possunt, qvæ suprà de Ritibus di-
nus, huc applicata. Confer interim, si pla-

cum abrogatione priorum rituum conjuncta.

structione: Illud est κατασκευαστικὸν, hoc ἀνασκευαστικόν: Illud suppeditat argumenta, qvibus nostra stabilitur θέσις, hoc verò, qvo adversariorum refellitur ἀνίθεσις: Illic fundamenti loco sextuplex superius recitata demonstratio ponitur, hic verò exemplum Johannis Baptistæ in subsidium adhibetur. Sed hæc de priore *Puncti hujus* membro.

(2.) Ritibus, ubi

Superest, ut de *Ritibus Baptismi* videamus. Breviter qvidem. Qvando enim de essentialibus constat, non est, qvòd de ceremoniis, qvæ neqve ad essentiam, neqve ad integritatem Baptismi, sed ad ornatum tantùm pertinent, multùm digladiemur, modò observentur ea, qvæ de Ritibus Ecclesiæ in genere ad *Consid. præc. punct. 4. p. 714. sqq.* annotata sunt. Ea dum parum pensi habuerunt Papistæ, & (1.) ritûs ab hominibus bono fortè consilio primùm inventos, sub necessitatis Lege, ceu partem Sacramenti reqvisiverunt, iisq; præterea (2.) nescio qvas spirituales virtutes Dæmonem pellendi, conferendiq; gratiam tribuerunt, (3.) adjecerunt etiam theatrales mimicosq; gestûs, qvi nihil ad salutarem commonefactionem, plurimùm verò ad turbandam devotionem faciunt, idq; (4.) cum insigni Libertatis Christianæ detrimento; hinc imposita nobis necessitas, priscam illam sacratissimi lavacri simplicitatem ab aspersâ labe vindicandi.

a) Rituum Papisticorum vitia, ac novitas.

Lege

Lege hîc, qvæ Dallæus *Libro I. toto de Religiosis Latinorum cultibus* ex professo contra XXII. ceremonias Baptismi solennis à Bellarmino reqvisitas disputat, ac docet, plerasqve illarum ante Annum Dom. CCC. Ecclesiæ ignoratas, nullam verò ante Ann. CLX. in usu fuisse. Certè apparatum illum scenicum, qvem è Rituali & Pontificali Romano *cap. I.* exponit, omnis ignoravit antiqvitas, idq; dedit operam potius, ut salutari institutione ex verbo DEI imbuerentur piorum animi, & piis precibus accenderentur, qvàm distraherentur hujusmodi ineptarum ceremoniarum sylvâ. Qvod dum scribo, neqvaqvam omnes omninò ritûs à Baptismo abfuisse volo; hoc saltem volo, nimios illos & inutiles abfuisse, eosq; etiam, qvos usurpârunt, liberè inventos, liberè mutari potuisse. Meminit Tertullianus *de corona mil. c. 3.* & *Lib. I. contra Marcionem c. 14.* baptizatis in occidentis Ecclesiâ mel ac lac (vinum etiam addit Hieron. *in Esa. LV.* ad verba: *Venite, & comparate absqve pretio vinum:*) præbitum. Dicat causam Masenius, cur ritum illum, cur alios Dallæo *lib. cit. cap. 15. p. 75. sqq.* memoratos antiqvaverit Romana Ecclesia, si vetustatis praxis perpetua ceremoniarum Lex esse debeat? Sed non immorabimur huic negotio; sufficere enim possunt, qvæ suprà de Ritibus diximus, huc applicata. Confer interim, si pla-

cum abrogatione priorum rituum conjuncta.

cet, Danh. *Hodoſ. p. 1077. ſqq.*
p. 370. ſqq. qvi re probè expens
ſtolicos, *Eccleſiaſticos* & *Pontifici*
limitibus diſtingvit. Primi gene
techeſis, *ſcrutinium conſcientiæ*, *c*
& maximè *Oratio*, ad qvam *bene*
tur. Alterius: *Nominis impoſitio*,
tis) profeſſio, *exorciſmus* (non
& ἐνεργητικὸς, ſed σημαντικὸς ty
tanicæ, cui irregeniti ſubſunt, &
ptiſmum liberantur), *abdicatio*
va, *aqvæ conſecratio*, *unctio*, *lac*, *m*
oſculum, *ſignum crucis*, *manuum i*
ronatio, *veſtis candida*, deniqve
ſponſio. Poſtremi generis ſunt (
qvitate fruſtrà qværi, Vaſqveziu
mæ D. 6. c. 4. apud eundem Dan
gnovit) *ſalis guſtatio*, *cerei præla*
tio, & *tactus aurium & narium p*
Poſtremos hos partim ſuperſtiti
ſordidos (lege de Johannâ Scoti
ſtimonium Jacobi Filii apud Riv
verſ. ad Grotii not. in Conſult. C
IX. p. 942. T. III.) meritò rejicit
thodoxa: Apoſtolicos ſimplicit
ſticos vero vel omnes, vel aliqvo
libertatis Chriſtianæ diſpendio
ρως admittit. Omnia juxta Au
lam, qvam ſuprà p. 600. aſcripſ

β) Diſtinctio rituum Apoſtolicorum, Eccleſiaſticorum, & Papiſticorum.

Atqve hinc dijudicari poteſt, qvantum roboris contra nos habeat, qvod de *exorciſmo*, *abrenunciatione diabolo factâ*, *unctione & ſigno crucis* ex Auguſtino opponit Maſenius. Scilicet hoc unicè hinc concludi poteſt, tempore Auguſtini obſervari hosce ritûs in Eccleſiâ conſveviſſe. Itaqve neceſſe non eſt, ſeorſim expendi Auguſtinianos textûs: neqve enim de hoc litigamus, qvi in noſtris Eccleſiis & *exortiſmum*, & *abrenunciationem*, & *ſignum crucis* (liberè tamen) retinemus, & contra eos, qvi in alterum extremum prolapſi eosdem ritûs planè proſcriptos cupiunt, defendimus, propter utiles commonefactiones, qvas ſuggerere ſpectantibus poſſunt. *Demonſtrantur* enim *infantes & cùm exorciſcantur, & cùm Diabolo per eos, à qvibus geſtantur, renunciare reſpondent, à Diaboli dominatione liberari*: ut rectè Auguſtinus. At cùm obſesſionem ſpiritualem infantum hinc producunt adverſarii, cùm vim tantùm non magicam huic ceremoniæ in ſe non malæ tribuunt, qvod nec Auguſtinus, nec qvisqvam alius, qvi formæ ſanorum verborum adhæret, dixerit, non poſſumus non à Pontificiis nos ſeparare, atq; unicè illi ſignificativo uſui, qvem Auguſtinus noverat, inhærere. Neqve ideò *vel negligimus*, *vel mutilamus divina Sacramenta*, qvod Maſenius cenſet: qvi rectiùs hanc mutilationem objeciſſet iis, qvi Sacramentum S. Cœnæ à Laicis

y) Reſponſio de ritibus Auguſtino memoratis.

usurpatæ alterâ parte truncant. N
niarum liber usus, sed essentialit
ablatio mutilat Sacramentum. P
vimus, in divinis æqvè additione
lationem culpæ obnoxiam esse. U
utrinqve in Sacramentario nego
Pontificii, colligere licet, annon t
clesiâ nostrâ Baptismus petatur, u
stitutionem Christi & essentialia
& inutiles superstitiosiq; ritûs res

δ) Judicium de toto negotio.

Ut omninò frustrà sit Masenius
notare voluit, ita sub finem huj9
rens: *Si baptisma suscipiunt* (advers
teri orthodoxæ Ecclesiæ probatos ri
nionemq; cum periculo negligunt
qvam contemnimus Ecclesiæ ritû
necessariâ cultûs parte ceremoni
inutiles & superstitiosas, nobis
lumus. Præstat sanè libertatem E
fendere abdicando etiam ritûs n
qvos necessitatis opinione Anti
cœtus contaminavit, qvàm cun
tûs superstitiosos & inutiles à
maq; Ecclesiæ simplicitate nimis
re. Communionem verò orthod
siæ non in rituum, sed in fidei co
qværi oportere, suprà cum Irena
vimus. Legitimè administrabant
sionis externum ritum Pharisæi ac

neqve tamen per hoc vera illorum erat Ecclesia: qvia fidei doctrinæq; puræ communio desiderabatur. Ab hâc ergò communione qvia successionem ea facit Ecclesia, qvam non esse, sed falsò à suis appellari Catholicam suprà demonstravimus, liqvidum est, extra illam potiùs baptismum petendum esse, ex consilio Augustini, (vel ejus potiùs, qvi illum librum compilavit, qvem Augustini non esse, Erasmus, Bellarminus, Lovanienses profitentur:) qvod è *Tom. IV. libro LXV. qvæstionum, q. 59. p. 693.* ascribere Masenio placuit: *Qvamvis unum baptisma sit hæreticorum, eorum scilicet, qvi in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S. baptizantur, & Ecclesiæ Catholicæ: Tamen qvia foris, & extra Ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem: habentes qvidem speciem pietatis, virtutem tamen ejus abnegantes: Et iccircò eos Ecclesia non rebaptizat, qvia in nomine Trinitatis baptizati sunt. Ipsa est profectò forma Sacramenti: ideo, dum reversi fuerint, accipiunt virtutem Spiritûs Sancti. An dubitare igitur possumus,* (addit Masenius) *in ejus nobis Ecclesiæ baptismo, qvæ Catholica est, ac nominatur, tutissimum ad salutem asylum esse? In re tantâ, certum mihi est præferre tutiora, ne temerariam de æternitate aleam jaciam, nunqvam supremo judici probandam.* Scilicet res omnis re-

dit ad ſcrutinium veræ Eccleſiæ, ut in ejus communione baptiſmum petas. Qvod cùm ſuprà *Conſid. VII. punct. 3.* & *Conſid. IX. puncto 3.* inſtitutum jam ſit, nihil attinet, hîc ulteriùs immorari. Qvi ibi diſputata in timore Domini expenderit, *in re tantâ* haud dubiè *tutiora præferet, ne temerariam de æternitate aleam jaciat, nunqvam ſupremo judici probandam.*

PUNCT. III. p. 136-140.

An præter baptiſmum ab originali labe purgantem, non reperiatur in Eccleſiâ pro relapſis Sacramentum Reconciliationis ſive Pœnitentiæ, qvod pœnitentibus ritè confeſſis abſolutisq́; ſit in actualium peccatorum remedium?

Repetere qvæſtionem Maſenii verbis placuit, qvam ex tractatione illius in duo membra ſecandam eſſe intelligimus: qvorum altero id conſiderandum erit: *An*

An Pœnitentia sit propriè loqvendo peculiare Novi Testamenti Sacramentum? altero: *Qvibus necessariis partibus Pœnitentia, si salutaris esse debeat, constet?* *Posteriorem* qvæstionem operosè & principe studio tractat Masenius. *Priorem*, cujus examen polliceri videbatur præscriptus puncti titulus, non nisi obiter attingit. Neqve enim è totâ (sanè prolixâ) pertractatione qvicqvam eò faciens magnoperè deprehendes præter dicta *Scripturæ*, qvibus potestatem absolvendi Sacerdotibus traditam confirmat, nobis non repugnantibus, deinde *Augustini* unicum textum, & deniqve *ratiunculam* unicam, qvæ levi flatu dispulsa abit in auras. Modò enim observet pius Lector, non qværi (1.) an pœnitentia sit necessaria, de hoc enim utrinqve convenit, neqve qvisqvam nostratium peccatoribus lapsis post baptismum, reditum ad gratiam, seu pœnitentiam cum Novatianis negavit, ceu per mendacium nonnulli nostris objecerunt. Vid. Gerh. *L.de pœnit. §.21. Conf.Cath. t.ult. p.15.* Neqve (2.) id disputari, an Pœnitentia junctâ Absolutione possit Sacramentum aliqvô modô & paulò latiori sensu ob Convenientiam cum Ba-

Qvæstio I. de Pœnitentia Sacramento.

ubi

(1.) Status rectè formatur.

Baptiſmo & S. Cœnâ ratione *finis*
hoc enim ultrò fatetur Apologia
p. 200. *Si Sacramenta vocamus ri*
bent mandatum DEI, & qvibus ad
misſio gratiæ, facilè eſt judicare,
priè Sacramenta. Nam ritûs ab h
ſtituti non erunt hoc modo propriè
menta — — Verè igitur ſunt
ta, Baptiſmus, Cœna Domini, & A
eſt Sacramentum pœnitentiæ. In
paulò pòſt, in propriisſimâ accept
mentum non eſſe: *Si enim omnes*
numerari Sacramentis deberent,
mandatum DEI, & qvibus ſunt ad
ſiones, cur non addimus orationem,
mè poteſt dici Sacramentum? h
mandatum DEI, & promisſion
Conf. Gerh. *L. de Pœnit.* §.22. C
*p.*411. Qvod in controverſiam ve
cè eſt, (3.) *an Pœnitentia ſignis*
nifeſtata accedente ad eam abſolu
ſit Sacramentum novæ Legis prop
(ita ſtatum format Bellarm. *L.*
*c.*8.) hoc eſt, tale, qvale Baptiſm
Domini, è qvibus, tanqvam ve
confesſione Sacramentis rectisſi
ri Sacramentorum naturam poſſe
nus ſuprà fatebatur. Atqve hoc
tra Pontificios negamus, hoc maj
tione, qvò plus momenti in hâ

situm. Etenim si de nudâ appellatione lis esset, facilè permitteremus, Absolutionem Sacramenti nomine appellari. Nunc id agunt adversarii, ut humanorum operum meritum immisceant remissioni peccatorum, dum actiones externas peccatoris, lacrymas, cilicium, confessionem, &c. elementum esse fingunt, unde fiat, accedente verbo absolutionis, Sacramentum, hoc est, medium efficiens & conferens gratiam reconciliationis cum DEO, & remissionem peccatorum. Vid. Chem. Exam *Conc. Trid. P.II. ad Sess. XIV. Cap.I. p.*371. Gerh. *de Pœnit.*§.20. Operæ pretium ergò est ostendisse, Sacramentis eâ ratione accenseri non posse, qvâ Masenius cum Baptismo in qvæstione suâ comparavit: ut scilicet baptismus originalem labem abstergat, labores verò & opera pœnitentiæ accedente verbo absolutionis maculas actualis culpæ eluant. Qvæ sententia & in gratiam DEI est injuria, & meritis Christi detrahit, (peccatorum enim remissionem gratuitam, Christi merito partam hominum operibus pœnalibus transcribit,) & virtutem etiam Baptismi elevat, qvam ad illud modò momentum, qvando baptizamur, restringit. Fœdus enim, qvod æternum Deus pepigit in baptismo, & ἀμεταμέλητον, *Oseæ II*,19. *Esa.LIV*, *v.*10. *II. Tim. II*, 12. *Rom. XI*, 29. sentiunt ex parte DEI etiam irritum fieri, qvando homo per

(2.) *Intentio Pontificiæ opinionis detegitur,*

& confutatur.

per peccata mortalia illo excidit, neqve ad illud reditum patere, qvod volebat tamen Salvator, *Ap. II*, 5. *Jer. III*, 12. atqve iccircò novum planè, idq; multò durioribus, qvàm baptismale, conditionibus, pangendum in pœnitentiæ Sacramento esse. Lege hîc Hier. Kromaieri *Theol. positivo-polem. Art. X. th.*1. & *Art. XVI. th.* 18. *p.*565. 866. *sqq.* Prætereà, cùm ad omne Sacramentum, præter verbum mandati, institutionis & promissionis reqviratur elementum visibile, ut suprà *ad punctum I.* diximus, Pontificii verò neqve certam institutionis sedem, neqve visibile proferre possint elementum, à Christo præceptum, uti mox cognoscetur: patet, accuratè loqvendo Sacramentis accenseri pœnitentiam neqvaqvam posse: Præsertim cùm & in Veteri Testamento eandem pœnitentiæ seu Confessionis & Absolutionis rationem obtinuisse, è *Lev. XVI*, 21. *II. Sam. XII*, 13. constet. Sacramentum verò alteri Testamento proprium esse oportet. Sed non repetemus argumenta, legenda apud laudatum Gerhardum *L. de Pœnit.* §. 23—32. & Danh. *Mysterios.* *p.* 529—536. nec non *Tom. II. Hodomor. Pap.* *p.* 760—765.

(3.) *Maseni argumentis respondetur:* Masenius noster, ut Sacramentum hoc asserat, (1.) Scripturæ verba profert, qvæ potestatem absolvendi à peccatis ministris verbi faciunt. *Catholici cum Apostolo agnoscunt, qvòd*

qvòd DEUS posuerit in his verbum reconcilia-tionis, qvi pro Christo legatione funguntur. II. Cor. V, 19. *Petro enim dictum: Dabo tibi claves regni cœlorum, qvæcunq; solveris super terram, erunt & soluta in cœlis.* Matth. XVI, 19. *Et Apostolis: Qvorum remiseritis* (addit Masenius: *non qvorum nunciaveritis esse remissa, aut solutꝫ super terram*) *peccata, remissa erunt, & qvorum retinueritis, retenta.* Joh. XX, v. 23. Respondeo. Potestatem absolvendi ac retinendi his dictis fundari, agnoscimus: peculiare Sacramentum institui, negamus. Negamus & illud, qvód insinuare hîc Masenius voluisse videtur, datam Christi ministris judiciariam potestatem, qvâ pontificii flamines peccata æstimare, atqve pro lubitu velut è tribunali plectere consveverunt. *Oeconomi* sunt mysteriorum divinorum, non *judices* cum imperio animarum, qvi pœnam illis irrogare possint. Licèt enim eorum potestas non sit *merè declarativa*, sed & *operatrix*, non tamen *judiciaria* est, sed *organica*, ut benè & rotundè effert B. Danhauer. *T. II. Hodom. Pap. p.* 766. ubi & hanc assertioni rationem addit: Si à judicio Sacerdotis peccatorum venia dependeret, nihil hac esset incertius, cùm & clavis errare possit, ex defectu judicii circa peccati, præsertim interni, naturam, momenta, gradûs, circumstantias: & liqvidò non constat de Sacerdotis intentione, qvam tamen ad Sacramenti essentiam Ponti-

petitis a) Ex Scriptura:

ficii

ficii reqvirunt. Confer Chemn *Exam. Conc. Trid. p.* 392. 393. Gerh. *L. de Pœnit.* § 112.

Nunc qvod in specie attinet, (*α*) verba
II. Cor. V, Pauli *II. Cor. V*, 19. discimus inde, posuisse
19. DEUM in ministris *verbum* reconciliationis, non *Sacramentum : DEUM reconciliare sibi mundum*, tanqvam judicem unum & solum, Apostolis verò non nisi διακονίαν seu *ministerium* dedisse: DEUS ergò ut judex remittit; sed per ministros verbi, qvi tanqvam συνεργοὶ DEI (I. Cor. III, 9. 10.) ad unum remissionis vel reconciliationis ἀποτέλεσμα concurrunt. Nihil præterea huic textui extorqvebit Masenius. Urgent eqvidem nonnulli, (interq; hos Bellarm. *L. III. de Pœnit. c.* 4. *§. Secundus locus*) potestatem reconciliandi necessariò secum ferrè potestatem cognoscendi de qvalitate offensæ. Verùm principium petunt. Non enim ut *judices* exploraturi, sed ut *præcones* sententiam summi judicis gratiosam promulgaturi & applicaturi mittuntur. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis peccata sua, & posuit in nobis sermonem reconciliationis*, ait Apostolus. Ecce, DEUS reconciliat non *examinando* peccata, sed gratiosè per Christum remittendo, & *non imputando.* Ergò sermo qvoqve reconciliationis, qvem posuit in legatis suis, non in examine, sed non-imputatione seu remissione peccatorum

rum occupabitur. (Confer. Gerh. *de Pœnit.* §.114. & *Conf. Cath. t.ult. p.* 70.)

(β.) Qvòd Petro *Matth. XVI*, 19. claves traditæ, miror à Masenio ad Sacramentum pœnitentiæ nunc applicari. Et miror duas ob causas. (1.) Notum est, Jesuitas illa Christi verba de supremâ in Ecclesiâ potestate soli Petro concessâ interpretari, ut apud Bellarm *L.* 1. *de Rom. Pontif. c.* 12. videre licet. Hoc qvanqvam falsissimum est, ut alibi docetur, impedit tamen, qvò minùs potestatem judiciariam, seu clavem scientiæ & potestatis, qvam vocant, omnibus sacerdotibus competentem hîc qværere possint Jesuitæ. Si enim prærogativa uni Petro concessa notatur, qvomodo axioma omnibus sacerdotibus commune probabunt? (2.) Communis Pontificiorum sententia est, qvam & Concilium Tridentinum universo orbi obtrudere voluit *Sess. XIV. Cap.* 1. pœnitentiam temporibus Veteris Testamenti non fuisse Sacramentum, ac ne qvidem ante resurrectionem Christi, qvando obambulans adhuc in terris Salvator pœnitentibus citra præviam omnium delictorum enumerationem absolutionem impertiit, *Matth. IX*, 2 *Luc. VII*, 47. 49. Sacramentum hoc extitisse, sed demum *Joh. XX.* post resurrectionem à Christo institutum esse Qvò & Bellarm. *L.* 1 *de Pœnit. c.* 10. abit. Frustrà ergò in his, qvæ ante mortem suam

Matth. XVI, 19.

suam Christus egit, Sacramentum hoc inqvirit Masenius, nisi Sacramentum ante sui institutionem extitisse, dicere velit. Qvicqvid verò sit de Pontificiorum sententiâ, certum est, (3.) cum clavibus cœli Petro, qvi communi omnium Apostolorum nomine Christum compellaverat, potestatem peccata remittendi ac retinendi datam fuisse, hoc enim subjecta à Domino exegesis docet: potestatem verò non judicis, sed ministri; non ut Consul claves adventanti Principi offert, sed sicut Consul janitori ad certas leges adstricto, aut herus œconomo claves tradit. Lege hîc omninò B. Balduin. *L.IV. Cas.Consc. c.10. cas.1. p.1107.sqq.* & confer Danhaueri *Drama sacrum pag.746.750.* Carpz. *Isag.p.867. sqq.*

Job. XX, 23. (γ.) Deniqve *Joh.XX*, 23. qvam sedem propriam hujus doctrinæ de Absolutione meritò & nostri & Pontificii faciunt, omninò palàm est, non modò potestatem annunciandi remissionem aut retentionem peccatorum, sed & efficaciter eandem conferendi, Apostolis, eorumq; successoribus à Christo concessam esse, ceu rectè Masenius notat, atqve nostrates contra Calvini asseclas confirmant, cum qvorum perversissimo dogmate confundere nostram orthodoxiam Jesuitis est solenne. *Injuriam nobis facit Jesuita, dum absolutionem à peccatis, qvæ in nostro fit ministerio, nudam annunciationem nominat: est*

enim

enim annunciatio cum reali collatione remissionis peccatorum conjuncta. Ita rectè contra Pazmannum protestabatur in facie universæ Ecclesiæ Balduinus *Phosphori L.III.c.16. p.184.* Et dudum ante hunc Chemnitius *Exam p 395. 396.* docuit, per anathema Concilii Tridentini *Sess. 14. can. 9.* non nostrates feriri, sed Sacramentarios & Scholasticorum antesignanos, Scotum & Thomam, qvi non nisi externam declarationem remissionis peccatorum, qvam jam antè haberet pœnitens, absolutioni relinqvebant. Qvibus & utriusqve præceptorem, Lombardum ipsum, addere potuisset, qvem cum Richardo à S Victore, Alex. Alensi, Bonaventurá & Gabriele eodem errore implicitum, adeoq; à Concilio Tridentino damnatum fuisse, doctissimus Estius agnoscit *Comment. in IV.Sent. d.18. §3. T.IV. p. 260. 262.* Nempe ut baptizans aut prædicans verbi minister non tantùm regenerationem indicat vel annunciat, sed reverà ut causa ministerialis per verbum & baptismum regenerat, teste Apostolo *I. Cor. IV, 15. Gal. IV, 19.* ita absolvens, non tantùm *præco* est remissionis peccatorum, sed *organum*, per qvod Deus remissionem peccatorum operatur. Claves enim, qvas creditas sibi talis minister habet, verè aperiunt, non apertum modò significant. *Causa ministerialis hujus effectûs,* (remissionis peccatorum) *conferens remissionem peccatorum pœnitentibus, ordinariè*

est vocatus Ecclesiæ Doctor seu mi
mittit peccata non solùm annuncia
missionem, per modum causæ mi
hoc ordinatæ, etiam applicando p
qvo modo baptizat, convertit, sal
ditores. Joh.XX, 23. I.Tim.IV, 16.
viniftas. Thesis est Hülsemanni B
th II. p.123. qvam prolixè B. Pa
Libris etiam Symbolicis Ecclesia
rum contra Mülmanni apostatæ
deduxit & asseruit im unverfälsch
schen Löse-Schlüssel *p.106 — 135*
seni, nihil adeò hinc contra nos
ipsi verbi ministris potestatem
non modò annuntiandi asserim
si ad *prætoriam* porrò potestatem
stimandi ac satisfactoria opera p
nendi abripere velis, qvæ qvide
ministeriali peccata dimittendi po
gisimè distat, videndum fuerit
argumentis persvadeas. Cæterù
mento pœnitentiæ illa Christi v
Patrum exponi, meritò negabat
Tridentino F. Ambrosius Pelarg
ris Trevirensis Theologus, me
Svavi *L. IV. Hist. C. T. p.316.* L
qvomodo hanc qvercum excus
sed nunqvam satis, laudatus nob
tius *Exam. p.372-392.* & Gerh. *de*
& 111. Confer Dallæum *de Sacra*
fessione L.I. c.3.4.5.6. ubi hunc l

eos, qvi confessionem auricularem ex eo confirmare præsumserunt, ex professo & eruditè vindicavit. Noster Masenius qvia ad hanc applicationem progressus non est, nos progredimur ad alia.

Etenim (2.) Augustini testimonio, Pœnitentiam inter Sacramenta numerandam, vult evincere. *Agnoscit igitur hoc Sacramentum cum veteri Ecclesiâ Augustinus. Eadem, inqvit, est causa baptismi & reconciliationis, sine qvibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* Tuam fidem, Maseni! Ubi hæc in Augustino legisti? Eqvidem *lib. de adulterinis conjugiis*, qvem allegas in margine, *c.26. & 28. T.VI. p.854.855.* hoc lego: *Non solùm incredibile est, nec in fine hujus vitæ baptizari Catechumenum velle, verùm etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est, nolenti dare, qvàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non satis apparet, & tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine qvibus jam credidit, non se oportere de corpore exire.* Cap.26. extr. Rursum sub finem cap.28. totiusq; adeò libri: *Qvæ autem baptismatis, eadem reconciliationis causa est, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupavit. Nec ipsos enim ex hac vitâ sine arrhâ suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Qvis fraudem non videt, bono sanè viro indignam? Sed crediderim, ut charitas non est suspicax, ex alio suble-

β) *Ex Augustino.*

ctam hanc allegationem (qvam in Valentiâ jamdum notavit Chamier *T. IV. Panſtrat. L. IV. c.16. n 22. p 96.*) potiùs, qvàm ut Maſenium tam ſubleſtæ fidei accuſem. Intelligit enim qvivis, *poſteriore loco* pœnitentiam comparari cum Baptiſmo ratione cauſæ finalis, qvæ eſt remisſio peccatorum; at Sacramentum ideò non dicitur. Benè Chamier *l.c. n.15. Audio libens, dupliciter remitti peccata, vel in baptiſmo, vel in pœnitentiâ. Sed non tolero concludentes: Ergò Pœnitentia eſt Sacramentum æqvè cum baptiſmo. Dico potiùs: Ergò remitti tum in Sacramento tum ſine Sacramento: & tam facilem, tam proclivem eſſe hanc conſeqventiam, qvàm illam. Poſſunt enim etiam addi plures modi. Et ſine dubio Papiſta nunqvam negaverit remitti peccata, & per baptiſmum, & pœnitentiam, & per Purgatorium: & negaret tamen, Purgatorium eſſe Sacramenmentum.* Verbo: A comparatione in *reſpectu finis*, ad convenientiam in *genere Sacramenti* N. V. C. Ad hanc enim & materia & forma Sacramenti, qvæ hîc deeſt, reqviritur. *Priori* verò *loco* Auguſtinus de catechumeno loqvitur, in extremis baptizando. Catechumenum autem & qvemvis adeò non baptizatum Sacramentalis pœnitentiæ incapacem facit ſuperſtitio Papalis. Ut vel Jeſuitâ judice non potuerit hîc Pœnitentiæ qvod fingunt Sacramentum, plurali illi includere Auguſtinus, utpote qvod Catechumeno applicari non pote-

poterat. Itaqve Sacramenta vel. nominata sunt plurali numero tropicè pro singulari, ut intelligatur baptismus solus: vel si aliter, pro Baptismo & Eucharistiâ, qvæ dari continuo ordine, etiam infantibus, solenne erat Augustini tempore, qvod suprà obiter *p.110.* notavimus, & hîc dedücere uberiùs alienum esset à proposito.

(3.) Superest umbra enthymematis hâc interrogatione *pag.138 init.* notati: *Et hoc signum* (*peccatorum confessio*, de qvâ præcesserat) *cum gratia appromissâ junctum, qvid aliud est, qvàm Sacramentum?* Statuit ergò *Elementum* vel materiam in hoc Sacramento esse Confessionem pœnitentis, cui si accedat *verbum* (ministri absolventis) indeSacramentum fieri. Viderit hîc, qvî transigat cum aliis, qvi vel peccata, vel actûs omnes pœnitentis, vel manuum impositionem pro elemento venditant. Lege de hoc dissensu Gerh. *L.de Pœnit. §.23.* & *Conf.Cath. t.ult. p 6.* Chamier. *T.IV. L.IV. c.14.* Nos illud modò observamus, corrigi hâc ratione regulam, qvam *tract.80.in Joh.* Augustinus tradiderat: *Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum:* & transformari in istam: *Accedat verbum ad verbum, & fit Pseudo-Sacramentum.* Nam & confessio pœnitentis, & absolutio ministri verbum est. Augustinus *L. XIX. c. Faust. c.16. p.349. T. VI. visibilia gratiæ invisibilis signa* Sacramenta volebat esse, non audibi-

γ) Ex definitione Sacramenti: ubi de Elemento hujus Sacramenti disqviritur.

dibilia. Prætereà Sacramentum integrum adminiſtratur à miniſtro, integrum à percipiente accipitur. At confesſio tantùm actio pœnitentis eſt, abſolutio tantùm miniſtri. Et cùm elementum ſit organum rei cœleſtis ſignificativum pariter & exhibitivum, non apparet, qvomodo actio noſtra tale vehiculum eſſe posſit. Itaqve hoc argumentum eſt præcipuum, qvo pœnitentiam Sacramentum non eſſe probatur, qvia elemento viſibili, divinitùs inſtituto, caret.

Qvæſt. II. de Pœnitentiæ partibus: qvæ ſunt juxta Pontificios

De priori qvæſtione, qvam ὡς ἐν παρέδῳ tantùm Maſenius attigit, ita ſatis dictum eſto. In *alterâ* prolixiùs elaboravit, qvæ in partes Pœnitentiæ inqvirit. De qvâ qvid nos ſentiamus, vel ex Aug Conf. *Art. XII.* conſtat, ubi ſic loqvuntur Majores noſtri: *Conſtat autem pœnitentia propriè his duabus partibus: Altera eſt contritio ſeu terrores incusſi conſcientiæ agnito peccato. Altera eſt fides, qvæ concipitur ex Evangelio, ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat. Deinde ſeqvi debent bona opera, qvæ ſunt fructûs pœnitentiæ.* Neqve ſine causâ ſic ſentire intelliget, qvi fundamenta Scripturæ expenderit, qvibus hanc doctrinam Apologia ſuperſtruit *p.162.ſqq.* Enimverò, cùm in averſione à peccato, & converſione ad Deum pœnitentia conſiſtat, (*Act. XXVI, 18.*) qvorum alterum

con-

contritione, alterum fide fit; præterea doctrinæ cœlestis genera, qvorum ministerio Spiritus S. veram ac salutarem pœnitentiam efficit, non nisi duo sint, Lex, qvæ iram operatur, & petras conterit, atqve Evangelium, qvod contritos erigit, facilè est intelligere, has duas partes ad pœnitentiam reqviri, cujus fructûs bona opera Johannes dixit *Matth. III. 8. Luc. III, 8.* Unde & in descriptione verè pœnitentium, Davidis, Manassis, Ezechiæ, Publicani, Petri, ejusq; in Pentecoste primâ auditorum, contritionis & fidei indicium deprehendere licet. Lege hæc copiosiùs explicata apud Gerh. *L. de Pœnit. §. 40. sqq.* & *Conf. Cath. t. ult. p. 16. sqq.* nec non *Scholæ Piet. L. II. P. II. c. 4. 5. 7.* Danh. *Hodos. p. 1270. sqq.*

Contra ea Pontificii, (*Concil. Trid. Sess. 14. can. 4. de Sacram. Pœnit.*) non modò terrores illos conscientiæ à Lege incussos, qvos Contritionem appellamus, similiterq; fidem qvæ meritum Christi, gratiamq; DEI Patris in Evangelio oblatam apprehendit, pœnitentiæ partes esse pernegant, (ratiunculas eorum discussas apud Gerhardum *L. de Pœnit. l. c.* habes,) sed planè alias substituunt. *I. Contritio.* Aliam, inqvam, *Contritionem*, qvæ non passio sit & terror dolorqve à Spiritu Sancto per legem in hominis intellectu,

voluntate ac conscientiâ excita
do Scriptura de eâ loqvitur *II.S*
Psalm. VI, 3. XXXII, 5. XXXIIX
XXXIIX, 13. &c. sed actus virtu
Liberi arbitrii elicitus, ac venia
meriti ac medii, etiam ante a
impetratorius, qvando homo do
intensivè, - saltem appreciativ
ut nugantur, de peccatis conc
βδέλυγμα pluribus explodit C
P.II. ad Sess.14. cap.4. p.380. sqq
Pœnit. §.63 97. & *Conf. Cath, T*
c.3. Carpz. Isõsesch̃l. *p.193 - 207.*
contritioni commentitiæ alias
addunt: *Confessionem*, & *Sati*
Qvarum vindicias in se, miss
ne, suscepit Masenius, qvem ex
gamus.

II. Confessio specialis (1) à Papistis postulata.

Primùm ergò de *Confessi*
dum, qvam sic edi coram Sacerd
ut omnia peccata mortalia, qvo
stum conscientiæ scrutinium vo
tem, omnesq; circumstantias,
speciem vel mutant, vel aggravan
mores. Hanc jure divino necess
ter & gratiæ meritoriam confess
se ajunt. Et Tridentini qvid
Confessione ejusq; necessitate sic
Si qvis dixerit, in Sacramento
ad remissionem peccatorum n

non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, qvorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & qvæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, qvæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem Canonicam imponendam, aut dixerit, eos, qvi omnia peccata confiteri student, nihil relinqvere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit. Si qvis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qvalem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusq; sexus fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id svadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Qvadragesimæ; anathema sit. Sic illi *Sess. 14. can. 7. 8. de Sacram. Pœnit.* Meritoriam verò illius virtutem Bellarmin. *L. III. de Pœnit. c. 12. §. sed præcipua.* sic effatur: *Rubor, qvem inter confitendum patimur, pars qvædam est satisfactionis pro admissis.*

ſis. Perexiguâ confuſione, qvam co ex conſervis noſtris patimur, re ingentem illam confuſionem, qv qvin in die judicii pateremur. Co

(2.) *à noſtratibus meritò rejecta, qvippe*

ſtrates *de Confeſſione docent, qvòd tio privata in Eccleſia retinenda ſi qvam in confeſſione non ſit neceſſar um peccatorum enumeratio. Eſt poſſibilis, juxta Pſalmum: Deli intelligit?* ut habet *articulus XI.* A Scilicet *privatam* Confeſſionem, c peccator coram verbi miniſtro ve re contritionem ſuper peccatis fide cum bono propoſito profiteatur, & tionem clavis ſolventis petat, vel etiam ea peccata commemoret, qvil nari conſcientiam maximè ſentit, ot tineri volunt, qvòd plurimùm ea ad rudiorum informationem, erra ductionem, ſecurorum correctione ficaciorem ſolatii applicationem, c rus *Tom. VI. Jen. Germ. p. 114. ſqq.* G *L. de Pœnit. §. 98. ſqq.* Balduinus C *L. IV. cap. 10. caſ 2. p 1112.* Menzer. *Conf. art. XI. p 522. ſqq.* Höpffner. *ad uſum S Cœnæ. S. I. a. 1. c. 11. p. 124. ſq Caſ. Conſc. cap. V. catech. caſ. 1. pa* Meiſner. *Colleg. adiaphoriſt. Diſp. V.* tunt. At *ſpecialem* omnium peccato

merationem, ne posſibilem qvidem, nedum necessariam agnoſcere possunt. Etenim si ne David qvidem inire numerum omnium peccatorum suorum poterat, sed ab occultis emundari petebat *Pſ. XIX, 13.* qvid ab aliis fieri posse putabimus? Beatus certè Rhenanus *in Tertull. de Pœnit. p. 545.* Johannem Geilerum *gravem ac ſanctum Theologum & virum magno uſu rerum præditum* ideò laudat, *qvòd teſtatus fuerit, juxta Thomæ, Scoti ac ſeqvacium deuteroſes impoſſibilem eſſe confeſſionem.* Georgius Cassander etiam *Conſultat. art. XI. Credo*, ait, *hac de re controverſiam nullam fuiſſe futuram, ſi non ſalutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata eſſet, qvibus conſcientiis, qvas extricare & levare debebant, laqveos injecerunt, & tanqvam tormentis qvibusdam excarnificaverunt.* Hæc de sui cœtûs confesſione Cassander rectisſimè. Licèt enim non omnium omninò peccatorum, sed *eorum tantùm, qvorum qvis ſibi poſt diligens examen juxta modum diligentiæ, qvæ in rebus ſeriis & majoris momenti adhiberi ſolet, conſcius eſt*, confesſionem reqvirere videantur, tamen non modò aliæ illorum hypotheſes huic reſtrictioni repugnant: (*Non poſſunt Sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, niſi peccata omnia*

α) *impoſſibilis.*

omnia accuratè cognoscerentur, ait Bellarm. *L.III. de pœnit. c. 9. sub fin.* Et notum est vulgatum istud: *Non confessum non remissum.*)

β) ex Papistarum etiam hypothesibus non-necessaria.

Sed & jam olim B. Lutherus noster, in qvantum absurditatum labyrinthum semetipsa illa limitatio involvat, ingeniosè docuit *tract.* von der Beicht/ ob die der Pabst Macht habe zu gebieten/ *Tom.I. Jen.Germ. p.509.510.* Aut enim omnia peccata confiteberis, aut qvædam, qvæ in isto examine memoriæ non occurrunt, omittes. Sed illud impossibile est, ex eorum qvoqve sententiâ, qvi sic restringendum censuerunt. Hæc verò qvæ omittes, aut remittuntur, aut non remittuntur. Si hoc, nunqvam de perfectâ remissione certus esse potes: incertus qvippe futurus semper, num omnia venerint in memoriam. Si illud: patet ad remissionem confessionem illam specialem non reqviri. Enim verò anxiæ conscientiæ semper dubitare cogentur, num justam diligentiam adhibuerint? annon plura peccata nosse potuerint? annon circumstantias qvasdam peccati speciem mutantes vel aggravantes omiserint? Qvid est, laqveum injicere conscientiis, si hoc non est? Sed hæc ibi Lutherus pluribus exeqvitur: qvæ Rhenanus *l. c.* Carthusiani cujusdam exemplo confirmat, qvi desperatione confessionis integræ deniqve omnem salutem despondebat, & apocarteresin meditabatur. Ita nimirum id, qvod conscientiæ sauciæ medicina esse

γ) conscientiarum tortura.

esse debebat, in venenum vertunt Papicolæ. Qvod inde constat etiam, qvod tam turpes Summistæ Pontificii præscribant confessariis suis qvæstiones, proponendas mulierculis maximè & virginibus in confessione, ut nulla sit tam scelerata hominis conscientia, qvæ ad earum auditum lectionemve horrore non percellatur, ac dubitari non possit, multa scelera doceri magis à taliter qværentibus, qvàm corrigi. Pudet heu, pigetqve, maculare chartam scelestissimis qvæstionum formulis, qvæ non tantùm ex Burchardo passim repetuntur, sed in Toleti etiam, Navarri, aliorumq; scriptis, Thomæq; inprimis Sanchez *Opere de Matrimonio* ejusq; *Epitome* ad offensionem vel horrorem pii Lectoris occurrunt. *Hos si qvis legat, ubi agunt de Conjugali debito, de adulterio, fornicatione, & peccato contra naturam, fatebitur, nullum Martialem, nullum Petronium, Apulejum, nulla Priapeja, aut Catalecta, Virgilii nomine edita, conferri posse cum talium magistrorum scriptis*, ut ex vero scribit Rivetus *Isagoge ad Scripturam Sacram c. XIII. §. 33. T. II. p. 926.* meritò ibi exagitans præposteros Sanctulos, qvi Sacra Oracula à καταρότητ@ omnis autore Spiritu dictata propter qvasdam obscœnas, qvas putant, historias vulgo legi prohibent, & ipsi tamen in libris suis ea flagitia non tantùm Lectorem docent, sed & Con-

d) impuritatum magistra.

Confeſſarios inſtillare pœnitenti
jubent, de qvibus fortè nunqvam
cogitâſſet, absqve his monitoribu
Conf. Ejusdem *Cath. Orthod. tr. 3*
T. III. p. 320. Neqve diffitentur pra
Pontificios Scriptores qvidam, in
dines conjecerit Confeſſarios n
hic ſciſcitandi pruritus, *ut pro me*
ſocii, aut magiſtri, aut diſcipuli tu
ceu Eraſmus *in Exomologeſi, T. V*
qvitur. Qvod ipſum qvàm famili
Bullæ Pii IV. & Gregorii XV. An.
April. & A. 1622. d. 30. Aug. editæ *c*
citantes in confesſione teſtantur, n
hannis Eſcobar à Corro de eodem
to tractatus Anno 1642. editus,
Confeſſariorum ſolicitantium his
temporibus ita auctum & ſæpiùs pa
ſacrum pœnitentiæ lavacrum obſ
pollutum ſe vidiſſe commemorans,
in ſuos ſuperna timeri posſit ultio.
Dallæi *L. II. de auriculari Confeſſ. c.*
ſqq. & *L. I. c. 22. p. 116. 117.* Adde
Cornelii Adriani, de Franciſcano
liâ monachi hanc pœnitentiam fæ
ponentis, ut vapulaturæ ab ipſo
darent, qvam Jo. Ludw. Gothofre
a) Publicæ tranqvillitatis peſtis: Hiſtoriſcher Chronicken *p. 909.* repe
pernicioſa porrò ſit Principum ad
ſecuritati hæc confesſio, cujus ben
rici, Jeſuitæ inprimis, omnia ſe

consilia penetrare norunt, Bohemi publico scripto A. 1618. docuerunt, qvo exponunt causas, cur regno suo Jesuitas illo tempore, tanqvam faces incendii, qvo universa tantùm non Europa posteà conflagravit, expulerint. Confer Theatr. Europ. *T. I. p. 23.* Meminit Menzerus *Exeg. Aug. Conf. Artic. XII. p. 565.* nonneminis, qvi censuerit, *nullam arcem esse tutam, ad qvam confessionis machina à Jesuitis admoveri possit.* Qvod qvàm verè dictum sit, bella civilia Galliæ religionis nomine contra Henricum III, &, qvi ei successit, cognominem Principem sumta docuerunt, qvæ gravissimus Scriptor Jac. Aug. Thuanus Confessariorum consiliis atqve artibus exarsisse *L. LXXXV. Histor. p. 170.* ostendit. Ibi sic scribit: *Ad incendendos animos multum contulere concionatores palam ex ambone in Navarrum debacchantes, haud sine contumeliosis in Regem, qvasi Navarro faventem, verbis, sed maximè omnium nonnulli sacerdotes, qvi pænitentes in secretis Confessionibus cum audirent, & calumnias â Concionatoribus in vulgum jactas repetebant, & qvæ suppressis illi nominibus, pœnam veriti, effutierant, plenius in Regis & consiliariorum Regii nominis studiosorum invidiam explicabant, & tam virorum, qvàm fœminarum credulos animos*

mos loco consolationis in fideli c
falsis rumoribus implebant: Il
xis interrogationibus, & inferi
miserorum hominum conscient
eculeo subjectas, torqventes, a
liarum curiosè rimabantur, &
religionis, etiam inscio Princip
subditis obligari posse locis ex Sc
scholasticâ scientiâ demonstrant
miseros confitentes ad faction
ctendam adigebant; interdum
neficium impertiri recusantes iis
ni nomen dare detrectabant.
cùm qverimoniæ qvædam per
primùm ad Episcopum, atq; pos
ad legatum Pontificium, (is p
erat Joann. Franciscus Mauroc
nalis, vir ut natalium claritate
& morum probitate, ac ingenii
signis) increpiti illi ac moniti,
stico ministerio ad libidinem t
uterentur, non tam desierunt,
tiùs egerunt; & ne secreta huj
inceps emanarent, hanc novam
sanxerunt, tam peccati summi
currere confitentem, si, qvæ d
intellexerit, propalet, qvàm

...rum, *qvæ à confitente sub sacrosancto confessionis sigillo acceperit, revelatione.* Hæc ibi Thuanus. Cæterùm ad has machinationes feliciùs promovendas *sigillum confessionis* excogitarunt, cujus tantam obligationem faciunt, *ut nullo unqvam casu ul-[illegible] boni consequendi, aut mali evitandi causâ qvodvis vel minimum peccatum, aut si qvid aliud sub sigillum confessionis cadit, directè vel indirectè, ante vel post mortem confitentis sine mortali sacrilegio revelari possit*, ut Paulus Laymannus Jesuita loqvitur *L. V. Theol. Moral. tr. 6. c. 14. n. 2. p. 900.* Conf. Cajetanum *in summulâ, voce*: Confessio, *p. 86.* & Anton. Fernandez *Exam. Theol. moral. P. III. c. 6. §. 9. n. 26 p. 679.* Ex qvo principio Henricus Garnettus Jesuita (ab alio ejusdem ordinis, Eudæmon-Johanne peculiari apologiâ defensus) conjurationem pulverariam à Grenwello sibi in confessione detectam celare, qvàm Regis Reginæq; Angliæ, regiæq; domûs cædē & universi regni eversionem amoliri maluit, professus: *Si qvis manè apud se confiteretur, se die seqvente Regem pugione transfixurum, non proditurum sese hoc secretum esse.* Lege omninò Casaub. *Epist. 624. qvæ est ad Frontonem Ducæum, p. 776. sqq.* ubi inter alia & verba refert, qvæ ex Bineti Jesuitæ ore sese audivisse, DEum testem invocat: *præstare, ut Reges omnes intereant, qvàm si vel semel confessionis sigillum violetur, p. 780.*

ubi de Sigillo confessionis.

Conf. *Epist. 710. ad Perronium*
p.912. De Francisci Ravaillaci
Galliarum Henricum IV. interf
crando proposito, Patri Aubi
ex confessione constabat, seà i
gulari miraculo memoriâ sibi ex
minifcebatur, neq; adeò paru
bat opinionem eorum, qvi auto
tis flagitium illud perpetratur
bant. Lege Ludovici Lucii *H*
justicam L. IV. c. 3. p. 433. Atq
afferri plura poterant, qvæ doce
cipum securitati, & aularum, c
familiarum secretis perniciosam
ad stabiliendam tyrannidem
Cleriqve autoritatem, & diviti
inventam esse arcanam illam
nem.

(3) *A Masenio confirmata*

Sed *Scripturam* tamen, &
recenti huic invento prætexi
qvod & Scripturæ & omni an
clesiasticæ ignotum esse pers
mus. Qvod enim (1.) *Scrip*

1) *Scripturæ testimoniis:*

concernit, doceri potest exempl
ctione, ad peccatorum remissio
am illorum enumerationem
Remisit Christus Paralytico no
culpas, sed tantùm contrito & v
dito *Matth. IX. 2*: similiter pecc
lacrymis testanti dolorem, &

... qværenti, cæterùm nec confitenti, nec satisfacienti *Luc. VII, 47.* remisit Zachæo confitenti in genere, non enumeranti omnia peccata peccatorumq; circumstantias, *Luc. XIX, 8. sq.* similiter adulteræ *Joh. VIII, 8.* Confer parabolam filii prodigi *Luc. XV, 18. 19.* & exempla Publicani & Petri, *Luc XVIII, 13. XXII, 62.* qvi Deo qvidem in genere confessi peccata, nulli verò ministro ea annumerantes gratiam consecuti sunt.

Contra hæc Masenius: *Habemus qvod, tam mandatum confitendi hominibus actûs nostros, qvàm exempla illud præstantium. Nam apud Jacobum* (c. V, 16.) *præcipitur. Confitemini alterutrum peccata vestra. Et in Apostolicis Actis* (c. XIX, 18.) *reperimus, qvòd multi credentium veniebant, & annunciabant actûs suos. -- -- Talis fides, (viva, qva per charitatem operatur) opera pœnitentium ultrò amplectitur, ac sibi dictum credit: Pro animâ tuâ non confundaris verum dicere. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* (Syr. IV, 24. 25.) *Non ergò confundaris confiteri peccata tua: ita tamen, ut non subjicias te omni homini pro peccato,* (vers. 31.) *sed tantùm Sacerdoti. Nam qvi abscondit scelera sua, non dirigetur* (Prov. XXVIII, 13.) *Qva utiq;* (pergit Masenius) *de homine dicta intelliges: cum ante DEum, qvantumvis velis, abscondere neqveas: nec magnopere*

gnoperè laborandum sit, ut confite
scienti. Si dixerimus, (addit post
interjectum locum, de qvo poste
8) *qvia peccatum non habemus, ips*
cimus, & veritas in nobis non est :
confiteamur peccata nostra, fidelis &
ut remittat nobis peccata nostra,
nos ab omni iniqvitate. Hîc opt
nio, si nostri Doctores ad palatum
sent. Doctissimum suæ Commu
rum, Gvil. Estium *in L. IV. Sent. D*
(*Tom. IV. P. I. p. 244. 245.*) lect
docere eum potuisset, mirabili
argumentationis genere è confe
ce à Latino interprete usurpatâ, *S*
lem illicò, confessionem conclud
nim observat esse confessionem *la*
peccatorum, seu ut Augustin
fraudis. Atq; posteriorem istam
fieri soli, vel *homini*. Homini q
vel *Sacramentalem* esse, (ita error
cio abreptus vocat,) qvæ Sacerd
non-Sacramentalem: qvæ fit vel *ju*
lis Achanis Jos. VII. vel *viro doct*
ti, qvi peccatorem instruere & pecc
remedium possit monstrare, de qvo
gis Estii) *videntur intelligenda*
Prov. 28. Ecclesiastici 4. & 17. & Jo
Matth 3 faciebant, qvi baptizaba
banne &c. vel *fratri seu cuicunq; h*

qvibus Ponde- jamdū ... ius do- cuit.

quem peccatum est, ut cum eo redeatur in gratiam: de quâ confessione loqvitur Dominus Matth.5 & Luc. 17. & (NB) *juxta multorum expositionem Jacobus c.5.* Hæc si observasset noster, & qvo sensu in qvovis citatorum ab se locorum acciperetur *Confessionis* vocabulum, non ita illusisset, Bellarminum aliosq; secutus, Lectori. Nam (1.) *Jac. V,16.* verba ipsa docent, de mutuâ confessione præcipi: qvalis Sacramentalis Papistarum non est. *Sentit* Jacobus (interprete Erasmo *annot. ad h.l.*) *de qvotidianis offensis Christianorum inter sese, qvos continuò vult reconciliari.* Παραπτώματα *magis significat errata & lapsus, qvàm peccata. Si de confessione sensisset, qvam dicimus partem Sacramenti pœnitentiæ, non adjecisset* ἀλλήλοις, *vobis invicem, sed Sacerdotibus.* Eundem in sensum Glossa interlinearis, Scotus, Cajetanus & Vazqvez apud Gerh. *T.Ult.Conf.Cath.p.* 70. 71. interpretantur. Confer prolixè Dallæ. *L.I.de Confess.auric.c.12.* qvi Gabrielis qvoqve & Maldonati, & Gagnæi, & Ant. Godelli testimonia addidit. Nos Augustini interpretationem nobis ὁμόψηφον ex *Epist. LIV.T.II.p.243: Intercessores sunt apud DEum pro peccatoribus justi: hoc pro seipsi peccantes invicem faciant admonentur. Nam scriptum est: Confitemini invicem peccata vestra, & orate pro vobis.* (2) Ex *Act. XIX,18.* à Confessione, (α) magicarum artium in genere, qvæ

Vindic. Jac. V,16.

Act. XIX, 18.

 fiebat

fiebat (ζ) ultrò & liberè, (γ) pu
baptizandis & catechumenis, a
am, secretam & specialem omni
peccatorum recensionem bapt
standam invalidè concluditur,
argumento non immorabimur
è Jesuitis Joh. Lorinus *Comm. ad*
inverecundiam castigavit, qvi v
asseruerat, in loco illo Actuum
rum confessionem Sacramenta
ri: contra qvem Lorinus ex te
suffragiis Basilii, Athanasii, Au
sebii, Bedæ ostendit, non hîc de
ptizatorum, sed de credentium
zari volebant, confessione,
Marc. l. 5. uti eadem *ἐξομολογή*
currit, sermonem esse. In q
Cajetanum, Erasmum, Vegam, N
& Estium consentientes habet.
læum *L. l. c. 10. p. 56-64.* (3) E V
mento testimonia (de figuris a
sermo non est) pro confirmand
to novæ Legis proprio ineptiss
qvivis intelligit: & qvi verba i
& Salomonis inspexerit modò,
de peccatorum computo cum S
eundo neutrum cogitâsse, cum i
Syr. IV, 24. 25. senius allegat, scriberent. D
Scriptoris apocryphi autoritat
monebo. Hoc dico saltem, ej
24. 25. de confessione ne verb

haberi: illud enim (*verum dicere*) in Græco non habetur, & à vulgato positum hunc sensum habet interprete Estio *h. l: Ne quidem propter vitæ periculum deseras veritatem, nec tibi carior sit vita, qvàm veritas. Potiùs mortem oppete, qvàm contra veritatem aliqvid dicas vel facias. Et hoc generaliter de omni veritate intelligendum.* Eodem modo Jac. Menochius, & Jac. Tirinus: è qvibus posterior ad *vers. 31.* (*ne subjicias te omni homini pro peccato,*) non insulsam illam de Sacerdote glossam, sed hanc multò saniorem ascribit: *Ne subjicias te ulli homini, seu ulli prorsus pro peccato aliqvo patrando, seu ut peccatum aliqvod patres, qvod ipse tibi imperat vel svadet.* Sed qvid multum de hoc pariter & altero Salomonis textu *Prov. XXVIII, 13.* laboramus, cùm hanc Masenii glossam, C. à Lapide Jesuita ad utrumqve locum scribens velut ex instituto refutet? *Non loqvitur Syracides præcisè de confessione Sacramentali, utpote qvæ illo tempore necdum erat instituta: sed generatim de Confessione, qvâ qvis legitimè de peccato rogatus, monitus, aut correptus, illud falsò negat*; scribit ille ad *Syr. IV, 31.* Et ad *Prov. XXVIII, 13. Aliqvi censent, Salomonem exigere auricularem & Sacramentalem confessionem, qvæ in Lege novâ fit confessario ad recipiendam peccatorum absolutionem in Sacramento pœnitentiæ. Ita Hugo, Dionysius, Baynus & Cajetanus. Verùm hæc*

vers. 31.

Prov. XXVIII, 13.

tempore Salomonis nondum erat instituta, nam post mille annos sancita est à Christo. Dico ergo eum loqvi de confessione, qvæ est juris naturæ &c. Eodem modo & alius è sociis Ferdinandus Qvirinus de Salazar *ad h.l.* disserit. Licèt enim ineptam illam interpretationem ineptiùs excuset, Salomonem fortè de Confessionis Sacramento, qvod Christus posteà instituit, vaticinatum fuisse, *tamen* (addit) *ni mens mea me fallit, bujus loci germanam senteutiam assecutus est Gregorius Magnus, L. 22. c. 10.* Cujus verba cum protulisset, subdit: *Ex qvibus verbis constat, Gregorium ista verba non de confessione illâ, per qvam scelera apud Sacerdotem deponuntur, hæc verba accepisse, sed de illâ, qvâ qvis reprehensus objurgatusq; admissas culpas non diffitetur.* &c. Hujus ergò judicio *non germanam sententiam* illius textûs protulerit Masenius, qvi confirmare illam qvidem, qvòd parùm firmo stare talo intelligeret, voluit, sed tali ratione, qvæ & ipsa tibicine opus habeat. *Qvæ utiq; de homine dicta intelliges*, ait, *cùm ante DEum, qvantumvis velis, abscondere neqveas: nec magnoperè laborandum sit, ut confitearis omnia scienti.* Esto verò sermo de confessione coram homine, num ideò coram Sacerdote? num specialis recensio omnium peccatorum illicò? Qvis ita colligentem à genere ad speciem ferat? Porrò qvæ conseqventia: Coram DEO abscondi

(An confessio coram Deo supervacanea?)

…di nihil poteſt. Ergò homines,ne ab-…dere à facie DEI præſumant qvicqvam, …ri neqveunt? Imò verò ideò monendi …t,qvia fruſtrà id tentant, qvod ſe feciſſe …vid confitetur *Pſ. XXXII, 3. 5: Qvoniam …cui, inveteraverunt oſſa mea* &c. *Deli-…m meum cognitum* (NB) *tibi feci, & inju-…tiam meam non abſcondi. Dixi: Confite-…r adverſum me injuſtitiam meam* (NB) *Do-mino: & tu remiſiſti iniqvitatem peccati mei.* …a David impœnitens celabat iniqvitatem …am coram Domino, pœnitens Domino …am confitebatur. Maſenius verò de hoc *non magnopere laborandum* putat,*ut confitea-mur omnia ſcienti.* Qvæ ratio Adamitas qvoq; olim ſeu Prodicianos movebat, qvi non magnopere laborandum putabant, ut neceſsitates ſuas in precibus exponerent omnia ſcienti. Qvibus ut rectè reſpondebat Hieronymus *in Matth. VI: Non narratores ſumus,ſed rogatores: aliud enim eſt narrare ignoranti,& aliud ſcientem petere: in illo indicium eſt,hic obſeqvium: ibi fideliter indicamus,hic miſerabiliter obſecramus:* ita nos Maſenio reſpondebimus Confesſionis coram DEO neceſsitatem extenuare per ejus omniſcientiam volenti: *Non narratores ſumus,ſed deprecatores. Aliud enim eſt, narrare ignoranti,& aliud ſcientem deprecari. In illo indicium eſt, hic obſeqvium. Ibi fideliter indicamus,* (qvod Jeſuitæ poſcunt, qvò o-

mnium cordium secreta scrutentur, omnium reverentiam erga se excitent, omnium conscientiis dominentur, omnium loculos indictis satisfactionibus exhauriant,) *hic miserabiliter obsecramus.* (4.) Verba Johannis *I.Ep.I,8.9.* si concederem maximè, de confessione coram Sacerdote loqvi, audire tamen ex Masenio vellem argumentum pro minutâ illâ singulorum peccatorum enumeratione. Nunc ostendit textus ipse, de confessione coram *DEO*, non coram *homine* sermonem esse. DEI expressa mentio. *Is fidelis est & justus, ut remittat peccata, si confiteamur illa,* Cui? nisi DEo remittenti. Deinde ipsa illa oppositio, qvam facit Apostolus inter τὸ *dicere, qvia peccatum non habemus, & confiteri peccatum*, generalem confessionem peccati indicat. Ut enim prius idem est, ac non confiteri corã DEO, se peccatorẽ esse: ita alterum hoc, non negare, sed profiteri sese peccatorem, erit. Atqve sic Augustinus qvoq; locum exposuit *tract. I. in Epist. Joh. T.IX.p.580: Qva spes est? ante omnia confessio: ne qvisqvam se dicat justum, &* (NB) *ante oculos DEI, qvi videt, qvod est, erigat cervicem homo, qvi non erat & est. - - Humilitas pertinet ad confessionem, qvâ confitemur nos peccatores. - - Dic hominibus, qvid es, dic DEO, qvid es. Qvia si non dixeris DEO, qvod es, damnat DEUS, qvod in te*

I. Joh. I, 8.9.

xeris

inveniet. Non vis,ut ille damnet? tu damna. Vis,ut ille ignoscat,tu agnosce, ut possis DEO dicere: Averte faciem meam à peccatis meis. Confer *Serm.29. de verbis Apost. T X. p.394.* Vindicias veræ interpretationis Dallæus *L.1.c.13.p.74.sqq.* dedit.

Papistæ negantes, confessionem juris divini esse.

Hucusq; ex Scripturâ confessionem Sacramentalem ostendere Malenius voluit, hactenus à Gratiano, ejusqve interpretibus & glossatoribus, Bartholomæo Brixiensi, Panormitano,Felino,nec non Scoto,Nic. de Orbellis,Petro Oxoniensi, Gabriele Biele, Bonaventurâ,imò si Maldonato *Disp. de Sacram. T.II.de Confess. Orig. c.12.p.35.* fidem habemus, *OMNIBUS Canonistis* dissentiens,qui non divino jure,aut à Christo institutam,sed consvetudine Ecclesiasticâ introductam hanc confessionem, neq; adeò absolutè necessariam esse, agnoscunt. Lege eorum testimonia apud Gerh. *Conf. Cath. Tom.ult.p.40.sqq.*& *L.de Pœnit.* §.*103.* Dallæum *L.I. de Confess c.3.p.12.*

2) Antiqvitatis suffragiis: ad qvæ rectè intelligenda

Conseqvens est,ut ad (2.) *Antiqvitatem Ecclesiasticam* progrediamur, è qvâ more suo Augustinum Confessionis auricularis patronum allegat. Pone verò, Augustinum, pone, alios Patres Pontificiæ confessioni,qvod non faciunt, patrocinari, qvid postea conseqvetur? Non sanè juris divini

divini necesſitas, qvam Maſenius cum ſociis urget, ſed tantùm veteris Eccleſiæ conſvetudo. Qvæ tamen ipſa qvoq́; ſi ſcrutemur accuratiùs, minimè omnium iſti peccatorum enumerationi favet. Eqvidem apud vetuſtisſimos qvos habemus, Eccleſiæ Scriptores, Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, aliosq́; Exomologeſeos ſeu confesſionis alicujus mentionem fieri agnoſcimus, ſed ea tantum abeſt, ut cum auriculari Papiſtarum confesſione eadem fuerit, ut eruditiores ex Pontificiis etiam oportuerit agnoſcere, publicam eâ voce pœnitentiam fuiſſe deſignatam, ceu præter alios Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus, *Obſervat. de Ritibus veteris Eccleſiæ, L. II. obſerv. 26. p. 132. ſqq.* ſingulari induſtriâ contra fidei ſocios, Bellarminum, Baronium, Maldonatum, Pamelium, aliosq́; demonſtravit, cui Deſid. Eraſmus etiam, & B. Rhenanus, & Nicol. Rigaltius, & Dionyſ. Petavius Jeſuita aſtipulantur, qvorum teſtimonia apud Dallæum *L. III. de Confesſ. c. 4. p. 206.* legi posſunt. Habuit nimirum pœnitentia Eccleſiæ veteris ſuas veluti periodos, diverſasq́; pro diverſitate ætatum formas, ceu antiqvitatis callentisſimus Chemnitius noſter *Exam. Conc. Trid. P. II. de Confesſione p. 386. ſqq.* docuit. Antiqvisſima erat publica illa ἐξομολόγησις, qvando coram Eccleſiâ, qvi graviori crimine aliqvo eſſent impliciti, illud profitebantur

noſſe Hiſtoriam oportet Pœnitentiæ Veteris:

qvæ primitùs erat publica,

[illegible]tur editisq; luculentis doloris indi- [illegible] Ecclesiæ, qvam offenderant, satisfacie- [illegible]nt, vel spontè ad hoc se offerentes, vel Ec- [illegible]siæ autoritate adacti. Qvomodo jam- [illegible]m Irenæus *L.I. adversus hæreses c 9. p. 26.* [illegible] *Erasmi* exomologeseos meminit [illegible]eminis publicè factæ, qvæ à Marco [illegible]æretico corruptæ ad gremium Ecclesiæ se [illegible]cepissent: cujus verba & Epiphanius *hær. 34 p.105. edit. Basil.* repetiit. Tali exomologesi sese Philippum etiam Imperatorem, Gordiani filium subjecisse, Eusebius testatur *L. VI. c. 34. (al. 25. al. 26.)* Exempla plura Historia Ecclesiastica dabit. Cæterùm de actibus hujus exomologeseos Tertullianus, vel qvisqvis autor est, *Libro de pœnitentiâ c. 9.* è recentioribus Heraldus *in Tertull. apolog. L. 2. digress. 4.* Casaub. *Exerc. XVI. n. 43.* Albaspinæus *L. II. Observat. 22. 23. 24.* Suicerus *observat. Sacr. c. 1.* nec non Dn. Ægid. Strauchius *Differt. de priscis publicè pœnitentium ritibus* legi possunt. Ad hanc publicam exomologesin accedebat privata, Sacerdoti facta. Cùm enim sæpiùs ad confusionem potiùs peccantis, qvàm emendationem proficeret instituta temerè exomologesis, *presbyterum aliqvem vitæ integritate qvàm maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem ac sapientem huic officio præfecerunt, cui peccantes delictum confitebantur*, ut est apud Sozomenum *L. VII c. 16.* Atq; ex hujus

ad qvam privata confessio accessit,

jus consilio vel celabant delictum, vel publicâ confessione manifestabant; qvod Origenis testimoniis confirmat Chemnitius. Posteà cùm ardor ille factus esset remissior, & non invenirentur, qvi crimina sua ampliùs publicâ confessione aperire sustinerent, abrogari ferè cœpit confessio publica, & in privatam commutari, ita ut pœnitentes crimina, qvæ conscientiam vexabant, secretò confiterentur Sacerdoti, qvi illa Ecclesiæ non prodebat qvidem, publicam tamen injungebat pœnitentiam, ut ipso facto declararet pœnitens, se grave qvid commisisse. Atq; hoc Sozomeni & Augustini testimonio confirmat Chemnitius, memorabilemq; Leonis Papæ textum, ex *Epistolâ 78.* (octogesimam numerat Binius, apud qvem illam *T.I.Concil.p.982. extr.* & *c.89. Qvamvis dist.I.de pœnit.* lege,) qvi penitus *improbabilem*, ut vocat, *consvetudinem, qva multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis facta sua reserare, submovendam* pronunciat, & *sufficere* ait, *confessionem, qva primum DEO offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit: qvòd tum demùm plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Ita in Occidentali Ecclesiâ medio seculo qvinto Leo I. confessionem publicam privatâ permutabat, qvod ducentis antè

ita tamen, ut publica pœnitentia seqveretur.

…nis in Græcâ Ecclesiâ Origenis tempo-
…s, (cujus ætas in annū Christi CCXXX.
…it,) contigerat. Paucis verò post an-
…s in Oriental. Ecclesiâ secretam illam con-
…sionem τῶ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέ-
…u presbytero pœnitentiario fieri soli-
…m abrogavit Nectarius tempore Theodo-
…i Senioris, eò qvòd fœmina nobilis flagi-
…um Diaconi, qvi cum istâ concubuerat, in
confessione aperuisset presbytero, qvi di-
vulgando illud ingentem tumultum exci-
taverat in Ecclesiâ, de qvo Sozomenum lege
L. VII. c. 16. & Socratem *L. V. c. 19.* & confer
hujus Historiæ contra Pontificios, qvi eâ se
premi intelligentes varia effugia qværunt,
vindicias apud Chemnitium *l. c. p. 388. 389.*
Dallæum *L. IV. de. Confess. c. 24. p. 461 sqq.* &
Rivetum *C. O. tr. III. q. XI. §. 10.* Observa-
tionem meretur utiq;, qvod nec qvisqvam
tum fuerit in Latinâ Ecclesiâ, qvi hoc Orien-
talium institutum improbaret, & Græci Pa-
tres, qvi successerunt, etiam commenda-
rent. E qvibus Chrysostomus *Homil. 31 in
Ebr. XII: Non dico tibi, ut te prodas in publi-
cum, neq; ut te apud alios accuses: sed obedire
te volo dicenti: Revela Domino viam tuam.
Antè DEum ergò confitere peccata tua.* Et
in Ps. 50. Homil. 2: *Non dico, ut confitearis
conservo tuo, ut exprobret: dicito DEO, qvi
curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea
DEus. Dicito in hâc vitâ, ut in alterâ re-
qviem*

Abrogata posteà in Orient. Ecclesiâ confessio privata à Nectario,

& non repugnantibus Latinis,

& approbantibus Græcis PP.

qviem habeas. Confer tredecim pulcherrima ejusdem Patris loca apud Dall. *L. IV. c.25.* qvæ *seqq. capp. usq; ad 33.* contra Pontificiorum cavillationes egregiè vindicantur. Qvanqvam verò privata illa confessio mansit in Occidentali Ecclesiâ, meritoq; ab Ecclesiæ Doctoribus non minùs, ac nostro parentumq; ævo à Luthero & aliis Orthodoxis commendata fuit, nemo tamen extitit, qvi necessitatem omnia peccata confitendi assereret, nedum è præcepto aliqvo divino talem confessionem deducendam existimaret. Demum circa seculi noni initia, qvando extincto penè omnium literarum lumine crassa rerum humanarum divinarumq; ignorantia fœdaqve barbaries orbi incubuit, fatente Binio *in notis ad Concilium Cabilonense II, Tomo III. Concil. p. 462.* mutari disciplina, & privata à Sacerdote pœnitentia imponi, simul omnium delictorum confessio exigi cœpta est, qvod ante illa secula insvetum, & ipso etiam illo ævo à Marco eremitâ graviter reprehensum est, ut apud Dallæum *L. IV. c. 40. & 41.* legere licet, qvi hæc prima velut rudimenta novitiæ adversariorum disciplinæ fuisse observat, *cap.* tamen *seq. 42.* docet, intercessisse adhuc septem inter illam noni seculi, & hodiernam Innocentianam confessionem discrimina, è qvibus præcipuum, qvod nondum ita necessaria crederetur peccatorum enumeratio,

mansit in Ecclesiâ Occidentali, ubi specialis confessio seculo demum IX. introducta, sed absq; necessitatis lege,

qvod Lombardi

tio, ut absqve eâ peccata à DEO remitti non possent. Lombardus certè, ubi *L. IV. Sent. d. 17. lit. A.* qværsivit: *Utrum absq; satisfactione & oris confessione per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur?* Non dissimulat, Doctores, qvos ideò nullâ hæreseos aut Schismatis notâ aspergit, diversa sentire. *In his*, ait, *etiam docti diversa sentire inveniuntur: qvia super his varia ac penè adversa tradidisse videntur Doctores.* Et *lit. B.* expositurus: *Cui sententiæ potiùs consentiendum sit?* sic infit: *Sanè dici potest, qvod sine confessione oris, & solutione pœnæ exterioris peccata delentur per contrititionem & humilitatem cordis.* Qvanqvam autem falsus in hoc sit Lombardus, qvòd contritioni hanc virtutem, ut peccata deleat, tribuit, tamen confessionem oris necessariam non esse, luculenter docet. Porrò licèt *ead. dist.* pronunciet *lit. D*: *Qvòd non sufficit soli DEO confiteri, si tempus adsit, si tamen homini possit*: producit tamen multas veterum sententias in contrarium, dumqve inter alia ad locum Ambrosii respondere volens, hæc verba *lit. F.* usurpat: *Multa facta sunt, qvæ scripta non sunt, & fortè nondum facta erat institutio confessionis, qvæ nunc est*: novitatem hujus instituti fatetur, idq; divinitùs præceptum negat. Gratianus verò, qvi eâdem tempestate canones collegit, & fuisse suâ ætate, qvi necessitatem confessionis auricularis nega-

& Gratiani testimoniis docetur:

negarent, ait, & ipse eam necessariam; tantum abest, ut definiat, ut etiam Lectoris arbitrio rem omnem relinqvat. Legatur prolixius illius de Pœnitentiâ tractatus, qvi *P. II. decreti, causâ 33. qvæstioni 3. & quartæ* interjicitur *medius*, qvem sic inchoat *dist. 1: Utrum solâ cordis contritione & secretâ satisfactione, absq; oris confessione qvisq; possit DEO satisfacere? Sunt enim, qvi dicũt, qvemlibet criminis veniam sine confessione factâ Ecclesiæ & sacerdotali judicio posse promereri juxta illud Ambrosii super Lucam ad c. 22.* Affert deinde prolixè in utramq; partem Patrum autoritates, pro affirmativâ qvidem qvæstionis *usq; ad cap. 38.* pro negativâ *usq; ad cap. 89.* in qvo sic qvasi definit: *Qvibus autoritatibꝰ, vel qvibus rationum firmamentis utraq; sententia satisfactionis, & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potiùs adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur. Utraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* Sic illo ævo, hoc est seculo XII. adhuc loqvebantur. Unde constat nondum extitisse hâc de re in Ecclesiâ fixam & constitutam definitionem, qvam Gratianus neqve nescivisset, neq; profectò repudiasset. Primus, qvi confessionem specialem ab omnibus fidelibus, qvi ad annos discretionis pervenissent, semel ad minimum in anno fieri coram Sacerdote juberet, Innocentius III. fuit, qvi in Concilio Lateranensi IV. qvod Oecumenicum

donec Sec. XIII. ab Innocentio III. ut necessaria, Ecclesiæ obtruderetur.

XII.

XII. appellant Pontificii, *cap. 21.* hanc legem orbi Christiano obtrudere ausus est. Ab eo tempore Scholasticorum libertas sentiendi & scribendi coarctata qvodammodò est, qvi, ut Innocentianâ lege constricti necessitatem talis confessionis assererent, liberè tamen iidem de eo pronunciare potuerunt, qvô jure, divino an Ecclesiastico, necessaria ea esset, qvòd Innocentius hoc non definivisset. *An sufficiat DEO peccata confiteri, Magister & Gratianus pro opinione ponunt. Sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam hæresis reputanda est.* Ita Thomas *in 4. d. 17.* cui planè σύγχρονος ejus Bonaventura (nam & is A. 1274. diem obiisse fertur) *ad eundem Magistri locum* aliiq; consentiunt. Cæterum cùm non modò Johannes Wiclephus, Hussus, aliiq; subinde huic jugo colla subtraherent, (qvæ ipsis causa damnationis inter alias extitit,) sed Lutherus illud penitus, libertatis Christianæ, juxta Apostoli monitum tenax editis scriptis excuteret, nostriq; in Augustanis comitiis conscientias his laqveis liberari petiissent, Tridentina demum Synodus, qvod Innocentius solo nutu mandatoqve suo Christianis commendaverat, id à Christo institutum fuisse, sub anathemate jusserunt credi.

Habes, bone Lector, veræ Historiæ compendium, unde omnia, qvæ ex Ecclesiasti-

cis scriptorib9 opponi solēt ab adversariis, facilè solvere possis. Aut enim de *confessione coram DEO*, aut de *publica exomologesi* coram Ecclesiâ factâ loqvuntur, aut si omninò *privatam confessionem* ut *utilem* commendant, *necessariam* neqvaqvam dicunt: nullus verò *omnium in specie peccatorum enarrationem* ceu necessariam posuit. Expendit XLII. testes ab adversariis produci solitos Dallæus *Libro III.* eorum, qvos de hoc argumento scripsit, docuitqve, nullum veterum Innocentianæ illi confessioni favere, contrà potiùs, 30. argumentis *L. IV.* invictè demonstravit, nullum illius usum in Ecclesiâ fuisse.

Ad Augustini testimonia

Noster ad *Augustinum* provocat. Age repetamus ipsa testimonia, non qvòd aliqvid firmum & evidens pro confessione Innocentianâ dicant, sed ne in fraudem adversarii aliqvid supprimere voluisse videamur. (1.) Agmen *ducit Homil. XII. Libri 50. homil. T.X.p.438. In omnibus Scripturis divinis utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter & humiliter non solùm DEO, sed etiam Sanctis & DEum timentibus confiteri: Sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus S. dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Connectit huic (2) locum ex *ejusd. lib. homil 49. p. 549: Nemo sibi dicat, occultè ago, apud DEum ago, novit Deus, qvi*

Digitized by Google

qvi mihi ignoſcit, qvia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, qvæ ſolveritis in terrâ, ſoluta erunt in cœlô? ergò ſine causâ ſunt claves datæ Eccleſiæ DEI? Fruſtramus Evangelium DEI? fruſtramus verba Chriſti? promittimus nobis, qvod ille negat? Succedit (3) *Lib. 2. de Viſit. infirm. c. 4 T. IX. p. 965: Non ſeducat te ſomniantium illa ſuperſtitio, qvæ in viſitando confirmat, qvia ſalvat, ſacerdote inconſulto, ad DEum confesſio peccatorum -- Prius eges Sacerdotis, qvi mediator ſit ad DEum tuum, ſalubri judicio: alioqvin & ſub lege & ſub gratiâ: Ite & oſtendite vos Sacerdotibus, reſponſum divinum qvomodo conſummaretur? confitemini alterutrum peccata veſtra, qvomodo compleretur?* mox *c. 5. p. 965. 966.* (conjungemus verba, ut cohærent apud autorem, qvæ Maſenius divulſit, poſteriorem eorum partem *p. 138.* priorem *p. 140.* aſcribens:) *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem reqvirunt ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum eſt. Et, cum qvâ, & DEum & Angelum ejus decet reverentiâ affare. Aperi ei penetralium tuorum abditisſima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, qvod te non puduit forſitan coram multis & cum multis facere. Nam humanum eſt peccare, Chriſtianum eſt à peccato deſiſtere, diabolicum eſt perſeverare. Ergo qvæ mentem gravius exacerbant facinora, DEI Angelo manifeſta, nihil obſcurum di-*

 cens,

cens, culpam nullis ambagibus involvens. Designanda sunt enim in qvibus peccasti loca, si recordaris, & tempora, cum qvibus peccasti personis, non nomina ipsorum. -- Utrum semel, an ex consvetudine, utrum necessitate, an ex voluptate recidisti. Claudit agmen (4) *tract. 22. in Job T. IX. p. 195. Clamavit Dominus ad sepulchrum Lazari & qvatriduanus mortuus resurrexit. Vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis, & cor tuum ita durum est, ut nondum illa vox divina te rumpat? Surge & procede, & crede, & confitere. qvi enim credit, surrexit, qvi confitetur, processit. Qvare processisse dicimus confitentem, qvia, antequam confiteretur, occultus erat: cum autem confiteretur, processit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, qvid dicetur ministris? Solvite illum & sinite abire, qvomodo dictum est Ministris Apostolis: qvæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.*

respondetur: His si certa à suppositiitiis & dubiis secernamus, parum habebit præsidii Masenio. (I.) Incertum, cujus autoris sint *homiliæ L.* qvæ neqve ab Erasmo, neqve à Lovaniensibus, neqve à Parisiensibus pro veris & indubitatis Augustini operibus habentur: neqve in indiculo Possidii XII. na illa extat. Habet aliàs ea hanc censuram ab Erasmo: *Qvibusdam prior pars videtur Eradii, posterior Augustini* Locus à Maseno citatus initio Homiliæ extat. Neqve qvicqvam ibi de peccato.

Homil. 12. à 50. homil.

Lib. 2. de visit. infirm. c. 4. & 5.

Digitized by Google

catorum enumeratione coram *Sacerdote*. Tantùm confessio coram *hominibus*, *Sanctis* & *DEum timentibus*, qvalem Jacobus poscebat, commendatur. (2) *Libros de visit. infirm.* Bellarminus ipse *videri falsò tribui Augustino* ait *lib. de extr. Unct. c 4.* Erasmi censura hæc præfigitur : *Sermo est loculuteji, nec docti nec diserti, qvem qvi nomine Augustini obtruserunt, nihil habuerunt vel frontis, vel mentis.* (3.) Supersunt duo testimonia. Alterum dubium, alterum γνήσιον, neutrum ad Innocentianam confessionem qvicqvam faciens. Alter enim locus è *tract. 22. in Job.* apertè de confessione publicâ loqvitur, *qvâ ex occulto procedit in lucem, qvi Lazari qvatriduani instar ligatus erat.* At qvi peccata sua in aurem unius sacerdotis exonerant, non in publicum utiqve procedunt. Alter ex *homil. 49. inter qvinqvaginta* non omnes promiscuè fideles compellat, sed adulteros, qvos ex veteribus canonibus constat, ad publicè-pœnitentium censum pertinuisse. Sic enim infit : *Qvi post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqvâ concubuistis, agite pœnitentiam,* (NB) *qvalis agitur in Ecclesiâ, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat : occultè ago.* & qvæ seqvuntur à Masenio prolata. Vides omnia de pœnitentiâ dici, nil de confessione. Et de tali pœnitentiâ, cujus consciam vult esse Ecclesiam, non unum

tract. 22. in Job.

Homil. 49. ex 50.

sacrificulum. Ideò exemplum Theodosii postea addit, idq; ab adulteris exigit, qvod Theodosius præstitit: is autem publicè pœnitentiam egisse memoratur apud Theodoret. *L.V.c.17.* & Sozom. *L.VII.c.24.* Postremò & de hâc homiliâ dubitatur, an sit Augustini. Certè qvidem nec in Indiculo Possidii invenitur, ideoq; Possevini judicio *de eâ ambiguum est*: neqve nomen Augustini in Lovaniensi editione præfixum habet. Cocus *Cens.p.364.* Itaq; ascribamus colophonis loco, qvæ Augustini sunt extra controversiam. Sic autem is *L.X.Confess.c.2.T.I.p.161.* *Qvid mihi ergò est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, qvasi ipsi sanaturi sint omnes langvores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Qvid à me qværunt, audire, qvi sim, qvi nolunt à te audire, qvi sint? Et unde sciunt, cùm à me ipso de meipso audiunt, an verum dicam, qvandoqvidem nemo scit hominum, qvid agatur in homine, nisi Spiritus hominis, qvi in ipso est?*

III. Satisfactio de qvâ (1) Sententia Pontificia

Restat ultima pœnitentiæ Pontificiæ pars: SATISFACTIO: de qvâ sententiam suam (1.) exponit, & (2.) probat. Sic (I.) rem explicat, p. 138: *Verùm licèt peccato confesso* (peccatum confessus) *reus absolvatur à culpâ & pœnâ æternâ, non tamen à temporali, qvam hic satisfactorio vel pœnali opere sæpè tenetur eluere.* Rectè hîc qvidem Masenius agno-

Digitized by Google

agnoscit, pro *culpâ & pœnâ æternâ* neminem mortalium satisfacere posse, qvod Thomas, Scotus, Valentia, Vega, Canus, Cajetanus, Tapperus aliiqve senserant, de qvibus Gerhardum *L. de Pœnit.* §. *123.* & Hülsemannum lege *Disp. X. contra Hager. q. 2.* §. *5. p. 382. sqq.* Pessimè tamen idem affirmat, remanere penes absolutum *pœnas temporales*, satisfactoriis operibus eluendas. Qvæ doctrina neqve cum plenariâ gratuitâqve omnium peccatorum remissione conciliari potest (pro qvo enim adhuc exigitur satisfactio, id plenè gratuiteqve remissum dici neqvit) & cum apertâ injuriâ Christi ἀπολυτρωτῆ non ἡμιλυτρωτῆ conjunctum est. Ipse enim *peccata sustulit in corpore suo super lignum*, I. Pet. II, 24. & *omnes langvores nostros tulit, doloresq; nostros ipse portavit, vulneratus propter iniqvitates nostras, & attritus propter scelera nostra* Es. LIII, 4. 5. atq; *unicâ oblatione consummavit perpetuum sanctificandos*, Ebr. X, 14. Qvi proinde significantissimis verbis *Esa. XLIII, 25.* uni sibi hanc gloriam, qvòd plenariâ satisfactione deleverit omnem peccati memoriam, perinde ut potentiam creationis & providentiæ, *v. 1. 2.* æternitatem *v. 11. 13.* omniscientiam, *v. 9. 10. 12.* adorabilitatem &c. vindicat. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniqvitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qvi deleo iniqvitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recor-*

(2) Ejus confutatio.

 dabor

dabor. Qværo te, qvid est *peccata delere*, *peccatorum non recordari* (Jer. XXXI, 31.) *projicere ea post tergum*, (Es. XXXVIII, 17.) *delere instar nubis*, (c. XLIV, 22.) *demergere in profundum maris*, (Mich. VII, 19) *non imputare, sed tegere*, (Psalm. XXXII, 1.) si post remissionem ad calculum ea vocat DEUS, & pœnas à reconciliatis exigit. *Si texit peccata DEUS, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta peccata qvare dixit? ut non viderentur. Qvid enim erat DEI videre peccata, nisi punire peccata?* ait Augustinus *enarrat. 2. in Ps. 31. T. VIII p. 103.* Et ipse Bellarm. *L. V. de amiss. grat. c. 20. resp. ad 2. obj: Tunc peccatum omninò perfectè censetur remissum, dum non solùm culpa, sed etiam* (NB) *omnis pœna fuerit remissa?* Unde & Salvator in parabolâ omne debitum pariter & supplicium remitti docet *Matth. XVIII, 27.* Itaq; aut nullam remanere pœnam luendam post remissionem necesse est, aut remissio divina imperfecta fuerit. Præterea reqvisita satisfactionis coràm DEO, (qvæ debet esse (1.) acceptabilis, hoc est, opus DEO probatum & perfectum, (2.) indebita, (3.) æqvalis culpæ,) in pœnali opere omni sive spontè assumto, sive à judice spirituali imposito, seu deniq; à DEO ipso immisso, (ceu ex Conc. Trid. *Sess. XIV. c. 9. & can. 13. de Sacram.*

Sacram.pœnit. Bellarm. *L. IV. de pœnit. c. 4.* satisfactionis modos enumerat,) desiderantur,ceu docuit accuratè Hőpfnerus *Diss. de Satisfactionibus Pontificiis,c.II p.253 sqq.Dispp. Miscellan* Vide argumenta plura apud B. Meisnerum *Opusc.I contra Indulgentias,Sect. II.c.3.p.174-216.* Danhauer. *T.II. Hodom.Pap. p.799.sqq.* Lites Pontificiorum inter sese, qvorum pleriq; negant,satisfactionem pœnalem esse juris divini, (qvomodo ergò pars sit Sacramenti divinam autoritatem poscentis?) alii semper, alii interdum & apud qvosdam remanere reatum pœnæ temporalis censent, Vide apud Hülsemannum *d.l.p.390.sqq.* & qvi erudito opere omnem hanc materiam eruditè pertractavit, Jo. Dallæum,*de Pœnis & Satisfactionibus.*

Expendamus jam (2.) probat ones Masenii, qvi cautè & blasphemam *hypothesin,* qvam Satisfactionibus suis substernunt Pontificii, (de imperfectâ satisfactione Christi, qvem pro originali tantùm peccato,non actualibus,nec pro omnibus, sed æternis tantùm peccatorum pœnis satisfecisse ganniunt, ut hominibus satisfaciendum ipsis pro peccatis actualibus eorumq; temporalibus pœnis evincant,) & *porisma* impium,de Indulgentiis, ex thesauro Ecclesiæ depromendis,suppressit. De qvo utroqve dogmate,qvia ejus Masenium ferè puduisse videtur, nos qvoqve jam tacebimus, contenti

(3) *Confutationis vindiciæ, & responsio ad*

tenti respondisse ad illius pro satisfactionibus argumenta. Qvæ ipsa (I.) ex Historiâ Davidis depromit: de qvo sic loqventem inducit Augustinum *L. XXII. contra Faustum c. 67. T. VI p. 427. extr:* *David, qvando correpto per Prophetam, dixit: peccavi, continuò ad hoc unum verbum audire meruit, qvòd acceperit veniam. Ad qvam rem, nisi ad sempiternam salutem? Neq; enim prætermissa est in illo secundùm DEI comminationem flagelli paterni disciplina, ut & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur -- Videbat qvantum pœnarum æternarum ejus essent digna peccata: pro qvibus cùm temporalibus emendationibus uteretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam.* Ac deinde ista subdit: *Hæc expendamus, & si David, licèt fidelis, peccare potuit, scelusq; eidem à DEO imputari: si confiteri Prophetæ non erubuit, si post confessionem absolutus, à pœnitentiæ satisfactoriis operibus non destitit: qvis erit, qvi Davide se magis eximium, fide solâ, futurum existimabit?* Non opus erat his ambagibus, Maseni. Nemo nostrûm negat, *Davidem peccare*, & fide excidere, *scelusq; illi à DEO imputari potuisse*, imò hæc actu contigisse: nemo, confessum absolutumqve negat. Hoc probandum nunc erat, ea opera à DEO fuisse Davidi imposita, qvibus pro pœnâ temporali satisfaceret: qvod neqve Scriptura docet, (ad qvam hîc vulgus Papistarum

a) Historiam Davidis, 1. Sam. XII, 13.

ſtarum provocat *I.Sam. XII, 13. 14. XXIV, 13.* immemor hypotheſeos ſuæ de Sacramento pœnitentiæ in Novo demùm fœdere inſtituto,) neq; Auguſtinus à Maſenio citatus. Rectè is exemplo Davidis è *I. Sam. XII, 13.* docet, remiſsâ culpâ & pœnâ (ubi enim juſtitia divina culpam non invenit, punire non poteſt,) ſecutam *paterni flagelli diſciplinam, qvâ afflictus temporaliter probaretur, & cum venia, medicinam*, qvâ à peccatis ipſe in poſterum, & alii ipſius exemplum intuiti præſervarentur, propoſitam à DEO docet. Pœnam reſervatam fuiſſe, qvâ ſatisfaceret Divinæ juſtitiæ poſt remiſſam culpam, nusqvam dixit S. Pater. Verùm ut alibi ipſe inter *dolorem medicinalem, & ſententiam pœnalem* diſtingvit, ita hîc docere voluit, non propriè ſic dictam pœnam compenſatoriam ac ſatisfactoriam immiſſam Davidi, ſed exemplari tantùm correctione hoſtes DEI, qvos ſcandalizaverat, monitos, ſi tam gravi παιδείᾳ in Davide corrigatur hoc facinus, qvantâ τιμωρίᾳ in ſeſe extra gratiam conſtitutos, ſit animadverſurus DEUS, ſi paria faciant. Lege, qvid Gregorio de Valentiâ eundem hunc Auguſtini textum crepanti reſpoderit Meiſnerus *Opuſc. I. contra Indulg. p. 110. ſqq. 154.* Conf. Gerh. *L. de Pœnit. §. 125.* Hülſem. *contra Hager. D. X. q. 2. §. 9. p. 396.* Danh. *T. II. H. P. p. 823.* Mareſ. *T. II. Anti-Tirini, p. 810.* &c. Scilicet hic repetendum animo

& Auguſtini teſtimonium de illâ.

(Pœna & caſtigationis differentia.)

mo est discrimen inter impiorum pœnas, & piorum castigationes; qvæ licèt *materiali* conveniant, h. e. cruciatu, per qvem carni ægrè fit, & *generali causâ* προηγουμένῃ, qvatenus præsupponunt peccatum singulare & proæreticum, absq; qvo si fuisset, etiam pædiæ hæ, (à δοκιμασίαις & martyriis eâ parte distinctæ) non contingerent: longissimè tamen & *formali*, & *finali* causâ, & *effectibus*, & *affectionibus* differunt. Abest enim maledictio & ira judicis -- DEI, nec nisi benevola castigatio Patris locum invenit. *Prov. III, 11.12. Jer. XXV, 29. XLV, 4. 5. XLIX, 12. I. Cor. XI, 32. Ebr. XII, 5.* Præterea non immittuntur, ut qvi remissionem peccati impetravit, pœnas adhuc luat, sed ut acrius odium peccati concipiat *Es. XXIIX, 19 26.* aliiq; de peccatis præmoneantur. Itaq; pii castigationes istas non cum fremitu & refractario animo sustinent, ut pœnas suas impii, *I. Sam. XXVIII, 15. XXXI, 4.* sed cum glorificatione divini nominis, *Job. I, 21. Rom. V, 3. XII, 12. Jac. I, 2. V, 8.* certi de felici lætôq; exitu *Rom. VIII, 28. Mich. VII, 9. Psalm. XXXIV, 19. XCI, 15.* cùm contra impiorum pœnæ vestibulum sint secuturi exitii, *I. Pet. IV, 17.* Breviter Augustinus *Lib II. de peccat. mer. & remiss. c. 34. T. VII. p. 716: Calamitates ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem verò sunt certamina exercitationesq; justorum.* Vid. Chemnit. *Exam. P. II.* ad

Digitized by Google

ad Sess.14.c.ap.8 p.400. Höpffner. *Dispp. Miscell.p.240. & Isag. ad Usum S.Cœnæ, tract. II. p.290. 291.* Jac. Martini *Partit. Theol. Disp. XXXV.§.18.sqq.* Balduin. *Instruct. Ministror. verbi,c.17.p.178.* Carpzov. *Isag. in libb. Symb. p.395.*

(z) Orationem Dominicam doctrinæ Dominicæ opponit: *Et talis (qvi credit sibi vi fidei remissa esse peccata,) qvo modo orabit qvotidiè, dimitte nobis debita, qvæ credit esse remissa? certè fides, & oratio talis sibi repugnant. Nec pœnitentia de admissis sceleribus locum habere potest, ubi creduntur remissa omnia. Qvod enim scelus dolebit fidelis? an præteritum? sed hoc credit remissum: an præsens? sed cum verâ fide hoc stare neqvit, nisi simul possit esse fidelis, justus, & peccator.* Responsum à nobis suprà *p.487.488.* ostensumqve, qvàm ineptè fides, pœnitentia, preces sibi opponantur. Lege & hîc laudatum ibi Höpffnerum, & intelliges, invertendum Masenianum dilemma esse. Qvi credit sibi remitti peccata, is semper & præterita, & præsentia peccata dolebit, eorumqve remissionem petet. Petet, inqvam, præteritorum peccatorum remissionem continuari, & peccata infirmitatis de novô subinde remitti. Cùm enim per remissionem peccatum non tollatur qvoad existentiam, sed tegatur, ut David & Paulus *Ps. XXXII, 1. Rom. IV, 7.* docent: præthereà peccatum inhabitans semper

ξ) Qvintam Orationis Dominicam petitionem.

ſemper actuoſum ſit,& concupiſcentias vitioſas etiam in regenitis excitet, ut de ſe Apoſtolus *Rom VII.* qveritur: patet ſemper juſtificatis cauſam eſſe, cur de admisſis doleant, eorumqve remisſionem petant. Licèt ergò fidelem & peccatorem eſſe ex proæreſi, conſiſtere in ſubjecto eodem non posſit, qvod ſuprà contra Tridentinos fideles-adulteros, fures &c. monitum, certum eſt tamen, neminem fidelem & juſtum eſſe, qvi peccato omni careat, ſi Johannem audiam9 *I.Ep.I,8.* Sed de eô ſuprà actum, neq; qvicqvam ad ſatisfactiones facit.

(4) *Obſervatio de Satisfactionibus Eccleſiæ Veteris,* *qvæ*

De qvibus unicè adhuc addere juvat ſummè neceſſariam obſervationem, qvæ uti in antiqvis Scriptoribus fundatisſima eſt, ita uſum incredibilem præſtat in diluendis adverſariorum ex antiqvitate objectionib9. Satisfactionis vox ut Latino uſu notat in genere, facere aliqvid, qvo deſideria alterius impleas, (qvem ſenſum ex Ulpiano *l.1.ff.qvi ſatisdare cogantur* notant JCti, Vid. Schardii *Lexicon fol.835.*) ita duos imprimis admittit, ſi pœnæ debitum ſpectes, modos. Unus eſt *compenſatorius*, qvando æqvaliter compenſatur debitum; alter *deprecatorius & emendatorius*, qvando offenſam lædens agnoſcit, deprecatur, & ab eâ deſiſtit. Nam & hoc ſatisfacere dicebant Latini, ſi qvis penes eum, quem offenderat, deprecabatur, & culpam ita confitebatur, ut ejus maximè pœnitere

Digitized by Google

tere se, ac FACTUM NOLLE significaret, qvem sensum ex Plauto, Svetonio, Asconio, Tacito, Martiali, Senecâ observant Hugo Grotius *annot. ad Consult. Cassandri art. XI.* Barn. Brissonius *L. VIII. de Formulis p. 716.* Levinus Torrentius & Matth.Bernegger. *in Sveton. c.73.* Desid. Heraldus *L.II. digress.4.* Lud. de la Cerda *Adversar. Sacr. c. 35. n. 9.* *DEO* satisfactio *compensatoria*, qvia nobis impossibilis erat, præstita est à solo Christo, nostri loco. Qvando verò qvidam Veterum, DEO nos satisfacere, item peccata purgari, lavari, expiari, redimi pœnitentiâ ejusqve exercitiis dicunt, de satisfactione *emendatoria* loqvuntur, deqve purgatione seu ablutione qvoad exercitium, qvando radix peccati mortificatur, & peccata præterita vitantur. Coram *hominibus* autem & satisfactio *compensatoria* & *deprecatoria* locum habet. *Hac* qvidem, qvando proximus reconciliatur, & per deprecationem offensâ tollitur. *Illa* verò in praxi Ecclesiæ veteris maximè conspicitur, qvando *pœnæ canonicæ*, à canonibus Ecclesiæ constitutæ erant, iis qvi aut fidem abnegaverant, aut in manifestiora crimina prolapsi Ecclesiam scandalizaverant. Hos, anteqvam absolverentur, inqve communionem Ecclesiæ reciperentur, seorsim à cæteris fidelibus stare, peccatum deplorare, publiceqve sinceritatem pœnitentiæ probare his externis signis

vel ad DEUM,

vel ad hominẽ referuntur.

per πρόσκλαυσιν, ἀκρόασιν, ὑπόπτωσιν, σύστασιν oportebat, donec ad μέθεξιν τῶν ἁγιασμάτων admitterentur rursum, (vid. Casaub. *Exerc. XVI. n. 43. p. 397.* Svicer. *observ. Sacr. p. 9. sqq.*) non sanè ut DEO satisfacerent pro peccato, aut illius remissionem apud ipsũ mererentur, sed ut Ecclesiæ satisfieret, & publicum scandalum elueretur, cæteriq; hujusmodi spectaculis admoniti majore curâ lapsûs vitarent, ipsiqve lapsi cautius mercari discerent, deniqve & palàm fieret, non doceri in Ecclesiâ licentiam peccandi. Vid. de his satisfactionibus canonicis eruditè disserens Danhauer. *Christeid. act. I. theatr. 3. phan. I. p. 586-598.* Ab his satisfactionibus toto genere differunt Papisticæ, qvæ (1) DEO, (2) ad luendas pœnas temporales peccato debitas, (3) tanqvam peculiaris pœnitentiæ pars, (4) & post absolutionem qvidem necessariæ docentur. Vide Höpffneri *Dispp. Miscell. p. 264.* B. Parentis mei *Isag. in libb. Symb. p. 389. sq.* Dn. Ziegler. *in Lancellotti Institt. Juris Canon. L. II. tit. 5. §. 12. p. 361. seqq.*

(5.) Calumniarum Masenii depulsio. Atq; hæc de istâ Consideratione, in qvâ si qvid restat, vel ad Calvinianos pertinet, (negantes, verè fidelem excidere peccando posse:) vel in Calumniâ occupatur. Ad posterius genus refero, (1.) qvod *p. 136.* scribit: *Lutherani pleriq; ajunt solâ tantùm infidelitate posse excidere.* (2) *Apud utrosq;* (Lutheranos æqvè ac Calvinianos) *non absolutio-*

Digitized by Google

solutio Sacerdotis, sed prædicatio tantùm, qvòd credentibus peccata remissa sint, locum habet: ibidem (3.) *Joviniani hæretici vetus dogma* fingit *à nobis interpolari*: *Omnia peccata esse paria, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliqvid prodesse jejunia, vel à cibis aliqvibus abstinentiam*, ut illud Augustinus *ad Qvodvultdeum hær. 82.* describit: p. 139. Deniq; (4.) qvod *sub finem*, velut scorpius caudâ nociturus, nobis *securitatem talem affingit, qvæ soli confidit misericordiæ divinæ, & justitiam non veretur, qvæ fide solâ nitens non facit fructûs bonos pænitentiæ in vitâ*. p. 140. At verò (I.) Lutheranum Scriptorem dari velim, qvi ita crudè, hominem nullo peccato nisi infidelitate, salute excidere posse scribat. Eqvidem sic omnes docent: infidelitatem solam *immediatè & actu* damnare; cæterùm omnia peccata damnationis esse *meritoria*, & qvatenus fidem excutiunt, damnationem inferre, eum in modum, qvo omnes morbi vi suâ mortem pariunt, actu autem & proximè, medicinæ, tanqvam organi defectus. Postqvam enim peccata omnia Christus expiavit, ut illa damnare hominem, qvi est in Christo Jesu, non possint, *Rom. IIX, 1* apparet, non nisi ob rejectum Christi meritum hominem proximè & immediatè damnari: atq; adeò incredulitatem immediatam damnationis esse causam, non ut opus est con-

An sola infidelitas damnationis causa?

trarium legi, (nam & sic Christus hoc peccatum expiavit,) sed ut instrumentum fidei contrarium, meritum Christi rejiciens, ceu præclarè deducit B. Menzerus *in defens. 2. partis Convers. Pruten. D. Crocii c. 9. p. 80. sq.* Cum qvo confer Chemnit. *Harm. Evang. c. XXIIX. sub fin.* Meisner. *Anthropol. Disp. XXVIII. §. 75. p. 409.* Gerh. *Harm. Evang. c. 179. p. 329.* & *L. de B. O. §. 34.* & *L. de inferno §. 29.* Danh. *Hodos. p. 1412. 1496.* Atq; in hôc errore, (si sic censere Masenio placet,) Salvatorem suum Lutherani ducem, Augustinum comitem habent. Sic enim Christus *Joh. III, 18.* eos loqvi docuit: *Qvi credit in eum, non condemnabitur: qvi verò non credit, jam condemnatus est.* Cur? *qvia non credit in nomen unigeniti Filii DEI. Marc. XVI, 16: Qvi crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qvi verò non crediderit, condemnabitur.* Et Augustinus *tract. 95. in Joh. T. IX. p. 474.* ad verba Christi *Joh. XVI, 9. Spiritus S. arguet mundum de peccato, qvia non credunt in me;* scribit: *Hoc peccatum* (incredulitatem) *qvasi solum sit, præ cæteris posuit qvia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur.* (2.) Alterum ἔγκλημα, falsitatis paulò antè *p. 797.* convicimus. (3.) Errorem Joviniani, prout Augustini verbis eum descripsit Masenius, ulli nostratium approbatum fuisse, nunqvam docebit Masenius,

Digitized by Google

ſenius, qvem miror tam putido mendacio imponere Lectori voluiſſe. Novit, ut digitos ſuos, nos pro diverſitate peccatorum pœnarum infernalium gradûs intendere, novit, peccatoribus poſt baptiſmum lapſis ad pœnitentiam aditum facere, in ipsâ *Aug. Conf.* De Jovinianis ciborum diſcriminibus ſuprà *p. 599.* dictum. (4.) Poſtremò & illa ſecuritatis carnalis & fidei mortuæ mendax exprobratio, plus vice ſimplici, maximè ad *Conſid.XI.punct.I. & 3.* confutata eſt, ut non ſit, cur eam iterum moremur.

EXAMEN
Considerat. XV.

De

Sacramento Evchariſtiæ, ejusq; ſalutari uſu, atq; incruento Eccleſiæ Sacrificio.

vel potiùs.

De (1.) Transſubſtantiatione, (2) Communione ſub unâ, & (3.) Sacrificio miſſatico.

PUNCT. I. p.141-144.

Verène in Euchariſtiâ Chriſtus ſublatâ aut mutatâ panis & vini ſubſtantiâ, corpore & ſangvine præſens ſit, ritè adoretur, & ſumatur ab accedentibus?

Qvatuor

Digitized by Google

QVatuor, si accuratè rem expendas, hac consideratione docere vult Masenius: (1.) Substantialem Corporis & sangvinis Christi præsentiam in S. Cœna *p. 141.* (2.) Illius præsentiæ singularem modum, seu transsubstantiationem, *p. 143.* (3.) Transsubstantiati panis seu corporis Christi adorationem, qvam *in qvæst*: ipsâ exprimit, in tractatione verò tantùm velut obiter tangit, *p. 143.* Utqve Lutheranis ægrè faciat, (4.) omnipræsentiam carnis Christi, alienissimo licèt loco, suggillat, *p. 142.*

De Primo non est, qvòd multum laboremus hoc loco, ubi Pontificia dogmata cum nostrâ Orthodoxiâ contendimus. Esse autem corpus & sangvinem Christi in S. Eucharistiâ præsentissima, & ore corporis accipi, edi ac bibi, manifestissimis Christi & Pauli verbis convicti, profitemur, ut ex Aug. Confess. ipsiusqve Lutheri eumqve secutorum Theologorum editis de hoc argumento solidissimis scriptis patet. Transeat ergò qvicqvid *primâ paginâ bujus Consid.* contra Calvinianos disputat, qvorum errore Sanctissimum Salvatoris epulum, corrumpi penitus, nec qvicqvam illi præter inania signorum putamina relinqvi, omninò censemus. Obiter tamen notandus error, qvem cum Calvinianis, qvos confutare volebat, plerisqve communem erravit, institutionem S. Cœnæ ex *Job. VI.* accersens. Cujus si

I. Substantialis præsentia corporis Christi in S. Cœnâ, qvæ à nobis non negatur,

à Masenio autem minùs rectè probatur è Joh. VI. 55. qvod

tum κατ' ἀνθρώπον si vera sit sententia, colligemus ex *ejusdem cap. v.53.* invictè, Pontificios id agere in S. Cœnâ, ut Laicos vitâ æternâ, æqvè ut alterâ specie, privent. Sic enim ibi Salvator: *Amen, amen dico vobis; nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis sangvinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Qvod agnoscens Jansenius *Concord. c.59.* *Difficile est*, scribit, *benè hunc locum explicare, ut tamen non significetur necessitas sumendi utramq; speciem.* Et sanè non difficile, sed

tum κατ' ἀλήθειαν demonstratur. impossibile est, hunc locum de Eucharistiâ explicare, qvam Dominus non Capernaumi, tertio ministerii sui anno, (ubi hanc concionem habebat) sed Hierosolymis nocte Passionis suæ præambulâ demum instituit. Nullibi panis, nullibi vini mentio. Licèt enim seipsum (totum Christum) panem appellet, qvi de cœlo venit; manifestum est tamen, non de pane naturali ac terrestri, qvem ὄχημα corporis sui esse voluit, sed de cœlesti ac antitypico, per panem cœlitus in deserto missum præfigurato (*v.32.49.50.*) eum loqvi. Loqvitur porrò de manducatione, absolutè omnibus & semper ad salutem necessariâ *v.53.* & qvam vita æterna necessariò comitatur *v.50.51.54.57.58.* At manducatio, qvæ actus Sacramentalis est, nec omnibus aut semper ad salutem necessaria est; (nam & infantes absqve eâ salvantur, & intervenire casus potest, qvo illud obtineat: *crede, & man-*

manducâsti:) & ad mortem fit (*1. Cor. XI, 29.*) interdum. Unde nostrates, non de *Sacramentali* manducatione, qvæ per Sacra Symbola fiat, sed de *spirituali*, qvæ & in usu Cœnæ apud dignos Convivas, & extra illum in auditu ac meditatione Evangelii obtinet, locutum Dominum fuisse, jamdū in Form. Conc. *Declar. art. VII. p. 743.* sunt professi. Vid. omninò Polyc. Lyserum *Harm. Evang. c. LXXXIII. p. 1481 sqq.* Feuerborn. Schrifftmäß. Erklärung der Lehre vom H. Abendmahl *p. 496. -- 669.* P. Tarnov. *Comm. in Joh. p. 585. sqq.* Danhauer. *Hodos. p. 1140-1145.* & *Mysterios. p. 394. sqq.* nec non *Lact. Catech. Tom. IX p. 151. sqq.* (ubi & Augustini Vindiciæ,) Dn. Olear. *Isag. Carpz. Contin. p. 1432. sqq.* Nos modò ad verba, qvæ Masenius ex *Joh. VI, 55.* (qvasi parallela illorum: *Comedite, hoc est, corpus meum*) ascripsit: *Caro mea verè est cibus, & sangvis meus verè est potus*: Maldonati Jesuitæ Commentarium apponemus: *Verum cibum & verum potum vocat, qvia verè animas nutrit, & vitam æternam illis præbet: sicut v. 32. vocavit se panem verum, non utiq; naturâ, nec enim verè & propriè, si naturam spectes, panis est, sed effectu, qvia verè præstat, qvod panis præstare solet, cùm ad id fiat, ut verè homines vivant; & cap. XV, 1. vocat se vi-*

tem veram, non quòd vera sit vitis, sed quòd id, quod vitis, facit, ut sarmenta sua nutriat atq; sustentet, multo ipse veriùs facit. Rectè nimirum observat, τὸ *verè* h. l. non similitudini cibi, (qvam ipse explicat Salvator, τὸ *manducare* per *credere* exponens, *v. 35. 40. 47. coll. cum. v. 50. 51.*) sed typo Mannæ & effectui inutili opponi.

II. Transsubstantiatio: de qvâ I.) Masenii sententia.

ALTERO membro TRANSSUBSTANTIATIO expendenda: de qvâ sic sententiam suam exponit Masenius: *Catholici docent, ad hac verba à Christo, Apostolis & successoribus prolata:* Hoc est corpus meum &c. *(cum DEus omnipotens facere possit, qvæ dicit) desinere substantiam panis, substituiq; corpus Christi.* Scilicet non tantùm præsens corpus Christi in S. Cœnâ esse docent, qvod verba illa: *Hoc est corpus meum* &c. evincunt; sed etiam per illorum recitationem aboleri substantiam panis, & in substantiam corporis Christi sic converti, ut nihil de pane, nisi accidentia nuda sine subjecto permaneant. *In Sacramento re ipsâ idem mysterium peragitur, qvod c. VII, 14. prædicit Esaias, qvodq; in incarnatione Verbi peractum est: per verba enim consecrationis verè & realiter uti transsubstantiatur panis, ita producitur & qvasi generatur Christus in altari: adeò poten-*
ter

ter & efficaciter,ut,si Christus nec dum esset incarnatus,per hæc verba, Hoc est corpus meum, incarnaretur, corpusq; humanum assumeret, uti graves Theologi docent. Sacerdos ergò est qvasi virgo Deipara,præsepe est altare, parvulus Emmanuel,qvem parit, est Christus sub parva hostia productus per virtutem Altissimi, & per obumbrationem Spiritus Sancti: ut habet Cornel. à Lapide in *Esai. VII. p. 120. B.* Cæterùm an per productionem corporis Christi, è materiâ panis, an per adductionem, (vid. de hoc lites Dominicanorum & Franciscanorum in P. Svavis *Hist. L. IV. p. 295.*) item qvo instanti fiat illa conversio, & de aliis hujusmodi mirè æstuant, ceu apud Gerhardum *Confess. Cath. Tom. III. art. 14. c. 2. p. 992 sqq.* & *L. de SS. Cœnâ §. 129.* videre est. Nos verò constanter & unanimi consensu dogma hoc, tum qvia ἄγραφον, tum qvia ἀντίγραφον, & analogiæ fidei repugnans, tum qvòd absurditatibus innumeris implicari necesse sit ejus defensores, tum qvòd novum etiam & Concilio demùm Lateranensi A. 1215. Ecclesiæ obtrusum, meritò repudiamus. *Primùm* enim nulla hujusmodi transsubstantiationis sive conversionis mentio vel in verbis Institutionis, vel alibi in Scripturis, ubi de S. Cœnâ agitur. Ac contrà potiùs hoc docetur manifestè,

II) Sententiæ confutatio

ex 1

(1) Scripturâ, verbis

festè, verè panem & vinum dispensari in S. Cœnâ, tanqvam vehicula corporis & sangvinis Dominici. Docent hoc ipsa Salvatoris verba, qvi *accipiens panem*, *dedit eum discipulis suis*, *dicens*: *Accipite*, *comedite*: *Hoc est corpus meum*: Qvorum alius sensus esse non potest, qvàm iste: *Hoc*, qvod cum in & sub pane, qvem accepi, cui benedixi, vobis porrigo, *est corpus meum*, *qvod pro vobis datur*. Ad *panem* (ἄρτον) enim referri *hoc* (τοῦτο) nec Grammatica permittit, nec ipsa Jesuitarum Theologia. Aut enim panem transsubstantiandum aut transsubstantiatum intelligerent. Sed ille nondum est corpus Christi. Et hic planè nihil est. Evanuit enim succedente corpore Christi. Conf. Danhau. *Hodos. p. 1192*. Docent Apostoli verba, qvi post consecrationem *panem hunc*, qvi distribuitur, panem manere indicat *I. Cor. XI. 26. 27. 28*. *Qvotiescunq; manducabitis panem* (non id, qvod ex panefactum, qvod panis videtur esse, qvod panis effectûs habet, qvod per Ebraismum, qvo omnis cibus ita dicitur, panis nomine venit, ut Bellarm. *L. 3. de Euchar. c. 23*. & alii excipiunt, sed: *Panem*) *Hunc*, qvi scil. consecratus fuit &c. *Qvi cunq; manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè*, *reus erit corporis & sangvinis Domini &c.* Vid. Gerh. *L. de S. Cœnâ* §. *123. sqq*. Docet Commentarius Apostolicus: *Panis*, *qvem fran-*

(α) *Christi instituentis*.

(β) *Apostoli explicantis*.

frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? I.Cor.X,16. Panem vocat, non accidentia panis, qvæ frangi non possunt: Eumqve κοινωνίαν seu communicationem corporis Christi appellat: qvo ipso μετουσίαν seu substantialem conversionem excludit. Ubi enim locum habet rei unius in alteram conversio, ibi altera non potest dici alterius κοινωνία. Qvis aqvam in nuptiis Canæ (qvo simili mox utetur Masenius noster) in vinum conversam, κοινωνίαν vini diceret? Gerh. §.*126*. Porrò repugnat hoc dogma analogiæ fidei; qvæ ad omne Sacramentum reqvirit elementum externum, qvod per Verbum benedictionis accedens non corrumpi aut aboleri debet (esset hoc contra naturam benedictionis divinæ, v. Gerh. §. 128) sed perfici & ad usum Sacramentalem evehi: ceu exemplo aqvæ in baptismo patet. Præterea & illud corpus dari in S. Cœnâ, qvod pro nobis in mortem traditum, & illum sangvinem, qvi pro peccatis nostris in arâ crucis effusus est, Salvator ipse ait. Illud verò corpus ex Mariâ virgine assumtum, non ex materiâ panis formatum est. Jam qvis numerum ineat absurditatum, qvibus seipsos implicāt transsubstātiationis defensores? Absurdum, accidentia existere sine subjecto, qvorum esse est inesse, adeò, ut si non subsistant in alio, non accidentia sint, sed substantiæ, ut sana philosophia docet. Vid.

(2) Fidei analogiâ,

(3) Absurditate, qvam variam post se hoc dogma trahit, ut a) Accidentia

extra subjectum, Vid. Arist. *categ. c. 2.* Stahl. *qvæst. Log. 23. p. 152. sqq.* Höpffner. *Comm. in c. 2. Categ. p. 160.* & *Isag. ad usum S. Cœnæ tract. 1. p. 35.* Gerh. *L. de Cœnâ §. 128.* *β) qvantitatem sine materiâ,* Absurdum, qvantitatem sine materiâ, h. e. modum sine re dari. Arist. *L. I. de gener. & Corr. t. 32.* Hurt. Mendoz. *Disp. XIII. Metaphys. s. 2.* *γ) sensū positis omnibus reqvisitis errãtem,* Absurdum, sensum justo organo instructum, ductumqve à rectæ rationis lumine, in medio apto, ac intervallo debito constitutum circa sensile proprium aberrare. Arist. *L. II. de animâ c. 6. t. 63. Lib. γ. Metaph. c. 5. t. 42.* Danh. *Colleg. Psychol. Disp. II. controv. 4 p. 72 sqq.* Nec est, qvòd qvis obverrat, perperàm ad tantum mysterium sensûs judicium advocari, qvod si audias, ne præsentia qvidem corporis Christi fuerit admittenda. Hæc enim qvæstio: *Utrum in S. Cœnâ sit nudus panis, an cum pane simul præsens sit & exhibeatur corpus Christi?* ab hac: *An panis in Eucharistiâ maneat panis?* longissimè distat. Illa merè divinæ revelationis est, adeqve non nisi ex Scripturâ dijudicanda. Hæc secus habet, & ex sensuum judicio pariter ac Scripturâ rectè deciditur, ceu accuratè Höpffnerus *Isag. ad Usum S. Cœnæ tract. 1. p. 32. sqq.* docet, & adductis Tertulliani atqve Augustini testimoniis confirmat. *δ) accidentium virtutem nutritivam &c.* Absurdum & hoc, accidentia panis & vini habere vim nutriendi, & inebriandi, qvam speciebus Sacramentalibus permittit Bellarm. *L. III. de Euchar. c. 23.* V. Dan-

Digitized by Google

Danhau. *Mysterios. p. 609.* Gerh. §. *127.* Absurdum, imò impium, corpus Christi à muribus devorari, (in qvo casu qvid statuendum, & cum mure, si ejus copia fiat, agendum, mirè digladiantur, plurimi tamen affirmant: *Si canis vel porcus deglutiat hostiam consecratam, corpus Domini trajici in ventrem vel canis vel porci.* Vid. Wilhelmi Holderi peculiaris hâc de re tractatus, sub titulo: *mus exenteratus*, & Gerh. *Conf. Cath. t.* 3. *p.* 908. *sqq.*) comburi, (sic enim in Veteri Ecclesiâ, Symbola Sacramentalia nisi à pueris absumerentur aboleri consvevisse ex Hesychio constat) à vermibus arrodi, evomi, (*cap.28. dist.2. de Consecr.*) vel per secessum ejici, imò veneno etiam mortifero infici posse, (qvomodo Henricum VII. Imp. hostiâ veneno illitâ neci datum à Sacrificulo, Platina docet *in Vitâ Clementis V. p. 238.*) præterea & laniari, cruentari, conculcari pedibus, (v. Strada *L. V. Hist. Belli Belg. p. 216.*) contabescere, & in cineres redigi, & alia hujusmodi, qvæ cogitare mens pia horret, ita cum transsubstantiationis dogmate connexa tamen omnia, ut ipsi non inveniant illius defensores, qvid dicant, ceu apud Gerhardum *l.c.* legere licet. Qvò accedunt miracula, à Bzoviis, Thyræis, Delriis, Drexeliis, Bresseris impiè & cum manifestâ in sanctissimum corpus & sangvinem Christi injuriâ conficta, qvorum elenchum apud Danh. *Myste-*

a) corpus Christi muribus vorandum,

combustile,

injuriarum, annihilationis capax.

(4) *Novitate.* *Mysterios.p.610.sqq.* lege. Novitatem fatebitur, qvi perpendet, à Lombardo primùm A.C. 1170. ex malè intellectis Patrum qvorundam phrasibus, de qvibus mox dicem9, qvæstionem hanc de Conversione substantiæ panis in corpus, & substantiæ vini in sangvinem Christi motam fuisse *L. IV. Sent. d. 10. 11. 12.* de qva ultrò citroqve postea disputarunt Scholastici, è qvibus nonnulli candidè professi sunt, conversionem illam multis ac magnis urgeri absurditatibus, nonnulli & ea scripserunt, qvæ cum Transsubstantiatione conciliare frustrà annitaris. Lege hæc congerentem Gerh. *Conf. Cath. L. II. P. II. p. 975-982.* Primus credendi illius dogmatis necessitatem Innocentius III. in Concilio Lateranensi, A. 1215. Ecclesiæ imposuit, ut Scotus etiam (citante Bellarmino *L. III. de Eucharistiâ c. 23. § Unum tamen*) testetur, *dogma transsubstantiationis ante illud Concilium non fuisse dogma fidei, & ex Scripturis probari non posse.* Atq; in hac sententiâ multi ac præcipui Ecclesiæ Pontificiæ Scriptores conveniunt, nec ex Scripturis probari transsubstantiationem posse, & Ecclesiæ Veteris suffragio destitui. Eorum testimonia apud Gerh. *l. c. p. 982. sqq.* & Dorsch. *P. II. Vindic. Exodi p. 65. sqq.* lege, Confer de origine & progressu hujus erroris post Chemnit. *Exam. p. 271.* Dreier. *Disp. XXXIII. contra Pon-*

Pontiff.p.1037 sqq. Kromaier. *Dec. I. de Apostasia Rom.Eccl p.284.sqq.*

Ascribamus autem *rationes*, qvibo Masenius errorem persvadere Lectori annititur, conceptis ipsius verbis: *Ita Catholici docent qvòd aliter propriè hæc propositio* (hoc est corpus meum &c.) *vera esse neqveat: non secus, ac si in Cana Galilææ dixisset, aquâ in manus sumptâ: hoc est vinum; vel etiam: accipite & bibite, hoc est vinum: ubi sanè intelligeretur, aqvam desinere, & vinum substitui. Ita vetus Ecclesia hæc intelligenda esse accepit. Unde Cyprianus ait,* De Cœnâ Domini, *Panis iste, qvem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, Omnipotentiâ verbi factus est caro. Et Cyrillus,* Catech. 4. Mystag *sub specie, ait, panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sangvis, ut sumpto corpore & sangvine Christi efficiaris ei comparticeps. Et D. Ambrosius* Lib 4 de Sacr. c.4. *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Si tanta vis in sermone Domini, ut inciperent esse, qvæ non erant, qvantò magis operatorius est, ut sint, qvæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, Mare non erat; terra non erat, sed audi dicentem: ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Luculentè monstrat Masenius geminum fontem erroris, qvem *partim* è malè institutâ analysi propositionum Sacramentalium, par-

III. Confutationis vindiciæ,

(1) veram analysin propositionum

Sacramentaliũ, *partim* è male intellectâ phraseologiâ Patrum deduxit. Urget enim (1.) verba Christi testamentaria, (2.) illorum apud Patres

tum interpretationem. (1.) *Verba Christi* propriè vera esse non posse censet, nisi de transsubstantiato pane exponantur. Nos verò hîc ante omnia separandas propositiones *Biblicas* ab *Ecclesiasticis* censemus. *Panis est corpus: Vinum est sangvis Christi*, Scripto-

Ecclesiasticarum, rum Ecclesiasticorum fuit enunciatio; qvam illi cum personalibus istis: *DEUS est homo, homo est DEUS*, comparantes satis ostenderunt, non pro tropicis qvidem, neqve tamen pro propriis usitatis habuisse, (neutræ enim ad ullum prædicandi modum Logicum satis qvadrant,) sed pro inusitatis, qvibus disparatum de disparato ob unionem planè inusitatam & mysticam efferatur. Atqve hæ sic exponendæ sunt, ut Paulo non contradicant, cujus ista est propositio: *Panis est communicatio corporis Christi*, I. Cor. X, 16. Scilicet nec ὀυσιωδῶς, nec συμαντικῶς tantùm, sed μυςικῶς & in usu Sacramentali panis dicitur esse corpus Christi, qvatenus pani corpus Christi ex institutione Sapientissimi Testatoris Sacramentaliter est unitum. Hunc ergò inusitatum modum essendi, cui similis in rerum naturâ non occurrit, seqvitur modus prædicandi. Vid. Gerh. §. 94. 137. Carpz. *Isag. p. 861.*

Sed

Digitized by Google

Sed qvia de his Scriptorum Ecclesiastico-rum propositionibus, qvas ex Scripturis explicari par est, sermo non fuit Masenio, illas mittamus. Biblicæ autem sunt, & ex ore Salvatoris nostri profluxerunt istæ: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus.* Has propriè veras esse non posse censet Masenius, nisi transsubstantiatio admittatur. Mirum autem, adeò non vidisse tot oculatissimos Scholasticorum, tam clarè in his Christi verbis transsubstantiationem contineri, ut etiam in partes abirent, qvid per ly *Hoc* esset intelligendum: ceu videre apud Thomam licet *P III. q. 78. a. 5.* varias sententias enumerantem, & concludentem deniqve: *qvòd significet contentum in generali sub istis speciebus sive substantiam in communi sine formâ determinatâ.* Cujus sententiæ accedit & Bellarminus *L. I. de Euchar. c. 11. §. nota secundò.* Pontificiorum sententias discrepantes dari confessus de sensu subjecti harum propositionum: qvem ipse demum hunc facit: *Illud* Hoc *non demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub his speciebus.* (Aliorum sententias vide apud Gerh. *Conf. Cath. III, 1009-1016.*) Si ergo contentum notat, qvâ conseqventiæ necessitate ex verbis illis colliges: Panem in corpus Christi esse mutatum. Nonne eadem facilitate Lutheranus concludere poterit, contentum sub substantiâ panis esse corpus Christi, qvâ

tum Biblicarum, è qvibus transsubstantiationem Masenius

tum petitione principii,

Pontificius: contentum sub accidentibus panis esse SS. corpus. Atq; illum qvidem sensum verborum Christi necessariò statuendum esse, argumenta ex ipsâ institutione S. Cœnæ anteà nobis depromta monstrant; hunc verò Pontificius ut astruat, ad Ecclesiæ suæ interpretationem confugiat, necesse est. Verba ergò Testamenti Christi in speciem allegat, reverà autem Lectori illudit petitione principii, dum illa ex præsuppositâ transsubstantiatione explicat, qvam nisi jam dum credas, nunqvam in verbis Christi reperies. Testis Bellarminus, qvi postqvam idem hoc argumentum *L. III. de Euchar. c. 19.* diu multumq; ursit, demum concludit: *Licèt in verbis Domini aliqva esset obscuritas vel ambiguitas, eam tamen sublatam esse per multa Concilia, & Patrum consensum.* Duplici qvidem nomine in tabulas testamẽti Dominici injurius, qvando illas in tã arduo fidei articulo obscuras facit, & Cõciliorum Patrumq; judicio, ut normæ, subjicit; interim tacitè confessus, transsubstantiationem liqvidò in iis non contineri, qvod expresfiùs etiam *c. 23.* facit, sic scribens: *Non est improbabile, non extare locum in Scripturâ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat transsubstantiationem admittere.* En Bileamum & Caipham vaticinantem!

Audi

Digitized by Google

Audi tamen, bone Lector, qvomodo Masenius explicationem verborum Christi testamentariorũ sive probet s. illustret. *Aliter propriè hæc propositio vera esse neqvit: non secus, ac si in Canâ Galilææ dixisset, aqvâ in manus sumptâ,* Hoc est vinum. *Vel etiam:* Accipite, & bibite, hæc aqva est vinum: *ubi sanè intelligeretur, aqvam desinere, & vinum substitui.* Lepidè hoc argumentum noster Hülsemannus *Disp. VIII. contra Hager. q. 2. §. 3. p. 302. aqveum & dilutum* appellabat. Proferret locum, ubi Christus aqvam in vinum jamdum versam aqvam simpliciter appellaret; nec sua nobis figmenta, (qvid dicere fortè potuisset Christus.) obtruderet. Tam sapiens is est, ut à Maseniô profectò qvomodo loqvi vel potuisset, vel debuisset, discere necesse non habeat. De aqvâ illâ conversio in vinum disertè affirmatur; *Gustavit architriclinus aqvam vinum factam, Joh. II, 9.* tale qvid nobis de S. Cœnâ demonstret Masenius, & manûs victas dabimus.

tum dissimili similitudine probat:

Interim, si hujusmodi exemplis verum declarare sensum propositionum Sacramentalium velimus, commodiora longè tum ex Scripturis, tum ex communi loqvendi usu depromemus. Scilicet ut Jacobus Patriarcha visâ externâ specie, qvam angeli apparentes sumserant, dicere poterat: מַחֲנֵה אֱלֹהִים זֶה *hæc sunt castra DEI,*

contra qvem vera ratio propositionum complexarum exemplis è Scripturâ,

Gen.XXXII,2. nec tamen ſubſtantialiter angeli converſi erant in has formas: Ut Pharaonis filia cernens in littore arculam Moſen complexam, verè dicebat: מִיַּלְדֵי הָעִבְרִים זֶה *hic eſt infans Ebræus, Exod. II,6.* nec tamen arca in infantem erat verſa: ut Petrus rectè dicebat Chriſto, Filio hominis: *Tu es Filius DEI viventis, Matth.XVI,17.* ſine converſione Filii hominis in Filium DEI: porrò (ſi fingere exemplo Maſenii, propoſitiones libeat) ut rectè dixiſſet Johannes columbam videns *Luc.III,22.* & Petrus ignem pentecoſtalem *Act.II,33: Hoc eſt Spiritus S.* nec tamen columbæ vel ignis ſpecies ideò in Spiritum S. eſſet verſa: ut rectè Abrahamus, Joſua, Gedeon, Manoah de Filio DEI apparente in viri ſpecie dixiſſent: *Hoc* (quod video) *eſt angelus Domini increatus ſeu Filius DEI*, citra mutationem ſubſtantialem Viri in Filium DEI: ut rectè dico, oſtenſo cantharo: *Hoc eſt vinum*; oſtenſo ſacco: *hoc eſt avena*: neq; iccircò cantharum in vinum, ſaccum in avenam converſum volo: ita Chriſtus dicens: *Hoc eſt corpus meum*, cùm panem præberet, tantum abeſt, ut panem in corpus ſubſtantialiter converſum dixerit, ut potiùs in pane, cum pane, ſub pane mirabiliter præſens corpus ſuum eſſe ſignificarit: perinde ut in illâ exercitûs ſpecie angeli, in arculâ infans Ebræus, cum Filio

& communi uſu depromtis explicatur,

& applicatur.

lio hominis (personaliter unitus) Filius DEI, in & sub Symbolo columbæ & ignis Spiritûs S. in formâ viri Angelus, in canthаro vinum, in sacco avena præsens exhibetur. Qvæ tamen similia, (ne rectè dicta qvis cavilletur,) non ad specialem unionis designatæ (qvæ vel personalis, vel accidentalis vel Sacramentalis est) sed ad generalem prædicationis modum pertinere volumus: qvi in hoc consistit, qvòd de subjecto demonstrativo duas res disparatas unione qvadam convenientes complexo, in prædicato, rerum illarum unitarum altera eaq; principalis & minùs obvia sensui explicatur: qvæ propositiones, *exhibitivæ*, item *complexæ*, à nonnullis & *Synecdochicæ*, (à Synecdoche non rhetoricâ, tropus enim in verbis Cœnæ non est, sed grammaticâ,) appellantur: de qvarum indole & verâ analysi per particulas: *in cum*, & *sub* lege Höpffnerum *Comment. in artem Veterem, p. 556. sqq.* & B. Meisnerum *P. I. Philos. Sobr. S. 1. c. 5. q. 13. p. 320. sqq.* Conf. Gerh. *de Cœnâ* §. 93. 135. 136. Patet autem hinc, non necessariò vi verborum Christi transsubstantiationem admittendam esse. Illa enim sensu complexo explicari *posse*, hæc qvæ de propositionibus exhibitivis breviter diximus, ostendunt; ita exponi *oportere*, verba Evangelistarum & Pauli, qvæ & panis mentionem faciunt, & illum superesse post consecrationem palam testantur,

ſtantur, alia item argumenta antea prolata evincunt.

2.) *Rectâ explicationem phraſeologiæ Patrum;*

Satis de uno argumento è verbis Chriſti diſpoſitivis petito. Alterum, *Patrum Eccleſiæ* teſtimonia complectitur. E qvibus *Cyprianum*, *Cyrillum*, *Ambroſium*, ab Auguſtino ſuo penitus deſertus Maſenius in ſubſidium vocavit. Sed ita, ut ſubſidium non niſi in ſpuriis, vel certè dubiis ſcriptis inveniret. Verba antè aſcripſimus. Hîc eò facilior res eſt, qvò prolixiùs in Patrum ſententiâ vindicandâ non noſtrates modò laborarunt, ſed Reformati

de qvâ

qvoqve, qvi hac parte rectiùs, qvàm de analyſi verborum Chriſti docent. E qvibus Phil. Mornæum *de Euchar. L. IV. à c. 4. usq; ad finem operis*, & Edmundum Albertinum *Lib. II. & III.* adeoq; maximâ parte Operis *de Euchariſtiâ*, Thomam item Mortonum, Michaëlem le Faulcheur, Davidem Blondellum, qvi & ipſi peculiaribus ſcriptis hoc egerunt, alioſq; laudare par eſt: niſi qvòd cum transſubſtantiatione ipſam etiam Corporis Sanctisſimi ſubſtantialem præſentiam impugnarunt. Ingens autem præjudicium de Patrum conſenſu creant ex Pontificiis illi, qvos anteà monebamus novitatem hujus dogmatis agnoviſſe. Sed de hoc Papiſtæ ipſi viderint. Nos *in genere* illud obſervamus, à nemine illorum, qvos Maſenius adduxit,

(α) in genere, not. eos non de

adduxit, *transsubstantiationis* mentionem fieri, sed tantùm *mutationis*; qvæ ut latius & angustius differunt, licèt enim omnis transsubstantiatio sit mutatio, non tamen omnis mutatio in substantiâ fit. Scilicet Patres elementa non ratione essentiæ *absolutæ*, sed *relatæ*, & qvatenus Symbola sacra sunt rerum cœlestium μεταδοτικὰ, spectarunt, cum illa mutari in usu S. Cœnæ scripserunt: vel, qvod eodem recidit, mutationem non *substantiæ*, sed *usûs* intellexerunt, qvod tum aliæ ipsorum phrases evincunt, (ut qvando Justinus *apol.2.* Cyrill. *in Joh.10.* Augustinus *Serm. de neophytis* & alii dicunt: *Cum pane & sub pane corpus Christi participari*:) tum comparatio ipsis freqventissima propositionum Sacramentalium cum personalibus. Sicut enim verbum caro factum est non per conversionem Deitatis in humanitatem, sed per unionem: Ita qvoqve Patribus panis Eucharisticus dicitur fieri corpus Christi, non per conversionem substantiæ panis, sed per unionem sacramentalem. Vid. Chemnit. *Exam. C. T. p. 275 sqq.* Gerh. *L. de Cœnâ §.138.139.* & *Conf. Cath. l. c. p.1017.* Hôpffner. *Isag. tract. theor. p.26.29. sq.* & *Analysi qvæstionis: Ubi vera Ecclesia ante Lutherum, th. XXI. §.8. p.493. Dispp. Miscell.*

mutatione substantiæ, sed usûs loqvi.

Videamus nunc loca allegata *in specie*. (1.) *Cypriani* sermonem de Cœnâ Domini non esse, post Pamelium, & Sixtum Senen-

(β) In specie, resp. ad locum 1) Cypriani, qvi

a) *Suppositium*, sem *L.IV Biblioth. sub fin.* agnoscit Bellarminus tum *de Scriptor. Eccles.* tum *L. II. de Euchar.c.9.§.extat.* & *L.IV.de Euch.c.26.§.tertius locus*, ad objectum istum tractatum respondens: *Auctor sermonis non Cyprianus est, sed aliqvis posterior.* Argumenta, qvæ librum illum Cypriano abjudicant, ex professo collegit Albertinus *L.II.de Euchar.c.3 de Cypriano,p.380.* Sed, qvisqvis est autor, nihil pro transsubstantiatione dixit. Qvòd enim per *naturam*, non substantiam panis, sed proprietatem & usum vulgarem intellexerit, tum qvæ præcedunt apud ipsum, tum, qvæ seqvuntur, verba docent. Præcedunt (*p.449.edit.Erasm.*) ista: *Ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex qvo à Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea &c. panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemqve proficit.* Panem, ait, benedici, consecrari, & à virtute communi nutriendi corpus per verba Domini elevari, ut hominis saluti prosit, non verò transsubstantiari. Verbis verò à Masenio ascriptis statim addit *p.450*: *Sicut in personâ Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita Sacramento*

b) *non substantiam, sed usum vulgarem voce naturæ exprimit.*

cramento visibili (panis & vini) *ineffabiliter se divina infudit essentia.* Num autem præsentia divinitatis Christi inconspicuæ humanitatem absumpsit? Valeat ergò hîc observatio Jesuitarum Conimbricensium de *Naturæ* vocabulo *L.I.phys.c.1 q.1.a.1.p.257. D: Si propriè loqvamur, hoc est discrimen inter essentiam, qvidditatem & naturam: qvòd essentia importat ordinem ad esse rei, cujus est; qvidditas ad definitionem, qvâ qvid res sit, explicatur: natura ad operationem.* Atqve sic naturæ vocabulum Chrysostomo etiam, & Salviano usurpari, qvin imò Bellarmino ipsi & Gregorio de Valentiâ, Gerh. notat *C.C.1018.*

(2.) In *Cyrilli Hierosolymitani*, (si tamen Cyrilli. Lege Rivet. *Crit. Sacr. L. III. c. 8. & 10. T. II. Opp. p. 1107. 1109.* Dorsch. *VIII.* Religions-Scrup. *p. 144. edit. 2.* Hülsem. Gewissens-Wurm *p. 960-978.* Cocum *Censuræ p 238.*) textu *per Speciei* vocem non excluditur substantia panis & vini, sed ipsa potiùs illa, prout incurrit in sensûs, denotatur: qvo sensu speciei appellatio & in Scripturis, & Scriptoribus Ecclesiasticis, & ipsâ Aug. Confess. *art. X.* eâ tempestate scripto, qvâ pluribus jamdum libris Lutherus transsubstantiationē confutaverat, occurrit. Descendebat Spir. S. *ἐν εἴδει σωματικῷ in specie corporali columbæ, Luc. III, 22.* qvam veram

2) Cyrilli Hierosol. qvi a) dubiæ autoritatis, b) Speciei vocabulo substantiā in sensûs incurrentem designat.

ram columbam fuiſſe Tertullianus *c. 3. de carne Chriſti*, Auguſtinus *lib. de agone Chriſtiano, c. 22.* & ipſe Thomas *P. III. q. 39. a. 7.* agnoſcunt. *Neq; hoc ita dicimus*, (ſcribit Auguſtinus *T. III. p. 771.*) *ut Dominum Jeſum Chriſtum dicamus ſolum verum corpus habuiſſe: Spiritum S. autem fallaciter apparuiſſe oculis hominum, ſed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret Filius DEI, ſic non decebat, ut falleret homines Spiritus S.: ſed omnipotenti DEO, qui univerſam naturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare.* Unde & Salmero *T. IV. tract. 7. p. 71: Præſtat, aſſerere cum Sanctis Patribus, illam veram fuiſſe columbam.* Sic Paulus, dum Jeſum *in formâ DEI fuiſſe Phil. II, 7.* ſcribit, non negat verè & ſubſtantiâ DEUM fuiſſe. Unde rectè Theodoretus *dial. 2.* de ſignis myſticis ſcribit, qvòd poſt ſanctificationem *ἐκ οἰκείας ἐξίςαται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ προτέρας ὐσίας, καὶ τῦ σχήματος καὶ τῦ εἴδυς. non recedunt à ſua natura ſed manent in priori ſuâ Subſtantiâ, formâ & ſpecie.* Ambroſius *de iis, qvi initiantur myſteriis, c. 9. Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium*

ium alia species nominatur, (hic substantiam includi speciei voce, nec ipsi Pontificii negaverint) *post consecrationem corpus significatur*. Vide Theoll. Saxon. Haupt-Vertheidigung des Augapffels *c. XIX. p. 359-370.* Höpffner. *Isag. tract. theor. p. 3. sqq.* Carpz. *Isag. p. 343-581.*

(3) *Ambrosii* vel Ambrosiastri, (Ambrosii enim libros *de Sacramentis* esse, eruditi non immeritò dubitant. Rationes dubitandi vide apud Dorsch. *Myst. Missæ c. IX. §. 47. p. 315.* Albertin. *de Euchar. p. 507. sq.* Rivet. *Crit. S. L. III. c. 18. T. II. p. 1114.*) verba non ad confirmationem, sed ad confutationem transsubstantiationis pertinent. Dicit autor, *panem istum fieri de pane carnem Christi*, non ut substantia panis intereat, sed ut in Sacramentum corporis Christi transeat. Sic enim seipsum explicat: (*T. IV. Opp. p. 366. D. edit. Paris. 1614.*) *Tu fortè dicis: meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est* (usitatus) *ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus. Qvomodo potest, qvi panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Ecce, & panem esse, & corpus Christi, dicit, ac Sacramentalem adeò unionem nobiscum comprobat. Et mox in Verbis à Masenio contra semetipsum recitatis: *Vides igitur, qvàm operatorius sit sermo Christi. Si ergò tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent*

3) Ambrosii: qvi itidem a) incerta autoritatis, b) & trãssubstantiationem potiùs impugnat, qvam propugnat.

rent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut (NB) *sint, quæ erant, & in aliud commutentur?* Commutationem sic statuit, ut tamen panis & vinum ratione substantiæ maneant, & *sint, quæ erant*. Benè Alfonsus de Castro *L. IV. adversus hæreses, verbo Christus, hær. 2: Apollinaris, ex verbis Iohannis, Verbum caro factum est, evincere voluit, Verbi substantiam conversam fuisse in carnem. At non opus est, ut, quoties aliquid fit, qualicunque, ut ita dicam, factionis aut facturæ modo, unum convertatur in aliud, potissimùm quando illud fit non simpliciter & absolutè, sed aliquale tunc fit, quale priùs non erat.*

III. *Satramēti adoratio,*

Seqvitur membrum TERTIUM de ADORATIONE, ad qvam illa pertinent, qvæ *pag. 143.* scribit: *Concludat paucis Augustinus: Ipsam, inqvit, carnem manducandam nobis ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit*: in Ps. XCVIII. Addit Masenius: *Nemo adorat, nisi certâ fide teneat ibidem præsentem, utique ante sumptionem.* Ac demum ex Augustino ista subnectit è *tract. 27. in Joh. Qvid est, caro non prodest qvicqvam? Non prodest, ut ipsi intellexerunt, qvomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur; non qvomodo spiritu vegetatur; Spiritus enim est, qui vivificat.*

Digitized by Google

at. Postrema hæc verba, impiæ Sacramentariorum objectioni qvæ è verbis Christi pessimè detortis *Joh. VI, 63.* contra substantialem corporis Ejus præsentiam petitur, respondent, nobis non adversantur; qvi & ipsi ita sentimus, non tàm de carne suâ *in se spectatâ* negare Dominum, qvòd prosit, (vivificam enim eam præcedentibus verbis fecit, *vers. 53. sqq.*) qvàm de carne suâ *carnaliter vel cogitatâ, vel usurpatâ*, sive de carnali sensu & judicio hominum, atqve adeò de eâ carne, qvæ spiritui vivificanti opponitur, & vehementer regnabat in Capernaitis, ut apud Lutherum libro vom Sacrament wieder die Himlischen Propheten / & illo, qvem inscripsit: daß die Wort Christi fest stehen / item im Bekändtnüß vom Abendmahl / ut & im Disputat. vom Sacrament zu Marpurg gehalten. *T. III Altenb. p. 89. 90. 702. 713. sqq. 720. sqq. 843. sqq. T. IV. p. 562.* Pol. Lyserum *Harm. Evang. b. l.* Höpffner. *Isag. tract. theor. p. 235. sqq.* Gerh. *L. de Cœnâ. §. 109.* aliosqve passim videre est. In verbis verò prioribus adorationem Eucharistiæ, & Corporis Christi etiam extra usum præsentiam persvadere Lectori voluit. Qvi si adorationem carnis Christi, qvalem Augustinus, poscat, neminem nostratium tàm inveniet Salvatoris sui irreverentem, qvi negare hunc honorem Ipsi velit. Novimus, divinæ adorationis cultum huic carni vi unionis

(1.) in usu S. Cœnæ, refutata a) κατ' ἄνθρωπον.

nis hypostaticæ in ipsâ incarnatione communicatam cum omni plenitudine Deitatis, *Col.* II, *9.* atq; per exaltationem plenum hujus majestatis exercitium ei etiam obtigisse, *Joh. V, 22. Dan. VII, 13. 14. Phil. II, 9. 10. Ebr, I, 6, Ap V, 12.* Atqve utinam hanc adorationem carni Christi debitam seriò crederent Pontificii, nec cultum divinum, qvem λατρείαν vocant, ipsi detraherent. Nunc præposteri homines, qvi Christo-homini nonnisi divino inferiorem cultum tribuunt, qvem ὑπερδουλείαν appellant, (qvod & suprà *p. 684.* obiter notavimus, refutare autem prolixè hujus loci non est,) iidem panem & vinum, qvæ in usu S. Cœnæ corpus qvidem & sangvinem Christi exhibent, neutiqvam tamen unum cum Filio DEI ὑφιστάμενον constituunt, & extra usum à Christo præceptum ne hoc officium qvidem sustinent, latriæ cultu venerantur. Suomet judicio idololatriæ rei. Omnis enim latria objecti solâ hyperduliâ digni, est formalis idololatria. Talis verò latria est corporis Christi ipsorum Pontificiorum sententiâ. Viderint ergò, qvomodo se idololatriæ culpâ liberent, qvando in Trident. Concil. *Sess. XII. cap. 5. de. Eucharist.* sic scribunt: *Nullus dubitandi locus relinqvitur, qvin omnes Christi fideles latriæ cultum, qvi vero DEO debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant.* Ubi hoc vel

Digitized by Google

vel Christus jussit, vel Augustinus approbavit? Enimverò aliud est Christum ejusqve carnem & sangvinem in *actione* Sacramentali adorare; aliud Christum in *objecto* Sacramentali vel Symbolo, aut Symbolum etiam ipsum adorare. Prius omninò fieri par est, atqve ab Augustino pariter ac nostratibus, (è qvibus vide Höpffner. *Isag. tract. pract. p.236. sqq.* prolixè) docetur. Posterius verò ut fiat, non sufficit, ostendere, Christum in Symbolo præsentem esse; alioqvin & præsepe Christi à pastoribus, & gremium matris à Magis adorari oportuisset, imò fideles qvosvis, in qvibus habitat Christus, *Eph. III, 17.* mundumqve adeò universum, cœlum & terram, qvæ præsentiâ suâ replet DEUS, *Jer. XXIII. 24.* adorari oporteret. Valet enim hic Bellarmini contra Arianos conseqventia *L. I. de Christo c. 8. §. respondent: Qvòd in Christo DEUS habitat, non sufficit, ut ille possit adorari, alioqvin totus mundus posset adorari & præcipue Sancti Angeli & homines, in qvibus singulariter DEUS habitat.* Qvare ad adorationem ampliùs qvid reqviritur. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies, Matth IV, 10.* Rectè ergò adoratur humana in Christo natura, qvia homo Christus idem ille unus cum Patre & Spiritu S. DEUS est. Malè & idololatricè adoratur consecratus panis, licèt enim illi in usu præsens sit corpus Christi, DEUS tamen

β) κατ' ἀλήθειαν.

men ob Sacramentalem illam unionem dici neqvit. Jam de adoratione Sacramenti, (qvâ voce Symbola consecrata Papistæ intelligunt,) unicè qværitur: non de Christi ipsius ejusqve corporis & sangvinis adoratione; qvam nos alioqvi contra Pontificios defendimus, qvi non aliter, humanitatem Christi capacem divini cultûs, qvàm Regis purpuram honoris, qvi Regi exhibetur, credunt, ut Bellarminus rem explicat *L. III. de Christo c. 15.* Confer accuratum hujus ἀρτολατρείας elenchum apud Gerh. *L. de Cœnâ c 19. toto*, & Danh. *T. I. Hodom. Pap. p. 1188 1207. mysterios. p. 676. sqq.*

(2) Extra usum S. Cœnæ. Qvòd si ne in usu qvidem Sacræ Cœnæ, sacra Symbola adoranda sunt, qvando ex Christi institutione administrata præsens ipsius Corpus & Sangvinem sistunt: qvantò minùs hoc fieri convenit extra usum, cessante unione Sacramentali, qvam Christus ipse ad actionem ab se præscriptam alligavit? Facere is jussit nos, qvæ ipse in S. Cœnæ institutione fecit. Qvid faciebat autem? An reponendum in ciborio panem benedictum, ac solenni pompâ circumgestandum adorandumqve monuit? Imò verò benedixit, ac distribuens dixit: *accipite, manducate, hoc est corpus meum. Hoc facite.* In actione ergò continuâ constituit usum Sacramenti omnem, extra qvem nec Sacramentum qvidem est perinde ut aqva baptismalis extra actum à Christo

præscri-

præscriptum nihil nisi mera aqva est. Qvam ob causam & Paulus notanter, *panem, qvem frangimus. communicationem corporis Christi* esse ait *I. Cor. X, 10.* Lege, qvæ contra repositionem & circumgestationem eruditè Gerhardus noster disputavit *L. de Cœnâ cap. 17. & 18.* & *L. II. Conf. Cath. P. II. art. 14. cap. 3. p. 1010. sqq.* & conf. Chemnit. *Exam. P. II. tit: de cultu & veneratione Sacramenti*, item *de asservatione Sacram. p. 279. 284 sqq.* Hülsem. *Disp. VIII. contra Hager. q. 5.*

An præsens caro Christi in benedicto pane ante sumtionem?

Qvod ergò Masenius ait, *præsentem utiq; esse carnem Christi in benedicto pane ante sumtionem*, eatenus tantùm concedamus, qvatenus unâ continuâ actione consecratio, distributio, sumtio sese excipiunt, atqve sumtio adeò consecratione, imò & distributione naturâ posterior est. Unio enim rei terrenæ & cœlestis determinata est verbis Christi (*hoc facite* item: *edite, & bibite.*) ad integram actionem Sacramentalem, qvæ non tantùm consecrationem, sed etiam distributionem ac sumtionem complectitur. Horum essentialium actuum, si qvisqvam omittatur, tum nec corpus Christi præsens erit. Non enim vi recitationis, qvæ fit à ministro, sed vi institutionis Christi, ad qvam mentes fidelium per illam recitationem revocantur, Christus Sacramentaliter præsens est corpore & sangvine suo. Unde scrutari momenta unionis non convenit, simpliciq; fide acqviescendum in in-

ſtitutione Chriſti, qvi cum pane & vino benedicto diſtributo, ac ſumto manducantibus & bibentibus verum corpus & ſangvinem ſuum daturum ſe promiſit. Vid. Gerh. *l.c.§.194.195. L.de Cœnâ.* Höpffner. *Iſag.tract. theor p.95.ſqq 123.157.ſqq.* Hülſem. *Diſp.VIII. contra Hager.q.3.§.2.p.308.*

IV. Omnipræſentia carnis Christi

Reſtat punctum QVARTUM, in qvo cum Calvinianis amicas manûs jungens Maſenius, defenſam à nobis majeſtatem Jeſu-Hominis, à qvo nomen ſibi finxerunt Jeſuitæ, impugnat. Nempe ut veram ac ſubſtantialem præſentiam corporis Dominici in S.Cœnâ eò potentiùs impugnent Calviniani, Cœlo empyreo illud includunt, idemqve faciunt Jeſuitæ, ut vicarii capitis in terrâ neceſſitatem evincant. Qvanqvam autem vera ac realis Corporis Chriſti præſentia in Euchariſtiâ tantùm è verbis inſtitutionis deducenda eſt, qvibus niſi voluntatem ſuam teſtatus fuiſſet Dominus, nunqvam corpus ejus, licèt ex unione perſonali & ſeſſione ad dextram DEI omnipræſens in, cum & ſub pane adeſſe ac diſtribui veſcentibus diceremus, tamen qvia hîc, ubi de præſentiâ Sacramentali agebat Maſenius, vellicare hanc Sacroſanctam de omnipræſentiâ Chriſti-hominis doctrinam voluit, placeat & nobis illiç hoc loco ſuſcipere patrocinium.

(1.) explicata, Qvod ut rectè fieri poſſit, obſervamus *(1.)* non unius generis præſentiam Chriſti-hominis

minis esse. Alia n. ipsi *ex proprietate naturæ competit*, estq; ei cû alio qvovis humano corpore communis, ac localis: tum conspiciendo, cùm aliorum hominum instar obambulavit, postea verò per ascensionem subtracta: alia *ex unionis gratiâ*. Cùm enim Christo homini omnis plenitudo Deitatis sit communicata, *Col. II, 9.* sub qvâ plenitudine potentia divino modo præstò essendi haut dubiè continetur, & hanc communicatam esse oportet. Porrò autem (2.) hæc potentia præstò essendi seu *majestas omnipræsentiæ* cum majestatis illius exercitio seu ipsâ *omnipræsentiâ actuali* confundenda non est. *Illa* divinum idioma est, adeoqve Christo vi unionis personalis à primo usq; incarnationis momento competit. *Hæc*, propriè loqvendo divinum idioma non est, (nam nec DEO ab æterno competit, neq; in abstracto de DEO prædicari potest, & non nisi ex præsuppositione creaturarum necessaria est,) sed divini idiomatis exercitium, atq; ad opera potiùs divina pertinet, adeoq; qvod Christum hominem concernit, in exaltatione ad dextram virtutis fundatur. Per hanc enim plenarium & incessantem usum communicatæ divinæ majestatis obtinuit atq; exercet. Cùm verò (3.) hæc omnipræsentia ipsa illa sit, qvâ DEUS omnibus creaturis, *ut DEus è vicino, & non DEUS de longè* adest, *cælumq;*

 & ter-

& terram implet, & gubernat, (*Jerem. XXIII, 23.24.*) conſeqvens eſt, omnem expanſionem, extenſionem, localitatem, incluſionem, diffuſionem, circumſcriptionem, & qvæ alia monſtra fingunt in Ubiqvitiſtis, qvos per calumniam vocant, adverſarii, longisſimè excludi. Ut DEUS præſens eſt omnibus creaturis, neqve tamen in iis includitur, nec per locorum ſpatia diffunditur, aut iis circumſcribitur: ſic idem de Humanâ Chriſti carne ad dextram DEI exaltatâ dicendum. Eadem enim, *qvà rem*, hujus & DEI omnipræſentia eſt; *modus* tantùm *habendi* variat. (4) Porrò hæc *omnipræſentia* divina accuratis limitibus ab *immenſitate* diſtingvenda eſt. *Hæc* enim attributum DEI abſolutum eſt, & *ἀνενέργητον*; *illa* reſpectivum, & *ἐνεργητικὸν*, nec ſolam *ἀδιαστασίαν* ſeu indiſtantiam adeſſentiæ, ſed etiam *ἐνέργειαν* & operationem præſentis DEI importat. Immenſitas mediatè & ad posſesſionem; omnipræſentia immediatè & ad denominationem qvoq; Carni Chriſti communicata eſt, qvia hæc non illa ad finem unionis perſonalis ſpectabat. (vid. Hôpffner. *Iſag. ad ſuſum S. Cœnæ, tract. pract. p. 353. ſqq.*) Proinde, (5.) qvi dicunt carnem Chriſti omnipræſentem eſſe, vi unionis perſonalis, non illicò immenſam illam faciunt; hoc tantùm dicunt,

dicunt, Christum etiam qvà hominem præsenter ac divino modo omnia in Ecclesiâ, ac universo orbe regere ac gubernare. Conseqvitur hinc (6.) omnipræsentiam non absolutè ab infinitate, sed à liberâ DEI voluntate dependere; Qvia enim non in nudâ propinqvitate, sed efficaci etiam operatione consistit, (DEus *autem omnia operatur, qvæ vult, in cœlo, & in terrâ & in mari, & omnibus abyssis, Ps. CXXXV, 6.*) ideò ubicunqꝫ vult, præsentem se alio alioq; præsentiæ modo ac gradu sistere potest. Sic DEUS eo modo, qvo Abrahamo olim præsens erat, visibilem indutus formã, aliis non erat: qvo in piis habitat, præsens impiis nõ est: eo modo, qvo baptismalem aqvam permeat, cõmuni aqvæ præsens non est. Hoc ipsum qvoqve (7.) si ad personam Christi Θεανθρώπȣ, communicatamq; humanæ illius naturæ majestatem Divinæ præsentiæ applicetur, certum est, *posse* Christum carne suâ in unitatem personæ Filii DEI susceptâ, & ad omnipræsentem dexteram DEI exaltatâ præsentem sese sistere, ubicunqve vult. An autem & ubi *velit*, ex promissionibus ipsius ac testimoniis Scripturæ demonstrandum est. Postqvamautem (8.) ipse promisit, ubicunqve duo vel tres congregati sunt in nomine suo, ibi sese, (totum, inqvam, Christum indivisum) in medio eorum, imò ad

consummationem seculi usq; cum suis credentibus fore, *Matth. XVIII, 20. XXVIII. ult.* promisit item, se corpus & sangvinem suum sub distinctis panis ac vini Symbolis exhibiturum edentibus ac bibentibus: hinc nati præter generalem illum, qvi omnipræsentia dicitur, speciales præsentiæ modi, *gratiosus, & Sacramentalis*, qvorum *existentia* ex promissione & institutione Salvatoris unicè probatur, ficta autem à maleferiatis hominibus *impossibilitas* per unionem personalem & exaltationem solidè confutatur, colligendo hunc in modum: Qvicunqve vi unionis personalis accepit potestatem ubiqve præstò essendi & omnes creaturas præsentissimè regendi, illamq; potestatem etiam nunc exercet, ille & Ecclesiæ suæ omnibusq; fidelibus gratiosè adesse, & præsens corpus sangvinemq; suum sub certis Symbolis sistere potest. Atqvi Christus secundum Humanam naturam vi unionis personalis accepit hanc potestatem, eamq; (qvod status exaltationis infert) plenariè nunc exercet: Ergò & potest &c. Potest, inqvam. An velit, & actu præstet (in S. Cœnâ potissimum) alia argumenta poscit. Hæc de divinâ Carnis Christi præsentiâ observanda ante omnia sunt ob Jesuitarum & Calvinianorum calumnias, qvi affingunt orthodoxis nescio qvam extensionem dimensionis ultra symmetriam, qvam in hâc vitâ corpus

& à specialibus præsentiæ modis distincta:

Christi

Christi habuit, (eadem conseqventiæ lege, qvâ Jesuitæ contractionem corporis Christi ad parvitatem hostiæ, & multiplicationem pro numero hostiarum consecratarum admitterent) affingunt inexistentiam in omnibus creaturis, (qvam si nobis tribuant, necesse est, ut ipsi qvoq;, agnoscant fateanturq; , DEum , qvem omnipræsentem fatentur, omnibus cantharis, caseis, obscœnis locis inesse:) affingunt carnis Christi absurdam in omni cibo & porcorum carnibus præsentiam (qvasi verò inter præsentiam universalem, & Sacramentalem nihil interesset, aut hæc ex illâ saltem conseqveretur) & qvæ his similia sunt.

Cæterùm ne qvis hæc commenta hominum dicat, aut eorum , qvi Formulam Concordiæ concinnarunt , *εὑρήματα*, Scripturas manifestas allegare possumus, qvib9 hæc communicata majestas omnipræsentiæ innititur. *Qvi descendit*, (Christus , Deus & homo) *ipse est* (non alius, DEus sine homine, qvi, ut impleret omnia , ascensu non indigebat) *& qvi ascendit* (non in cœlum modò, ubi pro ratione corporis glorificati præsentem se electis sistit, sed) *super omnes electos, ut omnia* (non modò vaticinia, consummando, hæc enim impletio in descensu etiam, atq; incarnatione cœpit, & restat adhuc complementum reditûs ad judicium: non modò Ecclesiam, donis suis , nam nec

(2) *confirmata*:

hæc τὰ πάντα sunt, nec τὰ πάντα Spiritû S. donis implentur, sed ut) *omnia* (μετὰ σαρκὸς, ut Oecumenius glossatur) *impleret Eph. IV,10.* Pertinent huc omnia illa Scriptura loca, qvæ *Christum ad dextram DEI collocatum* docent *Rom. VIII,34. Ebr. I,3. VIII,1. XII 2.* &c. *Dextra* autem DEI omnipræsens est *Psalm. CXXXIX,10.* nec, nisi secundum humanam naturam ad dextram DEI exaltari Christus potuit. Ratione enim divinitatis ipsa DEI dextra potiùs erat. Ad hanc dextram ergò *sedet* Christus, qvatenus omnipræsens (aliàs enim non ad dextram DEI est) omnia regit & gubernat, qvod phrasi: *sedere* Scriptura notat. (*Ps. CX, 2. collat. I. Cor. XV,25.*) Secundum qvam naturam igitur Christus omnibus dominatur (vid. *Ps. VIII, 6. 7. I. Cor. XV, 25.*) dominatione divinâ, secundum illam etiam est præsens omnibus creaturis. Et qvale caput (caput, inqvam homogeneum, ejusdemqve cum membris naturæ, *Eph. V,24.*) esset, tanto intervallo à membris, qvanto altissimum cœlum à terrâ, distans? Qvomodo tam longè remotus Salvator invocari à nobis, tanqvam Immanuel, (*Es. VII.14.*) preces cordis audire, & olim in extremo judicio ab omnibus in universum hominibus in humanâ carne suâ conspici posset, si illa non aliâ esset conditione, qvàm alterius hominis glorificatum corpus? Qvid qvòd ope-

opere ipso & luculentis apparitionibus hanc carnis suæ majestatem asseruit? Videbat Stephanus Jesum oculis suis, *Act. VII, 5. 6.* Audiebat Paulus colloqventem Jesum in via *Act. IX, 5.* & compellantem in castris, *c. XXIII, 11.* qvi & ad hanc notam Apostolatûs sui provocat, qvòd Dominum Jesum (non Φάντασμα aliqvod, sed ipsum in carne suâ Dominum) non secus ac reliqvi Apostoli viderit, *I. Cor. IX. 1.* Non, opinor, tam absurdus fuerit Masenius, ut vel Jesum bicorporem fuisse, vel tum corpore suo cœlo exulasse dixerit. Qvod ipse confutet Bellarminus, multipræsentiam corporis Christi istis apparitionibus superstruens, *L. III. de Euchar. c. 3.* Non urgebo jam alia argumenta, à Theologis nostris adducta, & egregiè vindicata. Legat, cui volupe est explicationem, & confirmationem & vindicias sanctissimæ solatiiq; plenissimæ doctrinæ hujus pleniùs noscere, Apologiam Formulæ Conc. *cap. 3.* Chemnit. *de duabus Naturis in Christo, cap. 30.* Acta Colloqvii Qvedlinburg. apud Hutter. *Concord. Conc. c. 45. fol. 290. sqq* Hunn. *L. de Statu Majest. c. XI. p. 260. sqq.* Hutter. *Comm. in F. C. p. 820 sqq.* Schröder. *sceptro Regali, L. VI. toto.* Rung. *Disp. IV. Anti-Calvin. p. 85. sqq.* Gesner. *in Form. Conc. Disp. XIII. p. 384. sqq.* Menzer. *T. V. Disp. Giess. XV.* item *in Anti-Martinio, Anti-Steinio, & pluribus aliis scriptis.* Feurborn. *fascic.*

I. sot.

I.1010, & *T.V.Dispp. Marpurg. D. 23.* Σκιαγραφ. *p.157 sqq.* Κενωσιγραφ. *Sect. I. & VII* Affelmann. *assert. doctrinæ de carnis Christi Omnipræsentiâ*, Ejusq; *apologiâ*, nec non *Censurâ Censuræ Lampadianæ*. Bottsacc. *tract. de omnipræsentiâ carnis Christi*. Gerh. *Exeg. L. de Christo*, §. 218-230. & *Conf. Cath. L. II. art. 2. p 379 sqq* Dannhau. *Hodos. p.781-801. & Hodom. Calvin. p. 1782-1821.* Calov. *Exam. doctrinæ Reform. de personâ Christi, controv. IX p. 401-438.* B. Parentem meum *Theol. Chemn. p.298 sqq.* & *Tom. II. Syst. Theol. p. 269-289.* Krom. *LL. anti-Syncr. VI. th. 6. p. 248-257.* qvibus multò plures addi poterant. Masenio nos Theologorũ Saxonicorum aureũ librũ Haupt-Vertheidigung des Augapffels / præ aliis commendamus, è cujus *capp. 41-86.* discet, semper in Ecclesiâ hanc omnipræsentiam carnis Christi creditam, nec à Papistis ipsis ante natos Jesuitas, negatam fuisse, ac ne à recentibus qvidem qvicqvam solidi opponi potuisse, qvod & Dni L. Alberti nervosa scripta, Germanico idiomate, Silesios contra objectam ab Aug. Confessione secessionem vindicantia (Wiederlegung *p.22. sqq.* Gegen-Antwort *p.47. sqq.* Gegenerweisung *p. 26. sqq.*) ipsum docere possunt.

(3) A Masenii objectionibus vindicata:

Ascribamus nunc Masenii insuperabiles, si diis placet, difficultates, qvas omnipræsentiæ carnis Christi objecit *p. 142.* sic scribens: ***Majoris gratiæ amorisq; regii signum***

gnum est, cùm ipse Rex præsens dona sua largitur, amicoq; se coram exhibet. Quod Christus promisit, cum diceret: Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem. Non tamen existimandum iccircò, cum qvibusdam Lutheranorum, qvòd Christus ubiq; sit, qvia DEO, qvi ubiq; est, hypostaticè unitur; nam & caput hominis animæ unitum est, nec tamen ob hoc etiam in pedibus eidem animæ jungitur. Crassa hæc nimium Philosophia est, Scripturam S. pluribus locis evertit, quæ Christum descendisse ad inferos, surrexisse, & non esse in sepulchro, ascendisse ad cælos &c. tradit. *qvibus ipse* *Nam substantia, qvæ ubique est, se movere loco non potest. Et sic contra Lutheranos ipsos, Christus non* *partim argumenta nostra vel concedit,* *magis esset sub ipsâ sumptione in pane, qvàm ante: imò in omni esset cibo præsens, etiam porcorum, ut alia absurdiora taceam.* Bonum factum, qvod absurdiora tacet alia, qvando jam absurditatum affatim prodidit; sed qvæ non ex nostrâ fluunt doctrinâ, sed conformiter absurdissimæ, qvam defendit, sententiæ, ab ipso proferuntur. Nos (1.) lubentes acceptamus, qvòd *ipsum Regem præsentem dona sua largiri, & exhibere amicis* scribit. Sic enim fatetur id, qvod impugnat, Christum in Ecclesiâ humanitate etiam suâ

suâ præsentem esse. Rex enim est, non ut DEUS tantùm, sed ut homo etiam ad dextram majestatis exaltatus. Unde *germen Davidis, hominem pauperem, & filium Mariæ, Regem* Scriptura vocat, *Jer. XXIII, 5. Zach. IX, 9. Luc. I. 33.* Qvâ de re plura ap. Chemnit. *de duabus naturis c. 24. p. 178.* Meisner. *Christol. Disp. XLIX. §. 17 sqq.* D. Jo. Schmid. *Disp. de officio Christi Regio in genere §. 26. 27.* & *Disp. de Regno potentiæ, §. 12. 25. de Regno Gratiæ, §. 27.* & *Gloriæ §. 11. 12 28.* aliosq; vide. Gratum

(Matth. XXVIII, ult.) (2.) & illud, qvòd verba Christi *Matth. ult. v. ult: Ecce ego sum vobiscum usq; ad consummationem mundi*, facere aliqvid ad præsentiam Christi in his terris censet. Tota sanè hîc persona loqvitur, & ita loqvitur, ut habeatur respectus ad illam naturam, secundum qvam data illi erat omnis potestas *v. 18.* in qvâ resurrexerat, videbatur, & contrectabatur, de cujus veritate ac præsētiâ modò dubitaverāt discipuli, & dubitare pòst ascēsionem poterant. Hinc Augustinus *in Ps. 125. T. IIX. p. 1468.* hæc verba de capite conjuncto membris suis naturæ consortio exponit: *Resurrexit & ascendit in Domino caro nostra salva, in membris adhuc salvanda est. Secura gaudeant membra, qvia à capite suo non sunt deserta. Dixit enim membris laborantibus: Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Vindicias prolixas hujus textûs præsentiam gratiosam Christi secundùm

car-

carnem in Ecclesiâ probantis lege apud Menzer. *T.V.Giesf.Disp.3.totâ*, Feurborn. *T. V. Marpurg.D.25.§ 10.sqq. p.991. sqq.* & *Tom. VII Giesf.D. XIII. §. 97. sqq p. 217. sqq* Joh. Schmid. *Disp. pecul.ad h. l.* Gerh. *Harm. Evang de Resurr. c. XII. sub fin. p.491 sqq.* Weller. *Anti-Masson P.I.p.152.seqq.* Calov. *Exam.de personâ Christi.p.410.sqq.* Danh.*Hodos.p.794. sq.* Hactenus ergò benè Masenius. Perperam verò (3.) argumentum nostratium pervertit, qvasi sic colligeremus: *Qvi DEO, qvi ubiq; est, hypostaticè unitur, est ubiq;. Sed Humana Christi natura* &c. E. Qvod argumentum nostrum non est. Antea distinximus inter majestatem omnipræsentiæ seu potentiam ubiq; essendi, & illius exercitium. Ex Unione hypostaticâ potentiam ubiq; essendi necessariâ concludendi Lege elicimus: exercitium verò plenum ac incessans ad statum exaltationis referimus. Qvare major illa propositio, qvam Masenius fingit, nec nostra, nec vera est, & falsitatis convinci facilè potest, si de Christo homine in statu exinanitionis, qvando ubiqve non erat, sed χρήσει communicatæ majestatis sese exinaniverat, subsumas. Qvam si de majestate omnipræsentiæ instruas (*Qvicqvid DEO hypostaticè unitur, esse potest ubiq;, & est, ubicunq; vult,*) verissima qvidem erit, neq; (4.) infringi dissimillimâ Masenii similitudine poterit, qvâ unio animæ & capitis vel

vel pervertit,

Unionem hypostaticam cum

partiali compa-rans.

vel alterius membri cumunione hypostat cà λόγȣ & carnis confertur. Ab unione enim *partiali & inadaqvatâ* (qvalis anim & capitis) *ad totalem & adaqvatam* N.V.C Ad hanc intima ac mutua ἀδιαστασία eorum, qvæ uniuntur, reqviritur, ita ut neutrum unitorum sit extra alterum. Jam λόγος humanæ naturæ, & humana natur τῷ λόγῳ non μερικῶς unitur, sed ὁλικῶς Non est præter humanam naturam qvicqvam, cui etiam ὁ λόγος uniatur personaliter, uti præter pedes, vel caput, plures partes dantur, quibus æqvè ac pedibu capitive unita anima est. Itaq; veteres non ineptâ illâ similitudine (qvæ in Calvinianorum scriptis freqvens est,) sed altera convenientiori hoc mysterium qvadantenus illustrant, conferentes hypostaticam unionem unioni animæ ac corporis. *Sicut anima rationalis & caro unus est homo* : *ita DEus & homo unus est Christus* : ait Symbolum Athanasianum. Et Augustinus *lib. contra Felicianum Arianum, c. XI. T. VI. p. 784.* *Sic ex DEO & homine non imperfectus, sed in diversâ proprietate plenissimus natus est Christus, sicut ex animâ & corpore unusqvisq; hominum docetur esse perfectus, Non alius homo corpus, alius animus, qvamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atq; idem homo & corpus docetur & animus. Rursum non unum atq; id ipsum animus, qvia ex utroq; homo factus*

factus est unus. Ut igitur anima nunqvam est extra corpus, nec corpus extra animam, qvamdiu unio manet: ita nec λόγος extra carnem, nec hæc extra filium DEI esse potest. Vid. Calov. *de personâ Christi S. II. controv. I. (de τῶ EXTRA Calvinianorum) m. 2. arg. 6. p. 86. sqq.* & Danh. *Hodom. Calvin. p. 1460-1480.* (4.) Gravis autem, si vera, accusatio: *crassâ hac philosophiâ*, (sic doctrinam de omnipræsentiâ Christi θεανθρώπου traducit,) *everti Scripturam, quæ Christum descendisse ad inferos, surrexisse & non esse in sepulchro, ascendisse ad cælos &c. tradit.* Ignoscet Masenius, si potiori jure crassam illam Philosophiam appellemus, qvæ partim ex iis, qvæ sessionem ad dextram DEI antecesserunt, ad negandam post ascensionem omnipræsentiam, partim à negatis subtractisq; præsentiæ certis modis ad impugnandam præsentiam omnem grassatur. Diximus suprà: carnem Christi, usq; ad momentum sessionis ad dextram DEI, communicatam omnipræsentiæ majestatem actu secundo ac ordinariè non exeruisse. Nunc actûs illi omnes, qvos allegat Masenius, sessionem ad dextram DEI præcedunt. Deinde & modos præsentiæ distinximus, qvarum alia corpori Christi per se, alia per unionis gratiam convenit. Illa finita est, qvalis corporis vel naturalis, vel glorificati esse solet, hæc divina, & nullis clausa terminis. Illius

partim sua opponit, sumta a) exarticulis Symboli Apostolici.

LII ratio-

ratione descendit ad inferos, surrexit è sepulchro, ascendit ad cœlos, qvi respectu communicatæ omni-præsentiæ & cœlo, & inferno præsens est. Sic enim divinam omnipræsentiam describit S. Codex *Pf. CXXXIX.8.* Atq; sic *Filius hominis, qvi descendit de cœlo, ascendit in cœlum,* &, dum locali præsentiâ adest Nicodemo, *est* (qvà communicatam majestatem omnipræsentiæ) *in cœlo, Joh. III,13.* Descensus ergò ille, & ascensus nihil contra omnipræsentiam efficit. Si DEus ipse ἄσαρκος ad judicium descendit non obstante ipsius omnipræsentiâ, *Gen. XVIII, 21.* Qvantò magis DEus ἔνσαρκος descendere & ascendere potuit vel ex proprietate carnis, vel œconomiâ voluntariâ, licèt ut DEUS per naturam, ut homo per unionis gratiam esse possit, & sit, ubi vult? Angelum mulieribus dicentem: *Resurrexit, non est hìc*, localem & visibilem negare præsentiam, qvalem mulieres cogitabant, in propatulo est. Atq; eandem per ascensionem nobis subtraxit, ita tamen, ut super omnes cœlos elevatus omnia impleret, invisibili divinaq; & efficacissimâ carnis suæ præsentiâ, uti suprà adductis Scripturæ testimoniis docuimus. Lege HauptBerthcid. *c.83.p.954.* Unde, qvod (5) ait Masenius: *Substantia, qvæ ubiq; est, se movere loco non potest*, si limites: *qvatenus ubiq; est*, concedi facilè potest. Sed ad qvem mo-

(5) *ex motu corporis Christi.*

motum respiciat autor, inqvirendum etiam fuerit. Si enim de motu descensûs, ascensionis, resurrectionis &c., de qvibus præcessit: jam responsum, & moveri corpus Christi per naturam, & ubiq; esse per unionis gratiam. Qvod Augustinus agnovit. Postqvam enim *tract. 35. in Joh. T. IX. p. 272. Dominum Jesum Christum ubiq; præsentem* dixerat, subjicit, ne de solà cum divinitate loqvi putes *p. 273: Non veniendo inde decessit, aut redeundo nos reliqvit. Qvid miramini? DEus est. Non potest hoc fieri ab homine, non potest hoc fieri ab ipso sole. Qvando pergit ad occidentem, deserit Orientem, & donec oriturus redeat ad orientem, non est in Oriente: Dominus autem noster Jesus & venit, & ibi est, & rediit, & hic est. Audi ipsum Evangelistam alio loco dicentem, & si potes, cape: si non potes, crede. DEum, inqvit, vidit nemo unqvam, nisi unigenitus filius, qvi est in sinu patris, ipse enarravit. Non dixit, fuit in sinu patris, qvasi veniendo deseruerit sinum patris.* Sin cum Bellarmino (eadem usurpante verba *L. III. de Euchar. c. 17. § secundò, ex ubiqvitate*) de motu corporis Dominici ad distributionem in Eucharistiâ solicitus fuit, eumqve cum omnipræsentiâ carnis Christi conciliari non posse putavit; nescio annon eidem difficultati sit obnoxia affixa cœlo beatorum, qvalem fingunt Jesuitæ, corporis Christi præsentia. Qvomodo enim cor-

pus cœlis clausum moveri in terris ad omnes consecratas hostias & ora communicantium sine sui multiplicatione poterit? Atq; hoc est, qvod toties Jesuitis opposuerunt Orthodoxi: eadem dubia, qvæ ipsi contra Omnipræsentiam Carnis Christi urgent, rationi laxantes fibulam, posse & multipræsentiæ corporis Christi in cœnâ opponi: Ac rursus qvibus argumentis hujus possibilitas astruitur à Jesuitis, iisdem & defendi posse possibilitatem omnipræsentiæ. Lege Haupt-Vertheidigung *c.75 p.836.sqq.* Scilicet nec confundenda universalis præsentia cum Sacramentali; neq; hæc illi opponenda; sed simplici fide tenendum, Christum hominem ad dextram DEI sedentem implere posse, qvod promisit. Promisit autem, se & semper præsentem Ecclesiæ suæ fore, & cum pane & vino corpus & sangvinem suum incomprehensibili modo edendum bibendumqve exhibere velle. Qvod

γ) *ab absurdo.*

postremò (6.) addit, ex Lutheranorum sententiâ *Christum non magis esse sub ipsâ sumptione in pane, qvàm antè, imò in omni cibo, etiam porcorum præsentem*, id demum crassam Philosophiam sapit, & ex impiâ absurdâqve inclusionis localis præsentia, qvam & ipsam suprà removimus, ortum trahit. Protestatur solenniter Apologia Formulæ Concordiæ, collocutores item Qvedlinburgenses aliiq; Theologi tantùm non omnes, qvi in

in hanc qvæstionem incidunt, nunqvam sibi hujusmodi localem in creaturis inclusionem venisse in mentem, cùm de omnipræsentiâ carnis Christi loqvuntur, ac docent solidè, qvantum differant, esse omnibus creaturis præsentem divino modo, & in omnibus creaturis inesse. Peroravit hanc causam præ aliis ex professo B. Hülsem. Calixt. Gewissens-Wurm *p. 48. sqq.* ad qvem Lectorem remitto, & præternavigato Autoris *Affectu p. 143. 144.* (in qvo nihil præter verba) pergo ad

Punct. II. p. 144-147.

qvo disqviritur:

Sitne utraq; species Laicis à Christo præcepta, an sub alterâ specie panis data, (Eucharistiam, ni fallor, voluit subintellectam) *sufficiat?* *De Communione sub unâ*

Tria hic ordine agit Masenius: (1.) Argumenta Protestantium pro utriusq; speciei necessitate commemorat, deinde (2) diluere illa, deniqve (3.) negativam Pontificiam asserere & confirmare laborat.

I. Objecti dissensûs

Ac primùm qvidem Orthodoxæ sententiæ nostræ fundamenta recensiturus dissensionem acatholicis, qvos vocat, objicit: qvòd Lutherani ex verbis Christi: *Hoc facite in mei commemorationem*, Calvinistæ ex illis: *bibite ex hoc omnes*, utriusq; speciei necessitatem procudere velint: Husfitæ verò animadvertentes, tam hæc, qvàm ista ad Apostolos Sacerdotes in Cœnâ dicta esse, ad *Joh. VI, 54.* confugiant, ubi Dominus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis sangvinem ejus, non habebitis vitam in vobis*, ubi tamen de spirituali, non Sacramentali acceptione Christi sermonem esse, Protestantes censeant. Atq; hac dissensione acatholici seipsos, Masenii judicio, destruunt. Non erat autem, cur hîc dissensum acatholicorum adeò creparet. Etenim (1.) Lutheranorum & Calvinianorum dissensum, in fundamentalibus etiam, nemo negat. Sed qvid is ad rem præsentem? (2) Distingvamus inter *probationum* diversitatem, & *sententiæ* ipsius. Esto, unum altero plura pauciorave argumenta pro sententiâ eâdem urgere, non sanè hinc conseqvens fuerit illicò, sententiis ipsis discrepare hujusmodi Scriptores. (3.) De Husfitarum veterum ac recentiorum discrimine non erimus hoc loco prolixi. Vid. interim Calov. *Exam. de personâ Christi*, *S. I. § 3. p. 31. sqq.* Recentiores qvoniam amicas manûs

manûs jungunt cum Calvinianis cæteris, (qvorum communem cum Pontificiis errorem de *Johannis capite sexto* de Eucharistiâ exponendo suprà notavimus) mirum non est, inde accersere sententiæ suæ fundamenta. Qvanqvam & orthodoxi cæteri κατ' ἄνθρωπον eodem argumento utantur contra Pontificios, qvi Christi apud Johannem verba de S. Cœnâ explicant, & communionem sub unâ iisdem superstruere laborant. His rectè Johannem opponunt, non qvod ipsum de S. Cœnâ loqvi censeant, sed ut Papistas, ex communi etiam principio, confutent. Qvia tamen de dissensione circa verba Christi qvoad alterã Cœnæ partẽ Lectori aliqvid suggerere voluit Masenius, repetamus & nos, qvæ hanc in rem Gurtnerus Pontificius Scriptor *P.I. Kemnitii Reformati p.221.* edisserit. *Pugna est*, ait, *circa illa verba: Bibite ex hoc omnes, inter Bellarminum & Valentiam. Nam Bellarm. cap. 25. loco 2. adstringit ad solos Apostolos, non autem extendit ad Successores eorum, ut sunt Sacerdotes. Illud verò: Hoc facite, Luc. 22. vult dictum Apostolis, ut Sacerdotibus & eorum Successoribus, lib. 4. cap. 16. ita ut jubeantur Eucharistiam consecrare, sumere, ac aliis distribuere. Valentia verò Tom. 4. de Euchariſt. diſt. 6. qv. 8. puncto 5. § 2. vult, illa, Bibite, Luc. 22. esse dicta ad Apostolos, ut non solùm fuerunt illæ personæ duodecim Christo familiares, verùm etiam ut* *retorsio.*

 designat

designati Sacerdotes, & conseqventer omnib Sacerdotibus, qvi iis in hoc munere succedunt.

II. *Sententiæ nostræ confirmatio: ex institutione Sacramenti,*

Cæterùm præcipuum robur Ortho doxiæ nostræ in Salvatoris institutione mandato ponimus: qvi ut cum benedict pane corpus suum (non sangvinem) edi vo luit, ὡσαύτως, *similiter* cum benedicto vin sangvinem suum bibi jussit ab omnibus, qv pane benedicto vescuntur. *Bibite ex hoc omnes*, ait Apostolis, qvi tum non sacerdoti vel ministri conficientis personam, sed o mnes fideles mystici hujus epuli hospite repræsentabant. Conficiens enim Chr stus erat. *Hoc facite in mei commemoratio nem*, ait. *Hoc* non modò, qvod me vidisti facere consecrantem ac distribuentem, fa cite ut ministri: sed & qvod jussi vos face re, ut communicantes (edere ac bibere) ho facite. Qvos obligat mandatum edend eos & mandatum bibendi. Sed Aposto los, ut communicantes, adeoq; fideles qvo vis S. Cœnæ convivas obligat præceptu edendi: Ergò & bibendi. Qvæ ergò Chr stus verus DEUS & homo conjunxit, ea ho mo ne separet. (*Matth. XIX, 6.*) Vocat A postolus panem benedictum κοινωνίαν co poris Christi vinum κοινωνίαν sangvinis *Cor. X, 16.* Qvisqvis igitur sangvinis Chri Sacramentalem κοινωνίαν desiderat, non mo dò benedictum panem manducare, sed e iam benedictum vinum bibere tenetur, Arc

ex repetitione Apostoli,

ho

hoc à Corinthiis suis poscebat Apostolus, qvos ad primam institutionem revocans, non tantùm edere de pane hoc, sed bibere de calice etiam jubet. *I. Cor. XI, 26. sqq.* Non, opinor, eò absurditatis delabentur Pontificii, ut cum Clericis tantùm ipsi rem fuisse contendant. Qvos à calice dæmonum arcet *I. Cor. X, 21.* qvos mortem Domini annunciare *c. XI, 26.* qvos seipsos probare, & ita de pane benedicto edere vult *v. 28.* (vult autem hoc ab omnibus Hospitibus sacræ mensæ) eos omnes de calice bibere disertis verbis jubet. Accedit necessitas finis, qvi est fœderis novi redintegratio & obsignatio. Hæc *Matth. XXVI, 28.* post verba: *Bibite ex hoc omnes*, ut causa bibendi subjungitur per causalem particulam: *Hoc enim est sangvis meus Novi Testamenti, qvi pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Unde sic colligere licet: Qvibuscunq; in S. Cœnâ per sangvinem Christi novum fœdus gratiæ obsignandum, & fides de remissione peccatorum confirmanda augendaq; est, ad eos calix Domini vi primæ institutionis pertinet. Omnibus autem Christianis, qvi probare se possunt, novum fœdus obsignandum est &c. Ergò ad omnes illos calix pertinet. Deniq; cùm nulla pars Testamenti Christi, morte Testatoris confirmata sine sacrilegio abrogari possit, (nam *nec hominis testamentum morte confirmatum*

è fine Eucharistiæ,

è naturâ Testamēti,

qvisqvam spernit aut superordinat, Gal. III, 15.) patet, qvid de Pontificiorum instituto sit habendum, qvi ex decreto Concilii Constantiensis, (qvo primùm error iste, *non obstante, qvòd Christus hoc venerabile Sacramentum sub utrâq; specie instituerit*, sancitus est) sangvinem Christi ex hoc Testamento tollunt. Nempe qvod Gelasius olim Episcopus Romanus verisſimè censuit, verbis qvæ *P. III. Decreti* leguntur, *c. comperimus dist. 2. de Consecratione*, digna sanè, qvæ & hîc legantur: *Comperimus, qvòd qvidam sumtâ tantummodò corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qvi procul dubio (qvoniam nescio qvâ superstitione docentur obstringi,) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, qvia* ***divisio unius & ejusdem mysterii non potest sine grandi sacrilegio provenire.*** Qvæ verba nec ad sacerdotes restringenda esse cum Gratiano, (qvem & è Pontificiis Cassander, Lindanus, Baronius refellunt) nec cum Bellarmino & aliis ad Manichæos, non ex superstitione, sed ex hæresi calice abstinentes, generalis eorum ratio evincit. Nam si divisio hujus mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire, ea certè non magis Catholicis, qvàm Manichæis

è consensu Ecclesiæ.

charis unqvam concedi poterit. (vid. vindicias hujus canonis apud Gerh. *T.III.Conf. Cath. p. 1053.seqq.* Hôpffner. *Isag. ad usum S. Cœnæ tract. theor. p.258.* Carpz. *Isag. p. 589.*) Qvòd si publicam ac perpetuam Ecclesiæ veteris praxin respicias, docebunt testimonia Doctorum illius, qvæ post Chemnit. *P.II. Exam p.302 seqq.* & Gerh *L. de Cœnâ. §. 43.* juxta seculorum seriem collegit Dallæus *L.V. de Cult. Latin. relig. c.7. sqq.* nec non Dreierus *Disp. anti-Papist. XXXIV. p.1066.sqq.* & Mornæus *L. I. de Eucharist. c. 9.* semper utramqve speciem Laicis etiam distribui consveviſſe. Conf. Höpffneri *analysin qvæstionis de Ecclesiâ ante Lutherum th. XVI.* Testimonia Imperatorum ac Principum, missorumq; ab his Oratorum, qvin Scholasticorum etiam, ipsorumq; Episcoporum Romanorum, & Conciliorum collegit Gerh. *Conf. Cath. T. III. p. 1050.-1093. & L. de Cœnâ §.44. 45.47.* Conf. omninò, qvæ Pontificio huic sacrilegio accuratè opposita sunt à Chemnitio *Exam. P.II p.298.-331.* Balduino *Notis in Disp. Becani de Commun. sub unâ*, Menzero im Bericht von der Communion unter beeden Gestalten/ Gerh. *L. de S. Cœnâ cap.9.* Hôpffnero *Isag. tract. I. p.250-300.* & *Disp. Miscell. V.* Feurbornio *Synt. II. Differt. XIII. Opp. p. 1605.-1640.* Hülsem. *Disp. XX. c. Hager. p.1153-1244.* Danhau. *Mysterios. p.688-706.* & *Tom. II. Hodom. Pap. p.647-680* Carpz. *Isag. p. 579-608.* Chamier. *T.IV. Panstr. L.*

VIII.

VIII & IX. deniq; Calixto, ac Rixnero *pe-*
liaribus de hoc argumento scriptis, atq; infi-
tis aliis, qvi & Scripturæ & Ecclesiæ m
tem accuratè exposuerunt ac vindicarun

III. *Exceptionum discussio: qvas profert Masenius contra 1. argum. à Christi institutione:*

Masenius noster (ut ad alterum ca
hujus Considerationis veniamus) nos
sententiæ fundamenta subruere cupiens
mandatum Christi evertit, (2.) S. Cœn
habere Testamenti rationem inficiatur
(3.) verba Salvatoris *Joh. VI, 54.* generali
disjunctivâ interpretatione enervat.

(1.) *De mandato instituentis Christi*
existimat. Vult (α) verba Christi, q
mandatum continere censeamus, tant
ad Apostolos eorumqve in Sacerdotali
ficio successores spectare: (β) ne qvid
imperativa esse, & si sint, (γ) impleri
men in Ecclesiâ Papali per Sacrificulos,
qvos (δ) unicè illa pertinere ex verbis in
tutionis ipsis, & Calvini consensu prob
conatur.

α) An illa ad solos Apostolos pertineat?

(α) *Catholici*, inqvit, *nullum in Ca*
Christi agnoscunt præceptum Laicis datum e
imò si qvod sit, non nisi ad Apostolos eorumq
Sacerdotali potestate successores spectare: q
bus dictum, hoc facite, bibite omnes. Nam
biberunt ex eo omnes, utiq; tantùm Apost.
Qvanqvam verò non velimus nimis rep
gnare, solis Apostolis immediatè verba i
à Christo dicta fuisse, (licèt fieri potue
ut cæteri etiam domestici omnes, qvos j
ta DEI institutionem Paschali epulo adm

tos fuisse non est dubium, pascerentur simul hoc salutari cibo) certum est tamen, obligationem horum verborum non ad solos pertinuisse Apostolos, aut unum illum actum, sed omnem Ecclesiæ ætatem, atq; ad omnes illos, qvorum personam Apostoli tum repræsentabant. Repræsentasse autem non Sacerdotum modò, (qvod Masenius hîc censet,) sed omnium fidelium personam, & Georg. Cassander *art.22.Consult.* fatetur, & res ipsa docet. Communicantes enim erant, non conficientes. Clericorum autem non conficientium eadem, qvæ Laicorum ratio est in usu S. Cœnæ, juxta Pontificias hypotheses. Qvod si discipulos ut Sacerdotes spectavit Christus in S. Cœnæ institutione, seqvitur, nulli Laicorum S. Cœnæ usum permissum esse, sive sub unâ, sive sub utrâq; specie. Iidem enim bibere, qvi edere, jubentur, neq; ullum mutati subjecti vel respectûs etiam indicium proferre ex textu Papistæ hactenus potuerunt. Enimverò Apostoli erant, qvibus dictum : *Hoc facite, bibite ex hoc omnes.* Apostoli erant, de qvibus Marcus : *Et biberunt ex eo omnes.* Sed & Apostoli erant, qvibus dictum : *Edite, hoc est corpus meum.* Si tamen vi horum verborum omnibus convivis hujus sacri epuli edendum est : causam velim audire, qvare non ad bibendum etiam omnes obligentur per priora verba, qvi S. Cœnam accedunt.

Apo-

Apostolus certè ad Laicos etiam Corinthia-
cæ Ecclesiæ scribens, bibendi æqvè ac eden-
di mandatum inculcat *I. Cor. XI, 23. sqq.* Plur.
ap. Gerh. §. *32. de Cœnâ*, *Conf. Cath. III*, *109*
Feurb. *Opp. 1611. sqq.* Hülsem. *D. 20. q. 3 p. 118*
sqq. Rixner. §. *19. sqq.* (β) *Verba nulla hic im-*
perativa esse censet, tum *qvia cibum potumq;*
nemo imperet, tum *qvia illa', qvæ magis impe-*
rativa videri possint Joh. XIII. 14: si ego lavi
vobis pedes, & vos deberis alter alterius la-
vare pedes, *Protestantes ut præceptum non ad-*
mittant, certè non exeqvantur. At si nul-
lum hic præceptum agnoscit Masenius, fa-
teatur necesse est, & à Sacerdotibus conficı-
entibus liberè omitti posse calicis usum, ne-
necessarium esse, ut Christiani cæteri S. Sy-
naxi (sive sub unâ, sive sub utrâq; specie) u-
tantur, qvorum neutrum Pontificii, ut opi-
nor, concesserint. Qvi & passim sic disse-
runt, ut in istis verbis (*edite, bibite, hoc faci-*
te) præceptum, qvod Masenius se invenire
negat, agnoscant. *Esse in hac institutione*
præceptum aliqvod divinum nemo negat, & pa-
tet, ex illis verbis: accipite, edite: item hoc fa-
cite. Ita Bellarm. *L. I. de Euchar. c. 9.* Et
Gvil. Estius *annot. in Luc. XXII, 19.* *Verba*
sunt dantis potestatem, & simul præcipientis, ut
potestate aliqvando utantur. *Præceptum es-*
se intelligit Concil. Trid. cap. 1. Sess. 22. *Qvòd*
autem hæc verba suo modo pertineant etiam
ad omnes fideles, qvi jubentur sumere, idq; in
memo

β) *An verè mandatũ cõtineat?*

memoriam passionis dominicæ, patet ex Apostolo I. Cor. XI. ubi recitatis his Domini verbis subjungit: Qvotiescunq; enim manducabitis panẽ hunc & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annũciabitis, donec veniat. Qvin Jo. Eccii judicio *L. II. de Sacrif. Missæ c. 1. id nullus Catholicorum negare ausit, missam ac communionem panis & vini ritum esse à Christo institutum ac præceptum.* Idem contra Cajetanum Dominicus Soto docet *in IV. Sent. d. 12. q. 1. a. 11. & 12.* & Franc. Svarez. *in III. Thomæ D. 43. s. 4. &* inprimis Gabriel Vasqvez, qvi inter alia *in III. Thomæ q. 80. a. II. Disp. 213. c. 2.* notanter: *Illa verba: (Hæc facite &c.) sunt præcepti, ut jam contra Cajetanum probavimus, & ex illis rectè colligitur, non tantùm Sacerdotes, sed etiam Laicos eò teneri.* Agnoscunt hi omnes præceptum, inqve Cajetano Masenium adeò confutant, qvi præceptum negat. Qvæ verò ad hoc ratio ipsum impellit? *Qvia cibum potumq; nemo præcipit.* Qvasi verò hic de cibo potuqve naturali sermo sit, ad qvem appetendum natura ipsa cogit: nec potiùs de mystico epulo, qvod ut appeteremus, præcepto pariter ac promisso Salvatoris excitanda orexis erat. Qvi instar medici fidelis hoc salutare pharmacum nobis propinavit, utqve eo ad salutem animæ nostræ uteremur, disertè mandavit. *At lotionem qvoq; pedum imperativis verbis tradidisse videbatur Salvator Joh. XIII. 14. qvo loco tamen præceptum non admittunt Protestantes,* *Ubi obiter de mandatâ pedum lotione Joh. XIII. 14.*

certè

certè non exeqvuntur. Imò verò & admi tunt hoc præceptum, & exeqvuntu Præsupponunt autem, non *pracisè* l tionem pedum propriè sic dictam (ut Anabaptistæ volebant, de qvibus Gom rum lege *P. I. Opp. p. 468.*) sed *Synecdochi* humilitatis & charitatis exercitia à Domin præcipi. Sic enim explicat præter Aug stinum *tr. 58. in Joh.* Theophyl. *h. l.* & alic Veterum Bellarminus *L. II. de effectu Sacran c. 24. prope finem* : *Non habemus mandatu seu institutionem hujus ritûs* (lotionis pedun *freqventandi,* (NB) *qvod reqviritur in omn Sacramento, alioqvi peccarent ferè omnes h mines, qvi non utuntur istâ ceremoniâ. - - Ne obstat illud mandatum : Et vos debetis alt alterius lavare pedes. Nam hoc mandatu præcipit humilitatem & charitatem, ut exp nunt Chrysostomus & Cyrillus, non autem ipsa materialem lotionem pedum, ut patet ex pra Ecclesiæ : nunqvam enim Christiani putarun se habere speciale mandatum de lotione pedun* Eodem modo Eman. Sa *h. l: Lavare pede i. e. exhibere charitatis & humilitatis offici.* Et Jac. Tirinus : *Et vos debetis alter alteri lavare pedes. Non ad literam, ut putarun S. Ambrosius & Bernhardus; sed metaphori obseqvia humilitatis & charitatis invicem ex hibendo. Ita passim SS. Patres.* Qvare in vertimus argumentum : Uti *Joh. XIII,* 1

ve

verba imperativa præceptum indicant: ita & in verbis Institutionis imperativi illi præceptum significabunt. Atq; sic Paulus illa *I.Cor.XI,28.* juxtà ac SS Patres Justinus, Cyprianus, Chrysostomus exponunt, qvorum testimonia apud Höpffnerum legi possunt *Isag.theor.p.289.* Porrò (γ) *Præceptum utriusq; speciei (siqvidem id detur) inter Catholicos impleri putat per Sacerdotes, in Sacrificio.* At non sacerdotibus vel ministris Ecclesiæ solis præceperat Christus utriusqve speciei sumtionem, sed communicantibus omnibus. Ab iis ergò impleri debebat præceptum hoc, qvibus erat datum. Nemo pro altero baptizari, pro altero credere, pro altero sacris mysteriis frui potest. Jussit Salvator Christianos omnes per seipsos ac pro seipsis edere benedictum panem & sub ipso corpus Christi: Similiter & bibere eosdem jussit. Estqve hac parte ministrorum & auditorum æqvalis conditio, ceu benè observat Chrysost. *homil. 18. in II. Cor. VIII: Est,* ait, *ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut qvando fruendum est horrendis mysteriis, similiter enim omnes, ut illa participemus, digni habemur. Non sicut in veteri lege partem qvidem sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, qvorum particeps erat sacerdos, sed nunc non sic, verùm omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.* Nihil verò

γ) an mandatū Christi impleri per solos Sacerdotes possit?

δ) an verba: Hoc facite, actus tantùm ministri notent?

rò (δ) vel verba Christi, vel orthodoxa eâ parte Calvini confessio ipsum juvat, sic scribentem: *Sacerdotibus dictum in Cœnâ, postqvam Christus panem benedixit, fregit & dedit &c. Hoc facite in meam commemorationem. Neq; enim aliis præterqvam sacerdotibus secundùm ordinem Melchisedech benedicere, frangere ac dare panem convenit: ut rectè Calvinus adverterit, hæc ad Laicos spectare non posse.* Fatemur sanè, *benedicere, frangere, distribuere* esse actûs ministrorum Verbi, (qvos *Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech* hîc appellat Masenius, non sine atroci in Christum injuriâ, cui uni hunc honorem Spiritus S. *Ps CX,4.* & *Ebr.VII,1.2.3.* vindicat, qvia simul Rex & Sacerdos, Rex justitiæ & pacis, nec initium nec finem dierum habens, Sacerdos æternus, successione carens, major Abrahamo ac Levitis &c. qvæ in missifices Papanos competere qvis credat? Vid. Winckelm. *T.VII. Giess. Disp. p.106. sqq.* Glass. *Disp.IV. in Ps CX. th. 56. sqq.* Cramer. *Schol proph. I p.284.* Schlegel. *in Ps. CX. p.219* Dorsch. *Mysar. missæ p. 52. sqq.* Rivet. *in eundem Psalm. p 457. sqq.* & alii. Res hujus loci non est.) id verò negamus, Christum faciendi mandato (qvod & edendi præcepto apud Lucam *c.XXII,19.* & bibendi apud Paulum *I.Cor.XI,25.* annectitur) actûs illos ministris verbi proprios designasse. Et δόσιν ministrorum, & λῆψιν communicantium

tium eâ voce complecti voluit, atq; docere? omne id fieri oportere à rectè celebraturis Cœnam, qvæ vel ipse tanqvam administrans, vel Apostoli tanqvam communicantes in primâ illâ Eucharistiæ celebratione fecerant. Qvem verborum sensum ne Bellarminus qvidem improbare potuit, sic scribens *L. IV de Euchar. c. 25. extr*: *Videtur sententia Johannis à Lovanio valdè probabilis, qvi docet, verba Domini apud Lucam (*Hoc facite, &c.*) ad omnia referre, id est, ad id, qvod fecit Christus, & id, qvod egerunt Apostoli, ut sensus sit: Id, qvod nunc agimus, ego dum consecro, & porrigo, & vos, dum accipitis & comeditis freqventate deinceps usq; ad mundi consummationem. Profert enim prædictus auctor veteres Patres, qvi illa verba modò referunt ad Christi actionem, ut Cyprianum epist. 3. lib. 2. & Damascenum, lib. 4. de fide, c. 14. modò ad actionem discipulorum, ut Basilium lib. regularum moralium, Reg. 21. & Cyrillum Alexand. lib. 12. in Johan c. 58. Paulum autem idem auctor docet referre potissimùm illa verba ad actionem discipulorum, id qvod ex verbis seqventibus colligitur: Quotiescunq; enim, inqvit, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et ejusdem lib. c. 16. §. probatur: *Lucas illud: hoc facite, retulit ad actionem benedicendi & distribuendi, qvas expresserat, & simul etiam ad actionem manducandi.* Actio autem man-

 ducan-

ducandi omnibus communicantibus communis est. Cæterùm ineptissima explicatio horum verborum, qvâ ministri ver missifices constituti finguntur, infra, ubi de missâ acturus Masenius eandem confirmare volet, confutabitur.

2. Argum. à ratione Testamenti

(2) Argumentum, qvod à ratione Testamenti petimus, sic eludit: *At, inqvunt, pro Laicis in Cœnâ qvoq; institutum hoc Sacramentum est, & per modum hæreditatis in testamento relictum: cum dicat Christus, hunc calicem esse testamentum in sangvine suo. Non igitur, nisi injuria Laicis potest hoc legatum eripi. Verùm Matthæus cum Marco, clariùs loqventes audiantur: Hic est sangvis novi Testamenti, facilè sensus illius patebit: cum alias nobis DEus hæreditatem æternæ vitæ in suo Evangelico Testamento reliqverit, adeoq; non per modum hæreditatis, sed viatici, ut manna in Veteri Testamento, sic in novo Eucharistia relicta sit.*

An caro & sangvis Christi spectent ad hæreditatem Testamenti Christi?

Negat scilicet, sangvinem Christi bonum esse Testamento Christi legatum fidelibus, adeoqve in os contradicit Bellarmino, qvi ad idem argumentum, cui hîc satisfacere Masenius vult, sic respondet: *L. IV. de Euchar. c. 27. § quarta ratio: Hæreditas nobis relicta non es*

eſt panis, neq; vinum, ſed corpus & ſangvis Domini, qvæ duo dantur tam ſub unâ, qvàm ſub duplici ſpecie. Hoc ſolùm intereſt, qvòd qvi bibunt ex calice, accipiunt hæreditatem in duabus tabulis: qvi non bibunt, accipiunt illud idem in unâ tabulâ. Sed hæc differentia nullius momenti eſt, qvod attinet ad participandam hæreditatem. En corpus & ſangvinem Domini cum hæreditatem nobis relictam facit, qvod negat Maſenius. Non verò opus eſt, ut de ſenſu propoſitionis: *Hic calix eſt novum Teſtamentum in ſangvine meo*, hic qvidem diſputemus. Satis eſt nobis, ad Teſtamenti integritatem calicem hic reqviri. Satis eſt, *ſangvinem novi Teſtamenti* à Teſtatore in calice præberi. Hunc ergò qvi ſubripiunt Laicis, ſangvine Teſtamenti eos privant, dumqve tabulas Teſtamenti corrumpunt, hæreditatem ipſam intervertunt. Ut enim aſperſione ſangvinis opus erat, ad confirmationem fœderis antiqvi: *Hic eſt ſangvis Teſtamenti, qvod pepigit vobiscum Dominus*, ajebat Moſes *Exod. XXIV, 8.* ita ſangvine novi Teſtamenti è calice hauriendo fraudandi non ſunt, qvibus bona teſtamentaria impertire Dominus voluit. Vitæ æternæ hæreditatem in Evangelico Teſtamento relinqvi, verum ſanè eſt, ſed hoc primarium inter legata bonum alia non excludit. Sanè

& peccatorum remissio, gratiæ collatio ac continuatio non ideò negabuntur bona novi hujus Testamenti esse, qvia vitæ æternæ hæreditatem in illo Dominus nobis reliqvit. Nulla ergò ratio est, qvâ corpus & sangvinem Christi legatum nobis in hoc Testamento bonum esse negat. Esto verò, dentur illa non per modum hæreditatis, sed viatici; itáne decebat Pontificios, viatico hoc tam necessario, tam proficuo spoliare viatores in cœlestem Canaan tendentes?

3. Argum. è Joh. VI, 53.

(3) Ad argumentum, qvod pro necessitate communionis sub utraq; è *Joh. VI.* peti ab Hussitis ait, hæc reponit: *Qvo sensu illud etiam Christi apud Ioannem, (qvod Hussitæ movent, præcepti locum obtinere,) intelligendum est*: (Joh. VI, 53.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis: hoc est, nisi utramq; sumpseritis, non vivetis. Nam neq; corpus Christi propriè manducatur, neq; sangvis bibitur, sed modo qvodam spirituali invisibiliq; sumuntur, ut iccircò huic præcepto satisfaciant, qvi in una etiam specie sumunt: aliàs falsum esset, qvod seqvitur v. 57: Qvi manducat me, vivet propter me: si manducatione solâ non posset vita obtineri. Qvocirca disjunctim etiam verba illa accipere licet,*

Digitized by Google

licet, Scripturæ more; nempe manducaveritis vel biberitis, pro & : sicut Paulus sumit, dum ait, 1 Cor. XI, 29: qvi manducat & bibit, (pro vel bibit,) indignè judicium sibi manducat & bibit. Nam ad judicium sufficit, manducare tantùm indignè. Qvo sensu præceptum illud difficultatem in expositione non patietur. Hic (α) non apparet, utrum Masenius approbet in Hussitis, qvòd mandatum utriusq; speciei in his verbis qværunt, an minùs? Certè qvidem si jactis ab se *puncto præc. p. 141.* fundamentis inniti velit, non negabit ipse, de Eucharistiâ sermonem esse. In Eucharistiâ autem manducationis & bibitionis distincta mentio utramq; speciem arguit. Qvare (β) manducationem & bibitionem generali *sumtionis* ratione explicare, qvamdiu de Eucharistiâ verba illa loqvi contendit, non potest. Sumtio enim in Eucharistià esse non potest, nisi qvæ in manducatione & bibitione consistat, & mediantibus panis ac vini Symbolis fiat. Cùm ergò utramqve sumtionis speciem determinet Salvator, intolerabilis fuerit audacia, alteram excludere. Ipse Bellarminus *L. I. de Euchar. c. 5. arg. 4. Freqvens illa (in cap. 6. Joh.) distinctio carnis & sangvinis, cibi & potûs apertè indicat, Christum loqvi de communicatione sub speciebus panis & vini: alioqvi enim qvorsum*

qvorsum illa distinctio toties repetita? Eadem Vasqvesio mens *in III. Thomæ q 80.a.12. cap.* 5. Porrò (γ) *corpus Christi propriè non manducari, neq; sangvinem propriè bibi*, nescio an qvisqvam, nisi Calvinianus, facilè sit admissurus. Horum enim Philosophia est: *Geminam significationem verborum*: Edite, bibite, *esse: propriam unam respectu panis & vini, qva minister Sacramenti dispensator communicantibus distribuat, ore corporis accipienda: alteram impropriam, respectu corporis & sangvinis Christi, qva Christus ipse porrigat, ore animæ accipienda per fidem*, ut habent Bucanus *L.XXVIII.p.287.* & Goclenius *P.I. Miscell.p.111.* Qvibus verba Christi opponimus: qvi *edere* panem, & simul pani sacramentaliter unitum corpus, itemq; *bibere* & vinum, & simul unitum sangvinem Domini, velut unâ indivisa actione, jussit. Manducatio ergò corporis & bibitio sangvinis Dominici in S. Eucharistiâ *propria* est, perinde ut Symbolorũ; non tamen merè physica, sed *hyperphysica*. Qvod à Theologis declarari per exempla cujusvis unionis solet, propter qvam rebus distinctis unꝰ tribuitur actus, sed diverso modo. Propriè Maria gestabat in utero Filium æterni Patris, alio tamen modo qvoad divinam, alio qvoad humanam naturam, illo personaliter, hoc secundum proprietatem corporis naturalis. Et tamen modus ille, qvo Ma-

ria

ria gerit in utero conceptum Filium DEI, est verus ac proprius, unde θεοτόκος appellatur propriissimè. Sic in Baptismo una est lotio, qvam efficit unio cum Spiritu Sancto. Distinctus tamen modus lavandi; per aqvam sensibilis, per Spiritum S. intelligibilis. Verè ac propriè videbat Johannes Spiritum S. in specie columbæ descendentem *Joh. I, 32. Luc. III, 22.* modus tamen visionis illius indivisæ geminus erat, physicus, ratione speciei, hyperphysicus, ratione Spiritûs S. Similiter verè manducatur cum pane corpus Christi, verè bibitur cum vino sangvis Christi, modus tamen illius manducationis & bibitionis hyperphysicus est. Qvòd si is tollere veritatem ac proprietatem manducationis ipsius debeat, seqvetur, & Filium DEI, nec ex essentiâ Patris propriè genitum, nec è matre propriè natum fuisse, qvia modus utriusqve nativitatis supra naturam est. Confer Höpffneri *Isag. theor. p. 217. sqq.* Danhauer. *Hodos. p. 1233. 1238.* & *Lac. Cat. T. IX. p. 364.* Summam Hülsemannus *Breviario c. XIII. th. 11. p. 203.* exprimit: *Neq; metaphora statuatur in his verbis: Edite, Bibite, neq; laniena Capernaitica in comestione.* (δ) *Satisfieri præcepto manducandi & bibendi ab iis, qvi sub unâ specie sumunt,* & manducant tantùm, nemini, cui sana mens, persvadebit Masenius. Cum pane enim non bibi sangvinem, sed edi jussit

corpus suum, uti vicissim in vino non edi corpus, sed bibi sangvinem voluit. Neqve (ε) seqvitur, *falsum aliàs fore, qvod seqvitur: Qui manducat me, vivet propter me*, *v. 57. si manducatione solâ non posset vita obtineri.* Primùm enim qvia de manducatione *spirituali* agit, qvæ à bibitione spirituali non differt, perinde fuerit hîc qvidem, sive manducationis solius, sive bibitionis simul mentio fiat. Sub utroqve enim Schemate perceptio Christi, qvæ fide fit, depingitur. Deinde si concedamus Pontificiis, è qvorum hypothesi tantùm, (falsâ licèt, qvod Joh. VI de Eucharistiâ agatur,) hoc argumentum è *cap. illius v. 53.* urgemus, *Sacramentalem* manducationem indicari, neq; sic indifferentia sumtionis sive sub unâ, sive sub utrâq; specie, sibi constabit. *Vers.* enim *53.* præcisum & grave mandatum bibendi sangvinem continetur. *Versu* autem *51.* non mandatum extat, sed promissio vitæ, facta ei, qvi ex pane illo, ordine scilicet modôq; à Christo instituto manducaverit. Ordo autem ille & modus reqvirit, ut manducationem seqvatur bibitio. Unde Hûlsemannus *contra Hager. Disp. XX. q. 2. §. 5. p. 1167.* hoc axioma ponit, & ex ipsorum Papistarum hypothesibus pulchrè confirmat: *Qui uni causæ* (ut hîc *v. 57.* manducationi) *alias superaddit*, (ut v. 54. bibitionem) *non uni, sed conjunctis effectum tribuere censendus est.* Qvòd præterea

teà (ζ) *Disjunctim verba illa v.54. accipi posse*, ait: *nempe manducaveritis*, vel *biberitis*, *pro* &, *prout I.Cor.XI, 29. usurpetur copulativa sensu disjunctivo*: id cum priori interpretatione pugnat. Si enim manducatio cum bibitione semper juncta est, si utrâqve voce sumtio significatur, non propria manducatio aut bibitio, qvomodo disjunctivè diversos actûs intelliges? Sed de hoc Maleniꝰ viderit. Nos persvasi sumus, à communi & tritâ significatione non esse recedendum, nisi manifesta urgeat necessitas. Communis autem significatio est, qvâ *ET* copulat, non disjungit. Neq; sufficit, ostendisse, qvia alibi fortè disjunctivè usurpatur, hîc etiam sic usurpari posse. Usurpari oportere, demonstrandum est. Qvis ferat ita colligentem: *I.Cor.XI.* Τὸ *Et* sumitur disjunctivè. Ergò & *Exod.XX, 12*: *Honora Patrem tuum & matrem.* Ergo & *Luc. X, 27: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuô, & ex totâ animâ tuâ* &c. Imò verò cùm Christus toties eâdem particulâ in hoc contextu carnem & sangvinem connectat, *v.53. 54.55.56.* temerarium fuerit eam impropriè accipere. Neqve enim disjunctim, sed copulatè verum est, qvod *v. 55.* ait Salvator: *Caro mea verè cibus est, & sangvis meus verè est potus.* Cur ergò non malimus sic colligere: Christus per totum contextum Johanneum particulam *Et* copulativè accipit:

E.&

E.& v.53? Verba Pauli qvod concernit *I.Cor. XI,29.* fatemur copulativâ particulâ eû uti, sed cujus loco *versu 27.* disjunctivâ ipse posuerat: *Qvisqvis ederit panem hunc, ἢ aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sangvinis Domini.* Ubi particula disjunctiva non separat partes à toto, sed distingvit illas à se invicem, eo modo, qvo *Matth.V,17. VI.31.* Docet hoc & opus Apostoli, qvi primam Christi institutionem recitans manducationem & bibitionem perpetuò conjungit, qvinqvies particulâ *Et* usus, qvando totam hujus Sacramenti essentiam spectabat v.25 26.28.29. Vid. Gerh. *L.de Cœnâ §.39. extr.* Höpffner. *Isag theor.p. 249.* Postremò (n) vana gloriatio est, *praeceptum illud (Joh,VI,53.) difficultatem in hâc explicatione non pati.* Nos unam difficultatem hic indicabimus. Si vi disjunctivæ hujus explicationis Laicis altera species sufficit, seqvetur, calicem etiam solum Laicis porrigi posse. Hoc autem nemo Papistarum, ut opinor, concesserit. Conseqventia tamen aperta: qvia disjunctiva illa explicatio æqvè bibitionem sangvinis, ac manducationem corporis sufficientem facit: *Qvi manducat carnem meam, &* (aut) *bibit sangvinem meum, habet vitam æternam.* Concludamus ergò, non posse Malenium necessitatem utriusqve speciei apud omnes S. Cœnæ Hospites

ſpites negare, qvamdiu *Joh. VI.* de Euchar i ſtiâ loqvi Chriſtum exiſtimat.

Diſcuſſimus huc usqve nebulas, qvibus involvere claritatẽ demonſtrationum noſtrarum voluit Maſenius. Reſtat, expendamus qvibus ipſe argumentis ποτηροκλεψίαν Pontificiam defendat. Petit illa (1) ex Scripturâ, (2) ex ratione, (3.) Auguſtino.

IV. *Ad Argumenta Maſenii reſponſio: qvi huc trahit (1) ex Scripturâ, a) Cœnam Emaunticam, Luc. XXIV, 30. ubi de Communione ſub unâ agi, neqvicqvam probat*

Ex Scriptura *tum* cœnam Emaunticam, è *Luc. XXIV 30. tum* Apoſtolicam ἀρτοκλασίαν ex *Act. II, 42.* commemorat. De illâ ſic ſcribit: *Chriſtus in Emaus diſcipulis Laicis benedicens, frangens offerensq; panem ſic apertis eorum oculis evanuit, alterâ ſpecie vini non exhibitâ - - De qvo ſic Auguſtinus* (L. III de conſenſu Evang. c. 25. T. IV. p. 514.) *diſſerit: Non incongruenter, ait, accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satanâ factũ fuiſſe, ne agnoſceretur Jeſus; ſed tamen à Chriſto eſt facta permisſio usq; ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participatâ removeri intelligatur, impedimentum inimici, ut Chriſtus posſit agnoſci. Cui & alii SS. Patrum* (Chryſoſt. in opere imperf. hom. 17. Theophyl. in Luc. 24.) *aſtipulantur.* Scilicet ita ex illâ Hiſtoriâ Emaunticâ differunt Pontificii: Bis Chriſtum inſtituiſſe S. Cœnam, ſemel ante pasſionem pro Clericis in utrâqve ſpecie: iterum poſt reſurrectionem pro Laicis in unâ. Qvas nugas hic Maſenius

tum ex benedictione, fractione, & distributione;

nius *tum* ex benedictione, *tum* ex effectu (oculorum apertione) *tum* ex Augustini aliorumqve interpretatione probatum it. Qvanti hæc sit demonstratio, multi ex ipsis Pontificiis non dissimulant. Jansenius *Concord. Evang. c. 146: Hæc sententia*, ait, *non est certa, imò nec multum verisimilis.* Erbermannus Jesuita *Anatomiæ Calixtinæ Sect. 8. c. 7: Fractionem panis in Emaus fuisse S. Communionem, non ut omninò certum accipiunt Catholici plerique omnes.* Gregorii, Lyrani, Wilhelmi Widefort, Dion. Carthusiani, Did. Stellæ, Alfonsi de Castro aliorumqve testimonia non de Eucharistiâ, sed Cœnâ vulgari textum explicantium, apud Gerhardum lege *Tom. III. Conf. Cath. p. 1117. sq.* & *L. de Cœnâ § 56.* Pro nobis hac vice Wilh. Estius respondeat, qvi ad locum illum *Luc. XXIV, 30.* sic commentatur: *Hæc benedictio fuit invocatio DEI super panem: qvomodo fideles sumturi cibum priùs benedicunt eum, i. e. super eo beneficentiam DEI invocant. -- Benedixit itaque non ad effectum consecrationis vel multiplicationis: sed qvomodo, juxta Paulum dicentem; Sanctificatur per verbum DEI & orationem; fideles benedicunt, qvomodo verisimile est & ipsum solere benedicere, qvoties cum Discipulis cibum sumeret. Unde ex vocabulo (benedixit) nullum sumitur argumentum pro consecratione corporis Domini. Imò Christum hîc non consecrâsse corpus suum, etiam*

jam his argumentis monstrari videtur; tum qvia non dedisset talibus nondum satis confirmatis in fide, -- tum qvia non daret corpus suum iis, qvi de hujus mysterii veritate nondum erant instructi; qvia hi non adfuerant in cœná. qvâ institutum fuit hoc mysterium. Nemini autem dandum est corpus Christi, nisi illud mysterium cognoscenti & credenti. Item si dixit: Hoc est corpus meum, jam ante debebant eum nosse; qvia in illo verbo, qvod ex eo nunqvam audierant, nosse eum non potuissent. Nulla ergò prima illa ratio est, qvæ è benedictione petitur. Nam & alio tempore *accepit panem, benedixit, fregit, & dedit discipulis*, multò antè, qvàm Eucharistiam institueret. Vid. *Matth. XIV, 19. XV, 36. Marc. VI, 41. Luc. IX, 16.* Neq; sanè posse benedictionem illam de consecratione Eucharistiæ exponi, accuratè laudatus modò Estius demonstrat. *Innocentius tertius* (sic scribit *ad vers. 35:*) *L. 3. c. 6. de Sacro altaris mysterio, videtur intelligere de corpore Domini; & dicit, Christum ibi fregisse, non manducasse. Authores etiam alios complures ad hanc rem citat Pamelius in epist. 63. Cypriani. Et Lorinus super Act. 2, 42. Sed si ita est; seqveretur Christum consecrasse, & proinde sacrificâsse sub unâ specie. Nam si consecravit utramq; speciem; nulla ratio, cur non porrexisset discipulis utramq;. Hoc autem, scilicet sub unâ specie consecrare & sacrificium Missa celebrare, com-*

communiter habetur contrarium juri divino. Nec Christus voluisset aliqvid facere contrarium à se paulò antè institutum. Nos argumentum ita stringimus: Si de Eucharistiâ hîc agitur, aut in voce panis h. l. admittenda est Synecdoche, ut subintelligatur, potus etiam, (phrasi Scripturæ non insvetâ, *Luc. XIV, 1. Marc. VII, 2.* &c.) aut Christus consecravit sine vino. Si prius, non potest communio sub utraq; ex h. l. probari. Qvod enim consecravit, idem fregit ac dedit. Si posterius, poterit consecratio sine vino fieri, qvod omnes Papistæ negant. Porrò *oculorum apertio Dominiq; agnitio*, de Eucharistiâ sermonem esse, non probant: Non *ex fractione*, tanqvam medio & causâ agnitus est Dominus, sed *in fractione*, qvod temporis circumstantiam notat, qvem sensum ex parallelis phrasibus ostendit Hülsemannus *Disp. cit. q. 7. §. 2. p. 1205.* & si maximè medium cognitionis notetur, qvàm liberalis ad Eucharistiam, ejusq; communionem sub unâ collectio? Qvantò planior & textui convenientior Erasmi paraphrasis? *Posteaqvam*, ait, *autem Jesus accubuisset cum illis, accepit panem, benedixit, fregitq;, deinde porrigebat illis. Hunc morem, qvoniam sciebant esse Christo peculiarem, ut ante cibum ageret gratias Patri, deinde suis manibus fractum partiretur in discipulos, duo discipuli velut expergefacti cœperunt cogitare de Jesu. Mox subla-*

tum ex effectu,

to impedimento quod hactenus obstiterat, quo minus agnoscerent eum, agnoverunt illum esse Jesum. Demum *Augustinus & reliqvi Patres* non dicunt: Christum distribuisse Eucharistiam, sed fuisse in actione hac aliqvid Sacramenti aut mysterii: nempe ad præfigurandam cœlestis panis efficaciam, neqvaqvam ad determinandam alterutram speciem, ut bene idem Hûlsemannus *l. c.p.1203.* & dudum ante hunc Chemnitius *Exam. p. 316.* observavit, qvorum hic locum ex Augustino *tract.2. in canon. Joh.* profert, ubi in ipsâ illâ allegoriâ expressis verbis manducationis & bibitionis in Eucharistia meminit. Ibidem plura pro vindicando hoc textu lege, & confer Menzer. Bericht vom Commmunion-Streit *P. II. c. 1. p. 114.-127.* Hôpffner. *Isag. tract. theor. p. 250. sqq.* Balduin. *not. ad disp. Becani de Commun. sub unâ c. 3 p. 45. sqq.* Danhauer. *T. II. Hodom. Pap. p. 672. sqq.* Dorsch. *Mysar. c. 6. §. 82. p. 223.* Dreier. *anti-Pap. p. 1092. sqq.* Rixner. *de Novitate, qvâ Laicis Calicem surripiunt Pontificii*, §. 46. *sqq.* Mornæ. *L. I. de Euchar. c. 12. p. 330.* Rivet. *Cath. Orth. tract. 3. q. 22. §. 6.* Mares. *T. II. Anti-Tirini, p. 689.*

tam ex Patrum interpretatione.

Pergit Masenius de Apostolicâ fractione panis: *Fideles primi perseverantes erant in communicatione fractionis panis, nullâ vini factâ memoriâ* Act. II, 42: *qvem locum nec Calvinus, de Eucharistico pane intelligendum, potuit negare.*

β) ἀρτοκλασίαν Apostolicam, Actor II, 42.

Nnn

negare. Negarunt autem alii ex ipsis Papistis, Cajetanus, Liranus, Vatablus, imò ex Jesuitis qvoq; Lorinus *h. l.* & Bened. Justinianus in *I. Cor. X. p. 538.* & de communione uti bonorum, ita ciborum intelligere maluerunt, qvòd fractio panis à communicatione (*κοινωνία* i. e. S. Cœnâ) expressè distingvatur, ut in fontibus, ita & in Vulgatâ, ubi non, ut Masenius profert, sed ita legitur: *Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione, & fractione panis*: qvod mox *v. 46.* de convictu mutuo ac frugali explicatur. Sed qvicqvid sit, loqvatur per nos Lucas de S. Cœnâ, eamqve fractionem panis vocet. An ideò sine vino, qvia vini nulla mentio? An Estheræ convivium sine pane, qvia *Esth. VII, 1.* solius bibitionis mentio. An qvia panem qvotidianum Oratione Dominicâ petimus, rem pulentam, cæteraqve ad victum necessaria à DEO non postulamus? Itáne Ebraismus τῦ ἄρτυ ignotus? *Frange esurienti panem, Es. LVIII, 7. Gen. XLIII. 16. Luc. XIV, 1. Hebrais* (ita Casaub. *Exerc. XVI. n. 38. p. 379.*) *frangere panem usitatissima locutio est, de cibum sumentibus: & frangere panem cum aliqvo, est συνδειπνεῖν, atq; ut Græci à parte alterâ, potu nempe, totam actionem appellarunt συμπόσιον: sic Hebræi ab esu & fractione panis totum convivium denotarunt. Qvare illi, qvi istis Lucæ testimoniis abutuntur, ad defensionem*

commu-

communionis sub alterâ specie; non minùs pueriliter errant, qvàm si dicerent, in Græcorum conviviis nullum cibum fuisse appositum, neq; omninò qvicqvam aliud præter vinum aut alium potum; qvia convivium illis dicitur συμπόσιον, compotatio; cui etiam respondet Hebraicum משתה *pro convivio: aut si dicerent, fideles, qvando orant DEUM prece Dominicâ, nihil præter panem ad victum petere; qvia dicunt; Panem qvotidianum da nobis, qvum, ut observat Augustinus, à parte qvæ excellit, tota sufficientia nomine panis significetur: epistolâ 121.* Plura apud laudatos Chemn. *Exam. p. 313. 314.* Menzer. *c. 3. p. 127-138.* Höpffner. *p. 254 sqq.* Gerh. *C.C. III, 1119. L. de Cœnâ* §. 57. Balduin. *l c. cap. 4 p. 71 sqq.* Danh. *H. T. 675.* Hülsem *p. 1206. manual.* Calov. *anti-Grot. Matth. XXVI, 26.* Carpz. *Isag. p. 599.* Dreier. *anti-Pap. 1095.* Mornæ. *Euchar. p. 333. sq.* &c.

(2) Ex ratione

Hactenus Scripturâ abusus est Masenius. Nunc RATIONE rem gesturus (1) Concomitantiæ empusam nobis objicit, tum (2) necessitatis casum comminiscitur, deniqve (3) honori divino (is enim mutilatione Testamenti divini egregiè vindicatur, scilicet!) per utriusq; modi (tàm sub unà qvàm sub utrâq; communicandi) libertatem consuli, Manichæorum exemplo docere vult.

a) Concomitantiam,

(I.) Ad *Concomitantiam* pertinet, qvod p. 145. scribit: *Eucharistia in pane totum Christum vivum, ideoq; & sangvinem ejus exhibet.*

bibet. Et *pag.146. Præceptum DEI non obstat,& ratio fidesq; tradit, sub alterutra specie totum Christum contineri; ita ut rem Sacramenti, seu neget seu indulgeat speciem alteram, semper integrè impertiatur, Christiq; nos redimentis commemorationem instituat.* Concidunt hæc ultrò, modò tibi persvadeas, rationis humanæ argutias divinæ institutioni nihil præjudicare posse. Apertè autem Salvator hoc Testamentum instituens, de Pane, *Accipite*, inqvit, *Hoc est corpus meum;* Et de vino benedicto: *Hoc est sangvis meus.* Huic institutioni verbisq; Salvatoris mens pia innitetur procul dubio securiùs, qvàm aliorum qvorumvis argutationibus, qvibus verba Christi sic interpolanda essent: *Accipite, hoc non modò est corpus, sed etiam sangvis meus.* Unde fatentur ipsimet Papistæ, vi verborum institutionis, sangvinem non esse in pane, licèt ex alio principio, naturalis putà concomitantiæ, præter verba institutionis excogitatæ, cum corpore sumatur sangvis. Ascribamus huc Bellarmini verba è *L.IV. de Euchar. c. 21. §. sed anteqvam: Refellenda est*, inqvit, *opinio qvorundam. Sunt enim, qvi existimant, ex verbis Cœnæ Domini: Hoc est corpus meum, qvod pro vobis tradetur, colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim voce corporis, eo loco significari corpus vivum, & proinde corpus cum animâ & sangvine. Significari autem corpus vivum probant,*

qva verbis Institutionis, Papistis fatentibq, repugnat,

bant, qvia Dominus loqvitur de corpore, qvod habebat, cum illa diceret: tunc autem vivum corpus habebat, non mortuum. Et præterea, qvia loqvitur de corpore, qvod tradendũ erat, nimirũ ad mortem: ergò de corpore morituro, & proinde tunc vivo loqvebatur. Sed hæc sententia repugnat Concilio Tridentino, sess. 13. cap. 3. ubi Concilium docet, vi verborum non esse in specie panis, nisi corpus: animam autem, & divinitatem, & sangvinem per concomitantiam, qvod etiam docet S. Thomas in 3. part. q. 76. art. 1. ad primum: & Catechismus Concilii Tridentini: -- -- Deinde repugnat mysterio Eucharistiæ. Eucharistia enim est repræsentatio mortis Domini: & proinde sub specie panis repræsentatur corpus à sangvine separatum, & sub specie vini sangvis separatus à corpore: ergò qvod est sub specie panis, vi Sacramentalium verborum, non est nisi corpus. Sufficit autem nobis, in hoc Sacramento ex vi institutionis sub pane non nisi corpus, sub vino non nisi sangvinem exhiberi. Qvicqvid enim vi institutionis sub alterutrâ specie non est, id non absqve ingenti temeritate adesse fingitur. *Res & verba Sacramentorum Novi Testamenti ita determinata sunt, ut nihil addere, minuere & mutare liceat,* si vel Bellarminum audiamus *L. I. de Sacramentis in genere, capit 121.* hoc lemma præfigentem. Qvi & *L. III. de Euchar. c. 17. init.*

ex eodem principio colligit, *corpus Christi per Ubiqvitatem non esse in Eucharistiâ. Ex ubiqvitate,* ait. *seqvitur, Eucharistiam non esse Sacramentum. Sacramenta enim Novi Testamenti à Christi institutione pendent, & ritu, & verbis, qvæ ille præscripsit. At præcipuum, qvod est in Eucharistiâ, ab institutione, ritu, & verbis Christi non pendet, si vera est ubiqvistarum doctrina. Non igitur Eucharistia Sacramentum Christi est. Propositio conceditur ab omnibus, & suprà à nobis in lib. de Sacram. in genere probata est. Assumtio est ipsius Lutheri* &c. Hic *assumtio* qvidem non Lutheri assertio, (qvi ex communicatâ omnipræsentiâ carnis Christi, non præsentiam Sacramentalem probat, sed impossibilitatem adessendi contra Zvvinglianos refellit.) sed Bellarmini calumnia est. *Propositio* autem, uti verissima est, sic conficit, per concomitantiam Sacramentum Eucharistiæ penitus everti. Eam enim non pendere ex institutione Christi, Pontificii fatentur. Qvod obvertit cum cæteris Masenius: Corpus Christi vivum, & sine sangvine adeò, non esse: facilè solvitur, si diversos præsentiæ modos, physicum & Sacramentalem distingvas. Manet sangvis Christi corpori conjunctus *naturaliter*, sed non sumitur cum corpore, qvia non unitus est corpori *Sacramentaliter*, qvo modo tantùm corpus pani Eucharistico præsens est, vi verborum institutionis,

& præsentiam Sacramentalem cum naturali confundit,

tutionis, qvæ ſub diſtinctis Symbolis, ſeorſim corpus, ſeorſim ſangvinem exhibent. Qvòd verò non repugnet, ea qvæ naturaliter ſunt conjuncta, ſeorſim ſiſti & exhiberi, illuſtris apparitio perſonarum SS. Trinitatis in Baptiſmo Chriſti confirmat. Certum eſt, perſonas SS. Trinitatis eſſentialiter unitisſimas eſſe, ſeqve invicem permeare modo ineffabili. Et Spiritus tamen Sanctus citra ullam eſſentiæ divulſionem à Patre & Filio ſeorſim apparet per diſtinctam patefactionem, nempe in ſpecie corporali columbæ, in qvâ nec Pater, nec Filius præſentes ſunt. Cur ergò Chriſti verbis non credamus, qvibus affirmat, corpus ac ſangvinem ſuum, licèt naturaliter unita, diſtinctis tamen actibus ſeorſim diſpenſari & accipi ſub diſtinctis Symbolis? Qvòd ſi Pontificia de Transſubſtantiatione doctrina tam vera eſſet, qvàm eſſe falſam ſuperiùs evicimus, vereor, ut cum eâ Concomitantia illa conciliari ſatis posſit. Panem enim in corpus, non in ſangvinem Chriſti, & vinum in ſangvinem non in corpus Chriſti converti ajunt. Jam non apparet, qvomodo plus ſumi posſit ex alterutrâ ſpecie, qvàm ex eadem ſpecie transſubſtantiatur. Cæterùm & inter Scholaſticos fuére non pauci in refellendo hoc argumento, qvod à concomitantiâ ad calicis ſubtractionem progreditur, occupati: qvorum teſtimonia è Gerh.

neq; cum Transſubſtantiatione conciliari poteſt.

 Conf.

Conf.Cath.T.III. p. 1059.sqq. petantur. Pluribus autem ipsum hoc concomitantiæ figmentum vide confutatum apud Hülsem. *contra Hager.Disp.VIII q.1.totâ*, & *Disp. XX. qv.3.§ 8.& qv.11 totâ p.291.sqq. 1181.sqq. 1237. sqq.* Danhauer *Mysterios. p.703.sqq.* & *Hodom. Pap.T.II,652.sqq.* Menzer Bericht von der Communion unter beeden Gestalten *p. 26.82. sqq.* Carpz. *Isag.p.864.* Gerh. *de Cœnâ* §.57. Chamier. *T.IV.L 9.c.7.& 8.* Mares. *T.II. Anti-Tirini,controv.21.n.5.p.654.sqq.* Petrum Picherell. *Opusc p.185-216.*

β) Necessitatis casum in abstemiis.

(2) *Necessitatis casum* in abstemiis qværit: qvi tam salutari pharmaco privabuntur, nisi communionis sub unâ libertatem admittas. Respondeo: Qvod aliqvibus paucis est impossibile, id omnibus Laicis illicò negandum non est. Qvi omnes, qvi de pane benedicto edunt, bibere jussit, hos casûs prævidit haud dubiè rectiùs sapientissimis Papistarum. Novimus, eam hujus Sacramenti necessitatem non esse , ut qvibus DEUS ipse usum illius abstulerit per hujusmodi nauseam (qvalis vix tamen reperietur) eos salute etiam excluserit. His Augustinus responderet : *(tract. 25. in Joh. T.IX.p.218:) Ut qvid paras dentes & ventrem? Crede, & manducâsti.* Neqve enim privatio, sed contemtus damnat. Unum autem exemplum extraordinarium regulam ordine præscriptam non tollit. Vide de hoc Casu

su Balduin. *contra Becani de commun. sub unâ c. 8. p. 227. sqq.* & *Cas. Consc. L. II. cap. 12. cas. 11. p. 454. sqq.* König. *Cas. Consc. p. 466.* Dedekenn. *Consil. Vol. I. P. II. L. 3. n. 3. p. 604.* Höpffner. *Isag. tract. I. p. 293. 380.* Gerh. *L. de Cœnâ. §. 227.* Brochmann. *de Cœnâ Domini, Cas. Consc. 9. p. 3065.*

y) Honorem DEI, Ecclesiæ Veteris exemplo.

(3.) *Si honor DEI postulet, ut sub Manichæis olim factum, posse etiam Ecclesiam Catholicam Laicis Eucharistiam & hoc & illo ritu impertiri, libertate relictâ,* ait. Scilicet cùm negare neqveat, fuisse olim tempus, cùm per hoc ipsum dignoscerentur Catholici à Manichæis, qvòd illi in S. Cœnâ sangvinem Christi è calice biberent, qvem hi aversabantur; excipit, DEI honorem tum id postulâsse, ut Laici etiam hoc casu calicem participarent. Verùm non ideò modò utramqve speciem Ecclesia, qvando à Manichæis turbabatur, usurpavit, ut ab iis sese separarent Orthodoxi, ac producerentur in lucem latitantes sub Catholici nominis umbrâ hæretici; sed qvia Christi institutio id poscebat. vid. Hopffner. *Is. tr. I. p. 261.* Proinde si honor DEI curæ Pontificiis hodieqve esset, permitterent utiqve Laicis calicem, qvem institutio Divina, ceu antè ostensum, ipsis concedit non modò, sed imperat. Interest enim hono-

ris DEI, institutionem ipsius sartam tectam conservare. Porrò qvòd scribit, *Ecclesiam* (Romano-) *Catholicam posse S. Cœnam Laicis hoc & illo ritu (*sub unâ & utrâqve,*) impertiri, libertate relictâ*, id non modò falsissimum est; (alia enim rituum, alia partium essentialium, qvibus Sacramenta constant, ratio est. Non in his æqvè ac illis Ecclesia libertatem habet ordinandi dispensandiq; pro libitu;) verùm & praxi pariter decretisqve Ecclesiæ Romanæ repugnat. Enimverò posteaqvam per mille & ampliùs annos Ecclesia unanimiter communionem sub utraq; observaverat, cœptum est seculo XIII. de Libertate & indifferentiâ ejus disputari, ut ex Thomâ *P.III.q.8.a.12.* patet. Seculo autem XV. vim Legis in Concilio Constantiensi accepit communio sub unâ, neq; libera illa, sed necessaria adeò proclamata est, ut excommunicationem etiam sentirent, qvi populum sub utraqve commu icabant. Sic enim *Sess. XIII.* Concilium illud *declarat, decernit, ac definit, qvòd licèt Christus post Cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum autoritas laudabilis & approbata consvetudo Ecclesiæ servavit & servat, qvòd hujusmodi Sacramentum non debet*

Libertas utriusq; speciei à Masenio vendita-tur:

contra decreta

Concilii Constantiensis,

bet confici post Cœnam -- -- Et sicut hæc consvetudo ad evitanda aliqva pericula & scandala est rationabiliter introducta, qvod licèt in primitivâ Ecclesiâ hujusmodi Sacramentum reciperetur â fidelibus sub utraq; specie, posteà à conficientibus sub utraqve, & à Laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur. Et posteà: *Idem ipsa S. Synodus decernit & declarat super istâ materiâ Reverendissimis in Christo patribus & Dominis -- -- processûs esse dirigendos, in qvibus eis committatur & mandetur autoritate hujus S. Concilii sub pœnâ excommunicationis, ut effectualiter puniant eos contra hoc decretum excedentes, qvi communicando populum sub utraq; specie panis & vini exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint. -- -- Et si ad pœnitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras Ecclesiasticas, per eos ut hæretici sunt coërcendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.* Hoccine est libertatem relinqvere utriusq; speciei? Synodus verò Triden-

& Tridentinis

Tridentina *Sess. XXI. cap. 2. de Comm. sub utrâq; justis* (ut habetur ibi,) *causis persvasa consvetudinem communicandi sub altera specie approbavit*, *&* (NB) *pro lege habendam decrevit*: inq; canonibus posteà anathemate ferit dissentientes. Unde Gregorius de Valentiâ *tract. de Missâ, p. 95.* asserit, *non posse Laicis calicem hodie dari propter contrariam Ecclesiæ dispositionem.* Et si Laicis libertate relictâ Eucharistiam utroqve ritu impertiri Ecclesia potest, mirari satis non possumus illius pertinaciam, qvæ tot anxiis innumerorum suspiriis, tot precibus Imperatorum, Regum, Ducum, Cardinalium, nationum, provinciarum, restitutionem Calicis petentium se inexorabilem præbuit, ac pati maluit totius regni Bohemiæ eversionem per bella Hussitica, qvibus faces subjecerunt Pontifices Romani, sed parùm felici utplurimùm successu, qvàm per salutem tot millium petentibus velificari. Lege hîc omninò, qvæ Gerhardus congessit *Conf. Cath. T. III. p. 1063. sqq.* Certè tyrannidem potiùs, qvàm libertatem deprehendes.

ipsamq; praxin Rom. Ecclesiæ.

(3) Ex Augustino, L. II. de visit. infirm. c. 4.

Superest, ut adducta AUGUSTINI testimonia expendamus: qvorum tria sunt. Unum è *L. II. de visit. infirm. c. 4. T. IX. p. 964: Illud vivificum Dominici corporis supplementum suscipere fili mi, non renuas, qvin potiùs illud avidissimè qvaras, fideliter comedas.*

dat. *Cibus enim ille incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ pretium, redemtoris monimentum, & redempti munimentum.* Alterum è *Conc. I. in Ps. 33. T. VIII. p. 229: Expende cibi illius præstantiam, respice altitudinem ipsius. In principio erat verbum, & verbum erat apud DEum, & DEus erat verbum. Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes. Qvomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? Qvia verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem: qvia panem Angelorum manducavit homo.* Tertium è *tract. 27. in Joh. T. IX. p. 236: Carnem Christi, & sangvinem Christi non edamus tantùm in Sacramento, qvod multi mali: sed usq; ad Spiritûs participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanqvam membra maneamus.* E prioribus duobus, qvod marginalia docent, *usum Sacramenti* (sub unâ) *laudabilem*; è postremo, *esu etiam sumi eundem sangvinem, qvi & potu*, docere vult. Responsio facilis. In *primo* loco (qvi insuper è Scriptore, Papistarum etiam sententiâ supposititio, petitus. vid. suprà *p. 839.*) itemqve *altero* salutaris efficacia corporis Christi in pane distributi affirmatur, necessitas verò sangvinis in vino exhibendi non negatur. Non negabit utiqve Masenius, sangvinis Dominici in S. Cœnâ entheam virtutem commendari à SS. Patribus,

Conc. I. in Ps. 33.

tract. 27. in Joh.

bus, v. gr. cùm diabolum horrere ad conſpectum Chriſtianorum dicunt, qvorum labia ſangvine Chriſti rubent &c. Num igitur panis ſpeciem accipi à communicantibus oportere negant? Ipſe Johannes *I. Ep. V, 8.* ſangvinem inter teſtes in terrâ computat, eâ voce per Synecdochem SS. Cœnam indigitans. An ideò vim teſtandi corpori ademit? Qvid qvòd juxta hanc collectionem Malenianam Augustinus non tantùm vini ſpeciem, ſed ſangvinem ipſum Chriſti neceſſarium eſſe, contra Concomitantiæ architectos, negàverit? qvia corporis tantùm mentionem fecit. *Tertium* autem teſtimonium *non edere tantùm, ſed manducare ac bibere* pios omnes jubet, eâq; parte Pontificiis contradicit. Qvòd autem ſangvinem non edi, ſed bibi in S. Cœnâ ab omnibus debere, ſtatuerit, è *Libro III. Qq. in Lev. q. 57. T. IV. p. 220.* doceri poteſt, ubi Sacrificia Veteris Teſtamenti, cum unico illo, qvod Chriſtus ſemel in arâ crucis obtulit, contendens. *Illis*, inqvit, *ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in qvo vera fit remisſio peccatorum; à cujus tamen ſacrificii ſangvine in alimentum ſumendo nemo prohibetur, ſed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qvi volent habere vitam.* Eandem manducationem à bibitione diſtinctam ſæpiùs exigit à catechumenis & fidelibus promiſcuè

Auguſtini pro utraq; ſpecie teſtimonia.

misçuè omnibus *Serm.46.de verbis Dom.* (cui litera A præfixa genuinum Augustini fœtum designat,) *T.X.p.175: Qvi jam manducant carnem Domini; & bibunt sangvinem ejus, cogitent, qvid manducent, aut qvid bibant, ne, sicut Apostolus dixit, judicium sibi manducent & bibant. Qvi autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent -- -- -- Qvanta nobis cura esse debet in ædificandis fidelibus, ut prosit eis, qvòd accedunt, ne sibi tales epulas in judicium manducent & bibant.* Rursum *Serm.2. de verbis Apostoli sub init.p.250: Corpus dixit escam, sangvinem potum, Sacramentum fidelium. -- Manducent ergò, qvi manducant, bibant, qvi bibunt, esuriant & sitiant: vitam manducent, vitam bibant* &c. E libro sententiarum Prosperi hæc in Decreto, *c.37. cùm frangitur. dist.2. de Consecr.* habetur: *Cum frangitur hostia, dum sangvis* (non in hostiâ datur, sed) *de calice in ora credentium funditur, qvid aliud, qvàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusq; sangvinis de latere effusio designatur?* (Viderint Pontificii, qvomodo hanc effusionem in datione solius hostiæ designent:)

Omit-

Omittimus ascribere plura, unde constare possit, ex Augustini sententia sangvinē Christi non edi cum pane, sed bibi è calice. Qvod & Innocentius III. eopse loco, ubi concomitantiam tradit, hoc est, *L. IV. de Sacram. altaris, c. 21.* profitetur: *Qvamvis sub specie panis Sangvis sumatur cum corpore, & sub specie vini corpus sumatur cum sangvine, tamen nec sangvis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur aut comeditur. Qvia sicut nec sangvis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur. Ut anima tota est in qvâlibet parte, nec tamen in qvalibet parte videt, sed tantum in oculo: ita sangvis in corpore existens, non tamen in corpore vel pane bibitur.*

Punct.

Punct. III. p. 147 - 151.

De Sacrificio Missatico

An nullum in lege Christianâ, sicut in lege naturæ & scriptâ, sacrificium ab hominibus DEO in propitiationem atq; impetrationem offerendum sit, præter illud, qvod Christus ipse in arâ crucis DEO Patri obtulit?

Qvem hîc obiter errorem in ipsâ qvæstione & qvasi aliud agens miscet Masenius, de *Sacrificiis Lege naturæ præceptis*, non prolixè confutabimus. Sacrificia omnia Christum ejusq; sacrificium in cruce olim peragendum respiciebant. Hoc verò nec integra natura, talis sacrificii non indiga, nec corrupta noverat. Divinâ hîc revelatione opus, qvæ per institutos hujusmodi ritûs peccatores ad Christum velut manuduceret: qvâ de re Dorsch. *Mysar. missa*, *c.1.§.13. sqq. & P.I.Theol.Zach.§.52.* Franz. *Schola Sacrif. Disp. 1.* Calov. *Comment. in Genesin p.436.510.sq. Isag. in S. Theol.L.1.p.53. & Tom. IV.Syst.p.723.* legantur. Capur causæ, qvod

I. Quæstionis explicatio.

attinet, non hoc qværitur : An generali fortè notione aut per metaphoram sacrificii appellatio Eucharistiæ aptari possit, (qvomodo preces, prædicatio Evangelii, eleemosynæ, gratiarum actiones sacrificia dicuntur *Phil.II,17.IV,8.Rom.XV,16.XII.1. Ebr. XIII,6.15.Psalm.L,14.Os.XIV,3.*) Neqve de eo disqviritur, an *res* cœlestis in S. Cœnâ, h. e. corpus Christi in mortem datum pro mundi vitâ, & sangvis Christi in arâ crucis effusus ad remissionem peccatorum, hoc nomen propriè sustineant, atqve S. Cœna adeò versetur circa aliqvid, qvod Sacrificium dici possit? qvod facilè admittimus: sed: an ipse Eucharistiæ *ritus*, à Christo mandatus, visibile, verè ac propriè dictum Sacrificium idqve propitiatorium sit, in qvo sub speciebus panis & vini corpus & sangvinem Christi DEO Patri sacrificulus offerat in peccatorum remissionem, & gratiæ DEI bonorumqve aliorum impetrationem? Hujus qvæstionis affirmativam sub anathemate promulgatam à Conc. Trid. *Sess.XXII.cap.2. & can.3.* meritò impugnant Protestantes, tum multas ob causas alias, tum ob ipsas illas, qvas Masenius adduxit. Rectè is (1.) urget initerabilitatem sacrificii à Christo oblati: *Eo qvòd Christus non sæpè offerat semetipsum, qvemadmodum Pontifex intrabat in Sancta qvotannis: alioqvin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, sed semel oblatus*

II. Orthodoxiæ confirmatio, tribus argumentis à Masenio institutis: qvia

oblatus sit ad multorum exhaurienda peccata. Ebr. IX, 25. 26. 28, unde Apostolus *ejusdem Epist. cap. X.* ostensurus, qvantum præcellat sacrificium Christi victimas Veteris Testamenti, inter alia hoc discrimen *vers. 10. seqq.* memorat, qvòd *sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. Et omnis qvidem Sacerdos præstò est qvotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, qvæ nunqvam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dextram DEI. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Ubi autem jam peccatorum remissio, non est ampliùs oblatio pro peccato.* Si semel oblatus est corpore suo Christus, si unâ oblatione consummavit in æternum eos, qvi sanctificantur, si nulla est oblatio pro peccato, ubi jam peccatorum remissio per unam Christi oblationem obtenta est, sanè illa qvotidiè repetita per sacrificulos oblatio Christi in sacrificio missatico necessaria non fuerit. Rectè (2.) addit: *Magnoperè hoc sacrificio derogari passioni & sacrificio Christi tanqvam insufficienti, & ad homines meritum redemtionis transferri, summâ Redemtoris nostri injuriâ.* Sanè si propitiandus hodieqve DEUS per missaticum sacrificiũ est, nõ sufficit ad propitiationẽ sacrificiũ in cruce à Christo oblatum. Aut enim perfectum hoc fuit, aut imperfectum. Si perfectum

(1) *Sacrificium Christi initerabile,*

(2) *Sacrificium Missaticum derogat honori Christi,*

fectum,reiteratione incruentâ, qvam fingunt,opus non habet,omne enim reiterabile imperfectum,judice Paulo *Ebr. X, 1. 2.* Si imperfectum, imperfectus etiam mediator fuit. Et qvot præterea in unum illum,verum ac summum sacerdotem injuriæ hic concurrunt? Si Canonem missæ à Tridentinis *Sess. cit. can. 6.* canonisatum audias: Corpus Christi deprecatore homine opus habet,qvi rogat, ut DEUS hoc donum *sereno vultu respicere dignetur & acceptum habere, sicut accepta habere dignatus est munera justi Abel & sacrificium Patriarchæ Abraham & Melchisedeci*: Corpus,qvod perpetuo est in conspectu DEI pro nobis *Ebr. IX, 24.* qvod propriâ virtute evectum in cœlos sedet ad dextram majestatis divinæ,id,orat sacrificulus,ut *jubeat DEUS proferri per manûs Angeli in conspectum divinæ majestatis suæ*: Corpus Christi *donatur DEO à sacerdote*, (scilicet ut à Pilato donabatur Josepho Arimathæo) Bellarmino judice *L. 1. de missâ. c. 25. §. Deniq.* Convertitur Christus in Leviticum Sacerdotem,cui iterato sacrificio opus: sacrificium ejus infinitum in finitum mutatur: (fatente iterum Bellarmino *L. II. de missâ, c. 4. propos. quartâ*) merita Sanctorum,qvos longâ serie impius Canon recenset,meritis Christi miscentur: Deniqve difficile fuerit, inire numerum impietatum, qvas

qvas illud ſacrificium involvit. Addit (3.) Maſenius: *Res hæc tantùm ad qvæſtum faciendum, præſertim in ſacrificiis pro animabus defunctorum ex flammis purgantibus eruendis reperta eſſe videtur.* Neqve aliter res habet. *Una & potiſſima qvæſtura regni Pontificii eſt cauponatio & nundinatio privatarum miſſarum*, veriſſimè ſcribit Chemnitius *Exam. P. III. de privatis miſſis p. 363.* Hinc olim Auguſtani Confeſſores *abuſ. art. 3. p. 25.* multa ſuper hâc turpi qvæſturâ conqveſti ſunt, aperto ore profitentes, *ab initio mundi nullam rem divinam, ita videri unqvam ad qvæſtum collatam fuiſſe, ut miſſam.* Qvin inter Pontificios ipſos, qvi cordatiores erant, hunc abuſum & perviderunt & notarunt. Georgii Wicelii (qvem *variæ virum eruditionis, Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ Lingvæ peritiſſimum, ingenio excellentem, & ſermone diſertum* Sixtus Senenſis *L. IV Bibliotb. p. 290.* vocat,) *in Compend. de ſemit. antiq. Artic. de miſſâ p. 306.* digna ſunt, qvæ hîc legantur verba. *Particulares miſſulæ* (ſic ait ille, poſtqvam qverelæ Confeſſionis Auguſtanæ fuiſſet *p. 298.* aſſenſus:) *non congruunt cum inſtitutione Cœnæ, nec cum traditione Paulinâ, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Eccleſiâ teſtimonium aut exemplum, nec ſanctorum Patrum* (*de antiqvis loqvor*) *conſenſionem firmam, nec beatorum martyrum aut homologetarum*

(3) *et tantū ad qvæſtum faciendum comparatū eſt.*

tarum ad stipulationem, nec deniq; œcumenicorum conciliorum veterum approbationem ullam: sed nuperis seculis adinvenit has vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia, & Φιλαργυρία. Divites hujusmũdi simplices, imò stolidi Midæ, ab habendi cupidis persvasi, has sibi proprias fecerunt, alius numerata pecunia, alius agris pratisq;, alius vineis, alius aliis emolumentis emerunt, ad redemtionem animarum peculiariter suarum: & qvo negotiatio ista foret certior, membranis sanxerunt indeletis, ut repeterentur istæ, vel omni die, vel omni mense, vel omni anno. Onerati ligatiq; peccatis, sic se solvi, & sic se pœnas (qvas dicunt) purgatorias effugere posse, putant; perinde ac si in hunc finem pararetur in publico cœtu cœna Dominica. Atq; has emtiones vocant solennes fundationes, aut supremas morientium voluntates; qvæ fons & origo sunt tot altarium per templa penè omnia, tot sacerdotum, tot meretricum, aut totius hujus gravaminis, de qvo conqveritur adhuc & ingemiscit totus terrarum orbis. -- Lernam malorum hinc provenientium oportebat emendari potiùs, qvam deplorari, si summus Rom. Pontifex Christi Petriq; vestigia inseqvi mallet, qvàm usurpare plausibilia horum nomina, & Episcopis tam cordi esset Ecclesia qvam est aula. Similis Cassandri qverela, suos insimulantis *Consult. Art. 24. p 154.* qvòd *missam tanqvam qvoddam opificium, unde vitam traducant,*

ducant, quæstûs tantùm causâ obeant. Qvin dudum ante hos Guilelmus Peraldus Lugdunensis A.1290. Episcopus in *Summa virtutum & vitiorum*, Sacrificulos suæ Ecclesiæ Judâ non parum deteriores esse asseverabat, qvòd Christum non semel vendant, Judæ exemplo, sed qvoties missas privatas obeunt, venalem exponant, neqve restituant argentum pœnitentiâ ducti, ut Judas, sed subinde novos etiam emtores qværant. Non addemus plura huic illustrando argumento, qvandoqvidem ipse Masenius tacitum assensum præbere videatur: qvi, cùm ad cæteras, qvas protulit ex mente Protestantium, rationes, respondere voluerit, ad ultimam istam conticuit penitus.

III. Masenianarum Exceptionum confutatio: qva proferuntur contra I. argum.

Qvid verò ad initerabilitatem sacrificii à Christo oblati, & sufficientiam, cui derogari per missaticum sacrificium Protestantes docent, reponat, examinemus. *Respondent Catholici, tantum hanc rem ab injuria Christi meritis ac passioni irroganda abesse: ut nihil in universa ejus Ecclesiâ gloriosius pro recolenda æstimandâq; passione ejus reperiatur. Hujus enim commemorationem, (non iteratam in cruce oblationem, qva unica, & semel facta sufficit,) mille locis, sacrificiisq; toto orbe, omniq; horâ, hîc atq; apud Antipodas recoli; cruentæ enim illius oblationis, in sacrificio hoc nostro incruento, repræsentationem fieri; ita tamen, ut vis omnis meritorum & satisfa-*

ctionis ab illâ cruentâ immolatione Christi promanet. Cum Redemtor ipse in hoc etiam sacrificio nostro primarius Sacerdos & immolans sit, qui repræsentet æterno Patri corporis sangvinisq; pro nobis in cruce oblati pretium. Hîc qvòd (1.) distingvit inter *oblationem cruentam*, qvam semel in cruce factam esse, nec iterari posse concedit, & illius *commemorationem & repræsentationem incruentam*, qvæ in sacrificio missatico repetatur, nescio, an satis Concilii Tridentini placitis consonet? Id enim pugnat, neqvaqvam in nudâ commemoratione & repræsentatione cruenti illius & propitiatorii sacrificii consistere missam, adeò ut anathema vibret in eum, qvi sic disputare præsumserit. Canon 3. de Sacrificio Missæ Sess. XXII sic fulminat: *Si qvis dixerit, Missa Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neq; pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Eqvidem Scholastici sic ferè omnes disserebant: non aliâ ratione S. Eucharistiam sacrificium dici posse, qvàm qvatenus corpus & sangvinem Christi, veram & unicam pro peccatis mundi victimam, exhibet, & unum illud in cruce peractum sacrificium simul repræsentat &

Ubi exam. dist sacrificii cruenti & incruenti.

& commemorat. Ita enim communis illorum magister P. Lombardus docuerat *L. IV. d. 12. lit. G.* ubi sic inter alia quærit: *Si, quod gerit sacerdos, propriè dicatur Sacrificium, vel immolatio, & si Christus quotidiè immoletur, vel semel tantùm immolatus sit?* Et quæstionem ita solvit: *Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii & immolationis factæ in arâ crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibiq; immolatus in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.* Eodem modo Thomas *P. III. Summæ q. 83. a. 1: Duplici ratione celebratio hujus Sacramenti dicitur immolatio Christi. Primò quidem, quia sicut dicit Aug. ad Simplicianum: solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum Imagines sunt; sicut, cùm intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus: ille Cicero est, & ille Salustius. Celebratio autem hujus Sacramenti imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio: Et ideò celebratio hujus Sacramenti dicitur Christi immolatio. -- Alio modo, quantum ad effectum passionis Christi: quia scilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructûs Dominicæ passionis.* Consensum Juris Canonici apud Gerhardum *T. III. Conf. Cath.*

 p. 1156.

p.1156.1213.sqq. aliorum, qvorum ingens in Ecclesiâ Romanâ est autoritas, apud Calixtum *de sacrificio Christi initerabili* §. *109. sqq.* & Dreierum *Dispp. contra Pontif. p. 1126. sqq.* lege. Horum ergò sententiâ nonnisi impropriè, & per extrinsecam denominationem sacrificii appellatio Eucharistiæ competet, qvatenus illa sacrificium repræsentat, ejusqve fructum communicantibus fidelibus impertit. Qværere ergò ex Masenio lubet, an illud sacrificium suum, qvod commemorationem & repræsentationem cruenti illius sacrificii à Christo in cruce semel oblati vocat, propitiatorium simul esse censeat, an nudè commemorativum. Si hoc, incurret anathema Tridentinum. Si illud, & Lectori illudet contradistingvendo conjunctissima, & Apostolo contradicet, qvi *sine effusione sangvinis non fieri propitiationem* Ebr. IX, 22, scribit, omneq; adeò sarificium propitiatorium cruentum esse testatur. Derogabit etiam sacrificio in cruce semel peracto, cui uni virtutem propitiatoriam ascribit idem Apostolus, & ita ascribit, ut *offerri Christum*, & *pati Christum* necessaria connexa esse doceat, *Ebr. IX, 26.* neq; inter sacrificium cruentum & incruentum qvicqvam distingvat. Sed nec apparet, qvomodo explicari *sacrificium* illud *incruentum* possit, qvin *ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ* involvatur. *Ad verum sacrificium* (ita Bellarminus *L. I. de missâ*

c.2.extr:) reqviritur, ut id qvod offertur DEO *in sacrificium, planè destruatur, i. e. ita mutetur, ut desinat esse id, qvod antè erat: -- & non solùm usus rei, sed ipsa etiam substantia consumatur. Nunc corpus & sangvis Domini sunt id sacrificium, qvod in missâ propriè offertur & sanctificatur*, ut ait idem Bellarm. *L. II. de missâ. c.27.* Aut ergò destruentur ratione substantiæ suæ, qvod impium dictu, aut sacrificium illud incruentum sacrificium non erit. Sed hæc de primo effugio sufficiant. Qvòd (2.) *vim omnem meritorum & satisfactionis ab illâ cruentâ immolatione Christi deducit*, eo ipso propitiatorium sacrificium incruentum evertit. Hac enim ratione missa tantùm applicabit virtutem meritoriam & satisfactoriam propitiatorii sacrificii, propitiatorium sacrificium non erit? Cæterùm an omnem virtutem meritoriam & satisfactoriam cruento Christi sacrificio relinqvant, nihil illius incruento tribuant Pontificii, non immeritò dubites. Enimverò Concilium Tridentinum non ideò tantùm propitiatorium hoc sacrificium facit, qvia incruentum illud repræsentet, sed qvia eundem Christum, qvi olim cruentè semetipsum obtulit, incruentè immolet. *Qvoniam* (ait *cap.2. Sess. XXII.*) *in divino hoc sacrificio, qvod in missâ peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qvi in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium*

2. argum.

Ubi expend.

qvam virtutem Missæ tribuant,

tiatorium esse. - Hujus qvippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Qvodcunqve sacrificium vim placandi DEUM habet per hoc, qvòd Christum in se continet, eumqve incruentè immolat, & cujus oblatione placatus DEUS, crimina etiam ingentia dimittit, id non tantùm vi incruenti, qvod repræsentat, sacrificii, propitiatorium est. Sed illud de missâ affirmant Tridentini. Ergò. Qvid verò argumentis opus, cùm habeamus confitentes reos? Expendat modò Lector Catechismi Conc. Trid. verba è *cap. de Eucharistia Sacramento p. 293. edit. Colon. 1567: Sacrificiũ hoc non merendi solùm, sed etiã satisfaciendi efficientiam continet. Nam uti Christus in passione suâ pro nobis meruit & satisfecit: sic qvi hoc sacrificium offerunt, qvo nobiscum communicant, Dominicæ passionis fructûs merentur, ac satisfaciunt.* Confer Hülsem. *de sacrificio missæ contra Hug. Grotium §. 77. sqq. 89. 106. sqq.* Qvòd (3.) *Redemtorem in hoc etiam sacrificio nostro primarium sacerdotem & immolantem* vocat, *qvi repræsentet æterno Patri corporis sangvinisq; pro nobis in cruce oblati precium*, ipsum qvoqve cùm honore Optimi Salvatoris pugnat, qvem sacerdotibus veteris Testamenti in hoc Epistola ad Ebræos opponit, qvòd perpetuò ille

& qvo jure Christo alios sacerdotes

lle ac unicus ſacerdos ſit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm plures fuerint in Veteri Teſtamento ſecundum ordinem Aaronis. *Illi qvidem plures facti fuerunt ſacerdotes, ideircò qvòd morte probiberentur permanere, at hic, qvod maneat in æternum ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην, habet ſacerdotium perpetuum, & qvod non tranſit ad alios. - Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Ebr. VII, 23. 24. 26.* Confer. *c. VIII, 1. 4.* Ut Chriſtus nullos agnoſcit ſecundarios Salvatores (*Eſa. XLV, 22. LXIII, 3.*) ita nec ſecundarios ſacerdotes. *Aſcendens ipſe in cœlum, alios conſtituit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opꝰ miniſterii,* Eph. IV, 11. 12. de iis, qvi in ſacrificandi officio ſive ſuccederent ipſi, ſive vicarias operas præſtarent, tantùm abeſt, ut proſpiciendum Eccleſiæ putaret, ut ipſe potiùs *oblatâ pro peccatis unâ victimâ perpetuò ſedeat ad dextram DEI,* & corporis ſangvinisqve ſui pro nobis in cruce oblati pretium interceſſione ſuâ repræſentet, *apparens* (non in terrâ, per ſacrificium misſaticum, ſed) *in cœlo pro nobis in conſpectu DEI, Ebr. X, 12. IX, 24.* Propriè ergò loqvendo Sacerdotem unum habemus: metaphoricè autem omnes Chriſtiani hoc nomen ſuſtinent *I. Pet. II, 5. Apoc. I, 6.*

adjungant Pontificii.

I,6. qvod cùm verbi miniſtris etiam in ſpecie applicatur, non id ob ſacrificium misſaticum fit, ſed propter prædicationem Evangelii, preces aliasqve officii partes, qvæ metaphoricè Sacrificia in Scripturis appellantur. Vid. Gerh. *L. de Min. verbi* §.*14*. Meiſner. *P.II. Philoſ. Sobr. S. I. c. 1. q.20. p. 269. ſqq.* Dorſcht *Myſar. Miſſæ p.320.* Danhau. *Hodom. Pap. t.II. p.638.* Dreier. *Diſpp. contra Pontificios p. 1010. 1011.*

IV. ❧ *Objectionum ſolutio: ſumtarũ (1) ex Scripturâ.*

Nunc, qvalia ſint, qvibus ex Scripturâ & Auguſtino ſacrificium misſaticum incruſtare laborat, cognoſcendum porrò nobis eſt. Compegit autem Scripturæ teſtimonia in hunc, qvem aſcribemus, contextum. *Juxta illud Davidicum Chriſtus eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,* (Pſ. CX,4.) *qvi panem & vinum protulit,* (*erat enim ſacerdos DEI altisſimi, vel ut Hebræus textus habet Cohèn, id eſt, ſacrificans DEO altisſimo* Gen. XIV,18.) *Nam ſapientia ædificavit ſibi domum, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* (Prov. IX,1.) *Victimæ hæ, Chriſti caro & ſangvis, ſunt immolata. Qvia teſte Paulo:* (Ebr. XIII,10:) *Habemus altare, de qvo non edere habent poteſtatem, qvi tabernaculo deſerviunt, qvod Chriſtus cum ſacrificio inſtituit, qvando panem benedixit, fregit, ac dedit, dicens: hoc facite in meam commemorationem,* (Luc. XXII,20.) *In qvo facto & ver-*

bis

is Christi de corpore & sanguine prolatis, substantia sacrificii consistit. Jam verò dum in Cœnâ ait: (ibid. v. 19.) *Hoc est corpus, qvod pro vobis datur, & hoc est poculum sangvinis, qvod pro vobis effunditur, (ut Græca habent,) qvis non intelligat, eum de præsenti etiam suâ oblatione & effusione in Cœnâ loqvi, & non tantùm de futuro sacrificio cruento? Sed qvocunq; demum sensu accipiatur, satis est, qvod jusserit Apostolos idem facere, qvod ipse summus Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech in Cœnâ præstitit. Et sanè omnis Pontifex, ait Paulus,* ((Ebr. V. 1.) *ex hominibus assumtus est, ut offerat dona & sacrificia, quod fiet in Ecclesiâ verâ Christi, Daniele teste,* (Dan. XII, 11.) *donec ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio. Nec de eodem Christi tempore Esaiæ fallit vaticinium:* (Es. XIX, 19.) *In eâ die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & colent eum in hostiis & muneribus. Qvod per Malachiam manifestè DEus, rejecto legis sacrificio, confirmat: Offertis, inqvit,* (Mal. I, 7. 10. 11.) *super altare meum panem pollutum. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim Solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus (quibus Apostolos jussit prædicare,) & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hæc Masenius ex Scripturâ. Cui antequam respondeamus, observamus (α) in genere, esse inter

inter Pontificios, qvi parum præſidii in Scripturis miſſam habere agnoſcentes, in traditione Apoſtolicâ acqvieſcere malunt. Sanè in ipſo Concilio Tridentino Georgius Ataides Regis Luſitaniæ Theologus, qvanqvam *illud pro certo concludendum existimaret, doctrinam de ſacrificio misſatico Apoſtolicam eſſe traditionem, nec ullum eſſe Scriptorem Chriſtianum, qvi Eucharistiam non nuncupavit ſacrificium*, addebat tamen, *verum hoc ſolidumq́ argumentum debilitari ab his, qvi aërea ſibi ſtruunt: è ſacra Sripturâ idelicere fruſtrà conantibus, qvod nusquam ibi reperitur, atq́ adverſariis veritatis calumniâ violandæ anſam præbentibus, dum vident eos arenæ laxæ ac inſtabili inædificare. His præmisſis, ad loca è Veteri ac Novo Teſtamento à Theologis adducta ſingillatim examinanda pergens, è nullo horum expreſſum ſacrificii ſenſum depromi poſſe oſtendebat*, ceu Petrus Svavis refert *Hiſt. Concil. Trid. L. VI. p. 496.* Et qvid de Bellarmino ipſo dicemus, qvi *L. IV. de V. D. c. 8. §. ult.* multum ab ſe ipſo diverſus *dignitatem myſteriorum Miſſæ tantam eſſe* ſciſcit, *ut non decuerit illa in Scripturis, qvæ toti mundo leguntur, explicare*? Qvicqvid ſit, reſpondere (β) ad ſingula in ſpecie, non adeò fuerit difficile. Nam qvod *(1.)* Melchiſedeci ſacerdotium, ceu typum æterni ſacerdotii Chriſti, (juxta *Pſ. CX, 4.*) attinet, qvem *panem & vinum protuliſſe*, Moſes

Pſ. CX, 4.

Gen.

Gen. XIV, 18. commemorat, additâ ratione: *Erat enim Sacerdos DEI altiusimi*, (vel ut Masenii Critica habet: *sacrificans* כֹּהֵן *DEO altiusimo*) neminem facilè id moverit. Etenim (*a*) Figuræ in concludendo nulla vis est, nisi manifesto aliqvo Scripturæ dicto illius fiat accommodatio. Paulus vero, *Ebr. VII.* typum Melchisedeci in Christo impletum diligentisſimè evolvens de panis & vini sacrificio altum silet: ac tertium comparationis in notatione nominis *v. 2.* occultatione originis *v. 3.* perpetuitate subsistentiæ *v. 2. 8.* præcellentiâ præ Abrahamo *v. 4.* & aliis fortè qvibusdam monstrat, ceu jam suprà *p. 914.* monuimus, & modò laudatus Ataides in Concilio observabat, *ad locum de Melchisedeco respondens, Christum esse sacerdotem ex eo ordine, qvatenus unicus esset, & æternus, absq; decessore, sine patre, sine matre, sine genealogiâ: idq; ex Epistolâ ad Ebræos luce clarius evadere, ubi D. Paulus eam rem ubertim tractans, sacerdotii æternitatem, & singularitatem exponit, panis autem & vini nullam facit mentionem* ceu de ipso P. Svavis *l. 6.* scribit. Ergò qvòd Christus secundum ordinem Melchisedeci sacerdos est, nondum evincit, eumqvà *prolationem panis & vini* Melchisedeco conferendum esse, cùm alia exprimat Spiritus S. in qvibus ei similis est. Neq; (*b*) qvòd *Christus in æternum sacerdos* dicitur à Davi-

de, sacrificii Missatici perpetuam continuationem notat. Hanc enim Apostolus disertè removet in explicando Christi sacrificio occupatus: *Qui non habet necessitatem, quotidiè, quemadmodum sacerdotes, offerre. Hoc enim fecit semel, seipsum offerendo, Ebr. VII, 27.* Æternus sacerdos dicitur, qvia æternum vivit, qvia nullum ante, nullum post se in hoc sacerdotio habet, qvia virtus oblationis ejus æternum est efficax, qvia alter sacerdotii actus, intercessio usqve ad consummationem seculi durat. Qvæ Apostolus *cap. cit. v. 24. 25.* sic effert: *Eò qvòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest, accedentes per ipsum ad DEum, semper vivens, ad interpellandum pro eis.* Jam (γ) Melchisedecum panem & vinum sacrificasse, eoqve Missæ sacrificium præfigurasse, è *Gen. XIV, 18.* nunqvam probabitur. (*a*) Panem & vinum *protulit*, non *obtulit*: protulit non *sacrificaturus*, sed triumphali epulo Abrahami milites *refecturus*, uti post Tertullianum, Cl. Alexandrinum, Cyprianum, Epiphanium, Ambrosium, Chrysostomum, Eucherium Lugdunensem, Damascenum, Haymonem, Euthymium Zigabenum, Petrum Lombardum, Cajetanum, Isidorum Clarium, (qvorum testimonia apud Dorschæum *Mysteria Missæ c. 3. §. 71.-89.* habentur) Vatablus etiam exposuit; cujus sententiâ

Gen. XIV, 18.

tentiâ Melchiſedecus, ut Rex munificus panem & vinum Abrahamo victori, ceu moris erat (*Deut. XXIII, 4. Jud. VIII, 5.*) obtulit, ut ſacerdos benedixit, & decimas accepit. *Melchiſedecus*, ait, *protulit panem & vinum, i. e. laſſum & famelicum exercitum regiâ liberalitate refecit. Neq; enim exponendum eſt ut vulgò, ipſum protuliſſe panem & vinum, ut offerret DEO in gratiarum actionem, qvòd Sacerdos eſſet, nam duo dicit, qvæ neceſſariò diſtingvi debent, ipſum Melchiſedec fuiſſe Regem & ſacerdotem. Qvòd eſſet Rex, Abram ac ejus comites accepit hoſpitio, atq; aluit pane & vino. Panis nomine intellige omne cibi genus. Qvòd autem Sacerdos, benedixit jure ſacerdotii, & decimas ab eo recepit. Vetus autem hic mos fuit, ut qvi Reges erant, ſimul ſacerdotio fungerentur.* (*b*) Præterea panis & vini nomine omne ciborum genus notari ſolet, ex obſervatione ipſius Bellarmini *L. I. de Euchar. c. ult §. reſpondent nonnulli.* eamqve uſurpationem *propriam ac primariam* eſſe judicat Gordon. Huntlæus *Controv. 4. tom. 3. p. 26. num. 2. ſqq.* qvæ & h. l. circumſtantiis textûs optimè convenit. Neqve enim veroſimile eſt, aut regiæ magnificentiæ congruum, nudum panem reficiendis militibus Abrahæ oblatum fuiſſe. Sic autem concidet argumentum, qvod pro miſsâ ex typo Melchiſedeci deducitur. (*c.*) Cauſalis illa; *Erat enim Sacerdos*, (qvaſi ideò

deò obtulerit, qvia ſacerdos erat,) in fontibus non habetur, ſed copulativa: qvam & Chaldæus, Septuaginta, Arias Montanus, Vatablus, Franc. Junius, & alii expreſſerunt. Sanctes Pagninus notanter: *Melchiſedech protulit panem & vinum: & ipſe cùm eſſet ſacerdos DEO altiſſimo, poſſeſſor cœli & terræ, benedixit ei.* Cajetanus ad *h. l. Nihil ſcribitur hîc de ſacrificio ſeu oblatione, ſed de prolatione ſeu extractione: qvam Joſephus dicit factam ad reficiendos victores. Qvod autem in vulgatâ editione ſubditur, ut cauſa oblationis, erat enim ſacerdos DEI altiſſimi, non habetur ut cauſa, ſed ut ſeparata clauſula, & ipſe ſacerdos DEO excelſo. Adjungit ſiqvidem regiæ dignitati ac liberalitati dignitatem ſacerdotalem.* (*d*) Criſis illa in voce *Cohen*, qvam participialiter explicandam de actu ſecundo ſacrificandi, contra vulgatam etiã verſionem, Papiſtis alioqvi avthenticam, contendit, merum λεπτολόγημα eſt. Novimus nihil uſitatius eſſe Ebræis, qvàm participia nominaſcere, (vid. Glasſius *L. III. Philol. Sacr. tr. 4. c. 2. p. 672. ſqq.*) & *Cohen* vix alio, qvam nominali ſenſu, qvo ſacerdotem notat aut principem etiam, (vide Sanctium in *IV. Reg. X, II. p. 1471.* & ex noſtris Dn. D. Geier. *Comm. in Pſalm. T. II. p. 412.*) uſurpari. Ac habemus interpretem exceptione majorem, Apoſtolum, qvi verba illa: כֹּהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן per *ἱερέα τῦ Θεῦ ὑψίςυ* vertit *Ebr. VII, 1.* (*e.*)

1. (e.) Qvòd si admitteremus deniqve, sacrificâsse Melchisedecum, vereor tamen, ne præfigurationem sacrificii missatici salvis suis hypothesibus Pontificii admittere non possint. Non erit Missa sacrificium propitiatorium, (Melchisedecianum enim, evcharisticum erat,) nulla erit transsubstantiatio, panem enim & vinum offerebat Melchisedech, non aliud sub panis & vini speciebus: permittendus erit Laicis calicis usus, namqve ut panem, sic vinum omnibus Abrahæ militibus Melchisedech distribuebat: vini cum aqvâ mixtio non erit necessaria, qvia vinum, non crama protulit Melchisedech. Christus non tantùm secundum ordinem Melchisedeci, sed Aaronis qvoqve sacerdos erit, qvia & Aaronici sacerdotes panem & vinum offerebant; missa non erit offerenda pro defunctis, qvia Melchisedech viventibus panem & vinum obtulit. Seqventur plura alia, qvæ Pontificii nunqvam admiserint. Sed hæc omnia accuratè & copiosè deducta legantur apud Dorschæum *Mysar. Missæ c. 3. p. 49 104.* & conf. Chemn. *Exam. p. 340.* Gerh. *Conf. Cath. T. III. p. 1179-1185.* Hutter. *L. I. de missâ c. 6. p. 57-150.* Thumm. *apodix. contin. de missâ, p. 1-21.* Danhauer. *T. II. Hodom. Pap. p. 611.-620.* Hülsem. *contra Hager. Disp. XXII q. 1. §. 2. 3. p. 1288. sqq.* Muller. *anti-Jansen. §. 666. sqq.* Calov. *Comm. in Gen. p. 838.* Rivet. *in Gen.*

Exerc.76.78. & *in Psalm.CX.p.459-467.* Maresf. *T. II Anti-Tirini p.718.sqq.* Heidegger. *Anat.Conc.Trid.p.766.sqq.* & qvi in Maldonato omnia Masenii ex hoc textu argumenta, Scriptor licèt Pontificius, eruditè confutavit Petrus Picherellus *opusc. p.333-358.* & *p.120-134.*

Prov. IX, 1. (2) *Mensa Sapientiæ, immolatio victimarum, & vini infusio Prov.IX,1.* sacrificium non evincit. Cornelius à Lap. *h. l.* plures sensûs colligit de mensâ academicâ, crucis, providentiæ divinæ, doctrinæ, Eucharistiæ. Nihil horum sacrificium probat. Si enim maximè ad Eucharistiam applices, *Sacramentum* potiùs, qvàm *sacrificium* deprehendes. Epulum enim instruit sapientia, mactat altilia sua, vinum miscet seu infundit, mensam proponit, Hospites invitat, qvæ omnia ad rationem Sacramenti potiùs pertinent. Ac ne in *immolatione victimarum* fortè hæreas, non modò sunt, qvi martyres intelligant, (ita Eman. Sa, Augustinum citans,) sed & commodè Menochius observat: *Verbum* טבח *est mactare, occidere, jugulare, immolare, & usurpatur etiam, cùm animalia non mactantur occasione sacrificii, ut patet multis exemplis apud Pagninum in thesauro. Sensus ergò est: Animalia occidit ad convivium instruendum.* Sanè Josephus fratres excepturus convivio eadem phrasi jubet טבח טֶבַח מְבֹחַ *mactare mactationem,* (uti hic

hic sapientia כִּבְהֵה טֶבַח *mactavit mactationem suam*) *Gen. XLIII, 15.* Confer *Matth XXII, 4.* Qvòd si maximè de victimis propriè dictis sermo sit, fatemur & nos, victimam immolatam nobis in mensâ Eucharisticâ proponi, at immolari in mensâ Eucharisticâ, negamus. *Habemus Pascha nostrum, immolatum pro nobis Christum.* Nostrum est, (non immolare de novo, sed) *epulari in azymis sinceritatis & veritatis*, 1. Cor. VII, 7. 8.

(3.) Sed nos, teste Paulo *Ebr. XIII 10.* *habemus altare, de qvo non edere habent potestatem, qvi tabernaculo deserviunt.* Respondeo (*a*) Ab altari ad sacrificium non rectè concludi, ex *Jos XXII, 26.* intelligitur. Videbat Johannes in cœlis altare, *Apoc. VI, 9. VIII 3. IX, 13. XI, 1. XIV, 18.* &c. Itane in cœlis qvoq; missæ celebrantur? (*β*) Utiqve habemus altare, Christum ipsum, ejusqve crucem, per qvem sacrificia laudis, & fructûs labiorum, hostias DEO placentes offerimus, ut *vers. 5.* disserit Apostolus. De hoc altari comedere non possunt, qvi tabernaculo adhuc serviunt: h. e. qvi Leviticum adhuc cultum tenent, & ceu necessarium urgent, iis Christi mors ac meritum nihil prodest, *Gal. V, 2.* Hinc Bellarminus *L. I. de missâ c. 14. §. Ex his verbis.* huic loco diffisus scribit: *Existimant aliqvi, mensam Domini expressè vocari altare, Ebr. 13. in illis verbis:* *Ebr. XIII, 10.*

Habemus altare &c. tamen qvia non desunt ex Catholicis, qvi, eo loco per altare intelligant crucem aut ipsum Christum, non urgeo istum locum. Vide Gerh. *Comm. h. l.* & *Conf. Cath. p. 1205.* Georg. König. *Vindic. Loco XII* Meisner. *Philos. Sobr. P. II. S. 1. q. 19. p. 264* Danh. *Christeid. p. 189.* Mares. *Anti-Tirini T. II p. 701. sq.* Mornæ. *de Euch. L. III. c. 3. p. 801. sqq.* & inprimis Rainold. *Colloq. cum Harto, C. VIII. S. 4. p. 322. sqq.*

Verba S. Cœnæ: imperativa:

(4.) In institutione Cœnæ geminum fundamentum missatici sacrificii qværit. Unum in modo Imperativo: *Hoc facite.* Alterum in tempore præsenti: *Hoc est corpus meum,* inqvit Christus *qvod pro vobis datur* (nunc in oblatione, non tantùm dabitur mox in cruce:) *Hoc est poculum sangvinis, qvod pro vobis,* (non modò in cruento sacrificio effundetur, sed jam nunc in Eucharistiâ) *effunditur.* Respondeo ad *prius:* Mandatum: *Hoc facite,* fideles omnes concernit, qvod & nos suprà *p. 915.* ex Bellarmino docuimus, & Estius *ad Luc. XXII, 19.* animadvertit. Ergò si sacrificium posceret, omnes fideles constitueret Sacerdotes. Et sanè Paulus idem mandatum ad calicis qvoqve bibitionem expressè applicat *I. Cor. XI, 25.* Unde palam est, non novum qvid illis verbis præcipi, sed qvod præceptum jam erat, ad certum finem destinari: *Hoc facite* (i. e. benedicite, frangite, distribuite: edite, bibite)

bibite) *ad meam commemorationem.* Qvod qvidam *facere* pro synonymo τοῦ *sacrificare* venditant, id Estius ipse *in I. Cor. XI. p. 410.* Fr. Svarez *P. III. T. III. Disp. 74. sect. 2.* aliiqve infringunt. Vid. Dorsch. *Mysar. c. 6. §. 20. p. 195. sqq.* Meisner. *Philos. Sobr. P. II. S. I. c. I. q. 17. p. 233. sqq.* Gerh. *C. C. III. 1197.* Hülsem. *c. Hager. p. 1293.* Höpffner. *Isag. theor. p. 106.* Heidegger. *Anat. C. T. 775. sq.* Ad *posterius*: qværo primùm, cur Vulgatam suam hîc iterum deserat Masenius, qvæ apud Marcum & Lucam habet: *Sangvis, qvi effundetur*, apud Paulum autem *1. Cor. XI. Corpus, qvod tradetur*? Nonne hinc colligere Pontificius debebat: Christum non *de præsenti qvadam oblatione & effusione in Cœnâ, sed de jam jam instante cruento sacrificio* locutum esse? Deinde effusio & traditio vel de præsente, vel de paulò pòst futurâ explicabitur. Si de *præsente*, referenda erit non ad sacrificialem ritum, sed ad sacramentalem usum, comestionem & bibitionem discipulorum. Si de *futurâ*, signabit traditionem & effusionem, in cruce mox futuram, uti Chrysostomus, Augustinus, Beda, Anshelmus, Thomas, Cajetanus, Carthusianus, Ferus, Em. Sa, Barradas (observante Hülsem. *contra Hager. p. 1291.*) explicant. Qvæ enallage temporis præsentis pro futuro uti freqvens oppidò est, qvum vel certitudo, vel initium eventûs denotatur: (*ego jam libor*, ait Paulus

Indicativa.

lus II. Tim. IV, 6. *Filius hominis traditur in manûs improborum*, Matth. XXVI. 45. *Pono animam meam pro ovibus*, Joh. X, 15. &c.) ita hic à Cajetano imprimis eleganter declaratur: *Eâ tem ratione, qvâ illi Evangelistæ tres futuram effusionem sangvinis significarunt in præsenti per verbum effunditur, eadem ratione Paulus futuram in cruce fractionem Carnis Christi in præsenti significat, dicendo: frangitur. Communis autem ratio est, ut manifestaret Christus Discipulis, effusionem & fractionem tempore non distantem, sed tanqvam præsentem esse: & verè loqvendo de tempore præsenti, Grammatico more, tempus effusionis & fractionis tunc præsens erat, qvoniam jam incboatum erat tempus passionis ejus: ac per hoc, sicut incboato die, significari potest verbo præsentis temporis, qvicqvid illo die fit; ita incboato jam die passionis, potuit significari verbo præsentis Temporis omnis ejus passio. Præsens enim Grãmaticè non est instans, sed qvoddam Confusum præsens.* Vid. Hutter. *de Missa, p. 248. sqq.* Gerh. *l. c. p. 1193. sqq.* Dorsch. *c. 6. § 46. sqq p. 212.* Heidegger. *Anat. C. T. 773. sq.* Marcs. *T. II Anti-Tirini p. 753.* Cæterùm huc pertinet, qvòd prudentiores in Concilio Tridentino disputabant, *Christum in Cœnâ præcepisse qvidem, ut post mortem suam perpetua in Ecclesiâ oblatio fieret: sed seipsum neqvaqvam obtulisse, qvòd natura sacrificii id non permitteret. Atq; huic assertioni confirmandæ*

firmandæ ajebant supervacaneam alioqvi futuram oblationem in cruce peractam, qvandoqvidem eâ oblatione, qva in Cœnâ præcesſiſſet, universum genus humanum fuiſſet redemptum. Deinde, ſacrificium altaris à Chriſto inſtitutum in commemorationem ejus, qvod in cruce obtulit: nihil autem commemorari poſſe, niſi qvod eſt peractum. Ideo Eucharistiam ſacrificium eſſe non potuiſſe, ante Chriſti in cruce oblationem, ut refert P. Svavis *Hiſt. L.VI.p.495*. Qvam ſententiam & aliis Catholicis probari, Salmero, Azorius, aliiqve profitentur. Vid. Dorſch. *p.66. & 194.* Gerh. *p. 1154.* Hülſem. *p. 1293.* Jam ſi Chriſtus non ſacrificavit ipſe, cùm primùm Cœnam & inſtituit & celebravit ſimul, manifeſtum eſt, è præſente tempore, qvod de corporis ſui datione & de effuſione ſangvinis ſui uſurpat, non poſſe actum ſacrificialem concludi. Summa: Non ait: Corpus ſuum tradi, & ſangvinem effundi in Euchariſtiâ; ſed corpus, qvod pro nobis traditur, & ſangvinem, qvi pro nobis effunditur, comedendum & bibendum dari.

(5.) Paulus *Ebr.V,1.* ſcribens: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumtus eſt, ut offerat dona & ſacrificia*, de ſummo Pontifice Veteris Teſtamenti loqvitur, cumqve illo poſtea Chriſtum, ceu unum & ſummum Novi Teſtam. Pontificem ſic contendit, ut hunc illo multum præſtare demonſtret; Ceu jamdum *Ebr.V,1.*

dum Apologia Aug. Conf. *p. 263. sq.* prolixè docuit. *De Levitico tantùm Pontifice Apostolum loqvi, & cum eo Christum conferre, manifestum est totam seriem seqventis dissertationis intuenti :* scribit ad illum locum Estius.

Dan. XII, 11. (6.) *Juge sacrificium*, qvod Daniel *c. XII, 11. positâ abominatione, ablatum iri* prædicit, à missâ toto cœlo differt. Agnoscit Bellarminus, verba Danielis non de sacrificio Missæ per Antichristum auferendo, sed de jugi Judæorum sacrificio intervertendo per Antiochum, loqvi. *Etsi* (inqvit *L. III. de Ecclesiâ c. 16 §. ad qvintum* :) *Hilarius can. 25. in Matthaum, & Hippolytus, atq; Apollinarius apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, intelligunt eam prophetiam de tempore AntiChristi, tamen sine dubio decepti sunt. Loqvitur enim Daniel apertissimè de eversione Hierusalem, & cessatione sacrificii Judaeorum. - - Et hanc solutionem coguntur admittere, haretici : nam ipsi dicunt, nunc esse tempora Antichristi. & fuisse jam à multis seculis, & tamen non cessant hostia & sacrificium : ergo debent intelligere hunc locum Danielis non de tempore Antichristi, sed de eversione Hierosolyma.* Pererius *L. X. in Dan. p. 23.* è sex, qvas recenset, interpretationibus eam amplectitur, juxta qvam *abominatio desolationis, qvâ sublatum est juge sacrificium non significat aliud, qvàm Romanum exercitum undiq; circumdantem*

dantem & arctissimè obsidentem civitatem Jerusalem. Nos de temporibus Antichristi explicari non inviti patimur, de qvo ceu typo Antiochi Epiphanis *cap. XII.* vaticinatur Propheta. Exprimit autem phrasibus Veteris Testamenti res Novi. *Adeoq; sicut sacrificium juge cultus erat divinitùs institutus, expiationem Messiæ perfectissimam ac unicam qvotidiè revocans in memoriam fidelibus: ita in N. T. remotio talis sacrificii nil aliud erit, qvàm extinctio meriti ac passionis Christi, non uno modo in Papatu facta per meritorum propriorum confictionem, sanctorum commendationem, superstitiosorum cultuum cumulationem.* &c. ut rem explicat Dn. D. Geierus (*Comm. in Dan. p. 994.* Conf. Danh. *Antichristos. p. 270.* Dorsch. *Mysar. c. 4. p. 107. sqq.* Balduin. *T. II. Witteb Disp. II. c. 6. § 113-120. p. 213 sqq.* Brochmand. *L. III de Pontif. Rom. p. 230. seqq.* Gerh. *Conf. Cath. III, 1186. sqq.* Hutter. *de Missâ p. 192. sqq.*

(7.) Danielitico Vaticinio succedit Esaianum, è *c. XIX, 19: In eâ die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & colent eum hostiis & muneribus.* Respondeo: Hanc prophetiam de altari materiali in mediâ Ægypto extruendo interpretari, Judaicus error est. Refert Josephus *L.* XIII. *antiqq. Jud. c. 4.* & *L.* VII. *de B. J. c. 30.* Oniam Pontificem, fugatum Hierosolymis & profugum in Ægyptum cum turbâ plurimorum Judæo- *Esa.* XIX, 19.

Judæorum, concessione Regis Philometoris templum in Ægypto ad Hierosolymitani exemplar ædificâsse, atqve pro defensione ejus facti hunc Esaiæ textum allegâsse. Sed uti *hic Pontificis conatus cassa temeritatis fuit*, Hieronymo judice: ita & Pontificiorum, aram missaticam in Ægypto ex hoc Prophetæ textu ædificantium: qvi non de altari propriè, sed metaphoricè de verò DEI cultu loqvitur. Sensus hic est: fore tempus, cùm & Ægyptus ad eundem DEUM convertetur ab idolis, qvem altari, sacrificiis & hostiis tum colebant Judæi, atq; tum altare Domini non Hierosolymis modò, sed in Ægypto etiam fore, h. e. verum DEI cultum in Ægyptum etiam propagatum iri Apostolorum præconio. Nihil freqventius Prophetis, qvàm cultu Novi Testamenti phrasibus sui ævi describere: qvomodo omnes gentes post ascensionem Christi Hierosolymam ad celebrandum festum tabernaculorum ascensuras, Zacharias *c.XIV*, *16.* & ituras ad montem Domini Esaias *c.II*, *3.* & Michas *c.IV*, *2.* prædicunt. Scilicet in talibus vaticiniis duo præcipitia cavenda, ne, qvæ propriè intelligenda sunt, accipiantur figuratè: Ac rursum: ne propriè intelligantur, qvæ figuratè accipi oportere, contextus, aut explicatio Spiritûs S. per alias Scripturas, analogia item fidei, & eventus docent, aut manifesta absurditas alioqvi secutura

eutura impellit. Atqve hæc Augustini regula hermenevtica est, qvam ascribere hîc placet, ut intelligatur, qvantum ab illâ hæc Masenii collectio abeat. Sic ille *L. III. de Doctr. Christ. c. 5. T. III p. 48: Cavendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Et ad hoc etiam pertinet, qvod ait Apostolus; Litera occidit: Spiritus autem vivificat. Cùm enim figuratè dictum sic accipitur, tanqvam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neqꝫ ulla mors animæ congruentius appellatur, qvam cum id etiam qvòd in eâ bestiis antecellit, hoc est intelligentia carni subjicitur seqvendo literam. Qui enim seqvitur literam, translata verba sicut propria tenet, neqꝫ illud, qvod verbo proprio significatur, refert ad aliam significationem. Sed si Sabbathum audierit, verbi gratiâ non intelligit unum diem nisi de septem, qvi continuo volumine repetuntur. Et cum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud, qvod fieri de victimis pecorum terrenisqꝫ fructibus solet. Ea demum miserabilis est animæ servitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.* Hoc si observarent Papistæ, nunqvam è vaticiniis hujusmodi, veterem per altaria, minchas, holocausta cultum in Novo Testamento refingerent. *Prudens & Christianus Lector hanc habeat repromissionum prophetalium regulam, ut qvæ Judæi, & nostri* (Papistæ)

imò

imò non nostri, Judaizantes carnaliter futura contendunt, nos spiritualiter jam transacta doceamus: ne per occasionem istiusmodi fabularum & inextricabilium, juxta Apostolum, qvæstionum Judaizare cogamur, scribit Hieronymus *Comment. in Esa. XI. T. V. fol.* 24. E. Confer omninò Brent. *Comm. h. l. p.* 274. Glass. *præfat. Rhetor. Sacr.* Danhauer. *Idea Boni Interpp. P. II. S. I. a. 6. a. 17. p.* 237. Balduin. *Phosphori Cathol. L. XI. c. 14. p.* 1069. Franz. *Schola sacrific. Disp. VII. §. 95 sqq. p.* 177. Hutter. *de Missâ, p. 186. sqq.* & ex Veteribus Euseb. *L. I. Demonstr. Evang. c. 6. p. 345. sqq.*

Malach. I, 7. 10. 11. (8.) Finit argumenta ex Scripturis depromta Malachiæ Prophetiâ, qvæ *c. I, 7. 10. 11.* extat. Qværerem hîc ex Masenio, num voces מִקְטָר & מִנְחָה *suffumigatum vel incensum*, & *oblatio* proprè an metaphoricè intellectas cuperet? Si propriè, oportebit vel suffitum facere, qvod *Miktar* est, vel offerre in Missâ thura, similam & oleum, eaqve adolere igni in svavem odorem Jehovæ: Hoc enim est *Mincha* in Lege *Lev. II, 1. 2.* Si metaphoricè, oportebit fateri, cultum spiritualem Novi Testamenti præfiguratum per observationes istas legales, intelligi; non Missam. Ea enim adversariorum sententiâ, non metaphoricè, sed propriè Sacrificium est; neqve, qvod Malachias deistâ oblatione ait, in omni

omni loco, sed tantùm in consecrato altari offerri potest. Præterea Mincha sacrificium εὐχαριστικὸν erat, non ἱλαστικὸν seu propitiatorium, qvale Missa est Papistis. Loqvitur proinde de Sacrificiis spiritualibus Propheta, qvalia stylo Scripturæ sunt prædicatio Evangelii de Christo crucifixo, qvâ commemoratur sacrificium in cruce peractum, *Rom. XV, 16.* sacrificia item fidei *Phil. II, 12.* & contriti cordis *Psalm. LI, 19.* precum, *Psalm.* CXLI, *2. & Apoc.* VIII, 4. laudum & confessionis, nec non amoris ac beneficentiæ, *Ebr.* XIII, 15. 16. *Phil.* IV, *18.* patientiæ ac promtitudinis pro Christi gloriâ vitam impendendi, II. *Tim.* IV, 6. Seqve hostiam viventem, sanctam, DEO placentem sistendi, *Rom. XII, 1.* Atqve de his spiritualibus sacrificiis Cyrillus, Hieronymus, Theodoret. *h l.* Eusebius *L. 1. demonstr. Evang. c. 10. p. 359.* Chrysost. *Orat. 2. contra Judæos*, & ex Latinis Tertullianus *c. 5. adv. Jud. & L.* III. *c. Martion c. 22. L.* IV. *c. 1.* Cyprianus *L. I. c. Judæos c. 16 p. 265.* ipseq; Augustinus *Orat. contra Judæos c. 9 T.* VI, *p. 76.* pluresqve alii explicant. Hic enim postremus, ad cujus judicium in hac cæterisq; controversiis appellare ferè Masenius solet, contra Judæos verba Malachiæ explicans Judaizantes simul Pontificios confundit. *Neq; hoc ita prædictum est, ut vos prophetica sententia,* (Mal. I.) *respondere permittat, qvia manibus non offerimus carnem, sed corde & o-*

re offerimus laudem. Plura pro hâc interpretatione, Patrum testimonia lege apud Mornæum *L.*III *de Euchar.c.2. p. 785. sqq.* & confer Dorschæum *Mysar.c.5.1010, p.132-191.* Hutter. *de missâ L.I. c. 10. 1010, p. 199-234.* Gerh. *Conf Cath. T.* III. *p. 1189. sqq.* Hülsem. *contra Hager.p.1295 sqq.* Balduin. & Calov. *Comm. h.l.* Danh. *Hodom. Pap.T.*II.*p. 631.sqq.* Dreier. *Dispp contra Pontiff p.1138. sqq.* Rainold. *Colloq cum Harto Cap. 8. sect. 4. p.321.* Rivet. *Cath.Orth. tr. 3. q. 19. §. 12. sqq. T.* III. *p.355.*

(2) Ex Augustino: ad cujus testimonia

Succedat nunc Scripturis Augustinus, è qvo loca sex producit, Missaticum Sacrificium stabilire cupiens. Unum è *L.1. contra adversarium Legis & Prophetarum c. 20. T.*VI.*p 605: Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas, usq; ad nostra & deinceps tempora perseverat, & immolat DEO in corpore Christi sacrificium laudis: Nam juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Noverunt, qvi legunt, qvid protulerit Melchisedech, qvando benedixit Abraham, & jam sunt participes ejus. Vident tale sacrificium nunc offerri DEO, toto orbe terrarum. -- Qvod DEUM non pœnitebit, significatio est, qvod hoc sacerdotium non mutabit. Mutabit qvippe sacerdotium secundum Ordinem Aaron-Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris.*

vestris. Ecce quod est secundum Ordinem Aaron. Cur autem non accipiat, addit, & dicit: quia ab ortu Solis usq; ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur in nomine meo, & hostia pura. Alterum è *L. X C D. c. 20. T. V. p. 573: Verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator effectus est DEI & hominum, homo Christus Jesus: cum in formâ DEi sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus est DEus; tamen in formâ servi sacrificium maluit esse, quàm sumere. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, & ipse oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiâ sacrificium.* Tertium è *L. IX. confess. c. 13. T. I p. 160: Memoriam sui ad altare* (moriens Monica) *fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat. Unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum* (*peccatorum*) *quod erat contrarium nobis.* Quartum ex *L. IIX. C. D. c. 27. T. V. p. 492: Nec tamen nos Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed DEUS eorum nobis est DEUS. Quis enim audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare* (*etiam super sanctum corpus Martyris*) *ad DEI honorem cultumq; constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud memorias DEO eorum offeratur?* (Eadem *L. XX. contra Fau-*

 stum

ſtum *c.21.T.VI.p.375.* habentur.) Qvintum ex *Orat. contra Judæos, c.9.T.VI. p.76: Scrutamini Scripturas, in qvibus putatis vos habere vitam æternam. Et profectò haberetis, ſi Chriſtum in eis intelligeretis ac teneretis, ſed præſcrutamini eas, ipſæ teſtimonium perbibent de ſacrificio mundo, qvod offertur DEO Iſraël, non ab unâ gente, ſed ab omnibus gentibus, qvæ dicunt: Venite, aſcendamus in montem Domini, nec ſecundum Ordinem Aaron, ſed ſecundum Ordinem Melchiſedech, Chriſto enim dictum eſt: - - Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Sextum è *Manuali c. II. T. IX. p.796: Pulcherrime Jeſu Chriſte, rogo te per illam ſacratisſimam effuſionem pretioſi ſangvinis tui, qvo redempti ſumq, da mihi cordis contritionem, & lachrymarum fontem, præcipuè, dum ſacris altaribus, licet indignus, adſiſto, cupiens tibi offerre illud mirabile & cœleſte ſacrificium, omni reverentiâ & devotione dignum, qvod tu Domine DEus meus, Sacerdos immaculate inſtituiſti & offerre præcepiſti in commemorationem tuæ caritatis, mortis ſcilicet, & paſſionis pro ſalute noſtrâ, pro qvotidianâ ſalutis noſtræ reparatione. Confirmetur mens mea, inter tanta myſteria, dulcedine præſentiæ tuæ, ſentiat te ſibi adeſſe, & lætetur coram te - Panis vitæ, qvi nos reficis, & in te non deficis, qvi qvotidiè comederis, & ſemper integer manes: - Implè me gratiâ, & plenum conſerva, ut ad ſalutem animæ meæ*

man-

manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te, vivam de te; vivam per te, perveniam ad te.

Respondeo (1) in genere ad ista omnia: (α) Non Scripturam (cujus sensum planum fecimus hactenus) ad Augustinum, sed hunc ad Scripturam revocandum esse: Deinde (β) mentem ejus non ex verborum nudo sono, sed ex loqventis maximè sensu æstimandam esse. Sic autem se alibi explicat Augustinus, ut sacrificium non propriè dictum, sed repræsentationem propriè dicti sacrificii intellexisse, palam sit. Luculentus oppidò textus est, qvem ex *Epist. XXIII. ad Bonifacium* suprà *p. 373.* repetiimus, ubi profitebatur, *Christum semel qvidem immolatum esse, & tamen qvotidiè immolari in Sacramento. qvatenus Sacramentum similitudinem habet earum rerum, qvarum Sacramentum est. Ex hac autem* (ait) *similitudine Sacramenta plerumq; etiam rerum ipsarum nomina accipiunt.* Lombardus qvoqve post verba, qvæ paulò antè *p. 953.* recensuimus, ex Augustini *præfat. in expositionem 2. Psalmi 21.* citat ista, qvæ & *Tom. VIII. Opp. p. 105.* ita leguntur: *Certum habemus, qvia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. - Tamen ne obliviscamur, qvod semel factum est, in memoriâ nostrâ omni anno fit, scilicet qvoties Pascha celebratur. Numqvid toties Christus occiditur? sed tantum anniver-*

respond. (α) in genere, ostendendo, qvo sensu vocabula Sacrificii, immolationis &c. de S. Cœnâ usurpent Augustinus,

saria recordatio repræsentat, qvod olim factum est; & sic nos facit moveri, tanqvam videamus Dominum in cruce. Alia deinde ex *libro sententiarum Prosperi* eodem Augustino autore, qvibus idem confirmatur, profert, qvæ apud Gratianum qvoq; *de Consecr. dist.2.c.52.* habentur. Et qvid clarius istis? *Hujus Sacrificii caro & sangvis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur:* Sic scribit *L.XX. contra Faustum c. 21. p.376.* Et *L. X.C.D.c.5.T.V.p.543: Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Rursum *Libro LXXXIII. Qq. Qvæst.61.T.IV p.565: Seipsum obtulit in holocaustum pro peccatis, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in sua passionis memoriam commendavit, ut illud, qvod Melchisedech obtulit, DEO jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesiâ videamus offerri.* Planè ut Chrysostomus *Homil. 17. in Ep. ad Hebr: Qvid igitur, annon quotidiè offerimus? offerimus utiq; sed sic, ut commemorationem faciamus mortis ipsius.* Et rursus: *Illud sacrificium offerimus etiam nunc, id qvod tum oblatum fuit. Hoc enim facite, inqvit, in mei recordationem: non aliud sacrificium, qvemadmodum olim faciebat summus sacerdos, sed semper id ipsum offe- imus, μᾶλλον δὲ ἀνάμνη-*

σιν

τὴν ἐργαζόμεθα θυσίας, vel potius memoriam sacrificii celebramus. Expendat nunc pius Lector, annon suorum verborum optimo certissimoqve interpreti Augustino, qvàm Marenio, qvi velut obtorto collo ipsum invitum repugnantemq; ad missaticum sacrificium probandum rapuit, fidem habere malit. Scilicet non unam habebant causam SS. Patres, cur *Sacrificii, victimæ, immolationis, oblationis, hostiæ* similiaqve vocabula ad SS. Eucharistiæ Sacramentum transferrent, qvibus nos hodiè tum ob corruptum à Pontificiis illorum sensum, tum ob cessantem causam (qvalis inter alias erat oblatio communicantium,) parciùs utimur. Vel enim *rem* Sacramenti, non *ritum* & actionem voce sacrificii (non formaliter, sed materialiter tantùm & objectivè usurpatâ) designabant: vel ad eleemosynam, qvam uberrimè ad sacram mensam conferre communicaturus populus solebat, vel ad preces & gratiarum actiones atqve commemorationem mortis Christi, aliasqve causas respiciebant, vel generalem etiam sensum sectabantur, qvo sacrificium *omne opus, qvod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus DEO, relatum scilicet ad illum finem boni, qvo veraciter beari possumus,* (explicante sic Augustino *L.X.C.D.c.6.T.V p.545.*) notat: ceu post Chemnitium *P. II. Exam. p. 349 sqq.* Hutterus *de Missâ L.I c.15.p.295.sqq.* Meisnerus

& alii Patres.

rus *P.II.Philos. Sobr. S.I. c.1. q.18. p.237.sqq.* Dorschæus *Mysar. c. 9. §. 27.sqq. p.301.sqq.* Calixtus *de Sacrificio Christi initerabili*, Rainoldus *Colloqvii cum Harto C.8.S.4.p. 361. sqq.* eruditè docuerunt, & ad loca Patrum produci contra nos solita applicuerunt.

(a) in specie, ad L I contra advers legis & propb. c. 20.

Qvare nunc (a) in specie ad Augustini illa loca responderi facilè potest. Ad *primum*: (α) Ab *immolatione sacrificii laudis in corpore Christi*, ejusqve perceptione Sacramentali, ad *immolationem corporis Christi propriè dictam & propitiatoriam* N. V. C. (β) A *collatione allegoricâ* Melchisedeciani doni cum *re* Sacramenti ad *probationem Sacrificii* propriè dicti *dogmaticam* N. V. C. Figuram Sacramenti hîc cum aliis Patribus qværit Augustinus, non argumentum sacrificii, ut Hospinianus *Histor.Sacram.L.V.c.13.* Rivetus *Exerc: 79.in Gen.* Mornæus *de Euchar. L. III.c.2.p.768.* demonstrant. (γ) Aliud est, vaticinium Malachiæ ad Eucharistiam, ceu sacrificium metaphoricè (ratione objecti & adjunctorum) sic dictum accommodare, aliud ex Malachiâ sacrificium Eucharistiæ propriè dictum concludere velle. Prius fecit tantùm Augustinus, observante Huttero *de Missâ p.228.* Conf. Calixt. *de Sacrificio Christi initerabili §.15.16.*

L.X.C.D. c. 20.

Ad *secundum*: A sacrificio impropriè & materialiter sic dicto (h. e. qvod *sacrificii Sacramentum est*, ut ipse hîc Augustinus explicat.) ad sacrificium

cium propriè & formaliter acceptum N. V. C. Ad *tertium*: (α) A *dispensatione victimæ sanctæ, quâ* (victimâ) *deletum est chirographum* (qvam tot vocibus Augustinus profitetur.) ad *illius immolationem*, talem, qvâ deleatur chirographum, item (ϐ) A *memoriâ defunctorum* ad *Sacrificium pro defunctis* N. V. C. *Memoriam sui ad altare fieri desiderabat* Monica: Sacrificio autem expiari animam suam ád altare non poscebat, certissima qvippe, sese ἀπάρτι ipsoqve momento beatæ analyseos cum Domino fore, *Apoc. XIV.13.* Scilicet Commemorationes piè defunctorum in publico Ecclesiæ officio ante communionem fieri solebant: qvibus & qvietem defunctis gratulabantur superstites, & sese ad Sanctam fidei imitationem excitabant, testabanturq; simul fidem suam piis votis. Qvalis commemoratio hodieqve in nostris Ecclesiis obtinet, qvando è suggestu mortui in Domino recitantur, oraturq; DEUS, ut placidam Illis reqviem, ac beatam olim resurrectionem indulgeat. Alia verò ratio sacrificii, qvo placare Deum Pontificii solent, ut animas defunctorum è purgatorii, qvas fingũt, flammis liberet. Lege de his commemorationibus defunctorum in Ecclesiâ veteri, differentes, & qvantum illæ à missis pro defunctis differant, demonstrantes Urb. Rhegium *c. 16. de formulis*

L. IX. confess. c. 13. (*ubi de commemorationibus defunctorum ad aras in Vet. Ecclesiâ*)

cautè loqvendi p. 86. sqq. Chemnitium *P. II. Exam. tit: de missis in honorem Sanctorum p. 354. & P. III. de Precibus pro defunctis, p. 536. sqq.* Gerh. *T. VIII. L. de Morte §. 180. & L. II. Conf. Cath. P. II. p. 526.* Hôpffner. *Saxon. Evang. S. III. P. I. c. 15. p. 534. sqq.* Dorsch. *Mysar. Missæ c. XI p. 328. sqq.* Meisnerum *De Purgatorio, p. 556. sqq.* Hülsem. *Disp. de Missâ contra Grotium, th. 90. sqq.* Geier. *Disp. inaug. de precibus pro Defunctis, c. III. §. 33.* & qvi hoc egit peculiari scripto, qvod *offertorium primitivæ Ecclesiæ pro defunctis* inscripsit, D. Joach. Hildebrandum. Respondeo porrò ad *qvartum*: (*α*) qvod martyribus se facere negat Augustinus, id Sanctis suis Pontificii lubentes deferunt. Vid. suprà *p. 674.* (β) Augustinus S. Cœnam apud memorias Martyrum celebratam fuisse ait, non sanè *pro illorum intercessione apud DEUM obtinendâ* (qvem finem *missis in honorem Sanctorum* præfigit Synodus Tridentina *Sess. XXII, cap. 3. & can. 5.*) sed *ut eâ celebritate, & DEO vero de ipsorum victoriis gratias agamus,* (his verbis eodem, unde Noster sua depromsit, loco Augustinus sensa animi eloqvitur,) *& nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. Qvæcunq; igitur* (concludit) *adhibentur religiosorum obseqvia*

L. IIX. C. D. c. 27.

in

in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum. Intra hos limites si sese contineret Sanctorum mentio in Ecclesiâ Pontificiâ, non esset, qvod eâ parte improbaremus. Vid. Chemn. *Exam. p.353.354.* (γ) *Offerendi* verbum ab Augustino usurpatum si Masenius urgere vult, noverit, eam oblationem significari, qvâ fideles non Symbola tantùm consecranda, sed etiam seipsos DEO offerunt, accedendo ad mensam Domini. *Hoc* (inqvit Augustinus *L.X.C.D.c.6. T.V. p. 546:) est sacrificium Christianorum. Multi unum corpus sumus in Christo: qvod etiam Sacramento altaris fidelibus noto freqventat Ecclesia: ubi ei demonstratur, qvòd in eâ oblatione, qvam offert, ipsa offeratur.* Ad qvintum: *Sacrificium mundum* sic explicat ibidem Augustinus, *qvando manibus non offerimus carnem, sed corde & ore offerimus laudem.* Christi verò sacerdotium secundum ordinem Melchisedech non in terrâ per Missifices, sed in cœlis per unum ac verum sacerdotem nostrum exerceri rectè sentit, hæc subjiciens: *Nam & Aaronis sacerdotium jam nullum est in aliqvo templo, & Christi sacerdotium in æternum perseverat in cœlo.* Ad *sextum:* Non est, cur multum solliciti simus de eo loco, qvi tamen & explicari potest ex rationibus suprà explicatis. Manuale enim vel nothum

Orat. 6. contra Jud. c. 9.

Manual. c. XI.

nothum, vel dubium certè scriptum est, Bellarmini & Lovaniensium judicio, imò si Erasmo credimus, accurato talium censori, *consarcinatum ex libris meditationum & soliloqviorum* (qvi & ipsi incerti Autoris sunt,) *per qvempiam nec eruditione, nec eloqventiâ præditum, ac proinde non admodum lectu dignum: qvod* insuper & *detestatas Augustino sententias ponat.* Vid. Gerh. *Conf. Cath. Tom. I. p.679.* Cocum *Censura p 355* &c. Augustini sententiam de hâc controversiâ pleniùs elucidatam lege apud Mornæum *de Euchar. L. III. c.5. p.862. sqq.* Nos desinimus in illo *Psalmi XVI. 4: Non libabo libamina eorum de sangvine, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

EXA-

Examen
Considerat. XVI.

De

(1.) Sacramentis reliqvis, ut Confirmatione, extremâ Unctione, Matrimonio, Ordine, ac (2) Vocatione Ministrorum in Ecclesiâ; deniqve (3) purgatoriis pœnis, præmiisqve diversis post mortalem hanc vitam.

Punct. I. p. 151 - 154.

Sintnè plura (duobus) *in Ecclesiâ Christi Sacramenta pro baptizatis, ad solatium & gratiam in diversis vitæ statibus obtinendam instituta?* *Cætera Papistarum Sacramenta:*

QVæ contra numerum septenarium Sacramentorum hîc dicenda essent, jam suprà

ſuprà *p.740.ſqq.* anticipavimus: neqve hic qvicqvam agendum nobis, niſi ut expendamus, qvæ Malenius in ſpecie de Sacramento *Confirmationis, Extremæ unctionis*, *Matrimonii* & *Ordinis* protulit. Qvod enim (1.) præmittit, *Lutherum olim cum Melanchthone ambiguè hâc de re locutum eſſe, ſecus ac Proteſtantes hodierni*, morari nos non poteſt.

(de qvibus Lutherũ & Melanchtonem nobiſcum conſentire, oſtenditur.)

Ambiguitatem in Sacramenti vocabulo agnoſcimus, qvod modò *latiùs* uſurpatur pro qvâlibet re, qvæ habet mandatum DEI, & cui addita eſt promisſio gratiæ, modò *ſtrictiùs*, pro ritu, qvi & elemento materiali divinitus mandato conſtat, & promisſionem gratiæ juſtificantis annexam habet, ceu ſuprà *p.742.743.* explicuimus. Priori ſenſu & Lutherus *Lib. de Captivit. Babyl. T. II. Jen. Lat. p.260.b.* & Melanchthon *Apologiæ p.200.* Abſolutionem Sacramentum dixerunt: neqve nos, qvò minùs eo reſpectu ſic vocetur, repugnamus. Altero verò illo & ſtrictiori nec Lutherus, nec Melanchthon plura duobus Sacramenta numerant. Sic enim *l.c.* Lutherus *p.285.b: Propriè ea Sacramenta vocari viſum eſt, qvæ annexis ſignis promisſa ſunt. Cætera, qvia ſignis alligata non ſunt, nuda promiſſa ſunt. Qvò fit, ut ſi rigidè loqvi volumus, tantùm duo ſunt in Eccleſiâ DEI, Sacramenta, Baptiſmus &* Panis, *cum in his ſolis & inſtitutum divinitus ſignum & promisſionem remisſionis peccatorum videamus. Nam pæni-*

pœnitentiæ Sacramentum, qvod ego bis duobus accensui, signo visibili & divinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, qvàm viam ac reditum ad Baptismum. Confer. Sleidan. *L. II. Commentar. de Statu Religionis & Reip p. 49.* Melanchthon autem & ex hypothesi loqvitur: *Si Sacramenta vocamus ritûs, qvi habent mandatum DEI, & qvibus addita est promissio gratiæ, facilè est judicare, qvæ sint propriè Sacramenta*: & qvid de illâ hypothesi sentiat, non obscurè *p. 202.* profitetur: *Si omnes res annumerari Sacramentis debeant, qvæ habent mandatum DEI, & qvibus addita sunt promissiones, cur non addimus orationem, qvæ verissimè potest dici Sacramentum? - - Possunt hîc numerari etiam eleemosynæ: item afflictiones, qvæ & ipsæ sunt signa, qvibus addidit DEus promissiones.* Eodem modo *p. 201.* Ordinem seu ministerium Verbi Sacramentum dici posse, ait; sensu scilicet illo latiori, qvi non ad materiam & formam, sed finem Sacramenti respicit. Ut planè cum Luthero & Melanchone protestantes hodierni conveniant. Confer. Gerh. *Conf. Cath. T. IV. p. 167. 220.* Carpz. *Isag. p. 412.* Dn. Alberti Gegenerweisung/daß die Lutheraner in Schlesien nicht von der Augspurgischen Confession abgefallen *c. 10. p. 49 sqq.* Qvod (2) addit Masenius, *à Lutheranis non matrimonii vinculum, & ministrorum Ecclesiæ vocationem ordinationemq; negari; negari tantùm, qvòd*

inter

inter Sacramenta referri debeant, obſervationem omninò meretur. Non detrahimus Conjugio, (qvod Pontificii ſolent, ſic de Conjugio diſſerentes, qvaſi id perfectioni Chriſtianæ repugnet:) non vocationi & ordinationi Miniſtrorum verbi; hoc tantùm volumus, ut ſic de rebus iſtis loqvamur & ſentiamus, qvemadmodum Scriptura docet.

Age igitur accedamus ad ſpeciale qvatuor illorum, qvæ ſuperſunt, Sacramentorum Pontificiorum examen!

I. Confirmatio: cujus examinatur

De *Confirmatione* ſic habet Maſeſenius: *Catholici & cum iis Auguſtinus, ex S. Literis inter Sacramenta habent Confirmationem, qvæ fit per impoſitionem manuum,* (Act. VIII, 17. & c. XIX, 6.) *& unctionem ab Epiſcopo, ad baptizatos per Spiritûs S gratiam adverſus tentationes Diaboli firmandos, cùm jam adoleſcunt, periculis labendi expoſiti. Sacramentum enim Chriſmatis, ait Auguſtinus* (contra lit. Petil. l. 2. c. 104. T. VII. p. 159. D.) *in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt. Juxta Apoſtolum dicentem,* (II. Cor. I, 21.) *Qvi confirmavit nos vobiscum in Chriſto, & qvi unxit nos DEus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

(1) Deſcriptio, exhibens

Qvibus verbis & *deſcribit* muſteum hoc Latinæ Eccleſiæ Sacramentum, &, ut ſibi videtur, *probat.* Vereor autem, ut ſint, qvæ omitti,

mitti, sint, qvæ addi in descriptione illâ multi Ecclesiæ Papalis Doctores velint. Qvi, ut in re dubiâ incertâq; solet, mirum in modum dissentiunt. Unctionem certè, ad essentiam Confirmationis non spectare, jam ante tria & ampliùs secula Petrus Aureolus *in 4. d. 7. q. 1. p. 63. col. 1.* scribebat, Brucardi multorumqve Canonistarum sententiam esse: imò Josephus Angles (Gerhardo *T. III. Conf. Cath. p. 959.* memoratus) in hoc ipso Canonistas Scholasticis opponit, qvòd hi chrisma reqvirant; illis sola manuum impositio sit materia hujus Sacramenti. Ipsiqve adeò Jesuitæ, Toletus *Instr. Sacerd. L. 2. c. 24.* Sanctius *in Actor. VIII. n. 12. 13.* Lorinus *ad Act. VIII, 17.* præter Scotum *in 4. d. 7. q. 1.* Estium *ibid.* §. 7. fatentur, Apostolos in hoc Sacramento non oleo, sed solâ manuum impositione usos. Cur ergò verso ordine hodiè Jesuitæ ac Pontificii pleriqve, unctionem materiam proximam adeoqve essentialem partem Confirmationis, appellant; manuum impositionem neqve materiam, neqve formam, sed ceremoniam tantùm, eamq; non necessariam faciunt? Qvæ Estii, Valentiæ, Bellarmini, Svarezii, Tanneri, Koning aliorumqve doctrina est, qvam allatis ipsorum testimoniis P. Aurelius *Orthodox. p. 546.* defendit. Cur χειροθεσίαν in alapam convertunt? vid. Dn. Alberti Gegen-Antwort §. 135. Porrò qvòd in eâdem descriptione

(a) *materiam & formam*,

(β) *ministrum*, suâ *Episcopum solum* exclusis presbyteris ministrum Confirmationis facit, ne hoc qvidem omnes alii approbent. Certè qvidem Gregorius Papa in Jure Canonico *c. pervenit d 95.* Presbyteris qvoqve hanc potestatem fecit, sic ad Januarium Episcopum Caralitanum rescribens: *Pervenit qvoq; ad nos, qvosdam scandalizatos fuisse, qvod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qvi baptizati sunt, prohibuimus. Et nos qvidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omninò hàc de re aliqvi contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Neqve nos ignorare Petrus Svavis voluit, qvâ animorum contentione in Tridentino consessu Patres disceptarint invicem, aliis potestatem hanc per Papam presbyteris qvoq; fieri posse contendéribus, negantibus aliis. Videatur ipse *L.II.Hist.C.T.p.217.218.* Cæterum non possum hîc Jesuitæ Jesuitam longè doctissimum Jacobum Sirmondum non opponere, qvem inter & Doctorem Sorbonicum, qvi sub nomine Petri Aurelii in Jesuitas stylum strinxit, dissidium An. 35. hujus seculi exarsit, nec dum, qvod sciam, Papalis autoritatis interventu extinctum. Sirmondum enim personatus ille Aurelius edito *anaretico*, qvem vocat, & *Orthodoxo* hæreseos incusavit, qvòd in *antirrheticis*

suis

suis Sacramentum Confirmationis olim non in unctione, sed solâ manuum impositione constitisse, & præterea chrismationem frontis Presbyteris etiam, imò & Diaconis fuisse commissam ex Veterum Scriptis ausꝰ esset demonstrare. Qvod an rectè præstiterit, an minùs, nostrum non est judicare. Hoc tamen inde intelligimus, de materiâ & ministro hujus Sacramenti necdum Jesuitis inter se convenire. In utroqve enim Sirmondus à Masenio abit. Præterea, nec in hoc omnes consentiunt, qvòd Subjectum hujus Sacramenti capax *baptizati sint, qvi jam adolescunt periculis labendi expositi*, ut Masenius ait. Durandus enim Mimatensis, Jacobus Cardinalis de Vitriaco, Gabriel, Matthæus Galenus infantes etiam statim post baptismum confirmandos censent, ut apud Jo. Dallæum *L. I. de Confirmationis Sacram. c. 3. p. 21.* videre est; qvi Scriptor eruditissimus & cæteras Papistarum lites de materiâ (an oleum sufficiat, an necessariò balsami mixtio reqviratur?) de modo unctionis, de formâ verborum adhibendorum, de necessitate hujus Sacramenti & aliis *cap. cit.* recenset. Sed hæc qvidem divortia videant ipsi, qvi concilient. Nobis sufficit, nullibi in Scripturis mentionem fieri hujusmodi Confirmationis, hoc modo ac fine susceptæ: neqve hactenus ostendi satis potuisse, qvo loco ac tempore eam Christus insti-

(y) Subjectum: de qvibus omnibus Papistis nec inter se nec cum Masenio convenit.

(z) Institutio, qva

& à Papistis ipsis vocatur in dubiū,

instituerit. Alexander certè Alensis, Scholasticorum pe è vetustissimus, in *Summâ Theologiæ*, jussu Innocentii IV. scriptà ac editâ, *P. IV. q. 24. m. 1.* & illius præterea discipulus, Bonaventura, qvem Pontifices Romani in album cœlitum suorum ob sanctimoniæ opinionem retulerunt, itemqve Biel (uterqve *in 4. d. 7.*) confirmationem *nec à Christo, nec ab Apostolis institutam* fatentur. (vid. *Dall. de Confirm. L. I. c. 4. p. 24. seqq.*) Qvorum sententiam licèt vehementer improbent recentiores, tamen non nisi magnâ cautione ex Scripturâ probari hoc Sacramentum posse adserunt. *Nisi autoritas Ecclesiæ catholicæ Spiritu S. illustratæ interpres nobis adesset, testimonia hæc non usq; adeò demonstrarent,* ait Dom: à Soto 4. *Sent. d. 7. a. 1.* Nec dissimulat Bellarm. *de Confirm. c. 2.* expressum mandatum hujus Sacramenti non haberi in Scripturis, dum pro mandato mandati executionem nobis vendstat. Tannerus autem candidè *T. II. Theol. Schol. D. V. q. 6. dub. 5. n. 83. p. 1078: Dicendum est, Sacramentum Confirmationis per se & directè præceptum non esse. Alioqvin enim sine peccato mortali non prætermitteretur, &c.* Jam qvi verbum mandati negat de Sacramento, Sacramentum ipsum tollit. Adde, qvod illi etiam, qvi institutionem Dominicam jactant, non inveniant

tamen

tamen, qvomodo, ubi, aut qvando institutum hoc Sacramentum sit, mirumq; in modum eâ de re fluctuent, ut ex Gerh. *Conf. Cath. T. III. p. 956.* intelligitur. Et edant nobis, ubi oleum olivarum, mixturamqve balsami (qvale hodiè fortè non extat ampliùs, aut à Muhammedanis emendicandum fuerit. vid. Danh. *T. II. Hodom. Pap. p. 460.*) tanqvam materiam hujus Sacramenti præceperit, qvi aqvam, panem & vinum ad vera Sacramenta destinavit? Ubi hæc verba præscripserit: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine P.F. & Sp. S:* in qvibus formam hujus Sacramenti Bellarminus statuit *de Confirm. c. 10.* ubi tamen fatetur, ne apud Patres qvidem, nedum in Scripturis eam formam expressè legi? Edant verbum promissionis, qvo effectûs illi tribuantur chrismati, qvòd conferat gratiam gratum facientem, & characterem indelebilem imprimat? Nos ut ritum, cujus nec institutio Dominica, nec materia, nec forma, nec fines ostendi in Scripturâ possunt, pro Sacramento habeamus, non facilè inducemur. Accedit, qvòd is Sacratissimo Baptismi mysterio multis modis detrahat. *In duobus* (ait Costerus *Enchirid. cap. XI. de Sacram. Confirm. p. 403.*) *Confirmatio præfertur Baptismo, tum in dignitate ministri, qvi solus est Episcopus, tum in perfectione effectûs. Baptismo enim nascimur Christiani -- Confirma-*

neq; ex Scripturis ostendi potest,

& S. Baptismo multum detrahit.

matione verò per Spiritûs S. plenitudinem evadimus in Viros perfectos. Qvasi verò perfectior salute effectus sit, qvam nobis per baptismum obtingere, simul & Spiritum Sanctum opulentè effundi super nos Scriptura *I. Pet. III, 21. Tit III, 5. 6. 7.* docet. Sed hoc nimirum agunt Papistæ, ut qvicqvid salutaris effectûs Commentitio huic Sacramento tribuunt, id sanctissimæ Christi institutioni, Baptismo dematur; qvod pulchrè & prolixè ostendit Chemnitius *P. II. Exam. de Confirmatione p. 248. sqq. 253.* Nos *ad resistendum tentationibus Diaboli per Spiritus S. gratiam* alia media divinitus ordinata novimus, Eucharistiam, fidem, luctam, orationem, ἀναζωπύρησιν donorum collatorum, ut proinde nova comminisci præter DEI verbum media necesse non sit.

(3.) Probatio, ex (α) Scripturâ,

Masenius tamen ex Scripturâ tum (1.) factum Apostolorum, qvi impositione manuum baptizatis Samaritanis ac Ephesiis contulerunt Spiritum S., *Act. VIII, 17. XIX, 4. 5.* tum (2.) textum Paulinum *II. Cor. I, 21.* commemorat: *Qvi confirmat nos vobiscum in Christo, & qvi nos ungit DEus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Respondeo ad 1. (α) A manuum impositione Apostolicâ, ad unctionem & alapam Pontificiam: & (β) A collatione extraordinariâ donorum Spiritûs S. ministrantium & miraculosorum (qvæ tum per χειροθεσίαν

Act. VIII, 17. XIX, 4. 5.

ϑεσιν Apostolicam fiebat, facta aliàs & absqve illâ, *Act. X, 44.* &c.) ad collationem ordinariam & Sacramentalem donorum sanctificantium N. V. C. Graviter Chemnitius ad objectum hoc Apostolorum factum p. 252. extr: *Ut aliqvid sit Sacramentum Ecclesiæ, reqviritur universalitas (ut sic loqvar,) mandati & promissionis divinæ, complectens omnes ministros, & omnes fideles omnium temporum in Novo Testamento. Christus enim insufflando dedit Spiritum Sanctum, Joh. 20. Sudaria & umbræ Apostolorum sanarunt infirmos. Qvare verò inde non facimus Sacramenta universalia, nisi qvia nos non habemus mandatum de imitatione: nec si imitari voluerimus, promissionem de efficaciâ habemus? idem ergò & hoc loco reqvirimus, ut ostendatur nobis mandatum generale, omnibus temporibus, ab omnibus ministris in Ecclesiâ illud faciendum esse, qvod Apostoli Act. VIII. & XIX. fecerunt. Apostoli enim habuerunt multa peculiaria privilegia, reliqvis Ecclesiæ ministris non imitanda. Nec ipsi Apostoli, impositionem manuum voluerunt esse ordinarium & generale medium, sine qvo gratia confirmationis non conferretur à DEO; multi enim*

gratiam Confirmationis acceperunt, sine impositione manuum, ut Antiocheni, Act. XI. Sed Apostoli illo ritu visibilia dona Spiritus, ut donum lingvarum, contulerunt: qvæ miracula jam in Ecclesiâ desiisse, manifestum est. Et si maximè ritus ille Apostolorum esset (qvod tamen non est,) Sacramentum universale, qvâ autoritate Pontificii, abolitâ Apostolica impositione manuum, delibutionem incantati chrismatis substituere potuerunt, & ad illam allegare promissiones? Confer. Gerh. *Conf. Cath. T. III. p 961. 962.* Jac. Martini *Partit. Theol. Disp. XXI. §. 27 sqq.* Rivet. *C. O. tr. 3 q. 9. §. 2. T. III. p. 312.* & qvi hîc instar omnium Dallæum *de Confirm. L. I. c. 6. 9. 10. 11. 12.* Respondeo ad 2. A confirmatione internâ per promissiones Evangelii (de qvibus *vers. præc.*) & unctione, qvæ fit oleo lætitiæ, (qvo & Christus inunctus *Ps. XLV, 7. Ebr. I, 9.*) ad confirmationem aliqvam externam, & unctionem, qvæ oleo balsamato fit, N. V. C. *II. Cor. I, 21.* Non alia unctio hîc intelligitur, qvàm qvâ caput nostrum unctum, & qvam fideles omnes ab illo capite suo percipiunt; *Psalm. CXXXIII, 2.* Unctio, qvæ docet omnia, *1. Joh. II, 27.* Hoc est Spiritus S. qvē Deus in lavacro regenerationis ac renovationis effudit in nos opulentè *Tit. III, 5. 6.* Eum unctionis nomine

nomine designat, accersitâ ex V. Testamento similitudine, qvando Reges & Sacerdotes oleo sacro inungebantur. Ut ergò Christus Spirituales Reges ac Sacerdotes nos constituit *Ap.I,6 V,10. 1.Pet.II,9.* sic spirituali etiam (non externâ & materiali) unctione in baptismo nos inaugurat. Et qvis Paulum, Sylvanum, Corinthios, de qvibus hic primò ac proximè sermo, chrismate illevisset? Taceo esse inter Pontificios, qvi ad Baptisma, qvàm ad Confirmationem hæc Pauli verba referre malunt, qvos inter est Vasqv *T.II in P. III. Thomæ, Disp.134.c.1.n.4.5.* Unde & Dallæus *L.1. de Cultibus Latinorum religiosis c.7.p.35.* hunc locum ab illorum detorsione vindicandum sumit, qvi unctionem in baptismo fieri solitam inde exsculpere volunt. Qvorum si vera sit sententia, perperam ad Confirmationem abripietur. Lege & hîc Dallæum *L.I. de Confirm. c.7. p.47. sqq.* & Confer Calovium *Bibl. illustr. h.l.*

Ex Augustino profert verba, qvæ is contra *Petilianum* usurpat: *Chrismatis Sacramentum* memorans, *idq; in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut ipsum baptismum* ajens. Docuît autem è scopo Disputationis illius totoqve adeò contextu Dallæus *L.II. de Confirm. c.24. p. 288. sqq.* id chrisma describi ab Augustino, qvod more illius ævi ad ceremonias baptismi spectabat, *(β) Augustino.*

bat, eoqve appellationem Sacramenti, cujus veluti pars (non essentialis aut integralis, sed ceremonialis, ut sic loqvar,) erat, Synecdochicè obtinebat: qvem & aliorum Patrum fuisse sensum, idem Dallæus *lib. cit. cap.3. sqq.* nec non Forbesius *Instruct. Historico Theol. L. IX. c.4.* & Chamier *T. IV. Panstr. L. IV. c. XI.* docent. Confer Chemnit. *Exam. P. II. p.255. a.* & Rivet. *C. O. tr.3. q.9. §.5.*

II. Extrema Unctio:

II. Succedit Confirmationi alterum ex Unctione Sacramentum: *Extrema Unctio*, de qvâ unicum ex hypobolimæo autore locum, qvi ipse tamen præcipuum, vel unicum potiùs è Scripturis petitum argumentum complectitur, ascripsit Masenius. *Extrema unctio*, ait, *in Sacramentis habetur. Nec prætermittendum est, ait Augustinus, illud Apostoli Jacobi præceptum*: (Jac. V, 14:) *Infirmatur qvis in vobis, introducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum &c. Ipsa videlicet olei sacri delibutio intelligitur Spiritûs S. typicalis Unctio*, (Lib.3. de visit. infirm. c.4.) Nos verò Masenianæ assertioni veriorem istam opponimus: *Extrema unctio in Sacramentis meritò non habetur.* Destituitur enim conditionibus, qvas ipsi Pontificii in Sacramento reqvirunt. Proferant mandatum Domini, qvo is hominem jam moriturum oleo olivarum,

Cujus examinatur (1) Institutio,

rum, per Episcopum certis excantationum formulis consecrato in oculis,auribus,naribus,ore,manibus,pedibus ac renibus ungi à Presbytero jusserit, his adhibitis vocib9,in qvibus formam Sacramenti consistere Pontificii ajunt: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi DEus, qvicqvid deliqvisti per visum,auditum,gustum,odoratum, & tactum, Amen.* Doceant, ubi hæc omnia, qvæ ad essentiam aut integritatem Sacramenti pertinere ajunt,instituerit Christus. Ostendant promissum, qvo talis Unctio profutura ad peccati reliqvias expellendas, sanitatemqve animæ,ac si hujus saluti expediat,corporis qvoqve restituendam, deniq; ad præstandum auxilium contra tentationes & aggressiones dæmonis declaretur. Nullibi tale qvid in Scripturis occurret. Unde ipsa Synodus Tridentina non audet ex Historiâ Evangelicâ proferre textum, qvo Christus instituisse hoc Sacramentum dici possit. *Apud Marcum* enim insinuatum *qvidem hoc Novi Testamenti Sacramentum,per Jacobum autem demum fidelibus commendatum ac promulgatum* ait *Sess. XIV. cap. 1. de Extr. Unct.* Qvo loco *principio fuisse* institutum *scriptum*, detegit P.Svavis *L. IV. p.318, sed posteà monente qvodam Theologo,mutationem factam.* *Monuerat enim ille,*

inter ipsos Papistas controversa.

ille, Apostolos, qvos D. Marcus ait unxisse infirmos, eâ tempestate nondum Ordinatos Sacerdotes; Ecclesia Romanâ eam opinionem tenente, Sacerdotium non nisi in ultimâ Domini Cœnâ in ipsos collatum; ideoq; pugnare inter se hæc, Unctionem, qvam illi ministrabant, esse Sacramentum, & solos Sacerdotes ejus esse Ministros. Et qvamvis nonnulli, & illam esse Sacramentum, & â Christo tum temporis institutam credentes, responderent, Christum, qvo tempore Apostolis imperaverat Unctionis ministrationem, eosdem Sacerdotes, qvoad hunc solum actum instituisse, perinde ac si Papa simplicem Sacerdotem Sacramentum Chrismatis ministrare jubens, Episcopum, qvoad hunc actum illum crearet: tamen qvod ista assertio audax nimis & periculosa videretur, placuit invicem verbi Institutum, *subrogare* Insinuatum. Neqve cæteri conveniunt satis, qvando & ubi instituerit Dominus hoc Sacramentum. Maldonatus ad *Marc. VI, 13.* confugit, ubi tamen Cornel. à Lap. & Tirinus *ad illum locum*, nec non Dominicus à Soto *in 4. d. 24. q. 1.* Bellarminus *de Extr. Unct. c. 2.* & Gregorius de Valentiâ *in III. P. Disp. 8. q. 1. punct. 1.* diversam longè unctionem ab eâ, qvam Jacobus tradit *c. V, 14.* pro-

proponi docent, his usi rationibus, qvòd illa Apostolorum, (de qvâ *Marc.6.*) Unctio, tantùm vel præcipuè ad morbi corporalis sanationem referatur: qvòd Apostoli tum nondum essent Sacerdotes: qvòd promiscuè ungerent ægrotos qvosvis, non modò in exitu vitæ constitutos: qvòd non inqvirerent, baptizatine essent, qvi ungebantur an minùs. Paulus ergò Laymannus institutionem ex *Joh.XX,23.* (ubi de Unctione ὀυδὲ γρῦ habetur,) arcessit *L.V.Theol. Moral.tr. 8. c.1. n.2.* Alii intelligentes procul dubio, neutrubi esse, qvòd tranqvillare conscientiam hâc de re dubiam possit, ab Apostolis, non Christo institutum contendunt; ut Hugo à S. Victore, Lombardus, Alensis, Bonaventura, eqve recentioribus J. Eckius, qvos eo nomine pulsant Greg. de Valentiâ *l.c. T.IV. p.2014.* & Tanner. *T.IV.Theol.Schol.D.7.q.1. dub.1.n.7.p.1852.* Alii in Felice IV. (qvi Anno Dom. DXXVI. sedere cœpit,) subsistunt, ut Polyd. Virgil. *L.IV.de Rerum inventor.c.4.* & Durandus *Rational. L. 1. c.8. §.25.* Qvæ præterea de prævia olei consecratione, de formâ, (qvam alii enunciativè, alii deprecativè, alii optativè fieri debere ajunt,) de ungendis partibus, deqve aliis litigant, incertitudinem totius rei arguunt. Vid. Gerh. *Conf.Cath. T.IV. p. 197. sqq.* Dallæ. *de Extr. Unct. L.I.c.2.3.*

Unum

(2) *probatio, ex* Unum in Scripturis locum plerique omnes, & cum iis Masenius è *Jac. V, 14.* allegant, qvasi promulgaverit ibi hoc Sacramentum S. Apostolus: *Si qvis*, inqviens, *infirmatur in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit tum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Sed ad eum jamdudum respondere nos docuit eruditionis famâ præcipuus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Thomas Cajetanus *in Jac. V.* sic scribens: *Jac. V, 14.* *Nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loqvuntur de Sacramentali unctione extremæ Unctionis, sed magis de unctione, qvam instituit Dominus Jesus in Evangelio à Discipulis exercendam in ægrotis. Textus enim non dicit: Infirmatur qvis ad mortem? sed absolutè Infirmatur qvis? Et effectum dicit infirmi alleviationem, & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loqvitur: cùm extrema Unctio nonnisi propè articulum mortis detur, & directè, ut ejus forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc qvod Jacobus ad unum ægrum multos presbyteros, tum orantes, tum ungentes, mandat vocari, qvod ab extremæ unctionis ritu alienum est.* Qvæ verba Ambrosio Catharino apud Sixtum Senensem *L. VI. Bibl. Sanctæ annot. 339. p. 710.* hoc iniqviorem censuram in Cajetanum extorserunt, qvò accuratiùs telum illud Jacobæum declinant.

nant. Enimverò si de eâdem hîc unctione Marcus & Jacobus loqvantur, qvòd Maldonatus Jesuita contendit: si idem, *qvod apud Marcum insinuatum, per Jacobum* hîc *promulgatum est*, ut Tridentini Patres scribunt, non dubium potest esse, qvin de miraculosæ sanationis charismate loqvatur Apostolus. De eo enim, neqvaqvam de Sacramentali unctione, Marcum Bellarminus, Asotus, Valentianus, Cornelius, Tirinus, ut modò diximus, explicant. Et sanè res ipsa docet, multum differre unctionem Jacobæam à Pontificiâ. Illa ad sanationem corporis ægri pertinebat, (ceu verba ἐγείρειν, ἰᾶσθαι, σώζειν κάμνοντα docent) hæc ad animæ corpore emigrantis munitionem refertur. Illa qvibusvis ἀσθενοῦσιν ut recuperandæ sanitatis medium applicabatur, hæc non nisi in exitu vitæ positis, ut morientium Sacramentum. Illa habebat junctam orationem fidelem pro peccatorum remissione, si fortè peccatis attractus esset morbus, illiq; orationi effectus tribuitur: Papistæ autem peccatorum remissionem absolutè unctioni promittunt ex opere operato, ut ipsorum de Sacramentorum efficaciâ Theologia habet. Jacobus plures induci presbyteros jubet; Papistæ non nisi unum adhibent Sacerdotem curatum. Illius unctionis seu potiùs annexæ orationis effectus abso-

absolutus, erat curatio morbi; conditionatus, remisſio peccati (ſi ſc. ob peccatum aliqvod morbus eſſet inflictus, ut *Job. IX, 3. I. Cor. XI, 30.*) At Papiſtarum unctio hunc ordinem invertit, & alium inſuper finem comminiſcitur, nempe ut æger ſpirituali auxilio muniatur adverſus metum mortis. Vide hujus loci copioſas & accuratas vindicias apud Dallæum *L.I. de Extr. Unct. c. 6. 7. 8. 9.* & Georg. König. *Vindic. Loc. 51.* Confer Chem. *Exam p. 408.* Gerh. *Conf. Cath. T. IV. p. 201. ſqq.* Hülſem. *Diſp. XI. contra Hager. q. 3. §. 8. p. 441. ſqq.* Danhauer. *T. II. Hodom. Pap. p. 477. ſqq.* & *Myſterioſ. p. 542. ſqq.* Brochm. & Calov. *ad h. l.* Chamier. *T. IV. Panſtrat. L. IV. c. 18. 19.* Rivet. *Cath. Orth. tr. 3. q. 17. §. 4. ſqq.* Heidegger. *Anat. C. T. p. 599. ſqq.*

& Autore libri de viſit. infirm.

Autoritas Scriptoris *de Viſitatione infirmorum* tanta non eſt, ut nos moveat, ſi maximè is verba Jacobi ad alipticum Sacramentum torſiſſet. Auguſtinum eum non eſſe, Bellarminus, Eraſmus, Lovanienſes, Pariſienſes agnoſcunt, (vid. & ſuprà *p. 839.*) & Dallæus *L. II. de Extr. Unct. c. 10. p. 107.* demonſtrat. Cæterùm Auguſtini ævo unctionem externam ac Sacramentalem ignotam penitus Eccleſiæ fuiſſe, neqve ab ullo novem à nato Chriſto ſeculorum Scriptore prodi, (licèt eorũ non pauci accuratè notarint, qvæ circa piorũ mortes agi conſveverant,) docuerunt eruditè Dallæus *toto L. II.*

Ope-

Operis de Extr. Unctione, & Joachimus Hildebrandus *in Veteris Ecclesiæ arte moriendi c.13. p. 214. sqq.* Forbesius *Instruct. Historico-Theol. L. XII.* ostenderuntqve, si fortè Unctionis mentio apud Veteres occurrat, toto illam cœlo à Pontificiorum extremâ, qvæ seculo demum XIImo sensim invehi cœpit, differre. Qvia tamen vestigia illius in Augustino rimari Masenius voluit, age remittamus eum ad indubium Augustini scriptum *de hæresibus ad Qvodvult Deum*, ubi *c.16. T. VI. p. 16.* Heracleonitas memorat, *qvi feruntur* (verba Augustini sunt,) *suos morientes novo modo qvasi redimere, id est, per oleum, balsamum, & aqvam, & invocationes, qvas dicunt Hebraicis verbis super capita eorum.* Sanè istorum ritus adversariorum instituto similis erat, qvi ipsi qvoqve suos morientes non qvidem aqvâ & balsamo, sed oleo tamen, ut isti, inungebant, & super eos invocationes lingvâ, licèt non Hebraicâ, qvam ferè ignorant, certè vulgò suorum non intellectâ dicunt. Sed nos ad alia progrediamur cum Masenio.

III. Matrimonium de qvo

III. Is de *Matrimonii Sacramento* sic habet: *Matrimonium Sacramentis accensetur. Qvi inqvit ex Evangelio Augustino, dimittit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari,* (Matth. V, 32. & XIX, 9.) *usq; adeò fœdus illud initum*

 nuptiale

nuptiale cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsâ separatione irritum fiat; qvandoqvidem vivente viro, à qvo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit. (Tom. 6. de bono conjug. c. 7. p. 195.) *Unde de conjugio Joseph & Mariæ, alibi ait* : (lib. 1. de nupt. & concup. c. 11. extr. T. 7. p. 817:) *Propter hoc in illo (qvod secundum Evangelium conjugium nuncupavi,) omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa; fidem, qvia nullum adulterium; prolem, ipsum Dominum Christum: Sacramentum, qvia nullum divortium.*

(1) Maseni sententia confutatur per α) Papistarum hypotheses:

Mirabile hominum ingenium! Sacramentis illud vitæ genus accensent, qvod tanqvam *immunditiem, pollutionem & carnales sordes* proscindere aliàs solent. Vid. *c. Decernimus dist. 28. c. Proposuisti, dist. 82. & c. Plurimos, dist. eâd.* Ajunt, *de conjugatis rectè dici: Qvi in carne sunt, DEO placere non possunt*: (Bellarm. *de matrim. c. 5. resp. ad 4.*) ajunt, *Spiritum S. in copulâ conjugali adesse nemini posse*: (*c. Connubia, causâ 32. q. 2.*) eaq; de causâ *Sacerdotes non à coitu tantùm, sed etiam à matrimonii Sacramento arcent*, (Bellarm. *l. c.*) adeò ut concubinatum etiam lubentiùs, qvàm conjugium permittant (*c. Is qvi, dist. 34.*) Confer plura id genus emblemata apud Gerh. *Conf. Cath. T. ult. p. 229. 328. 330.* Hæc illi, inqvam, & sentiunt & scribunt

bunt: nihilominus tamen matrimonium pro Sacramento h. e. medio gratiam conferente venditant, abrepti in illam sententiam vulgatæ versionis studio, qvæ verba Apostoli *Eph.V,32.* de spirituali Christi & Ecclesiæ connubio dicentis: Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, reddidit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.* Ubi tamen non de conjugum naturali, sed mysticâ Christi & Ecclesiæ unione se loqvi, Apostolus, veluti præventurus errorem, monuit, non magis Sacramentum mysterii appellatione innuens, qvàm cùm incarnationem Christi & alia hoc nomine appellavit *1.Tim III,16 Eph.I,9. Col I,26.* &c. Unde & prudentiores in Papatu, Erasmus, Cajetanus, Vasqvez, Pererius, Dominicus à Soto, Jansenius, Estius confessi sunt, nihil ex illo qvidem loco pro Sacramento matrimonii exsculpi posse. vid. Hülsem. *Disp. XI. contra Hager.q.3.§.9 p.450.sqq.* Et sanè verisimile est, non tam Scripturæ testimoniis convictum, qvàm illectum commodis suis Clerum Ecclesiæ Romanæ hanc thesin defendere. Ut enim collocandis in tuto bonis Ecclesiasticis multum inservit cœlibatus Cleri, cujus respectu conjugium sacrilegium est: ita ampliandæ jurisdicti non Ecclesiasticæ plurimum prodest matrimonium haberi pro Sacramento, qvò sic omnes cau-

C) Primi falsi detectionem: Eph.V,32.

sæ matrimoniales, utpote Sacramentales ad forum Ecclesiæ trahantur. Qvod dudum subolfecit Chemnitius noster, dum expendens, qvàm nihil habeant hîc Pontificii, in qvo pedem figant, qværit: *Num verò sine causâ ex Matrimonio Sacramentum faciunt?* Sibiqve respondet ipse: *Imò multas habent causas, ut scilicet causæ matrimoniales Ecclesiasticis tantum judicibus subjectæ sint, ut prohibitiones suæ, & implementa sua, ipsis hominum conscientiis, tanqvam laqveos injicere possint, ut dispensationes eo carius vendere possint, ut parti innocenti, post divortium, jure divino permissum, ratione Sacramenti non liceat rursus aliud contrahere matrimonium, ut docere possint, secundis nuptiis non esse dandam benedictionem, eo qvod careant Sacramento, hoc est, qvod secundæ nuptiæ sint in veritate fornicatio qvædam & prostitutio. Ita enim Decretum loqvitur, 31. q. 1. c. hac ratione, & qvomodo.* Hæc ille *P. II. Exam. Can. I. de matrim. sub fin. p. 428.* Cæterùm qvi conditiones Sacramentorum ex confesso talium cogitat, deprehendit facilè, non nisi absurdissimè matrimonium in hunc censum cogi. Deficit institutio Novi Testamenti propria: deficit elementum visibile, deficit promissio gratiæ justificantis: neqve consentaneum est, id cujus usum gentiles æqvè ac Christiani possident, inter Sacramenta

γ) *Invictas rationes*

propriè

propriè dicta referri. Ea enim bona Ecclesiæ propria sunt. Qvæ omnia tam clara sunt, ut in consensum ex adversariis qvoqve non paucos pertraxerint. Per matrimonium enim tanqvam per Sacramentum novæ Legis, gratiam conferri, disertè negant adductis rationib9 non contemnendis Durandus, Hostiensis, Goffredus, Alfonsus à Castro, Petrus Soto, Georg. Cassander, Melchior Canus, & Canonistæ pleriqve omnes, qvorũ testimonia apud Hülsem. *loc. c. p.451. sqq.* lege. Negat institutionem ejus, (qvam in 40. dierum spatium inter resurrectionem Salvatoris & ascensionem interceptum Tannerus *T.IV. Theol. Schol. D. VIII. q.2. dub. 2.n.26.* Marchantius autem *Horto Pastorum p.916.* in Nuptias Cananæas conjicit) ex Scripturis probari posse, Estius *in 4.d. 26.§. 6.* Sunt alii, qvi disputant, jam ante lapsum matrimonium ut Sacramentum institutum esse, qvæ Alphonso à Castro, & Petro à Soto sententia tribuitur apud Bellarm. *de matrim. c.5. resp. ad 2.* qvi Lombardum etiam *L. 4. d. 26. lit. A.* addere potuisset. Prætereà Innocentius III. in *scripto Apostolico*, ut ipse vocat, *Sacramentum conjugii*, ait, *apud fideles & infideles existit*, L.IV. decretal. tit.19. cap.8. *Gaudemus.* Sic ergò neqve Novo Testamento neqve Christianis proprium hoc Sacramentum, adeoqve ne Sacramentum qvidem fuerit. Litigant prætereà de materiâ

Sacramenti, (qvam nonnulli verba contrahentium, alii ipſa contrahentium corpora faciunt,) litigant de ejus formâ, de miniſtro, & aliis: unde ſatis intelligi poteſt, qvàm parùm ex Scripturis de hoc Sacramēto conſtet, qvod in antiqvitate inveſtigare volens Bellarminus, *c.4. §. qvarta ratio.* ultra qvingentos annos aſcendere non potuit. Lege de pugnâ Cadmæorum fratrum Gerh. *art.19. Conf. Cath. c.1. p. 234. ſqq.* & *L. de Conjug. §. 25 30.* Forbeſ. *Inſtruct. Hiſtorico-Theol. L. IX. c. 81.* & Mareſ. *T. II. Anti-Tirini, controv. 27. n. 2. p. 885. ſqq.*

(2) *Ad probationem Maſenii reſpondetur, ſumtam ex α) Sacramenti appellatione conjugio ab Auguſtino conceſſâ.*

Noſter Maſenius ad Auguſtinum provocat, qvaſi non modò Sacramenti *appellationem* Matrimonio aptet, ſed ea etiam ex *Matth. V, 32 & XIX, 9.* proferat, qvæ convincant, *rem* qvoqve Sacramenti competere matrimonio. Sed de nomine Sacramenti non eſt, qvod laboremus. Qvid mirum, eum, cui crucis, & qvodvis rei ſacræ ſignum hoc nomine interdum venit, (vid. ſuprà p. 747.) matrimonium qvoq; latiori uſurpatione ſic dixiſſe, qvatenus typus & imago eſt inſolubilis inter Chriſtum & Eccleſiam amoris. Rectè enim Ægidius Coninck Jeſuita *de matrim. Diſp. XXIV. dub. 2.* obſervat, *Patres accipere Sacramentum lato modo, pro qvovis ſigno rei ſacræ à DEO inſtituto, qvia dicunt matrimonium eſſe Sacramentum, non qvia ſignificat aliqvam ſanctitatem, qvam ſuo uſu*

usu conferat, sed qvia significat conjunctionem Christi cum Ecclesiâ. Hinc etiam dicunt, matrimonium in lege naturæ simili modo esse Sacramentum. Confer Tarnov. *L. II. de Conjug. c. 13.* Gerh. *L. de Conjug. §. 36.* Forbes. *Instruct. L. IX. c. 8.* Neqve verò insolubilitatem matrimonii in argumentum Sacramenti propriè dicti rapuit Augustinus, qvam de cætero è *Matth. V & XIX.* rectè probat. Illa enim ex primævâ DEI institutione pendet, ut *Matth. XIX, 3.* significatur. Si ergò inseparabilitas efficit, ut matrimonium sit Sacramentum, seqvetur, Sacramenti rationem non demum per Christum matrimonio accessisse, sed cum ipsâ illius institutione cœpisse, qvod dubito, an Masenio ad palatum sit. Qvem proinde fateri oportebit, Sacramenti vocem ab Augustino multò laxiùs usurpatam, cùm inter tria nuptiarum bona computavit, qvàm capi solet, cùm baptismo & S. Cœnæ tribuitur. Hæc enim duo tantùm nominat, ubi de Sacramentis propriè dictis agit, veluti Ep. *118. ad Januar. T. II. p. 556.* & alibi. Confer suprà *p. 745.* Atqve hoc dudum de Augustino Erasmus observavit, cujus verba ut ex *annot. in I. Cor. VII, p. 476.* huc non referam, à me impetrare non possum: *Qvod de Sacramento afferunt, cujusmodi sit, videamus, per qvod volunt omne matrimonium semel contractum, esse indissolubile. Neq; enim hic Augustinus,*

(B) Indissolubilitate conjugii, ex Matth. V, 32. & XIX, 9.

qvi tria bona ponit in matrimonio, qvum tertium Sacramentum vocat, sentit unum è septem Sacramentis: quod ipsum sub notare videtur Petrus Lombardus distinctione trigesimâ primâ: imò haud scio, an hoc Sacramentum septimum veteribus fuit cognitum. Primum qvod Dionysius enumerans nominatim singula, & singulorum vires, ritus ac ceremonias explicans, de conjugio nullam facit mentionem. -- Deinde qvùm tot voluminibus tractatum sit de matrimonio, vel à Græcis, vel à Latinis, nullus est locus, unde liqveat, illos conjugium inter septem Sacramenta commemorare, præsertim qvum Augustinus conjugii fautor, bona matrimonii diligenter recenseat & inculcet. Qvin Jovinianus, sic impensè favens matrimonio, ut hâc de causâ judicatus sit hæreticus, qvum utriusq; Testamenti libros excusserit, nihil non detorqvens ad laudem matrimonii, non hoc tantum & plausibile ac palmarium argumentum, vel in primis produxisset, passim ita clamitans: Matrimonium est unum è septem Ecclesiæ Sacramentum, virginitas non est? Nec opinor Hieronymum tàm liberè stomachaturum fuisse in digamos, si constituisset & illic esse unum è septem Sacramentis. Verùm cur hæc recenseo, qvum Durandus fateatur, matrimonium à recentioribus Theologis deniq; numerari cœptum inter ea, qvæ propriè dicuntur Ecclesiæ Sacramenta? Porrò qvod Paulum seqvuti Veteres,

matri-

matrimonium aliqvoties vocant Sacramentum, id sentiunt, opinor, in copulâ viri & uxoris) qvoniam est arctissima amicitiâ, repræsentari typum qvendam & imaginem Christi, sponsam Ecclesiam sibi copulantis. Et est qvidem omninò res sancta, sacraq; matrimonium rite servatum, & tamen typus esse potest rei sacræ, qvod per se sanctum non sit, velut Bathseba erepta Uriæ, & David juncta, & Oseæ Prophetæ stuprum, Samsonisq; ac Dalilæ fabula, qvod palàm testatur Hieronymus. Cæterùm Papisticam verborum Christi apud Matth. *ll. cc.* detorsionem, qvâ matrimonii vinculum ne per adulterium qvidem alterius conjugis ita dissolvi, ut alia duci possit, contra disertam Christi restrictionem, (παρεκτὸς λόγου πορνείας) pugnant, confutatam lege apud Chemn. *P. II. Exam. can. 7. de matrim. p. 433 sqq.* Gerh. *L. de Conjug.* §. *563 sqq.* & *Conf. Cath. T. ult. art. 19. c. 2. p. 246. sqq.* Rivet. *C. O. tr. 3, q. 16.* Heidegger. *Anatom. Conc. Trid. p. 997. sqq.* Maresium *Disp. II.* ex illis, qvas Johanni Prideaux opposuit, *de Matrimonii dissolubitate qvoad vinculum.*

IV. Seqvitur fictitium *Ordinis Sacramentum*: qvod Masenius (1) allegato Augustini gemino è *L. II. contra Epist. Parmeniani* textu confirmare annititur, deinde addit (2) aliqva de Episcoporum super Presbyteros eminentiâ. Sic

IV. Ordo: de qvo duo traduntur à Masenio:

 (1.) de

(1.) Sacramentalis dignitas: 1) ineptè probata ex

Sic (1.) de Sacramento Ordinis scribit: *Ordinem Sacramentis rectè annumerant juxtà Augustinum. Christus enim Apostolis hunc tribuit, dicens: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: & cùm hoc dixisset, insufflavit & dixit: accipite Spiritum S., si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei.* (Tom. VII. contra Ep. Parmen. Lib. II. c. 11. p. 38.) *Et infra de baptismo & ordine loqvens:* (c. 13. ejusd. libri p. 41.) *Utrumq; inqvit, Sacramentum est, & qvâdam consecratione utrumq; datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur. Ideoq; in Ecclesiâ utrumq; non licet iterare.*

a) Job. XX, 21. 22. ubi de Vocatione qvidem & ordinatione discipulorum;

Cur priorem Augustini locum allegare, qvàm verba Christi, qvæ unicè repetuntur, ne apice qvidem Augustiniani contextûs addito, ex ipso fonte Johannis (*c. XX, 21. 22.*) accersere maluerit, non intelligo. Nemini enim, qvi Augustinum inspexerit, persvadebit, eâ fini Christi verba allegari ab ipso, ut ordinis Sacramentum inde confirmet. De qvà re ibi nec vola nec vestigium. Hoc volebat ostendere, *per homines qvidem, verùm non ab hominibus remissionem peccatorum fieri.* Ostendit autem inde, qvòd non ait Christus: *Et ego mitto vos. Qvorum dimiseritis peccata* &c. sed interjecit: *Hoc cùm dixisset, insufflavit, & ait illis: Accipite Spiritum S.* unde *satis ostenditur,* (verba Augustini sunt,) *non ipsos id agere, sed per ipsos utiq; Spiritum Sanctum, sicut alio loco*

to dicitur: Non vos estis, qvi loqvimini, sed Spiritus S., qvi in vobis est. Deducit deinde consectarium, qvod ægrè cum doctrinâ Pontificiâ de intentione ministri, ad salutarem Sacramenti effectum necessariâ, conciliaverit Masenius, siqvidem de Sacramento ibi loqvi Augustinum censeat. *Si fictus sit minister*, ait, *Spiritus Sanctus deest qvidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus, qvæ sunt sine intellectu; ministerium tamen ejus non deserit, qvo per eum salutem operatur aliorum.* Christum insufflando & compellando discipulos, Sacramentum propriè dictum sancire voluisse, uti nullâ veri specie jactatur, ita neqve per somnium ibi cogitavit Augustinus, certè nullo apice significavit. Et sanè qvantum cunqve cogitationes animi colligo, non possum deprehendere, quo sese hæc argumentatio tueri possit: *Christus mittit Apostolos, sicut ipse missus à Patre est, & insufflans eos Spiritum Sanctum & potestatem peccata dimittendi impertit. Ergò Ordo Sacramentis rectè annumeratur.* Hoc non difficulter largior, Apostolos vocari illic & ordinari sacerdotes, sed de eo nulla lis erat. Ipse enim fatetur Masenius, *init: bujus Consid.* vocationem Ordinationemqve aliqvam à nobis agnosci; negari tantùm, qvòd illa Sacramentum sit. At neqve materiam, neqve formam, neqve effectum Sacramenti, neqve fortè qvicqvam aliud,

nihil verò de Sacramenti papistici

aliud, qvod de hoc Sacramento commenti sunt ipsi, docere ex *h. l.* possunt *Materiam* plerique faciunt impositionem manuum & porrectionem instrumentorum: (Bellarm. *c.9.de Sacr.Ord.*) At Christus non imponendo manûs, nec porrigendo instrumenta, sed insufflando Apostolos ad ministerium inaugurabat. Et fatetur Bellarm. *de Sacr. Ord.c.2.* §.*ult: non esse scriptum, ordinatos à Christo Apostolos per manuum impositionem.* *Formam* facit Pontificale Romanum *p.66.* (edit. Paris.1665.) ista verbi in Presbyteri ordinatione: *Accipe potestatem offerre sacrificium DEO, missasq; celebrare, tàm pro vivis, qvàm pro defunctis in nomine Domini.* In ordinatione autem Diaconi p. 52: *Accipe Spiritum S. ad robur, ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* Item: *Accipe stolam candidam de manu DEI, adimple ministerium tuum: potens est enim DEUS, ut augeat tibi gratiam suam: qvi vivit & regnat in secula seculorum.* Rursum: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento letitiæ, & dalmaticâ justitiæ circumdet te semper, in nomine Domini.* Deniqve p.54: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tàm pro vivis, qvàm pro defunctis,* (nam & hi scilicet tantum utilitatis ex Evangelii Lectione capiunt, qvantum ex celebratione missæ!) *in nomine Domini.* Acoluthi p.31. *Accipe Ceroferarium cum cereo, & scias, te ad accen-*

materiá,

formâ,

accendenda Ecclesia luminaria mancipatum. Accipe urceolum ad suggerendum vinum & aqvam in Eucharistiam sangvinis Christi, in nomine Domini. Omitto brevitatis causâ formulas in Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Subdiaconorum ordinatione usurpari solitas. Ubi verò istas nugas Christus instituit? *Effectum* Sacramentorum omnium gratiam justificantem Catechismus Tridentinus & Bellarm. *L.I.de Sacramentis c.11. §.qvinta* faciunt. Idem verò Cardinalis, licèt causæ inservire cupiens *c.2. de Sacram. Ord.§. si secundum.* *Gratiam Joh. XX. promissam non donum aliqvod gratis datum, sed gratiam justificantem* interpretetur; sibi tamen ipsi adversus *L.I,de Sacram. c. 26. §. respondeo negando minorem* sic scribit: *Per Spiritum Sanctum Joh.XX, intelligimus potestatem remittendi peccata. Potest autem hac potestas esse sine gratiâ gratum faciente.* Et paulò antè §. *Probatur jam minor: Auctoritas conferendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data* Jam cætera, qvæ minùs etiam ad essentiam hujus Sacramenti pertinere dictitant, & cum curâ usurpant tamen, ut unctionem, rasuram ac similia, credo, in hoc textu ne qvæsiverint qvidem. Mirum ergò demonstrarionis genus, qvo ex eo textu Sacramentum colligunt, qvi ipsorummet judicio aliam materiam, formam effectu.

formam aliam, effectum alium, alia omnia nobis narrat. In posteriori loco Augustinus Sacramenti vocem eo sensu Ordinationi aptavit, qvem modò de matrimonio ex ipso cognovimus, & qvo nostrates etiam *in Apologiâ Aug. Conf. p. 201. 202.* Ordinem Sacramentum appellari non repugnant. *Confert* Ordinem baptismo in hoc, qvòd repeti non debet, qvemadmodum nec baptismus, & qvòd uterqve consecratione datur: non autem *æqvat* Ordinem baptismo in materiâ, formâ effectu, adeoq; essentiâ Sacramenti. Breviter: De *nomine* nulla lis, sed de nominis propriâ strictaqve significatione, deq; *re* ipsâ. Hanc negamus, qvia essentialia Sacramenti reqvisita desideramus. Poscimus Sacramenti hujus divinam institutionem, qvam tantum abest, ut proferre possint, ut Gregorius IX. Pontifex *Decret. L. I. tit.* 17. *cap.* 3. *ritum ab Apostolis introductum* appellet. Poscimus elementum externum à Christo institutum, qvod profectò non indicant, qvi χειροθεσίαν nobis ex *Act. VI, 6. VIII, 17. XIII, 3. I. Tim. IV, 14. V, 22. II. Tim. I, 6.* memorant. Qvanqvam enim hic ritus liberè ab Apostolis fuerit in ordinatione usurpatus, hodieqve in nostris Ecclesiis usurpetur, tamen nec de substantiâ Ordinationis is est, (qvippe & à Christo omissus, cùm Apostolos ordinaret, ut modò diximus, & ab Apostolis extra Ordinationem

β) Augustinio.

2) Solidè refutata.

nem etiam adhibitus ad peculiarium Spiritûs Charismatum collationem, sanitatis restitutionem & commendationem qvorumcunqve per preces DEO factam. *Qvid enim est aliud manûs impositio, nisi oratio super hominem?* qværit Augustinus *L. III. de Bapt. contra Donat. c. 16. extr. T. VII. p. 410.*) neq; elementum dici potest. Id enim non actio, sed substantia seu res permanens sit oportet, ut exemplo panis & vini in S. Cœnâ, aqvæ in baptismo patet. Hinc referente Bellarmino *c. 9. de Sacr. Ord.* Tannero T. IV. D. 7. q. 2. dub. 4. n. 76. Altenstaigio *Lexico V. ordo.* qvàm plurimi ex ipsis Papistis, utpote Doctor Angelicus, Richardus, Durandus, Paludanus, Biel, Sylvester, Ang. Jo, Dom. Soto, Capreolus, Major, Tapperus, Valentia provocantes ad consensum Concilii Florentini negant, impositionem manuum esse de essentiâ Sacramenti Ordinis: qvo pacto universa machina corruit, qvam ex ritu Apostolico construunt, ceu Bellarm. *l. c.* & Lorinus in *Act. VI, 6.* fatentur. Poscimus præterea promissionem gratiæ non cujusvis, sed Sacramentalis, de applicatione & obsignatione remissionis peccatorum, ritui huic annexam. Verum nec hanc dare possunt. Taceo, qvòd nec hic ritus Novo Testamento proprius sit, nam & Levitici Sacerdotes per manuum impositionem inaugurabantur, *Num. VIII, 10.* Taceo,

qvòd

qvòd non sit bonum totius Ecclesiæ, ut Sacramenta esse oportet, sed certi alicujus statûs. Taceo, qvòd non septem, sed multò plura proditura sint Sacramenta ob varietatem Ordinum, qvos differentes specie, alii septem, alii octo, alii decem numerant: mirè tamen dissidentes; qvi ex his Sacramentali dignitate gaudeant. (qvem dissensum nec Bellarminus qvidem dissimulat *lib. de Sacram. Ord. c. 5.* Confer. Gerh. *Conf. Cath. T. VI. p. 210. sqq.* Rivet. *C. O. tr. 3. q. 16. §. 3. 4.*) Qvæ omnia Scotum, aliosqve Scholasticos qvosdam *in 4. Sent. d. 24.* scribentes, Dominicum item Sotum moverunt, ut negarent penitus, Ordinem propriè loqvendo Sacramentum esse, ceu Alteustaigius *Lexico p. 538.* Bellarm. *de Ord. c. 5. §. Ac primùm* & Valentia *T. IV. Disp. 9. f. 1.* observant. Confer M. Anton. de Dom. *L. II. de Rep. chr. c. 4.* & Forbes. *Instruct. L. IX. c. 7.*

(II) Episcoporum & presbyterorum differentia.

(2) Episcoporum superioritatem præ Presbyteris sic commendat: *Porrò idem Augustinus* (ad Qvod vult DEUM hæresi 53. T. VI. p. 25.) *Aërium hæreticum damnat: qvia ex I. Tim. IV, 14. (ubi Timotheus per manus presbyterii ordinatus fertur) presbyterum Episcopo æqvat. Qvòd, inqvit, idem non possit esse cum Episcopo presbyter, divinus Apostoli sermo declarat ad Timotheum Episcopum* (1. Tim. V, 1:) *Presbyterum ne objurges, sed hortare velut Patrem. Qvid autem attinebat Episco-*

pa

po vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret. Quare deinceps (v. 19.) *admonet. Adversus Presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi sub duobus tribusve testibus: Sed vel ex eo manifestè hæc veritas elucet: qvod non Presbyteros, sed Episcopos posuit regere Ecclesiam DEI:* (Act.XX.28.) *his manus imponere ad ordinandum præceperit.* (1.Tim.V.22.) *Cæterùm manus Presbyterii Episcoporum qvoq; dici possunt; cum omnis Episcopus sit Presbyter, & plures qvoq; ad Episcoporum creationem concurrant. Hinc Augustinus inqvit:* (Brevic. collat. 3. diei cum Donat. T.VII.c.5.p.584.) *Habet Ecclesiæ Catholicæ consvetudo, ut non Numidiæ, sed propinqviores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent.*

Ubi (1) Sententia

(a) Augustini, expensa.

Hîc ante omnia observo, vel malitiosè, si sciens fecit, vel admodum imprudenter, si seductus ab alio, autoritate Augustini Lectori suo imposuisse Masenium. Etenim *(1)* Aërium ideò damnari ab Augustino *hær.* 53. qvia ex I. Tim. 4. presbyterum Episcopo æqvet, falsum est. Verba Augustini ipsa hæc sunt: *Aeriani ab Aërio qvodam sunt nominati, qvi, qvum esset presbyter, docuisse fertur, qvòd Episcopus non potest ordinare, & in Arianorum hæresin lapsus, propria qvoq; dogmata addidisse nonnulla, dicens: Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse jejunia:*

sed qvum qvisq; voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub Lege. Dicebat etiam, Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni. Vides, neqvaqvam ut causam damnationis allegari negatum Episcopi & Presbyteri discrimen. Vides, distingvi *hæresin, in qvam incidit*, (& ea damnationis causa,) à *dogmatibus, qvæ addidit*, atqve ad hæc, non ad illam referri de Episcopis sententiam. Vides, non Pauli verba, qvibus Presbyteris id tribuit, qvod Episcopi per constitutionem Ecclesiæ exercent, sed æmulationem ac superbiam movisse Aerium, ut Episcoporum dignitatem elevaret. Vides deniqve improbari, qvòd ordinem in Ecclesiâ jam receptum, arrogantiæ inflatus typho turbasset temerè, non qvòd ex Scripturis docuisset, eosdem Apostolorum ævo fuisse Episcopos & Presbyteros. Neqve qvicqvam præterea apud Epiphanium *hær. 75. p. 406.* unde sumsit Augustinus, deprehendas. Qvòd si ob negatum Episcoporum & Presbyterorum discrimen damnatus est Aërius, qvid *Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Sedulio, Primasio, Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto fiet?* qvos omnes idem cum Aërianis hac parte sensisse Mich. Medina (citante Bellarm. *lib. de Clericis c. 15. §. Mich. Medina.*) ut & Sixtus Sen. *L. VI. B. S. annot. 324. p. 705. 706.* docent. Atq; hoc de Aërio observarunt qvoqve ex nostratibus

(ubi & de Aërio.)

Gerh.

Gerh. *Conf.Cath.T.3.p.36. L. de Min. Eccles.* §. 243. Nic. Hunn. *Demonstr. Minist. Luth. p.324.* & plures alii. Sit ergò hoc unum, qvo Lectorem fefellit Masenius. (2) Qvæ deinde, qvasi Augustini ex *ead. heresi* verba, minori, ut solent aliena, charactere ascribi curavit: *Qvòd, inqvit,* (*Augustinus*) *idem non possit esse cum Episcopo Presbyter, divinus Apostoli sermo declarat ad Timotheum Episcopum: Presbyterum ne objurges, sed hortare velut Patrem. Qvid autem attinebat, Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret. Qvare deinceps admonet: adversus Presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi sub duobus tribusve testibus:* Ea an Augustini sint, dubito. Cujus si essent, convincerent utiqve, illius sententiâ ab Apostolicâ usqve Ecclesiâ Episcopi Presbyteriqve differentiam accersi posse. Qvid verò obstaret, qvò minùs de Augustino responderemus, qvod de Hieronymo, negante, differentiam Episcopi & Presbyteri ex divinâ institutione esse, Alphonsus de Castro *L.VI. adv. hereses voce:* Episcopus: *Ego certè doctrinam B. Hieronymi summè extollo, ejus sanctitatem maximè veneror, sic tamen, ut putem, eum hominem fuisse, qvi cùm hic ageret, falli potuit. Nec mirari qvisqvam debet, qvòd B. Hieronymus, vir alioqvi doctissimus sic deceptus fuerit, qvoniam qvandoq; bonus dormitat Homerm.* Interim ne opus

qvidem eſt, ut huc confugiamus. Verba, qvæ profert noſter, eo, qvem allegavit, loco non habentur. Neqve alibi, diligentiſſimâ licèt inqviſitione adhibitâ invenire eqvidem apud Auguſtinum potui. Et cur uſpiam extare in ipſo vehementer dubitem, cauſa iſthæc me movet, qvòd tàm luculentum teſtimonium non omiſſuros fuiſſe credam eos, qvi ſive è Pontificiis, ſive ex Anglis Epiſcopis ipſos illos Pauli textus *I. Tim. V, 1. 19.* urſerunt, ut probarent, jure divino niti Epiſcoporum prærogativam & excellentiam ſuper Presbyteros. Laborarunt hâc in re Bellarminus, Petavius, Saravia, Bilſonus, Hammondus, Prideaux, Durellus, & alii; apud neminem verò illorum hæc velut ab Auguſtino dicta ſcriptavé allegari invenias. Non feret ergò iniqvé Maſenius, ſi tamdiu pro Auguſtinianis non habeamus, usqve dum nobis librum demonſtret, in qvo extent. Nos enim tàm ineptè creduli non ſumus, ut qvicqvid adverſarii, qvos ſæpè in veterum allegandis ſcriptis non optimâ fide uti conſtat, nobis obtrudunt, id illicò, ceu, melioris illius ævi particulam, arripiamus. Ac ab Auguſtino qvidem non negamus Epiſcoporum ac Presbyterorum diſcrimen defendi. Vivebat enim ætate, qvâ Epiſcopi ſuper Presbyteros ſublimiori gradu jam conſiſtebant. Neqve eâ de re litem nos movemus. Fatemur ultrò, Epiſcoporum

& Pres-

Presbyterorum in Ecclesiâ, Veteri etiam, discrimen, imò agnoscimus propter εὐταξίαν Ecclesiasticam & concordiam alendam utile esse, ut gradûs eorum, qvi in verbo & doctrinâ laborant, distingvantur. Atq; tale discrimen in nostris Ecclesiis statui agnoscit Greg. de Valentiâ *T. IV. D. IX. q. 1. punct 2: Omnes protestantes*, inqvit *admittunt tres saltem Ministrorum gradûs, nempe Episcoporum, qvos vocant Superintendentes, ut habeant curam Ecclesiasticæ disciplinæ; Presbyterorum, qvos vocant ministros verbi & Sacramentorum; ac Diaconorum, qvi Superintendentibus & Pastoribus navent operam in administratione Sacramentorum, & officiis aliis.* Consonat Bellarminus, cujus hanc in rem testimonium *lib. de Clericis c. XI. princ.* extat. Horum ergò confessione ab Aerianismo nos absolvimur, qvi nihil interesse inter Episcopum & Presbyterum docet. Lis omnis de eo: Utrum divino Jure & Christi vel Apostolorum mandato illa Hierarchiæ forma nitatur, an ab Ecclesiâ ad evitanda Schismata introducta sit? Hîc, cum nihil in Augustino inveniret Malenius, qvod jus divinum Episcopatûs adstrueret, videtur ipse confinxisse, qvæ Sanctissimo Patri tribueret. Qvi ipso tamen illo loco, qvo suum de Episcopis & Presbyteris discursum è *collationum Breviculo cum Donatistis* noster finiebat, non è scripto verbo, non è Christi

præcepto, sed *ex Ecclesiæ Catholicæ consvetudine* deduxit morem illum, qvo Ordinatio Episcoporum ab Episcopis fit. Id multò clarissimè etiam *Epistolâ XIX. ad Hieronymum, propiùs finem, T. II. p. 84.* effatur: *Secundum bonorum vocabula, qvæ jam Ecclesiæ usus obtinuit,* (NB. non ait: secundum ordinum differentias, qvas Jus divinum constituit) *Episcopatus Presbyterio major est.* Adjicere poteram è *libro qvæstionum ex Vet. & Nov. Test. q. 101. T. IV. p. 780.* ista: *Major ordo intra se & apud se habet & minorem, Presbyter enim & Diaconi agit officium & Exorcistæ & Lectoris. Presbyterum autem intelligi Episcopum, probat Paulus Apostolus, qvando Timotheum, qvem ordinavit Presbyterum, instruit, qvalem debeat creare Episcopum. Qvid est enim Episcopus, nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos? Deniq; non aliter, qvàm compresbyteros vocat, & Con sacerdotes suos. -- Nam in Alexandriâ, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Sed qvia novi à Jesuitis illum librum pipulo differri, ubi Pontificia dogmata non probat, (vid. eorum judicia apud Dorsch. *Syll. Semestri p. 135.* & *Pentadec. D. XII. §. 70. p. 426.* Scherzer. *de peccato in Sp. S. c. X. §. 6.* Coc. *Censur p. 344. sqq.* Chamier. T. II. Panstrat. L.

XI.

XI.c.17. §.18.) non urgebo id magnoperè. Addam potiùs antiqvi sensûs Interpreti alium, & ipsum qvidem illum, ad qvem ista scribebat, qvemqve seipso in multis majorem agnoscebat Augustinus, Hieronymum, qvi sententiam suam, (licèt ea ut Aëriana condemnetur à qvibusdam Papistis, pro consvetâ in Patres reverentiâ, vid. Sixt. Sen. *l.c.*) adeò Gratiano approbavit, ut partem Juris Canonici esse voluerit. Sic ergò is, *Comm. in Tit. I.T.IX.p.120.F.G.* cordatè: *Idem est Presbyter, qvi Episcopus: & anteqvam Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postqvam verò unusqvisq; eos, qvos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris: ad qvem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur. Putet aliqvis, non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse: & aliud ætatis, aliud esse nomen officii: relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qvi sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis, gratia vobis & pax, & reliqva. Philippis una est urbs Macedoniæ: & certè in unâ civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant. Sed qvia eosdem*

(β) *Scripturæ, ex Hieronymo repetita.*

Episcopos illo tempore qvos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Episcopis qvasi de Presbyteris est locutus. Adhuc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In actibus Apostolorum scriptum est: qvòd, cùm venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum; & vocaverit Presbyteros Ecclesiæ ejusdem: qvibus postea inter cætera sit locutus: Attendite vobis & omni gregi, in qvo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Domini, qvam acqvisivit per sangvinem suum. Et hîc diligentius observate, qvomodo unius civitatis Ephesi Presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Si qvis vult recipere eam Epistolam, qvæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est: & ibi æqvaliter inter plures Ecclesiæ cura dividitur. Siqvidem ad plebem scribit: Parete principibus vestris, & subjecti estote: ipsi enim sunt, qvi vigilant pro animabus vestris, qvasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant: Siqvidem hoc utile nobis est. Et Petrus, qvi ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loqvitur dicens: Presbyteros ergo in vobis obsecro Compresbyter, & testis Christi passionum: qvi & ejus gloriæ, qvæ in futuro revelanda est, socius sum: pascite eum, qvi in vobis est, gregem Domini: non qvasi cum necessitate, sed voluntariè. Hæc propterea, ut ostenderemus, apud Veteres eosdem fuisse Presbyteros qvos & Episcopos: paulatim verò ut dissensionum plantaria evellerent-

lerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergò Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consvetudine, ei qvi sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consvetudine, qvàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores. In eandem sententiam adductis etiam pluribus ex Scripturâ argumentis disserit *Epistolâ LXXXV. ad Evagrium*; qvæ & ipsa Juri Canonico inserta est, & legi integra potest. *c. legimus, dist. 93.* Nos inde repetimus tantùm, qvæ priori illo loco non habet argumenta. *Apostolus perspicuè docet, eosdem esse Presbyteros, qvos Episcopos: - Propter hoc reliqvi te Cretæ, ut, qvæ deerant, corrigeres, & constitueres Presbyteros per civitates, sicut ego tibi mandavi: si qvis est sine crimine &c. Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* (Tit. I, 5. 6. 7.) *Et ad Timotheum:* (I. Ep. III, 14:) *Noli negligere gratiam, qvæ in te est, qvæ data est tibi per prophetiam & per impositionem manuum presbyterii. Sed & Petrus in prima Epistola* (c. V, 1.) *Presbyteros, inqvit, qvi in vobis sunt, precor ego Compresbyter, -- regite Ecclesiam DEI, & inspicite. -- qvod qvidem Græcè significantiùs dicitur:* ἐπισκοποῦντες, *id est, Superintendentes, unde nomen Episcopi tractū est. Parva sibi videntur tantorum Virorum testimonia? Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui: Presbyter electo Domino, & filiis ejus.* (Ep. I, 1.) *Et in alia Epistolâ* (tertiâ, v. 1.)

Presbyter Cajo charissimo &c. Qvod autem posteàunus electus est, qvi ceteris præponeretur, in schismatis remedium, factum est, ne unusqvisq; ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Hoc postqvam exemplo Alexandrinæ Ecclesiæ ac similitudine exercitûs declaravit, subjicit: *Presbyter & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen: unde & ad Titum, & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & diaconi dicitur, de Presbyteris omninò reticetur,* (Tit.I,5. I.Tim.III,2.8.) *qvia in Episcopo & Presbyter continetur.* Hæc ex eruditissimo Stridonensium Episcopo exscribere placuit, qvod (1) manifestè doceant, Apostolorum ævo nullum inter Episcopum & Presbyterum, nisi in nominibus discrimen fuisse, qvorum alterum ab ætate, alterum ab officio desumebatur: successu autem temporis, cùm impulsu Satanæ hominumqve superbiâ schismata orirentur, ad evitanda illa Ordinem inter Presbyteros constitutum ab Ecclesiâ esse, ut qvi vel ætate, vel meritis antecelleret alios, potior etiam ordine & πρωτοςασίᾳ non jurisdictione, esset. (Lege de initiis ac progressu hujus instituti Hornbeck *notis ad Usserii consilium de reductione Episcoporum, p. 30. sqq.*) (2) Qvòd plerasqve complecteretur Scripturæ Apostolicæ sententias, qvibus Episcoporum & Presbyterorum illo ævo æqvalitas confirmatur. Enimverò non modò tacet

& asserta.

tacet Scriptura hanc illorum ordinum sive graduum diversitatem iis locis, ubi distinctè de gradibus ministrorum exponit, atq; Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores commemorat *I.Cor. XII*, 28. *Eph. IV*, 11. sed & promiscuè his vocibus utitur, eosdem modò Presbyteros, modò Episcopos appellitans, qvomodo qvi Lucæ *Act. XX*. 17. presbyteri sunt, à Paulo *ibid. v.* 28. Episcopi vocantur. Presbyteri Cretenses *Tit. I*, 5. Episcopi sunt *v.* 7. (ubi & Theophylactus notat: *Episcopos hic presbyteros vocat, ut et in Epistolâ ad Timotheum.*) Presbyteri Philippenses Episcopi sunt *Phil. I*, 1. (ubi rursus Theophylactus: *Episcopos Presbyteros appellavit, non enim in unâ urbe multi Episcopi fuerunt* &c.) Neqve nomen modò, sed officium etiam commune utrisqve facit. Petrus jubet Presbyteros, (qvorum se compresbyterum vocat, licèt maximus fuerit ac primus omnium Episcoporum Papistarum judicio,) ἐπισκοπεῖν, Episcoporum partes obire, & pascere gregem Christi, *I. Pet. V*, 1. 2. Paulus Presbyterio tribuit Ordinationis officium, qvod inter præcipua Episcoporum αὐχήματα Papistæ referunt, *I. Tim. IV*, 14. & *II. Tim. I*, 6. seipsum facit participem ejus, qvod priori loco presbyterio assignaverat. Non ignoramus eqvidem, qvantum se post alios Jesuitas Dion. Petavius *Dissertationum Ecclesiasticarum*, qvas

Salma-

Salmasii libro de fœnore trapezitico oppositas voluit, *toto Libro I.* torserit in eludendis his Scripturæ testimoniis, pariter & pervertendâ Hieronymi sententiâ, sed eum sic illustris Salmasius in *Dissertatione de Episcopis & Presbyteris* sub *Walonis Messalini* nomine A. 1641. editâ constrinxit, ut manifestum sit, & Scripturæ vim fieri à Jesuitis, &multò candidiùs Dominicum Soto egisse, qvando *in 4. d. 24. q. 2. a. 2.* scripsit: *Ut ego ingenuè fatear, arbitror, Hieronymum in eâ fuisse opinione, qvòd primitùs de jure divino nullum erat discrimen.* Eadem de hoc Patre & Alphonsi à Castro, Sixtiqve Senensis, *locis anteà citatis*, imò & Bellarmini *L. I. de R. P. c. 8. §. antepenult. Lib. de Clericis c. 15. §. Deinde qvantum.* sententia est, qvam irrefragabiliter David Blondellus *apologiâ de Episcopis & Presbyteris* adversus Henr. Hammondum, qvi *IV. Dissertationibus*, Londini 1651. editis, Jus Divinum Episcopatûs incredibili animi contentione defendere sustinuit, & dudum ante hos Theod. Beza *de ministrorum Evangelii gradibus p. 135-161.* adversus Hadr. Saraviæ Belgæ Opus ejusdem argumenti, tuiti sunt. Confer. Maresius *Dissert. I.* Johanni Prideaux oppositâ *de Episcopatûs origine & Jurisdictione*, Rivetus *Cath. Orth. tr. 2. q. 22.* Heidegg. *Anat. Conc. Trid. p. 920-929.* Dreier. *Disp. XXI. contra Pontificios, p. 571-620.* & meritissima Theologorum nostratium

tium qvadriga Gerhardus *L. de minist. Eccl.* §. 234-243. nec non *Confess. Cath. T. III. p. 28-42.* B. Meisner. *Philos. Sobr. P. II. S. I. c. 2. q. 11. p. 468-475.* Nic. Hunn. *Demonstr. Minist. Luth. p. 296 325.* Hülsemannus *de Ministro Ordinationis §. 26. usq; ad fin.* Ego hîc illud modò adjicio, qvod & Hülsemanno *l. c.* §. 59. observatum, ne Tridentinos qvidem Patres definire, an *jure divino* Episcopi Presbyteris sint superiores: sed superioritatem qvidem sub anathematis fulmine inculcare, *Sess. XXIII. can. 7. de Sacram. Ordinis*, cautè interim ab illâ tanto conatu defendi hodiè à Jesuitis solitâ restrictione abstinere. Refert autem Svavis *Hist. L. VII. p. 541. 547. sqq.* prolixè, Episcopos Hispanos, Gallos, Germanos plerosqve superioritatem, qvæ è Jure Divino pendeat, defendisse. Italos verò, ideò qvòd autoritatem Pontificis sartam tectam vellent, superioritatem in Jure Pontificio fundatam maluisse. Prævidisse enim, fore ut cæteri Episcopi, si à Christo ipso sint instituti, jam exæqventur Romano Episcopo, nec huic ulla supersit in ipsos potestas ac jurisdictio. In qvam sententiam ultra bihorium Lainezius Jesuitarum Generalis disserebat, cujus Orationis summam *ibid. p. 553. sqq.* Svavis recitat, & inter alia ista verba: *Qvare videant, ne dum Episcoporum jurisdictionem juris divini facere volunt, Hierarchiam tollant, & Oligarchiam, aut potiùs anar-*

(γ) Concilii Trid. recensita.

anarthiam introducunt. In illo ergò sacrosancto (scilicet!) Concilio Hierarchiam Ecclesiasticam evertere ea sententia credebatur, qvam hodiè velut Hierarchiæ suæ unicum, certè præcipuum robur Jesuitæ tuentur.

(2) *Testimonia Scripturæ vindicata,*

Sed qvid tueri dico? Qvi neq; inveniunt, qvod ad manifestissimas Scripturarum demonstrationes, qvas paulò antè ad ductū Hieronymi produximus, respondeant, neq; habent, qvod ipsi opponant. De aliis non est, qvòd nunc soliciti simus, qvos omnibus præsidiis depulerunt laudati modò Scriptores. Masenius unicum è *I.Tim. IV, 14.* argumentum, eludere se putavit posse, si *manûs presbyterii, qvibus ordinatus Timotheus*, de *Episcoporum manibus* interpretaretur: *cùm omnis Episcopus* (sic habet,) *sit Presbyter, & plures qvoq; ad Episcoporum creationem concurrant*, qvod posterius adducto Augustini testimonio confirmare tentat. At ita respondere, est profectò nobis herbam porrigere. Si enim *manûs presbyterii manûs Episcoporum* dici possunt, necesse est, presbyteros eosdem & Episcopos esse. Communitas nominum, officii ac gradûs communionem arguit. *Imo verò*, ait Masenius, *omnis Episcopus est presbyter, non contrà.* Ego autem probanti, non ajenti hoc crederem. Ut hîc Presbyteri appellationem Episcopis tribui, Masenius ait, sic Episcoporum appellationem

I.Tim. IV. 14.

lationem & functionem Presbyteris assignari, ex *Act. XX, 17 28. Tit. I, 5, 7. Phil. I, 1.* cognovimus. Num credemus in re tanti momenti, qvanti ministrum Ordinationis Pontificii contendunt esse, Spiritum S. ludere Ecclesiam voluisse, ut qvod solis Episcopis convenit, presbyteris tam longè ab Episcoporum dignitate semotis tribueret? Plures Episcopos sensu Papali dictos, ad Episcopi ordinationem necessariò reqviri, an Augustinus firmiter probet, cognoscetur, si, qvæ truncat Masenius, addamus. *Habet Ecclesiæ Catholicæ consvetudo*, ait Augustinus, *ut non Numidiæ, sed propinqviores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent: sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliqvis Episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.* Docent verba posteriora, qvæ unum Episcopum memorant, priora qvoqve sic posse exponi, ut si diceremus: In Imperatoris Romani inauguratione Electores Moguntinos vel Colonienses coronam capiti Regio imponere, Saxonicos gladium, Brandenburgicos sceptrum præferre &c. non multitudinem simultaneam, sed axioma perpetuum exprimens. Qvicqvid sit, loqvitur *de Ecclesiæ Catholicæ* tum introductâ *consvetudine* Augustinus, à qvâ ad divinam institutionem, si clari textûs repugnent, concludi non potest. Confer textûs Apostolici vindicias apud Walonem Messalinum

num *Disfert.c.5.p.302.sqq.* & Hülsem. *Apolog. Ministerii Evang. de Ministro Ordinationis* §.25.

(3) Argumenta Masenii soluta, è I.Tim.V, 1.

Supereſt, ut ratiunculas, qvas profert, velut levioris armaturæ milites profligemus. (I.) *Presbyterum ne objurges, sed hortare velut Patrem*, I.Tim. V, I. *Qvid autem attinebat, Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso poteſtatem obtineret?* qværit Auguſtini larvam indutus Masenius. Qvi hac parte suprà Vulgatam suam, & suprà cæteros factionis suæ homines sapuit. Illa enim non de functione Eccleſiaſticâ πρεσβύτερον exposuit, sed de senili ætate, qvam expoſitionem ἀντίθεσις cæterarum ætatum poſcit. Seniorem, inqvit, *ne increpaveris, sed observa, ut Patrem*, juvenes, *ut fratres*; anûs, *ut matres*; juvenculas, *ut sorores, in omni caſtitate*. Viduas *honora*. Atqve ſic Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, ſic Cornelius à Lapide ac Pontificii alii explicant: Grotius etiam: *Vox πρεσβυτέρε hic de ætate sumenda eſt, non de functione.* Neqve memini è Pontificiis videre, hoc argumento qvi utatur. Hammondus tamen utitur *Diſſert. IV. c. 19. §.8. sqq.* utut non diſſimulans nec repugnans valdè, περὶ παντὸς γεγηρακότος, *de qvovis sene*, ut Chryſoſtomus habet, exponi: qvod verò addit, Seniorem Eccleſiæ non excludi, argumentum non ſalvat, ut manifeſtum eſt.

Sanè

Sanè nec in Ecclesiastico, nec in alio munere constitutum Senem irreverenter increpare Timotheus juvenis debebat, sed si omninò vitia correptionem exigerent, ut patrem compellare. Nihil hîc de Episcopali prærogativâ.

Neqve (2.) *Ejusdem cap. v. 19:* ubi *Paulus admonet: Adversus presbyterum citò accusationem ne admiseris, nisi sub duobus tribusvè testibus.* Utuntur hoc textu pleriqve, ostensuri Episcopos judices presbyterorum, adeoqve illis superiores jure divino esse. Sed ut taceam, à Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio, hunc qvoqve versum, non de officio, sed ætate exponi, (aliud enim immediatè præcedentia verba docent:) neq; prolixè urgeam, ex *usu Ecclesiæ* ab ipsis etiàm Apostolis introducto nondum *jus divinum* conseqvi; (qvod è Bellarmino ipso colligas *lib. de Clericis c. 15. §. Deinde qvantum.*) hoc certum est, propriè dictum judicium in primitivâ Ecclesiâ nullum fuisse. Ethnicus enim magistratus rerum potiebatur, ad cujus tribunal causas temerè rapi nolebat Apostolus *I. Cor. VI, 6.* Qvia tamen lites interdum incidebant, Christianos per delectos arbitros eos componere oportebat. E tali autem non forensi, sed charitativo adeoqve impropriè dicto judicio superioritatem aut jurisdictionem aliqvam inferre non licet. Habet enim inter æqvales

I. Tim. V 19.

Uuu

les locum. *Augustæ memoriæ pater tuus legibus suis sanxit, in causâ fidei vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis (hæc enim verba rescripta sunt,) hoc est, Sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare*: scribit ad Valentinianum filium Ambrosius *Epist.32.* Præterea potuit hîc, ut eleganter Hunnius noster observat *Demonstr. Minist.Luth.p.319.* respicere Apostolus ad illud judicium, qvod ex officio cuivis Ecclesiæ Ministro competit, & præcipuè pro suggestu exercetur, præsupponitqve haud rarò accusationes læsorum. Huic verò Spiritûs S. judicio totus cœtus, adeoq; & Collegæ tanqvam Ecclesiæ membra, citra ullam tamen propriè dictam Subjectionem subsunt. Sic Petrum damnavit Paulus *Gal.II,11.* non ut princeps subditum, sed ut par parem. Sic Prophetæ à Prophetis judicantur *I.Cor,XIV,32.* Conf. Gerh. *de Ministerio* §.242. & Danhauer. *T. I. Hodom. Pap.p.784.* Et qvæ contra Episcoporum Angliæ fastum de *h. t.* monuit Hülsem. *tract.de jure & moderatione correptionis fraternæ* §.XV.n.330.332.p.157.

Act.XX, 28. (3) *Ex eo manifestè* suam falsitatem, qvam veritatis nomine venditat, *elucere putat, qvòd non Presbyteros, sed Episcopos, posuit regere Ecclesiam DEI Act.XX,28.* At verò, si expendas, cum Presbyteris ibi Ephesinis (non poterant autem unius urbis ex mente

Papista-

Papiſtarum plures eſſe Epiſcopi, ſpecificè ſic dicti,) ibi loqvi Apoſtolum, ut ex *coll. v. 17.* patet, elucebit potiùs veritas noſtra, τὸ regere vel paſcere Eccleſiam (ποιμαίνειν in font.) non Epiſcopis tantùm, qvos Papiſtæ vocant, ſed omnibus Eccleſiæ Doctoribus, qvos Presbyteros ibi dicit Lucas, competere. V. Gerh. § *241.* Dreier. *p. 572.*

(4) *Manuum impoſitionem ad ordinandum ſolis præcipi Epiſcopis I Tim. V, 22.* commentum Maſenii eſt. Eqvidem boni Ordinis cauſâ Eccleſia Epiſcopis poſt conſtitutum illorũ à Presbyteris diſcrimen ordinationẽ permiſit. Sed uti hoc diſcrimen Pauli ævo ignotũ erat, ita qvod Epiſcopo cõmiſit, id aliis Presbyteris eo ipſo non negavit, qvin potiùs Timotheum ipſum *per impoſitionem manuum presbyterii* ordinatum indicat, ut paulò antè è *I. Tim. IV, 14.* cognovimus. Taceo, vix unqvam probatum iri, qvòd Timotheus fuerit ſenſu Papæo certi alicujus loci Epiſcopus. vid. Mareſ. *Diſp. I. adverſus Prideaux, §. 43.* Hülſem. *l. c.* §. *25.* Scilicet huc potiſſimum tendit omnis Pontificiorum de Epiſcoporum & Presbyterorum differentiâ diſputatio, ut noſtros verbi miniſtros legitimos eſſe Paſtores negent, qvia ab Epiſcopis, qvibus unicè ex jure divino conveniat ordinandi facultas, ordinati non ſunt. Qvæ colligendi ratio qvàm elumbis ac frivola ſit, examen *puncti II. hujus Conſi-* *1. Tim. V, 22.*

derationis docebit, qvo vocationem ministrorum verbi in nostrâ Ecclesiâ impugnare voluit Malenius. Huc ergò nunc progrediamur, nihil moti operosâ declamatione Masenii, qvâ *p. 153. 154.* suæ Ecclesiæ cum Augustino & Scripturâ consensum deprædicat, nostram verò ob neglecta tot Sacramenta & salutis præsidia condemnat. Nos neqve respuimus salutis media à verbo DEI indicata, neqve peccati meritò arguimur, cùm obtrusa absqve verbo nova salutis media rejicimus. Cæterùm conjugium, ministrorum vocationem ac ordinationem, eo habemus loco, qvo haberi Scriptura vult, ac licèt inter Sacramenta ejus generis, cujus Baptismus & S. Cœna sunt, non reputemus, Sanctam tamen DEI institutionem in iisdem veneramur. Qvâ in re annon Scripturæ fundamento pariter ac Augustini suffragio nitamur, judicandum ex hactenus dictis cuivis pio Lectori relinqvimus.

Punct. II. p. 154 - 157.

Cùm ſine Miniſtris Eccleſiæ à DEO vocatis, & ritè ad hoc munus ordinatis, tàm in Novo, qvàm Veteri Teſtamento res Sacræ non poſſint adminiſtrari, ac populo communicari, in qvanam hos Eccleſiâ, Proteſtantiumne, an Catholicorum reperiri exiſtimes?

D Miniſterio Lutherano expend.

Solenne veritatis hoſtibus eſt, ut doctrinam, qvam directè ex pugnari non poſſe cernunt, per obliqvum, & latera prædicantium confodiant. Imitati Phariſæos, qvi eandem Domino cantilenam occinebant: *In qvâ poteſtate hæc facis?* Matth. XXI, 23. Qvanqvam verò doctrinâ aſſertâ veritas miniſterii ab ſe patet: tamen cavendum etiam, ne his offuciis, velut objecto glaucomate faſcinati ſimpliciũ animi, de doctrinâ ipsâ dubitare incipiant, nec committendũ, ut præconibus Evangelii temerè macula aſpergatur. Qvod qvidem poſt alios innumeros Maſenius, ſed fruſtraneo, & ipſe conatu

tum qvæſtionis Maſenianæ præ-

suppofita: conatu annisus est. In cujus qvæstione, qvam ipsiusmet verbis adscripsimus, observo(1.) Et vocationem & ordinationem illi à Masenio involvi, non eandem tamen utriusqve per omnia rationem, non eandem necessitatem esse. *Vocatio* enim de essentiâ ministerii est: neqve fungi qvisqvam ministerio ritè potest non vocatus, *Rom. X*, 15. *Ebr. V*, 4. *Ordinatio* verò licèt omitti in benè constitutis Ecclesiis neqvaqvam debeat, tùm propter antiqvissimum Ecclesiæ Apostolicæ & Apostolorum temporibus proximæ consvetudinem, (*Act. VI*, 6. *XIII*, 3. *I. Tim. IV*, 14. *V*, 22. *II. Tim. I*, 6.) tum propter salutares commonefactiones ordinandi juxta ac Ecclesiæ, aliosqve à Theologis nostris assignari solitos fines; tamen absolutè ac simpliciter necessaria, ita, ut ne qvidem, si casus necessitatis interveniat, omitti possit, non est: neqve ratione expressi mandati divini, neqve ratione effectûs, qvem Pontificii assignant, fingentes, characterem indelebilem imprimi, & ex hoc opere operato conferri dona ad ministerium reqvisita. Qvæ omnia ἄπερ γραφῆς dicuntur. vid. Balduin. *Instit. Min. verbi*, c. 8. p. 277. Hunn. *Demonstr. Min. Luth.* p. 283-294. Walther. *Centur. Miscell.* c. 46. p. 409. sqq. Meisner. *Consult. contra Lessium* p. 378. &c. Observo (2.) & vocationis & ordinationis necessitatem non minus in

(An vocatio & ordinatio ejusdem necessitatis?

An ordinatio in Vet. qvoq;

in Veteri, qvàm in Novo Testamento eâdem qvæstione à Masenio statui, eoqve ipso everti, qvod paulò antè astruxerat, Ordinationem esse Sacramentum Novi Testamenti. Sed de his veluti præsupr ositis qvæstionis non disputabimus amplius. Rem ipsam qvod attinet, negat Masenius: *In nostrâ Protestantium Ecclesiâ ritè à DEO vocatos & ordinatos Ministros haberi.* Atqve hîc (I.) In *genere* contra Protestantium ministros *p. 154 155.* (II.) In *specie* contra Lutherum *p. 156.* disputat. In hæc ergò duo capita sese dividet hoc etiam Examen nostrum.

Testam. necessaria?

tum Ejusdem decisio & argumenta. Ubi vindicatur

(I.) Vocationem & Ordinationem Protestantium Ecclesiastarum (1.) recitato ex *Qvæstionibus Veteris & Novi Testamenti* textu, indeqve deducto argumento gemino impetit. *Augustinus*, inqvit, *te docebit: qvomodo Ecclesiastica potestas à Domino in Discipulos, ab his ad alios translata fuerit; ut hinc colligere liceat, ubinam illa modò reperiatur. Illud*, inqvit, (Tom. IV. qvæst. de Nov. Testam. q. 93. p. 765.) *qvod insufflasse in discipulos Dominus legitur, post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse: Accipite Spiritum S. Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Qvia enim omnia in traditione Dominicâ per Spiritum S. aguntur, idcircò cum regula eis & forma traditur hujus disciplinæ, dicitur eis: accipite Spiritum S. Et qvia verè ad jus Ecclesiasticum pertinet, statim subjecit, dicens:*

(I.) Vocatio & ordinatio Lutheranorum, neqvicqvam impetita

cujus tenueritis peccata, tenebuntur, & cujus remiseritis, remittentur ei. Inspiratio igitur hæc gratia qvædam est, qvæ per traditionem infunditur ordinatis, per qvam commendatiores habeantur. Unde Apostolus dicit ad Timotheum: Noli, inqvit, negligere gratiam, qvæ in te est, per impositionem manuum presbyterii: Et alibi addit: Huic ergò dono gratiæ qvicunq; restiterit, & repugnaverit, vel qvoqvo modo ab eo fuerit alienus, usq; in finem hujus temporalis vitæ non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Hæc ubi ex Augustino protulit, ut intelligas, qvid concludere inde velit, ista addit de suo: *Expende, in qvanam Ecclesiâ hanc potestatem exemplo Christi solvendi & ligandi conferri, & agnosci usurparíq; videas. Certè Protestantes, qvi solá fide remitti peccata sentiunt, suis Ministris non concedunt, qvòd solvere qveant aut remittere, vel retinere peccata; sed solam potestatem prædicandi, qvòd remissa sint omnibus peccata, qvi verè credunt. Hoc autem frustrà fit, cùm fideles omnes jam ante certâ fide credere teneantur, qvòd remissa sint. Sunt igitur tanqvam inanis Echo, qvi tantum repetunt, qvod alii ante credunt, & si fidelibus peccata retinere vellent, prorsus essent ridiculi. Deinde negant, conferri per visibile manuum impositionis signum invisibilem gratiam talis potestatis. Videant igitur, annon hi in execrationem hanc incidant ab Augustino denunciatam,*

ciatam, qvotqvot huic gratiæ repugnant. Nulla igitur potestas Ordinis & clavium, qvoad conscientias solvendas aut adstringendas, in Ecclesiâ Protestantium est, prout in Ecclesiâ Catholicâ possidetur?

In hoc Maseniano discursu observo (1.) nunc, ubi favere suæ sententiæ illum, qvisqvis fuit, rhapsodum existimat, Augustini nomine jactari, qvem Bellarm. *p.127. de Scriptoribus*, & *L.1. de Missâ c. 6. L. II. de effectu Sacram. c. 20. de gratiâ primi hom. c. 3.* rejiciebat, ut *hæreticum & à Patribus damnatum.* Nec aliter celeberrimi Sriptores Romanæ Ecclesiæ alii de ipso sentiunt, ut paulò superiùs annotavimus. Hæreticus igitur à Patribus damnatus heros ille est, qvi ut omnes Evangelii ministros orbe ejiceret, à Masenio in subsidium vocatur. Qvisqvis tamen ille sit, expendamus (2.) qvid dicat. Ait: *Job. 20. Ecclesiasticam potestatem solvendi & ligandi Apostolis verbiq; ministris à Christo tradi.* Ait: *A Christo per inspirationem à presbyterio per manuum impositionem gratiam illius potestatis conferri.* Unde Masenius infert, Protestantes non habere ritè vocatos & ordinatos ministros. *Primò* sic colligere videtur: *Qvæcunq;* Ecclesia ministris suis non concedit potestatem remittendi & retinendi peccata, sed tantùm prædicandi, qvòd remissa sint omnibus, qvi cre-

(1) Autoritate Scriptoris Qvæstionum Veteris & N:T.

indeq; nexo gemino argumento: α) Qvòd non accipiant Lutherani Ministri potestatem solvendi ac ligandi

credunt, illa exemplum Christi in constitutione ministrorum verbi non observat. *Atqvi* Protestantium Ecclesia non concedit ministris suis potestatem remittendi &c. Omnes enim fideles jam antè certâ fide credere tenentur, qvòd remissa sint. *Ergò.* In hoc argumento minor procul dubio falsissima est. Licèt enim non judices faciamus è verbi ministris, sed organa tantùm, peccatorum remissionem divinam applicantia; multum tamen inter *remissionem* hanc diaconicam seu ministerialem, & nudam remissionis *annunciationem* interest. Hanc falsò nobis Masenius imponit. Illam verò defendimus. Qvâ de re jam suprà actum *p. 801.* Neqve verò nostratium sententia de remissione, qvæ fit solùm per fidem, obstat, qvò minùs credentibus peccata propriissimè loqvendo remittantur per verbi ministros. Etiam si Ordinem DEI respicias, concurrunt hîc DEUS, ut causa princeps, fides, ut instrumentum ex parte hominis, verbum ut instrumentum ex parte DEI, qvod Concionator ut ministerialis causa applicat, fides apprehendit. Qvæ ergò hîc conjuncta vel subordinata DEUS esse voluit, non debebat opposuisse Masenius, neqve per fidem, qvæ omnium meritorum ac operum nostrorum concursum excludit, ministri (qvem συνεργὸν suum in hoc negotio DEUS esse voluit I. Cor. III, 9.) operationem excludere. Non annunciant modò

Joh. XX, 23.

modò verbi ministri credentibus, qvid Deus faciat, sed reverà conferunt, qvod credentibus se per ministros suos collaturum esse DEUS promisit. Neqve adeò inanis Echo sunt, sed efficacissima DEI vox : non repetunt, qvid alii antè jam credunt, sed conferunt & applicant, qvod credentes apprehendant. Deduxit hoc B. Parens meus pleniùs Lutherisch. Löseschlüssel *p.129. 151. sqq.* Dum scribit Masenius, *ridiculos fore nostros sacerdotes, si fidelibus retinere peccata vellent:* ridiculus æqvè est, ac si suos dimittere efficaciter peccata non-credentibus posse scripsisset. Christi enim verba : *Qvacunq; ligaveritis in terrâ* &c. fidem non excludunt, sed præsupponunt : Ejus qvòd disertam mentionem non faciunt, hinc est, qvòd ibi non doceret pœnitentes de officio suo, sed ablegaret instrueretqve de officii sui efficaciâ Doctores. Satis de uno, qvod verba Augustiniastri Masenio suggesserunt argumento.

β) Qvòd non conferatur ipsis per χειροθεσίας ritũ invisibilis gratia.

Colligit *secundò* ita : *Qvæcunq;* Ecclesia negat conferri per visibile χειροθεσίας signum invisibilem gratiam potestatis dimittendi & retinendi peccata, anathema Augustini incurrit, & veros ministros non habet. *Atqvi* Protestantium Ecclesia negat &c. *Ergò.* Respondeo. (α) Anathema Augustini hîc non curamus, qvia neqve Masenio ascribere placuit, neqve nobis per tot S. Patris ingentia volumina perqvire-

qvirere, ubi illud legatur. Fieri autem potest, ut in *libro damnati haretici* perinde, ut prior ille textus habeatur. (β) Causam anathematis, qvæ in majoris probatione è
I. Tim. IV, 14. *I. Tim. IV, 14* ubi *per impositionem manuum presbyterii gratia* dicitur *data Timotheo*, facilè dilui posse confido, modò rectè res explicetur. χειροθεσίας nomen vel *strictè* capitur, pro *manuum impositionis ritu*, qvi in ordinatione non ex mandato, sed ad exemplum Apostolicæ Ecclesiæ ex libertate Christianâ retinetur; vel *latè*, pro *integro ordinationis actu*, in qvo ritum piæ preces innixæ Christi promissioni, & salutares admonitiones comitantur. Data Timotheo gratia per χειροθεσίαν non *priori* sensu acceptam, qvasi ritus ille per se habuerit virtutem ex opere operato gratiam ministrantem conferendi; sed *posteriori*: qvatenus piæ preces Presbyterii & Ecclesiæ impetrant augentqve dona, qvibus eget Ordinatus ad officii partes rectè & cum fructu obeundas. Atq; hoc sensu nemo Protestantium negat, conferri & augeri in ordinatione dona ordinando necessaria. Si enim congregati duo vel tres in nomine Christi, impetrabunt, qvicqvid cupient, *Matth.* XIIX, 19. 20. Si pater cœlestis nemini petentium negabit Spiritum Sanctum, *Luc.* *XI, 13.* qvis dubitet, magnum pondus habere preces, qvæ à congregato presbyterio, imò ab

ab universâ Ecclesiâ in nomine Jesu funduntur? vid. Balduin. *in 1. Tim. IV, 14. q. 4. p. 1337.* Walther. *Centur. Miscell. p. 438. 451.* Gerh. §. *165.* &c. Patet autem hinc vanitas conclusionis Masenianæ: *Nulla igitur potestas Ordinis & clavium, qvoad conscientias solvendas aut astringendas in Ecclesiâ Protestantium est, prout in Catholicâ Ecclesiâ possidetur.* Eqvidem fatemur, eam potestatem Ordinis & clavium, qvam Clerus in Ecclesiâ Papali sacrilegii titulo possidet, prætoriam sibi jurisdictionem ac tyrannidem in conscientias, censuram in peccata ac potestatem illa temporalibus pœnis pro lubitu plectendi, arrogans, à nobis neq; desiderari, neqve haberi: fatemur, nos characterem bestiæ, qvem juxta vaticinium de Antichristo Johanneum *Apoc. XIII, 26.* in Ordinatione æqvè ac in Confirmatione imprimet, non habere in dextrâ nostrâ aut frontibus nostris: interim eam clavium potestatem, qvam Christus Apostolis omnibusqve verbi ministris concessit, & habemus & exercemus, ut suprà cum *de Pœnitentia Sacramento* agendum esset, docuimus.

(2.) Porrò dilemmate in Ordinationem nostram arietat. *Cùm ita discrepet vocatio & potestas ministrorum Ecclesiæ Catholicæ & Protestantium, hoc dilemmate* *(2) Dilemmate,*

te

te manifesti hi erroris arguuntur. Vel ordinatio Catholicorum sancta & legitima est vel; profana & irrita. Si illud, tunc Protestantium, qvæ naturâ essentiâq; suâ discrepat, nulla est: si hoc, tunc iterum nulla est; qvia Lutherus & Calvinus, antesignani illorum, à Catholicâ Ecclesiâ vocati ordinatiq; sunt; qvibus illegitimè vocatis ordinatisq; nemo successorum ab his vocari ordinariq; legitimè potuit.

qvod diluitur, ostendendo & legitimam

Respondeo: Diverso respectu sancta legitimaqve, diverso profana fuit Ordinatio Pontificia. *Legitima*, qvatenus ordinando officium docendi verbum DEI, & Baptismum Cœnamqve nec non Claves administrandi nomine totius Ecclesiæ per χειροθεσίαν solennem commendavit. *Profana*, qvatenus non modò novas easqve theatrales ac inutiles ceremonias annexas habuit, sed & characteris opinione aliisqve sordibus contaminata fuit, prætereaqve ordinando propagationem errorum Papalium injunxit. Priori respectu naturâ essentiâqve suâ non discrepat Ordinatio Protestantium à Pontificiâ. Separant nostrates scorias ab argento, à tritico paleas, humanum à divino, accidentale ab essentiali, antichristianum à Christiano. Hoc retinent, illud rejiciunt. Qvanqvam igitur primi Ecclesiæ Reformatores,

& illegitimam diverso respectu

Ordinationem Ecclesiæ Romanæ fuisse.

tores, Lutherus inprimis, à Papali Ecclesiâ vocati, & ab illius Episcopis ordinati sint, non ideò tamen profana aut irrita illorum vocatio & ordinatio, qvà naturam & essentiam fuit. Etenim, ceu benè Balduinus *Phosphori Cath. L. III. c. 12. p. 138.* & *Cas. Consc. L. IV. c. 6. cas. 6. p. 1042.* Gerh. §. 157. *L. de Min.* Grauer. *in Mich p. 45.* & Müller. *Luther. defens. c. 3. § 37. 60. p. 79. 94.* observant, distingvendum hîc inter officia Episcoporum, qvæ faciunt *ut lupi & mancipia Papæ*, qvalia sunt sacrificii missatici oblatio, moribundorum inunctio, cereorum & ciborum aliarumqve creaturarum exorcisatio, sacrilegium Calicis hisqve similia: & ea, qvæ *ut Ordinarii Ecclesiæ ministri* faciunt, & qvæ cum institutione divinâ conveniunt: ut baptismus, conjugum copulatio, Ministrorum Ecclesiæ ordinatio. Porrò in his opera *DEI* ab operibus *hominum* distingvenda sunt. *Hæc* à ministris Antichristi fiunt, qvia mandato divino destituuntur; ut in ordinatione rasura, unctio, cerei, mandatum sacrificandi pro vivis & defunctis &c. *illa* DEO sunt ascribenda, qvi in corrupto Ecclesiæ statu etiam per corruptos ministros opera sua expedit; qvomodo in Ecclesiâ Judaicâ per Pharisæos & Scribas circumcidebat, Sacerdotes etiam pios, ut Zachariam *Luc. I.* ordinabat, qvatenus illi in cathedrâ Mosis sedebant, ut ordinarii Ecclesiæ mini-

stri

ſtri, non obſtante, qvòd ex proprio loqventes, & fermentum ſuum immiſcentes *Matth.* XVI, *6.12.* genimina viperarũ eſſent, *Matth. III*, 7. XV, 3. Legitimè ergò ordinatus Lutherus fuit, licèt ordinans erroribus Papalibus infectus eſſet. Quod fieri poſſe, negare Pontificii per hypotheſes ſuas non posſunt, juxta qvas uti ab hæreticis baptizati non rebaptizantur à Catholicis: ita ordinati ab hæreticis de novo ordinari non debent; qvod in hâc causâ ipſis Lutherus *Art. Smalc. P. III. art. 10. p. 334.* jure meritoqve oppoſuit. Confer *cap. ſicut ſemel. diſt. 68.* Hæc cùm ita ſe habeant, inverti dilemma, inqve adverſarios torqveri poteſt: Si *ſancta & legitima* eſt ordinatio Papiſtarum, (ut eſt ratione eſſentialium,) talis erit & Proteſtantium, qvæ naturâ & eſſentiâ ſuâ non diſcrepat: ſi *profana & impia*, (ut eſt profectò ratione adſperſi fermenti,) pia & legitima erit Proteſtantium Ordinatio, qvæ feces illas impuri miniſterii relinqvit.

(3) Defectu legitimi ordinationis Miniſtri:

(3) Seqvitur argumentum, qvo impensè ſibi placent Papiſtæ, à defectu legitimi Miniſtri ſumptum. *Qvòd ſi ad populum ſuæ Eccleſiæ recurrant, qvi per ſuffragia eligat, deerunt tamen Epiſcopi, (qvalis neq; Lutherus, neq; Calvinus unqvam fuit,) deerunt & legitimi alii, ut nunc diximus, conſecratores, qvi manûs imponant.* (α) Benè habet qvòd non audet Maſenius improbare morem Eccleſiæ

clesiæ nostræ, qvæ ex populi qvoq; suffragio eligit Ministros verbi, secus ac in Pontificiâ fieri solet, ubi solus Ordo Clericalis monopolium in hoc genere sibi arrogat, adeò qvidem, ut Synodus Tridentina fures & latrones appellet, qvi â Magistratu Politico vocati sunt, *Sess. XXIII. de Sacram. Ord. cap. 4. & can. 7.* Qvorum sententia, ut juri, qvod toti Ecclesiæ Christus credidit, & Apostolicæ praxi repugnat, vid *Act. I, 15. sqq. VI, 23. XV, 22.* neqve conciliari potest cum obligatione probandi Spiritûs & dijudicandi Doctores, omnibus incumbente *Matth. VII, 15. I. Joh. IV, 1. Joh. X, 4. 5.* &c. imò Conciliorum decretis, & canonibus Pontificum confutatur: ita rectè deseritur hîc à Masenio, (dum non in reqvisito consensu populi, sed in defectu legitimi consecratoris vitium Ministerii nostri ponit,) prolixè autem & invictè à Protestantibus confutatur, è qvibus Gerhardum vide *L. de Minist. §. 87-107.* & *Confess. Cath. L. II. P. II. p. 4. 1-8.* Hunn. *Demonstr. Min. Luth. p. 189-267.* Winckelmann. *T. III. Giess. Disp. I.* Grauer. *Comm. in Mich. I. P. I. qv. 2. p. 13-22.* Balduin. *Cas. Consc. IV, 5, 3. p. 1016.* Carpz. Löseschl. *p. 58-63.* Dreier. *Disp. XX. contra Pontif. p. 521-571.* Et è JCtis Ben. Carpzov. *Jurispr. Consistor. L. I. defin. 27. p. 35.* Th. Reinkingk *Regim. Secul. & Eccles. L. III. cl. 1. c. 6. p. 522. sqq.* Qvòd autem (C) in eo vitium esse contendit, qvòd legitimis ordina-

(Obiter de electione per populi suffragia.)

quo non tam nostra la-

Xxx

borat Ecclesia docente id Scripturâ, ordinationis ministris destituamur, id falsâ & paulò antè confutatâ hypothesi nititur, qvasi jure divino Episcopi à presbyteris distingvantur: Timotheus per manûs Presbyterii ordinabatur *I.Tim. IV, 4.* & qvi Paulo *Act. XIII, 3.* manûs imponebant, Episcopi sensu Pontificio non erant. Itaqve jure divino uti Episcopus à Presbytero non differt, ita nec Episcopus presbytero contradistinctus potestatem ordinandi solus habet. Est hæc penes Ecclesiam, qvæ per presbyterium eandem exeqvitur. Ac licèt in hoc Episcopi seu Superintendentis (ita Græcam vocem reddere nos docet Augustinus *XIX. C. D. 19.* & Jus Canonicum *cap. Cleros, dist. 21.* nec non *c. Legimus. dist. 93. & c. 8. q. 1. Qvi Episcopatum.*) sint præcipuæ partes qvà Ordinationis *ritum, actus* tamen totius ministerii præsentis est. Unde eâ olim tempestate, qvâ jam tum consvetudo Ecclesiæ Episcopum Presbyteris superiorem evitandi Schismatis causâ fecerat, non ita tamen propria Episcopo erat ordinatio, ut ineffi ax illa crederetur, si à Presbytero facta absente Episcopo fuisset ut suprà ex *qvæstionibus veteris & Novi Testam.* qvibus hîc velut Augustini armis pugnat Masenius, est observatum *p. 1030.* Itaqve & Vasqvez Jesuita *T. II. in P. III. Thomæ Disp. 243. c. 4. p. 773.* disputat, presbyterum qvoqve non validè modò, sed licitè etiam ordinare: qvod

& Pontificiorum testimonio

qvod inter alia exemplo Suffraganeorum probat, qvi in Ecclesiâ Papali ordinant, verè tamen (qvod *Disp. 238. p. 711.* demonstrat,) Episcopi non sunt. Atqve hoc idem tum ex praxi Ecclesiarum Papalium, tum testimoniis Scriptorum non ignobilium copiosiùs ostendit noster Hülsemannus *laudatâ Apologiâ de ministro Ordinationis* §. *44. 54. 60. 61. 62 66. 67 71 72. sqq.* Ibidem § *68.* Cellotius & Joh. de Artis, alter Jesuita, alter JCtus, uterqve Gallus, fatentur, qvicqvid hâc de re præcipitur in Ro. Ecclesiâ, humani juris esse: Itaqve *cùm Ecclesiarum salutis intersit, ne careant idoneis pastoribus, detrahendum non esse statim persona ordinata ob hujusmodi defectûs, qvi fundamentum nullum aliud habent, qvàm humanum arbitrium.* Cur ergò, qvod ipsi non observant in Ecclesiâ suâ, ac ne qvidem observatu necessarium docent, à nobis tanto rigore exigunt, ut non dubitent rejicere ob hunc unum defectum verbi ministros nostros, qvòd ordinati à suis Episcopis non sunt? *Si Episcopi* (scribebat olim Lutherus P. *III. artic. Smal. 10. p. 334.*) *officio suo rectè fungerentur, et curam Ecclesiæ & Evangelii gererent, posset illis nomine caritatis & tranqvillitatis, non ex necessitate, permitti, ut nos & nostros Concionatores ordinarent & confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvæ, præstigiæ, deliramenta, & spectra pompæ ethnicæ. Qvia verò* ac praxi;

 nec

nec sunt, nec esse volunt veri Episcopi, sed politici Dynastæ & Principes, qvi nec concionantur & docent, nec baptizant, nec Cœnam administrant, nec ullum opus & officium Ecclesiæ præstant, sed eos, qvi vocati munus illud subeunt, persequuntur & condemnant, profectò, ipsorum culpâ Ecclesia non deserenda, nec ministris spolianda est. Qvapropter sicut vetera exempla Ecclesiæ & Patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipsi ordinare debemus & volumus. Et hoc nobis probibere non possunt, etiam secundum sua jura, qvæ adfirmant, etiam ab hæreticis ordinatos, verè esse ordinatos, & illam ordinationem non debere mutari. Conf. Eund. *Tom. VI. Jen. Germ. Libro*, von der Winckel-Messe und Pfaffen-Weihe *p. 103. a.* Præterea disqviri non incommodè hîc posset, si omninò ad Episcopos ordinandis accedendum sit, annon in nostrâ Ecclesiâ magis, qvàm in Romanâ ii reperiantur. Certè qvidem, qvi expendet, qvæ in Episcopo poscit Apostolus, *I. Tim. III*, 2. *sqq. Tit. I, 7. sqq.* haut dubiè Episcopos in Luthero ac Superintendentibus aut Præpositis nostrarum Ecclesiarum magis, qvàm canonicè-electis præsulibus Romanæ Ecclesiæ deprehendet. De qvibus verissimè Majores nostri *Apolog. A. C. art. ult. p. 294: Qvi nunc sunt Episcopi, non faciunt Episcoporum officia juxta Evangelium, sed sint sanè Episcopi juxta politiam Canonicam, qvam non reprebendimus:*

qvàm Pontificia, veris Episcopis destituta.

dimus : Verùm nos de Episcopo loqvimur juxta Evangelium. Et Espensæus *L. II. digress. in Ep. ad Tim. c. 2. p. 179.* expendens qvid in Concilio Tridentino *Sess. V. cap. 2.* esset conclusum: *Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsum, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium :* non absque singultu exclamat: *Sed qvid horum, quæso servatur? Qvotusqvisq; Prælatorum majorum minorumve populum suum docere videtur? An illi ipsi hujus decreti autores unqvam docuerunt? Certè ex nostratibus Episcopis, qui Tridenti & Bononiæ pars aliqvota fuerunt, nemo per se docet. Ludimusné in re adeò seriâ? an potiùs hac decretorum specie reformationem poscentibus illudimus? Novi Episcopos, etiam Græcè peritos, qvi se ut ad istam docendi servitutem demittant, ad istas sordes descendant, teneri, præfractè negant, qvòd cùm Episcopas assecuti sunt, mos iste non esset. Qvasi contra perpetuam DEI legem ulla prævaleat hominum desvetudo magis, qvàm consvetudò.* In eandem sententiam Georg Wicelius *in Viâ Regiâ, Art. de Potestate Ecclesi. p. 344: Gaudent audire principes & propemodum pudet Episcopos dici. Imò illorum aula non sustinet patienter audire, si qvis roget, ubi Rev. Episcopus sit; præcise dicendum est: ubi reperiam meum gloriosissimum Dominum & Principem? sin secus,*

ad

ad suspicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forsan causa est, qvòd malint esse reipsâ principes, qvàm Episcopi, & propensiores sint ad principatum, qvàm Episcopatum. Aliorum qverelas super Episcopis, qvi hoc nomine ad dominatum, bella, luxum abusi, nihil minùs qvam Episcoporum opera faciunt, Botsaccus *de Ecclesiæ Rom. impietate p. 52. sqq.* Zieglerus *in Episcopo-milite* aliiq; dabunt. Cùm igitur ipsimet Pontificii fateantur, non facere Episcopos suos, qvod Episcoporum est; contrà sint ex eodem cœtu, qvi nostros Superintendentes pro Episcopis, verissimo utiqve judicio, si Episcopum magis ex Paulinis Canonibus, qvàm commentis Pontificialis Romani æstimare velimus, habeant, (testimonia apud Hûlsemannum lege *Apologiâ de ministro ordinat. §. 63. 64.*) magis est, qvòd de defectu legitimi ordinationis Ministri in suâ Ecclesiâ, qvàm in nostrâ solicitus sit Masenius. Summa huc redit: (1.) Episcopi & Presbyteri jure divino non distingvuntur: & (2.) Presbyteri qvoqve in Ecclesiâ Apostolicâ ordinarunt: hodieqve (3.) fatentibus Papistis, validé ordinare possunt: prætereà (4) paucissimi Papalis Ecclesiæ Ministri ab Episcopis ipsis ordinantur; ii autem (5.) qvorum in nostrâ Ecclesiâ non respectu superioritatis alicujus jure divino sibi concessæ, sed ex liberâ Ecclesiæ dispositione, τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης ἕνεκα princi-

principes in ordinatione sunt partes, multò rectiùs Episcoporum partes obeunt, qvàm qvi in Papali cœtu hoc nomen sustinent. Apparet ergò, esse apud nos legitimos Ordinationis ministros. Et finge demum, ut hoc (6.) addamus, esse hîc aliqvod vitium, non propterea pro non vocatis pastoribus, si cætera salva sint omnia, haberi poterimus: qvia ordinatio Ministrum non constituit propriè, sed per vocationem constitutum solenniter declarat. Vide hæc omnia pleniùs explicata apud N. Hunnium *Demonstr. Minist. Luth. p. 326-fin.* Balduin. *Phosphori L. III. c. 12. p. 138 145.* & *Cas. Consc. L. IV. c. 6. cas. 4. p. 1036. sqq.* Grauer. *in art. V. A. C. p. 31. sqq.* Müller. *Anti-Jansen.* §. *486-493.* Carpzov. Löseschlüssel *p. 64.-76.* inprimis Haberkorn. *De ministerii Evang. veritate & efficaciâ c. VII* §. *241-292. p. 199-240.* & Hulsem. *tract. sæpiùs cit. de ministro Ordinationis.* Nos in gratiam Masenii duo adhuc observamus. *Unum* hoc est, qvòd ipse non satis sibi hâc in re constare videatur, dum *deesse in Ecclesiâ nostrâ Episcopos, deesse & legitimos alios consecratores*, ait. Si solos Episcopos legitimos consecrationis Ministros esse credit, ut credunt gregales cæteri omnes, qvos alios ergò consecratores nobis memorat? Aut si alii legitimi consecratores sunt, (ut esse, jam docuimus,) qvî defectum Episcoporum ordinantium rapere in argumentum

invalidæ apud nos Ordinationis potuit? *Alterum*: Qvòd non decuerit ea effutire Masenium, coram inclytissimis S. Imperii Ordinibus, (his enim Ratisbonæ pro publicâ salute excubantibus hanc praxin inscripsit,) qvæ ut Hûlsemannus docet *cit. tract. de Min. Ord.* §. *29. 30. 31. 78.* publicam qvodammodò pacem violare videri possunt. Nosse debebat Masenius, jurisdictionem Ecclesiasticam, qvam sibi arrogant Episcopi, per transactionem Passaviensem A. 1552. & secutam A. 1555. pacem Augustanam ad Protestantium Principes ac Status immediatè Imperio Romano subjectos rediisse, ita ut ipsis liceat citra Papistarum impedimentum in suis ditionibus exercere, qvæ exercere Episcopi papales aliàs solebant. Qvod & ita faciunt, ut qvæ *Ordinis* sunt, per Superintendentes Ecclesiæqve Ministros; qvæ *jurisdictionis*, per Consistoria expediant. Lege id breviter ex Instrumentis ipsis ostendentem Hülsemannum *Breviar. c. XIX.* §. *21. 22. p. 384 sq* & Confer Reinking. *de Regim. Sec. & Eccl. L. III. class. 1. c. 10. p. 547.* Bened. Carpzovium JCtum *Consistor. L. I. defin. 2.* & Parentis mei *Isag. in Libb. Symb. p. 425. 749. 928.* Hanc pacem violari censet Hulsemannus ab eo, qvi negat, horum jurium efficax exercitium aliis, nisi Episcopis Pontificiis competere; qvi negat, inqvam, posse Status Protestantes per Presbyteria

sua

ſua ordinare perſonas, qvæ media ſalutis efficaciter applicent. Unde conſeqvens eſt, ne conjugia qvidem Evangelicorum rata eſſe, ac proinde (qvod Paulus IV. in hæreticorum liberos ſtatuebat,) neminem legitimum hæredem parentum ſuorum eſſe, qvia qvi parentes copulavit ſacerdos, hanc poteſtatem per Epiſcopi Romani ordinationem non accepit: conſeqvens eſt, neqve baptiſmum adminiſtrari, neqve verbum efficaciter prædicari poſſe in noſtrâ Eccleſiâ. Ut proinde per hanc doctrinam Papalem de ſolo Epiſcopo Ordinationis Miniſtro ordinaria ſalutis media eripiantur noſtratibus, pariter & humanæ ſocietates evertantur. Ex qvo fundamento Papam communem hoſtem Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ omnis vocat & demonſtrat laudatus Autor, dignus qvi *l.c.* pluribus hac de re legatur.

(4) Objectâ turpitudine relictæ poteſtatis ſacrorum in manibus vulgi: qvam è II. Sam. VI, 6. I. Chron. XIV, 10.

(4.) Turpitudinem nobis objectat, qvòd in manibus vulgi poteſtas ſacrorum relinqvatur: *Sine legitimis conſecratoribus collata ſacrorum poteſtas in manibus vulgi relinqvitur, qvo qvid poteſt eſſe in Eccleſiâ DEI magis deteſtandum? cùm profanus Oza ad ſolius olim arcæ contactum, morte repentinâ fulminatus ſit? (II. Sam. VI, 6. I. Chron. XIV, 10.)* Aut de *vocatione*, aut *de ordinatione* loqvitur. Si de *hac*, cum larvis ſuis pugnat. Neqve enim nos in vulgi manibus hanc ſi-

ineptè probat. ve collationem, sive solennem potiùs collatæ potestatis Ecclesiasticæ declarationem relinqvimus; cùm ad ordinationem nonnisi presbyterium admittatur. Si de *illâ*, nihil ineptiùs afferri allegatione istius exempli poterat. Usam percutiebat DEUS *ob errorem vel delictum*, ut textus habet, qvòd contra disertum DEI interdictum *Num. IV*, 15. arcam tetigisset. At magistratûs & Laicos, qvos vocant, cæteros non modò à vocatione ministrorum non exclusit DEUS, (ostendant enim interdictum simile huic, qvod Usa violabat;) sed probare Spiritûs, suæqve salutis satagere jussit, atqve inprimis Principes attollere portas suas, ut Rex gloriæ introëat, *Ps. XXIV*, 7. Regesqve nutritios Ecclesiæ esse, *Es. XLIX*, 23. voluit. Neqve profectò legimus, Salomonem, Josaphatum, Ezechiam, Josiam, fulminatos morte repentinâ, qvòd Sacerdotes ac Levitas constituerunt *II. Chron. VIII*, 18. *XVII*, 7. 8. *XXIX*, 5, XXXV, 2. neq; turbam virorum centum & viginti, qvi Matthiam, (*Act, I, 25.*) vel Ecclesiam totam, qvæ Silam ejusqve comites (*c. XV*, 22.) ad prædicandum verbum vocavit & misit, tali periisse modo, sed potiùs in exemplum imitandum hodiernæ Ecclesiæ proponi.

(5) Exemplo Synagogæ. (5.) Inaugurationem ministrorum Judaicæ Synagogæ huc trahit; *Velut*, inqvit, *Ecclesia in suis figuris reqvirebat Ministros purifica-*

rificatos, & multis ceremoniis inunctos consecratosq; (Num. VIII, 6. sqq. Exod. XXIX, 1. sqq.) *& vera Christi mysteria vilius habeantur?* Luculento argumento, id agi à Pontificiis, ut sepultas per Christum umbras Legis Veteris effodiant rursus, inqve Ecclesiam reducant. Qvi si Apostolo auscultarent *Col. II, 16. sqq. Gal. V, 1. sqq.* non sanè colligerent, uti Malenius, Ceremonias Veteris Synagogæ multò magis in Ecclesiâ Novi Testamenti observandas esse; sed potiùs corpore præsente umbras cessare debere. Verùm eâ de re alibi dicendi locus. Hîc illud modò pio Lectori perpendendum relinqvimus: annon rectiùs nostra Ecclesia in Ordinatione ministrorum suorum morem Apostolicæ Ecclesiæ seqvatur, qvàm Pontificia Unctiones purificationesqve suas è Judaicâ Synogogâ dudum cum honore sepultâ repetat. *qvod injungendum.*

(6.) Verba Jeremiæ XXIII, 21: *Non mittebam eos, & ipsi prophetabant:* & Pauli Rom. X, 14: *qvomodo prædicabunt, nisi mittantur,* iis occinat, qvi ordinariæ vocationis necessitatem negant. Nostratium confessio & praxis est: *Qvòd nemo in Ecclesiâ publicè debeat docere aut administrare Sacramenta, nisi qvi ritè est vocatus.* Artic. XIV. Aug. Confess. *(6) Dictis, Jer. XXIII, 21. Rom. X, 14. qva nobis non adversantur.*

Hucusqve Ministros Ecclesiæ nostræ in universum omnes illegitimæ vocationis postu- *(II). Lutheri:*

postulavit Masenius. Nunc (II) In specie Lutheri nostri beatos manes more Pontificio, h. e. per calumnias, non veras accusationes exagitat, mortuoqve Leoni insultat. Qvanqvam verò nihil hîc novi dicatur, fortè nec dici ullâ veri specie possit, qvod non à meritissimis Lutheri promachis sit discussum, (è qvibus Nic. Hunnii Beweiß / daß D. Martin Luther zu des Pabstthumbs Reformation rechtmässig von GOtt sey beruffen worden / ejusdemqve *Demonstr. Min. Lutherani P. II. p. 38-79.* & Joh. Mülleri *Lutherum defensum*, Ejusqve porrò institutam adversus Creuzium *Defensionem*, ac *Anti-Jansen.* § *389 440.* nec non Tubingensium Theologorum *vindicias pro Luthero contra Pistorium*, Kesleri Lutherthumb / Hôpffneri *Saxoniam Evang. S. I. P. II. p. 94-140.* Gerhardi *L. de minist. §. 118-126.* Balduini *Anti-Pazmannum L. III. c. 12. 13. 14. 15.* Tenzelii gründliche Rettung der Lutherischen / und Lutheri wider L. Frommen commendamus non minùs pio Lectori, qvàm Masenio, qvi ineptias suas omnes solidè excussas legere ibi potest:) non gravabimur tamen breviter examinare, qvæ chordâ eadem, qvâ alii, oberrans Masenius, protulit. Is *primò* Respondentis partes sumit, & ad argumenta duo, qvorum alterum nostrum est, alterum nobis affingitur ab ipso, respondet, *deinde* vitam & doctrinam Lutheri suggillat. Summa

Cujus vocatio.

ma totius discursûs huc redit. (1.) Lutherus vocatione Doctoratûs ob perjurium excidit. (2.) Lutherus vocationem suam, qvam extraordinariam nonnulli ajunt, miraculis demonstrare non potuit, qvod necesse tamen erat. (3.) Idem monachalem habitum reliqvit, & mulierem sacram duxit; (4) Ebrietatem vitæq; immoderatam rationem, Sermonibus convivalibus aliisq; scriptis testatus est; adeoq; (5.) Christi regulam *Matth.* XVI, *24.* *Luc.* XIV, *37.* Apostolorumqve exemplum secutus non est: (6.) Doctrinam etiam impietatis nutriculam de salute per solam fidem tradidit. (7.) Ab Ecclesiâ se separavit.

Ad qvæ omnia, priusqvam respondeam sigillatim, observo (1.) discernendam omninò esse qvæstionem de legitimâ vocatione, ab illâ, qvæ de doctrinæ veritate instituitur. Neq; enim perpetua est inter vocationem legitimam & doctrinam sinceram connexio. Potest qvis habere vocationem legitimam, & falsa ac hæretica docere: ac rursum alius vera docere potest, & legitimâ tamen vocatione destitui. Si ergò vel maximè ostenderet, Masenius, caruisse Lutherum vocatione divinâ, qvod in æternum tamen non ostendet; nondum tamen hinc conseqveretur, doctrinam ejus, qvam hîc Lectoris judicio expositam voluit, propterea falsam & erroneam fuisse, qvod accura-

qvaliscunq; fit, nec doctrina ipsius,

tè

rè demonstrat Hunnius im Beweiß/ daß D. Luther rechtmäßig von GOtt beruffen worden/ *c.2.p.11-32.* & Balduinus *Institut. Ministror. verbi, c.7.p.51-61.* (2.) Si à Lutheri vocatione minùs legitimâ rectè colligitur, neminem Lutheranorum legitimè vocari, qvod hic Masenius intendit: concedere & multò magis hanc argumentandi rationem oportebit: Si hic vel ille Pontifex non est legitimè vocatus, seqvitur neminem Doctorum Pontificiorum rectè vocari. At multos Pontificum per vim, aut ambitionem, aut Simoniam ad Papatum pervenisse, Platina aliiqve testantur. Confer Nic. Hunnii *pellem ovinam* §.672.683. p.779. *sqq.* 804. *sqq.* Qvicqvid ad conseqventiam hanc responderit Masenius, habeat responsum sibi.

nec Ministerio nostro detrahere potest;

Legitima tamen est,

Interim falsissimum tamen est, Lutherum legitimam vocationem non habuisse. Enimverò vocationem immediatam qvidem, qvalis Apostolorum fuit, nuspiam, qvod calumniantur qvidam, jactavit, imò protestatus est potiùs, nunqvam se prædicare voluisse, ubi à DEO per homines non vocatus esset. vid. Gerh. *de minist.* §. 120. Zeamann. *Refutatione Gratulationis Ungersdorff. p.30. sqq.* Mediatam tamen sæpiùs allegavit, multumq; se in adversitatibus suis eâ erexit. Atqve hîc utiqve ad *Doctoratum* (de qvo unicè Masenius observat,) provocavit, qvo solenniter A. 1512. die Lu-

mediata & ordinaria.

cæ

cæ in Academiâ Wittebergensi præter voluntatem suam impulsu totius conventûs Augustiniani ornatus non solùm potestatem accepit, errores, superstitiones & idololatriam notoriam ex verbo Dei redarguendi, sed etiam juramenti fide, ut faceret, obstrictus fuit. Non tamen Doctoratus modò hîc attendendus, qvi per se ac solus vocatio ad Ministerium non est, (ostendente id Gerhardo *L. de Minist.* §. 138. ac prolixiùs etiam Balduino *histor. Minist. verbi c. 9. p. 79-89.*) sed vocatio etiam & ordinatio ad *presbyterium*, qvæ ipsi anno ætatis 24. Christi verò 1507. obtigit I cum mandato verbum Dei purè prædicandi, docendiq; servare omnia, qvæ Christus mandavit, nec non adversariis os obturandi: (*Matth.* XXVIII. *20. Tit. I, 9. 11.*) cui & *Professio* Theologica accessit, qvam ut rectè ornaret, docere juventutem sibi creditam oportebat, qvî doctrina fidei & firmanda ex verbo DEI & defendenda contra adversarios esset. Ut ita triplici vocatione adigeretur ad purè docendum verbum DEI & refutandam falsam doctrinam: ut Presbyter qvidem in *Ecclesiâ* Wittebergensi, ut Professor in *Academia*, ut Doctor in universo *orbe Christiano*. Qvam triplicem vocationem sæpè dignâ Theologo parrhesiâ urget. Presbyterium qvidem *T. V. J. G. p. m.* 157. 361. *492.* Professionem *T. I. Jen. Germ. p. 51. a.* Doctoratum *T. V. I. G. p. 157.* 302. 361. Confer Hunnii Beweiß vom Beruff Lutheri *c. 7. 8. 9.* *Cui frustrà Masenius objicit*

Videt

(1) *Perjurium.* Videt haud dubiè Masenius, non esse, qvod in hac vocatione Lutheri desideret. Itaqve (1) ob perjurium illa excidisse fingit. *Doctor, inqviunt, creatus est: inde habet potestatem docendi. Verùm qvanam illa? juravit ex more creandorum, se nullam nisi Romano-Catholicæ Ecclesiæ doctrinam de bonis operibus, de Sacramentis aliisq; fidei articulis tradidurum. Qvare contraria his molitus, & Doctoratûs & juramenti leges violavit, non Doctor, sed seductor ejus Ecclesiæ?* Respondeo: (α) posito, Lutherum excidisse Doctoratu suo; obligatus tamen adhuc ut ordinatus Presbyter fuit, *ad exhortandum in doctrinâ sana, & arguendum eos, qvi contradicunt, Tit. I, 9.* Cumqve Ordinis character è Papistarum hypothesi indelebilis sit: neqve perjurio, neqve excommunicatione aboleri potuit, aut tolli obligatio incumbens ordinato; aliàs ordinandi essent de novo, qvi lapsi in hæresin post ordinationem, & reversi posteà ad officia sacra admoventur. Qvod neq; Pontificii ob characteris sententiam admittere possunt, neq; necessarium judicabat Augustinus. *Si qvando*, ait, *ex ipsâ parte venientes etiam præpositi pro bono pacis correcto Schismatis errore suscepti sunt, & si visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, qvæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita mansit ordinatio integra.* Lib. II. contra Epist. Parmen. c. 13. T. VII. p. 41. (β) Qvi Doctorem fece-

fecerunt Lutherum, aut ad mendacia & traditiones humanas, aut ad veritatem verbi divini astrinxerunt. Si *hoc*, perjurus non fuit, Papatûs commenta & doctrinas dæmoniorum refellendo, & repurgando Evangelium à fermento. Si *illud*, ipsi qvi astrinxerunt, gravi culpâ obnoxii qvidem sunt, Lutherus autem ne sic qvidem perjurii reus. Neqve enim qvi à falsâ religione ad veram se recipit, licèt ad illam juramento se astrinxerit, perjurus haberi potest. Et qværo ex Masenio, an Pastorem, qvi juramento fidem Augustanæ Confessioni adstrinxit, deficit autem ad Papatum, persvasus, veram ibi Ecclesiam esse, sit perjurii accusaturus? Non opinor. *Juramentum de re illicitâ nec obligat, nec servandum est; ac proinde, qvi illud non servat, non est perjurus, sed rectè ac laudabiliter facit: At juramentum, qvo qvis promittit se permansurum in falsâ fide ac religione, est de re illicitâ, non minùs, qvàm si promittat se permansurum in mendacio, in adulterio, in usurâ: ergò nec obligat, nec servandum est; ac proinde, qvi illud non servat, non est perjurus, sed rectè ac laudabiliter facit*: scribit Becanus Jesuita *L. V. Manualis, c. 22. §. 17. p. 536.* Confer Busenbaum *medullâ Theologiæ moral. L. III. tr. 2. §. 6. p. 153.* (*y*.) Falsum tamen, juràsse Lutherum, (qvod Masenius ait.) *se nullam nisi Romano-Catholicæ Ecclesiæ doctrinam de bonis operibus, de Sacramentis a-*

 liisq;

liisq; fidei articulis traditurum. Confutari hoc ex Statutis Collegii Theologici in Academiâ Wittebergensi potest. Qvibus ex primâ usqve fundatione Academiæ nihil reqviritur ampliùs (qvod ad doctrinam & obedientiam superioribus præstandam attinet,) in formulâ juramenti, à Biblico, Sententiario, Formato, Licentiando & Doctore præstandi, nisi hoc: *Ego N. juro Domino Decano & Magistris Facultatis Theologicæ obedientiam & reverentiam debitam; Et in qvocunq; statu utilitatem Universitatis, & maximè Facultatis Theologicæ pro virili mea procurabo &c.* item: *Vanas, peregrinas doctrinas, ab Ecclesiâ damnatas, & piarum aurium offensivas, non dogmatisabo, sed dogmatisantem Domino Decano denuntiabo infra octendium: Et manu tenebo consvetudines, libertates & privilegia Theologicæ facultatis pro virili meâ. Ita me DEUS adjuvet, & Sanctorum Evangeliorum conditores.* In juramento Licentiandi superadditur: *Juro, me veritatem Evangelicam pro virili meâ defensurum, neq; Doctoratum in aliâ Academiâ recepturum.* In juramento Doctorandi additur: *Juro etiam Romanæ Ecclesiæ obedientiam, & procurabo pacem inter Magistros & Scholasticos, seculares & religiosos. Et biretum in nullo alio Gymnasio recipiam.* De Romano Pontifice, & ejus Decretis, ne γρῦ reperire est in universâ Statutorum illorum serie, qvæ hodieqve

dieqve in Collegio illo incorrupta asservantur: ceu testatur gemina qvondam istiq pars, B. Hunnius Beweiß §. 187. *p.198.* & *Demonstr. Minist. Luth. p.* 47. B. Hulsemannus *Breviarii c. XIX.* §. *29 p. 388.* Intelligis, pie Lector, duo contineri in hoc juramento: (1.) defensionem veritatis Evangelicæ, & rejectionem peregrinarum doctrinarum, (2.) obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstandam. *Prius* implevit pro virili, legendo, concionando, disputando, scribendo, & Scripturam ab heterodoxis Papatûs doctrinis vindicando. *Posterius* qvoq; ut servaret, omnem movit lapidem. Legantur humillimæ ejus ad Hieronymum Brandenburgensem & Leonem X. literæ *T. I. Jen.* & Conf. Hulf. *brev. c.* XIX. §. *26. 30.* Postqvam autem Ecclesia Romana pati noluit, ut qvod DEO Scripturæqve juraverat, præstaret, ac vanas peregrinas, aqve Ecclesiâ Catholicâ, (qvatenus ex Scriptoribus nota est.) damnatas doctrinas pertinaciter defendit: non potuit salvâ conscientiâ majorem Ecclesiæ, qvàm DEO, cui se Ecclesia vel potiùs Anti-Christus in Ecclesiâ opponebat, obedientiam præstare. Ut enim Presbyter, qvi Arianorum tempore jurâsset, se (1) falsam doctrinam arguere, (2.) Episcopo suo obedientiam præstare velle; intellexisset autem posteà, ad Arianam impietatem instillandam se ab Episcopo suo a-

 digi,

digi, meritò neglexisset alteram juramenti partem, qvæ cum priori de obedientiâ DEO præstandâ ampliùs consistere non posset: sic & Lutherus rectè omninò fecit, qvòd iis demum subtraheret obedientiam, qvi doctrinæ puritatem omnibus modis contaminabant juxtà & perseqvebantur. Conf. Hunn. Beweiß vom Beruff Lutheri *§.189-196.* Muller. *Luth. defens. §.43.44.45.56.57.*

(2) *Miraculorum defectum. ubi 1.) Miracula non reqviri hodiè ad legitimãdam vocationem probatur.*

(2.) Porrò miraculorum defectum allegat, indeqve concludit, Lutherum extraordinariè vocatum non esse ad reformandam Ecclesiam. *Sed extraordinariâ, nonnulli ajunt, vocatione & missione à DEO venit: Ubi igitur miracula, qvibus olim Moyses, Elias, Christus & Apostoli hanc suam missionem probarunt? Et ille qvidem monuit;* (Joh. X,37:) *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Ipsa, ajunt, Christi miracula sufficiebant, cùm ejus fidem interlapsam ex S. Literis revocaret. Mira res. Nunqvid & Christus interlapsam de Messia fidem ipse præsens revocabat, & tamen miraculis usus est? imò & hac suam fidem prædicantibus promisit:* (Marc. XVI,17:) *Signa eos, qvi crediderint, hæc seqventur, in nomine meo dæmonia ejicient &c. qvin addit* (Joh. XIV, 12:) *& majora horum (qvæ ipse perpetrabat,) facient. Per dena facilè secula fidem veram interlapsam Protestantes asserunt;*

runt; & novam hi doctores sine miraculis adstruant? qvis credat? & qvo se titulo coram supremo Judice hos seqvens, desertâ majorum fide, tuebitur? præsertim cùm miraculis ubiq; intelligat Catholicam propagari? Scilicet ut Pharisæi & Scribæ olim à Christo signa poscebant, ad qvæ tamen edenda sese obligatum esse negabat ipse, *Matth.* XII, *38. 39.* ita hodiè Jesuitæ ab Orthodoxis: qvi non immeritò cum Salvatore *l. c.* respondent: *Generatio mala & adultera signum qværit; & signum non dabitur ei.* Desiit enim tempus illud, qvo cœci vident, claudi ambulant &c. *Matth.* XI, *5.* Ac licèt *Judæi* & Judaizantes *signa qværant, I. Cor. I, 22.* non iccircò DEUS tenetur illorum desiderio temerario velificari. Lingvæ enim (aliaqve hujusmodi miraculosa charismata) *data sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus*, & primùm ad fidem Christi adducendis *I. Cor.* XIV, *22.* Et enimverò DEUS ipse non ex miraculis judicare doctores illorumvè doctrinam, sed ex doctrinâ potiùs sententiam ferre de miraculis, si qva perpetrent, præcepit, Deut. XIII, 1: *Cùm surrexerit in medio tui Propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum, & venerit signum vel portentũ, qvod locut9 est ad te dicendo: eamus ad DEos alienos: non audies verba*

 prophe-

prophetæ illius, qvia tentat vos Dominus DEus vester. Tam periculosæ plenum opus aleæ est, è miraculis æstimare vocationem Doctorum velle. Non sanè à DEO mittentur pseudoprophetæ, qvos Christus prædicit sub novissima tempora per signa & prodigia inducturos in errorem, si possibile esset, ipsos etiam electos, *Matth.* XXIV, 13. Neqve qvòd Antichristus *veniet cum omni virtute & signis*, juxta Pauli ac Johannis vaticinium, *II. Thess. II, 9: Apoc.* XIII, 13. ideò divinam vocationem habebit. Præstat ergò in probatione verorum Doctorum recurrere *ad Legem & testimonium*, juxta *Es. VIII, 20.* qvàm fallacibus istis signis, qvæ sub hæc tempora novissima Antichristi & falsorum Prophetarum characteres, non verorum Doctorum sunt, judicium superstruere de vocatione legitimâ.

2.) *Masenii argumento respondetur.* Masenio nostro ut perspicuè satisfiat, redigemus in formam Syllogismi ejus rationem: *Qvicunq; miraculis destituitur, is extraordinariè à DEO vocatus missusq; non est. Sed Lutherus ejusq; parastatæ miracula non fecerunt. Ergò à DEO extraordinariè missi non sunt.* In hoc argumento neqve (α) *Conclusio* nobis adversatur, neqve (β) *Major* propositio vera universaliter est, & est, qvod (γ.) de *Minori* etiam moneri possit. *Primò* Conclusio, ut dixi, nos

nos non ferit, sed spectra, qvæ ipse sibi Masenius fingit. Lutheri enim vocationem ordinariam fuisse, modò diximus. Dum enim ordinariè Presbyter ad Ecclesiam, Professor ad Academiam, Doctor ad orbem Christianum docendum, ac purâ fide imbuendum constitutus est, vocationem simul accepit ad Papatum voce scriptisqve impugnandum: qvam vocationem & omnes cæteri præcones verbi habuerunt, exercere a. plenè non potuerũt, vel qvòd profunditate Satanæ non adeò penetrarẽt, vel qvòd metu, voluptate, auctoritate Papatûs cohiberi se paterentur, vel deniq; qvòd nondum esset tempus divinitus decretum, qvo atteri filius peccati, & Babylon labi debebat *II. Thess II, 8. Apoc. XIV, 6.* Qvicqvid ergò hîc à Masenio contra extraordinariam vocationem disputatur, admitti à nobis facilè potest. Ich habe noch nie geprediget / noch predigen wollen / wo ich nicht durch Menschen bin gebethen und beruffen / der ich mich nicht berühmen kan / daß mich GOtt ohne Mittel vom Himmel gesandt hätte / scribit ipse Lutherus *T. II. Jen. Germ. Epist. ad Senatum Mülhusinum, p. 456. a.* Non negamus tamen, Lutherum singularibus à DEO donis, qvæ & hostes ejus admirati, (qvorum testimonia apud Jo. Försterum *in Strenâ Lipsiensi, seu Evlogio Lutheri Papistico*, & Gerh. *L. I. Conf. Cath. P. I. c. 6. p. 157-162.*) præ aliis ad hanc

(a) Conclusionem concedendo: quia Lutheri vocatio ordinaria,

licet aliqva singularia ejus charismata.

vocationem suam ordinariam ritè obeundam instructum esse, multaqve hic extraordinaria concurrere, qvalia sunt vaticinia de auspicandâ per Lutherum Reformatione Ecclesiæ, & Antichristi revelatione, tum in Scripturis contenta, (*Apoc. XIV, 6. XVIII, 12. &c.*) tum ab aliis Spiritu fatidico edita (vid. Gerh *L. de Eccl.* §. *291. 292.* & *Lib. I. Conf. Cath. P. I. c. 5. p. 147* 154. Hunn. *demonstr. p. 70. 71.*) animus Heroicus, & in præsentissimis vitæ periculis imperterritus, miranda adversus insidias & violentiam totius tantùm non orbis conservatio, vaticinia ab ipso de rebus futuris edita, (de qvibus Joh. Saubertus, Philippus Glaserus, Joh. Lappæus *peculiaribus libellis*, item Gerh. *L. de Eccl.* §. *291.* & Balduin. *Phosph. L. 3. c. 14. p. 160. sqq.*) mirabilis successus doctrinæ ejus, similiaq; fortè plura, ob qvæ nonnulli *extraordinarium* qvid in vocatione Lutheri agnoscunt, qvatenus illa non in se spectatur, (sic enim planè ordinaria fuit,) sed ratione illorum, qvæ innuimus, adjunctorum. vid. Meisner. *Consult. contra Lessium p. 260. 382. sqq.* Höpffner. *Saxon. Evang. p. 142.* Balduin. *Phosphori Cath. L. III. c. 13. p. 152. sqq.*

(B) Majorem infitiando, per exempla extraordinariè *Secundò*, Major si vera sit, non modò Lutherum tanget, sed Prophetas plerosqve, qvos in veteri Testamento extraordinariè DEus vocavit ac misit, nullo miraculo insignitos: sed Johannem etiam, de qvo utrumqve affirmatur in Scriptu-

Scripturis, qvòd & *à DEO venerit*, Joh. I, 6. & *signum nullum fecerit*, Joh. X, 41. (vid. Dorsch. *vindic. Exodi P. II. p. 13. sqq.* Danhau. *meletem. de miraculis p. 38. sqq.* & ex Papistis ipsum Estium *in Job. X, 41.*) Qvo testimonium Innocentii III. in Decretal. *L. V. tit. 7. cap. 12: cum ex injuncto.* pertinet, *sufficere ad missionem novam confirmandam Scripturæ testimonium* agnoscentis, idqve Johannis exemplo confirmantis. Addo Cornelium à Lapide, qvi candidior cæteris variè se in eludendo Johannis exemplo torqventibus, *ad I. Cor. IV. 20. p. 227.* D. scribit: *S. Johannes Baptista nullum fecit miraculum, & tamen regnum DEI prædicare cœpit in virtute sanctæ vitæ, Spiritu & efficaciâ sermonis & prædicationis.* Adhuc apertiùs Fornerus observante Danhauero *Hodom. Pap. proœm. p. 32.* ne qvidem, si Lutherus edidisset vera miracula, recipiendum illum ajebat, idqve ex Apostoli verbis *Gal.* I, 8. confirmabat. Turpis igitur tergiversatio est, qvod ob defectum miraculorum vocationem Lutheri vocant in dubium. Qvanqvam, ut *postremò* ad Minorem hoc addam, satis miraculi sit, unum Monachum, omnibus terrenis præsidiis destitutum rem tantam tam felici successu perfecisse, & throni Papalis terrorem calamo, in qvo tot principes armis infirmando frustrà fuére, dejecisse, conscientias traditionum jugo ligatas, anathematum fulmi-

sine miraculis missorum.

(γ) *ad Minorem, observando Miranda Reformationis Luth.*

fulminibus attonitas compedibus liberâsse, & è captivitate plusqvàm Ægyptiacâ eduxisse. *Maximum inter omnia signa, qvæ fecit Dominus*, Hieronymo videbatur *ad Matth.* XXI. (*T.IX fol.30. F.*) illud, *qvòd unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut posteà crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus, lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasq; subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, qvæ infinitus non potuisset exercitus.* Commodè poterat addere cordiarchiam mirabilem, qvâ pueros laudantes fecit, & asinarum dominos mercenarios, lucri cupidos, furti specie lacessitos & contradicentes domuit ac inclinavit. Simile qvid per Lutherum operatus est DEus. Qvod tot Reges, Principes, provinciæ neqve qverelis, neq; vi effectum dare potuerunt, ut è templo DEI collybistarum Romanensium mensæ ejicerentur, ac reformarentur Ecclesiæ abusûs, id DEI beneficio unus Lutherus præstitit, Lingvas Laicorum dudum mutas animavit, inqve laudes divinas ac Psalmodias inflammavit, corda etiam dura movit, ut veritati crederent. Sed de mirandis Lutheri prolixior esse nolo, de qvibus *Lutherus Thaumaturgus à Dn. D. Tob. Wagnero præside B. Thummio, in Acad. Tubing. A. 1623. Forero oppositus*, & *Memoria Thaumasiandri Lutheri Præside B. Danhauero A. 1661.*

A.1661. in Acad. Argentinensi proposita, cap. X.. p.52-68. & Gerhardus *L. de Ecclesiâ* §. 286. pluribus legi possunt. Nos hæc ex abundanti adjecimus. Sufficit enim, Lutherum, ut ostenderet vocationem suam legitimam, ad miracula patranda non fuisse obligatum, qvod præclarè docent Hunnius *Demonstr. Minist. Lutherani p. 95-137.* Mullerus *Luthero Defenso c.16. p.445. sqq.* & in gründl. Antwort auff die Einwürffe der Päbstischen Lehrer wider die Evangelische Kirche §. *116. sqq. p.292-317.* Danh. *cit. meletem. de miraculis*, & ex Reformatis Gisbert. Voetius *Desperatâ Causâ Papatûs L.II. S.II. c.22.23. p.279-306.*

Regerit autem Masenius varia, qvibus ostendere annititur, aut à Luthero edenda miracula fuisse, aut, qvia non potuit, vocatum divinitus ad reformandam Ecclesiam non esse. Hoc consilio (α) *exemplum Mosis, Eliæ, Christi, Apostolorum* nobis in memoriam revocat, qvi miraculis suam missionem probarunt. Turpiter autem eo ipso vocationem *immediatam* & *mediatam*, miraculorum item verbo junctorum *utilitatem* & *necessitatem* confundit. *Moses* à DEO immediatè vocabatur non ad prædicandum verbum, sed ad opus planè novum moliendum. DEUS ergò signis ei fidem conciliabat apud populum, esse hunc virum, qvem tanto operi destinâsset ipse. Lutheri vocatio ordinaria ac mediata, ad prædicandum purè verbum, & re-

3) *Exceptiones Masenii diluuntur.*

petitæ (α) ab exemplo Mosis,

& refellendas corruptelas, qvibus id contamina tum fortè esset. Prædicationi huic ut fidem faceret, non miraculis opus erat, sed verbo scripto tanqvam Lydio lapide, ad qvem examinari dogmata ac doctores omnes oportet, ut suprà ostensum. Mosis ætate canon nondum extabat, cujus conscribendi auspicium facere debebat ipse. Lutherus non Scripturam novam meditabatur, sed abusûs noviter contra Scripturam fidemqve veterem introductos impugnabat. *Elias* itidem immediatè vocatus miracula patrabat, unde conseqvitur, miracula si verbo jungantur, utilitatem aliqvando suam insignem habuisse: non verò seqvitur, omnibus Doctoribus, qvi Eliam virtute Spiritûs ac Zelo referunt, miraculis ad demonstrandam vocationem suam opus esse. Aliàs & Johannes Baptista, alter Elias (*Matth.* XI, 14. XVII, 12, *Malach. IV*, 5.) miracula facere debuisset, qvæ non fecit *Joh. X*, 41. *Christi* miracula ut character Messiæ prædicta erant, *Es.* XXXV, 5. At de nullo Doctore novissimorum temporum, nisi Antichristo & falsis Prophetis *II. Thess. II*, 9. & *Matth.* XXIV, 24. hujusmodi miraculorum prædictiones extant. *Apostolorum* miracula in gratiam infidelium fiebant in Ecclesiâ plantandâ: unde necessitas miraculorum in Ecclesiâ ante plusqvam sesqvi mille annos, fundatâ perperàm concludetur.

Elia,

Christi,

Apostolorum.

Neces-

Necessaria erant miracula, priusqvam mundus crederet, ad hoc, ut crederet mundus. Qvisqvis adhuc prodigia, ut credat, inqvirit, magnum est ipse prodigium, censente Augustino XXII. *C. D. 8. init.*

(β.) Christi verba *Joh. X, 37.* Messianum characterem, non omnibus legitimis Doctoribus commune axioma probant. Id enim inter Jesum & Judæos disputabatur: An blasphemaret Jesus affirmans, DEI se Filium esse? qvam qvæstionem negabat Salvator argumento ex operibus verè divinis propriâ virtute factis deducto. Sic enim ait: *Dicitis: blasphemas, quia dixi: Filius DEI sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi:* (affirmanti scil. qvòd Filius DEI sim.) *Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis,* (non qvòd ego sim legitimè vocatus Doctor, de qvo nulla ibi qvæstio, sed potiùs) *qvòd Pater in me est, & ego in Patre.* Subjicitur deinde *v. 41.* qvomodo agnoverint multi, qvi veniebant ad eum, vera esse, qvæ de Jesu dixerit Johannes, licèt ipse signum nullum fecisset. Hi ergò ex veritate & efficaciâ doctrinæ, non ex signis judicabant, à DEO missum Johannem, qvi de Christo testaretur. Possumus ergò hîc Pontificios iisdem verbis alloqvi, qvibus olim Manichæos Augustinus, usurus iisdem contra Pontificios, si suâ ætate vixissent. (β) è *Joh. X, 37.*

Pro-

Profertis (ait ille L. XIII. contra Faustum c.5. T. VI. p.282.) *è Scripturis Christum dicentem: Si mihi non creditis, operibus credite: Et: Ego Sum, qvi testimonium perhibeo de me: & testimonium perhibet de me, qvi misit me Pater: & non vultis contra vos inde proferri: Scrutamini Scripturas, in qvibus putatis vos vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me: & si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Et: Habent ibi Moysen & Prophetas, audiant eos. Et: Si Moysen & Prophetas non audiunt, nec si qvis à mortuis resurrexerit, credent ei. Unde huc existis, unde confiditis? Scripturas tantâ authoritate firmatas, commendatasq; respuitis, miracula non facitis: qvæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum, & dicentem: Exurgent multi pseudochristi & pseudoprophetæ, & facient signa & prodigia multa, ut fallant, si fieri potest, etiam electos: ecce prædixi vobis. Usq; adeò nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum authoritatem, qvæ fidem suam in rebus ipsis probat, qvæ per temporum successiones hæc impleri & effici ostendit, qvæ tanto antequam fierent, prænunciavit.*

(γ) è *Marc.* XVI, 17.

(γ) Promissum Christi *Marc. XVI*, 17. urgenti suprà Masenio, suprà respondimus p.255. Nimis manifestè id ad Apostolorum officium pertinet, & ad Ecclesiam, noviter per illos plantatam, Luthero autem non

non nova Ecclesia, nova fides plantanda, sed antiqva repurganda erat. Graviter hoc Lutherus ipse explicat *super Job. XVI. T. VII. Germ. p. 206. b.* unde aliqva huc referre operæ pretium est: Nun die Apostel das Wort geprediget und ihre Schrifft gegeben/ und nichts mehr zu offenbahren ist/ denn was sie geschrieben haben / darff der Heil. Geist keine sonderliche neue Offenbahrung noch Mirakel. Also haben wirs durch der Apostel Schrifft/ daß wir sagen können/ was zukünftig ist in der Kirchen/ wie sie uns zuvor gegeben und gesagt/ sonderlich an dem letzten Regiment des Antichrists / nemlich des Pabstthumbs. -- Weil wir nun solche Weissagung gewiß haben / und bißher also ergehet/ (welches ein gewiß Zeichen der rechten Lehre/) so ist nun nicht mehr noth/ Wunderwercke zu thun/ solche Lehre zu bestetigen / denn dieselbigen sind erstlich darumb gegeben / daß durch solche mitfolgende Zeichen / (wie S. Marcus am letzten saget /) die neue Predigt der Apostel bestetiget würde. Wir aber haben diese Predigt nicht neu gemacht / sondern eben dieselbige alte bestetigte Lehre der Apostel wieder herfür bracht ; wie wir auch keine neue Tauffe / Sacrament / Vater Unser/ Glauben gemacht / ja nichts neues in der Christenheit wissen noch haben wollen / sondern allein ob dem alten / (so Christus und die Apostel hinter sich gelassen und uns gegeben/)

ben/) streitten und halten. Aber das haben wir gethan / da wir solches alles gefunden/ durch den Pabst mit seiner Menschen Lehre vertunckelt/ja mit dicken Staube und Spinneweben/und allerley Ungeziefers Geschmeiß behänget/darzu in Koth geworffen und vertreten / haben wir es durch GOttes Gnade wieder herfür gezogen / von solchem Geschmeiß gereiniget/den Staub abgewischet / gefeget/und ans Liecht bracht / daß es wieder rein gläntzet/und Jedermann sehen kan/was das Evangelium; Tauffe / Sacrament / Schlüssel/Gebeth / und alles sey / was uns Christus gegeben hat/und wie man das seeliglich brauchen soll. Zu solchen darff man keiner neuer Zeichen noch Wunder / weil es am Anfang bestetigt/ jetzt aber wieder leuchtet und scheinet/ daß es eben dieselbige erste Lehre der Apostel ist. Et mox: Znm ersten/ da es noch grün und neu war / da must man die jungen Bäumlein an einen Stecken binden/biß sie starck würden. Nun es aber also in die gantze Welt ausgebreitet / so ist solches zu bestätigen kein Noth mehr. Wo aber eine neue Lehre auffgebracht würde / (als des Mahomets gewesen /) die soll man durch Zeichen und Wunder bestätigen (wie Deut. 18. gebothen ist/) und zwar das Pabstthum und seine Möncherey also bestätiget sind / aber durch den Teuffel/wie S. Paulus zuvor von dem Antichrist geweißaget hat/2. Theß.2. &c.

&c. Imò ex Pontificiis Did. Stella *in Luc. XI*, 24. *Miracula nunc damnum nobis afferent potiùs qvàm commodum. Puer, qvando ambulare incipit, adjuvatur vehiculo, qvod adulto esset impedimentum. Qvando opus fit, necessariæ sunt scalæ & ligna ad ascendendum, postqvam verò opus jam est confectum, impedimento sunt transeuntibus. Ita homines, nunc si miracula fierent, in id offenderent & dicerent, fidem nostram non adbuc benè esse confirmatam & probatam, qvandoqvidem & modo necessaria erant miracula, qvibus magis approbaretur. Cave igitur, ne signum adeò qværas.* Cui Lorinus *ad Act. p.* 94. subscribit: *Coactâ jam congregatâq; ac benè coalitâ Ecclesiâ, & omnium loqvente Gentium lingvis, non est necessarium boc donum tanqvam ordinarium, ut neq; virtus miraculorum seu signorum.* Acostæ Jesuitæ suffragium suprà *pag.* 234. recitavimus.

(δ.) Alterius promissionis, qvæ è *Joban. XIV*, 12. repetitur, eadem ratio. Pertinet nimirum ea sensu literali ac proprio non ad omnes omnium temporum credentes, sed tantùm ad Apostolos, & alios qvosdam in Ecclesiâ primitivâ, per qvos Evangelii prædicatio in totum terrarum orbem propagabatur, eademq; plurimis maximisq; miraculis confirmabatur. Illorum ergò *miracula opera majora iis, qvæ Christus* (non ut Redemtor ac Mediator, sed ut Minister Circumcisionis,

(δ) è *Job. XIV*, 12.

ſionis, immediatè in diebus carnis) *fecit*, erant tum qvoad numerum, tum qvoad ſubſtantiam facti, ut cùm Petrus umbrâ etiam ægrotos ſanabat, *Act.V*, 12. 15. qvod nullibi Chriſtus legitur feciſſe, tum qvoad effectum & fructum hoc uberiorem, qvò latiùs per talia miracula ſpargebatur verbi præconium. Qvæ ad ſecuta qvævis tempora, ſi contra intentionem Chriſti velis abripere, ſeqvetur, omnes fideles facere majora miracula debere, qvàm Chriſtus fecit, qvod nec Papiſtæ conceſſerint. Unde & Barradius, Maldonatus, aliiq; è Pontificiis de Apoſtolis locum explicant. vid. Gerh. *Harm. c.*176. *p.*139. *ſqq.* Thumm. *Luthero Thaumaturgo p.* 276. *ſqq.* Walther. *Harm. h. l.*

(ε) *Ex novitate doctrinæ noſtræ.*

(ε.) Ad id, qvod veriſſimè noſtri obſervant, miracula qvidem à DEO adhibita ad conciliandam Doctoribus iis fidem, qvi novam nec auditam anteà fidem ad incredulos afferre debebant; cæterùm non neceſſariò reqviri, ubi fides jam dum miraculis à Chriſto Apoſtolisq; confirmata, & literis conſignata purganda modò eſt, duo replicat Maſenius: *Primò* Chriſti exemplum, qvi non ſanè novam de Meſſiâ doctrinam propoſuit, ſed interlapſam veterem revocavit, miraculis tamen uſus. *Deinde* Novam omninò fidem eſſe, qvæ per dena facilè ſecula, ipſorummet proteſtantium confeſſione Eccleſiæ incognita fuerit. Reſpondeo ad *prius:* Si

Si de Doctoribus novissimorum temporum ea vaticinia protulerit Malenius, qvæ de Christo per miracula demonstrando ac cognoscendo leguntur, erit, ut de responsione cogitent Protestantes. Ad *posterius*: Non sanè nova fides est, qvæ ante dena secula, imò ab initio Ecclesiæ viguit. Nova potiùs ea, qvæ aliqvot post Christum seculis sensim & clandestinè in Ecclesiam irrepsit, qvod de fide Romanæ Ecclesiæ præter alios Nic. Hunnius *de Apostas. Rom. Eccl. à* §. 33. *ad* 238. demonstravit. Nova tamen, inqvies, est fides hæc illi Ecclesiæ, in qvâ tot seculis sepulta jacuit. At ego non novam hanc dixerim, sed apostaticâ novitate, ac velut pulvere ac rubigine obductâ purgatam. Et in eâ qvidem Ecclesiâ, qvæ licèt per Antichristum miserè oppressa, retinuit tamen fidei principium, Scripturam, retinuit Baptismum aliaq; media ad fidem illam perveniendi. Nihil hîc novi per Lutherum accessit, nisi productio thesauri in lucem, qvem hactenus Clerus ventri ac crumenæ serviens publico usui, qvantum in se, ereptum iverat, & remotio modii, sub qvo lychnus occultabatur. Sed & hæc jam olim Judæis & Atheniensibus solennis erat accusatio, qvi Christo & Paulo ogganiebant: *Qvidnam est hoc? Qvænam doctrina hæc nova?* *Marc. I, 27. XVII, 19.* Qvam ut retundebat Christus pariter & Apostoli, remittendo illos ad Mosen & Pro-

phetas, *Matth.XXII*, 31. *Act.X*,43. *XXVI*, 22. &c. ita Lutherus ac Protestantes antiqvitatem doctrinæ suæ deducunt ex Scripturis. (vid. suprà *p*.235.) In qvibus dum contineri doctrinam suam demonstrant, simul veniunt in possessionem miraculorum, qvibus illa à Christo & Apostolis confirmata est.

(ζ) *Ex miraculis Ecclesiæ Pontificiæ.*

Itaqve (ζ) Ecclesiæ Pontificiæ miracula, qvæ jactat, non exhorrescimus. Qvàm periculosum sit, veritatem Doctoris ex miraculis judicare velle, qvæ & à seductoribus fiunt, suprà *pag*. 233. est ostensum. Jam si examinare miracula Pontificia velimus, deprehendentur ea vel fallacia & mendacia, vel fraudibus hominum conficta, vel opinione duntaxat hominum talia: alia etiam absurda & pudenda, alia magica, alia ludicra & puerilia, pleraqve omnia idololatriæ causâ vel facta, vel excogitata. Deducere hoc ex ipsis Papistarum scriptis supersedeo, qvia solidè & accuratè id factum à Nic. Hunnio *tract. de Ecclesiâ Romanâ non Christianâ*, *c*.8. §. 134-281. ubi invictè probat, (1) *Donum miraculorum Ecclesiæ Christi divinitùs concessum expirâsse*, (2.) *neminem vera miracula discernere hodiè à falsis posse, adeoq́;* (3.) *miracula ipsa esse incertæ fidei*, (4.) *iis etiam, qvi maximè illis gloriantur, dubia, ut haut obscurè testentur, se suis propriis miraculis penitùs diffidere*, (5.) *in signum Antichristi proposita esse fidelibus*, & (6.) *esse medium multiplicis dece-*

deceptionis Satanæ; (7) *in specie sic comparata esse, ut* (α) *qvoad actum seu veritatem historicam non sint certæ fidei*, (β) *fieri possint per virtutem naturalem, Satanicam, & Magicam*, (γ) *contigerint olim sub gentilismo per idola, & superstitionem ethnicam*, (δ) *ab Antichristo sub postremum mundi tempus sint expectanda.* Idem docet accuratum examen Papæorum miraculorum, institutum ab eodem *in Pelle Ovinâ* §. 781-840. nec non B. Danhauero, *Meletem. de mirac.* p. 65-131. & B. Gerhardo *L. de Ecclesiâ* §. 283. *sqq.* & *T. II. Conf. Cath.* p. 1228-1262. & qvi DEI gratiâ hodieq; Ecclesiæ bono vivit, Dn. D. Niemanno *pecul. disp. de miraculis, an ex iis Doctrinæ vel Ecclesiæ Pontificiæ veritas probari possit.* Confer specimina fraudum Papisticarum in miraculis concinnandis collecta à Riveto *Apolog. pro S. virg. Mariâ L. II. c.* 14. & 15. *T. III. pag.* 725. *sqq.* Bindero *Theol. Scholast. c.* 9. 10. *p.* 210. *sqq.* & Autore Privilegiorum, Disciplinæ, doctrinæ, miraculorum & mortis Soc. Jes. *Epist.* 6. aliisq; pluribus. Habebit Masenius, qvod agat, si vel ad solidissimas rationes respondere, vel crimen etiam fraudum, qvas in miraculorum Papalium præstigiis freqventari insignes Papistæ ab illis Scriptoribus laudati fatentur, amoliri ab suis velit. Nos cum Augustino Mirabiliarios istos his ipsius verbis è *c.* 16. *de unitate Ecclesiæ*, *T. VII. p.* 544. valere jubemus: *Remo-*

tis omnibus talibus. Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorum, non in conciliis Episcoporum suorum, non in literis qvorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, qvia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus. —— —— Sic ostendant Ecclesiam suam, ut non dicant: Ideò verum est, qvia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, (Diva Hallensis vel Lauretana, Franciscus vel Xaverius,) *vel qvilibet alius, aut, qvia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut qvia illa & illa ibi contingunt, aut qvia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum: aut enim non sunt vera, qvæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqva mira facta sunt, magis cavere debemus: qvòd cum dixisset Dominus, futuros esse fallaces, qvi nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait: Ecce prædixi vobis. —— —— De visis autem fallacibus legant, qvæ scripta sunt, & qvia ipse Satanas transfigurat se tanqvam An-*

ge-

gelum lucis, & qvia multos seduxerunt somnia sua: audiant etiam, qvæ narrent Pagani de templis & Diis suis mirabiliter vel facta vel visa, & tamen Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.

(3.) Aliud seqvitur flagitium, qvo se contaminavit Lutherus Masenii judicio. *Profugum Monachum, atq; ad libertatem & mulieres sacras anhelantem* appellat; eoq; rupturam voti, & conjugium cum virgine claustrali ipsi exprobrat. Viderit autem, annon anhelitum illum non ad mulieres modò sacras, sed in turpissimos etiam masculorum & pecudum amplexûs iis exprobrare oporteat, qvi in hujusmodi libidinum theatra Monasteria sua converterunt. Qvam tamen Camarinam hîc non movebimus, cujus gravis odor non potest non ingratus esse. Vide, si lubet, qvæ suprà *pag.* 117. 207. 562. diximus, & qvos ibi citavimus Autores, Riveti inprimis *Jesuitam vapulantem c.* 3. Sufficiat monuisse, neqve peccatum à Luthero, dum contra votum cœlibatûs conjugium iniit, neq; dum virginem eodem voto obstrictam uxorem duxit. Ostendimus suprà *p.* 553. *sqq.* votum perpetui cœlibatûs multis modis verbo DEI repugnare. Ostendit idem præter ibi annotatos Autores Lutherus ipse *Libro de votis monasticis, T. II. Jen. Lat. p.* 477. *sqq.* Non ergò poterat modò, sed debebat etiam Lutherus votum impium rescindere,

(3) *Voti rupturam & sacrilegas nuptias:*

Ubi

Conjugium Lutheri vindicatur.

ſuoq; oſtendere exemplo, qvod ſcriptis docebat, præſtare conjugium honeſtum (cujus DEUS copiam omnibus fecit, imò iis, qvi continentiæ ſpeciale donum non acceperunt, imperavit *Gen.I,28. I.Cor.VII,2. I.Tim. V,14.*) impuro Monachorum cœlibatu, qvem non minus blaſphema opinio meriti, qvàm uſtionum libidinumq; ſordes contaminant. Hoc indicat ipſe ad Amicum ſcribens *Tom.III. Jen.Germ. p.*141. Iſt mein Ehſtand GOttes Werck/ was iſts Wunder/daß ſich die Welt daran ärgert / ärgert ſie ſich doch auch daran / daß ihr GOtt und Schöpfer unſer Fleiſch und Blut an ſich genommen / und zu ihrer Seligkeit zu einer Erlöſung und Speiſe gegeben hat. Wenn ſich die Welt an mir nicht ärgerte / ſo müſte ich mich an ihr ärgern / und in Sorgen ſtehen / daß/ was ich fürhabe/nicht aus GOtt were. Nun ſie ſich aber an mir ärgert / und hefftig wider mich erzürnet und ungedultig iſt / werde ich dadurch geſtärcket / getröſtet und gewiß gemacht/daß mein Fürnehmen recht und Göttlich iſt. — — Ich habe nicht darumb ein Weib genommen / als gedächte ich lange zu leben ; ſondern / nachdem ich dencke / daß es ſchier mit mir am Ende wil ſeyn / weil ich ſehe / daß iederman beyde hohes und niedriges Standes wider mich wütet und tobet / daß ich meine Lehre (die vielleicht nach meinem Tode wieder untergedruckt wird werden /) mit

mit meinem eigenen Exempel bestätigt / den schwachen Gewissen zu Trost hinter mir liesse. Et ad Spalatinum *p.* 150. *b.* Ich bin in so grossen Abfall und Verachtung kommen / durch diese meine Heyrath / daß ich hoffe / es sollen sich die Engel drüber freuen / und die Teufel weinen. Die Welt mit ihren Klüglingen kennet noch verstehet diß Werck nicht / daß es Göttlich und heilig sey / ja machens an meiner Person gottloß und teufelisch. Derohalben ich grösser Gefallen dran habe / daß ihr Urtheil und Richten durch meinen Ehstand verdammet wird / daß sich daran stossen und ärgern / so ohne GOttes Erkäntniß zu bleiben / muthwilliglich fortfahren. Deniqve ad Amsdorffium *p.* 151. *b.* So hab ich auch diesen letzten Gehorsam und Willen meinem lieben Vater / der solches von mir begehret / guter Hoffnung / GOtt werde mir Kinder bescheren / nicht wissen abzuschlagen. Dazu / daß ich auch mit der That meine Lehre bestätigte / weil ich noch so viel kleinmüthiger Hertzen bey dem Licht des Evangelii finde. Pluribus vindicatas Lutheri nuptias lege apud Meisner. *anti-Less. pag.* 411. Müller. *Defens. Luth.* §. 55-67. Brochm. *Lychno Prophetico p.* 229. Tenzel. *contra Fromm. p.* 254-263. Danh. *memoria Luthero p.* 69.

(4.) Vitæ dissolutam rationem Luthero objicit. *Cujus*, ajens, *sobrietatem, moderationem, vitamq; sermones ejus convivales & scri-* (4.) *Mores dissolutos,*

qvos *pta cætera abundè testantur.* Ubi testentur, non addit Masenius, indignus cui accusanti modò, non probanti credatur. Novimus & de sanctissimo Salvatore nostro dictum olim: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*, Matth. XI, 19. *Non est discipulus supra Magistrum, nec servus super Dominum suum, si patremfamilias Beelzebub vocârunt, qvantò magis domesticos* *contra amicorum* *ejus?* Matth. X, 24. 25. Mirum tamen, hominibus seculo post Lutherum enatis tantum de ipsius ebriositate, aliisq; vitiis innotuisse, qvæ nemo hostium viventi objicere est ausus. Certè Melanchthoni, vitæ perpetuò Comiti, ac temperantiæ ejus luculento testi, (*T. III. or. Witteb. p.* 500. & apud Boxhorn. *Hist. Univ. p.* 1046.) Mathesio, qvi plures annos in ejus convictu exegit, (*Conc. II. & XVI. de vitâ Luth.*) similibusq; aliis, plus, opinor, fidei habendum, qvàm mille sycophantis, more anili in virum debacchantibus, cujus doctrinæ refellendæ sese impares intelligunt. *Hominis vita* (hoc Luthero ab hoste *& hostium cordatorum testimonium* Erasmo *L. XI. Ep. I.* qvæ est ad Thomam Cardinalem Eboracensem, *p.* 372. contigit elogium,) *magno omnium consensu probatur. Jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, qvod calumnientur.* Idem Erasmus literis ad Electorem Saxonem Fridericum datis: *Hujus lucubrationes nec tueri meum est, nec im-*

pro-

probare, ut qvas hactenus non legerim nisi carptim. Certè vitam hominis nemo, qvi novit, non probat, qvæ cùm longissimè absit ab omni suspicione avaritiæ atq; ambitionis, & morum innocentia vel apud Ethnicos favorem invenit. Cæterùm qvia neqve ex scriptis Lutheri, neqve è collectis per alios ipsiq colloqviis mensalibus qvicqvam attulit Masenius, non est, qvòd nudæ ac mendaci accusationi immoremur. Qvæ alii objecerunt, dilui facilè possunt, modò verba qvis inspiciat, prout à Luthero scripta sunt, non ut à Luthero-mastigibus mutilata ac detorta. Vide, si examen hujusmodi calumniarum desideras, Heilbrunneri unschuldigen Luther / Brochmand. *confutat. Apolog. Spec. Brandeb. p.* 1625 — 1818. Müller. *Defens. Luth. cap.* 7. 17. 18. Danh. *aleth. vind. p.* 124. Tenzel. *contra Fromm. p.* 238 — 337. Obiter adhuc observamus, *Mensalibus Lutheri Colloqviis* nos non teneri: qvæ neqve vivente ampliùs Luthero, & prætereà dum viveret renitente, collecta ab aliis prodierunt. In S. Augustini Büchern findet man viel Sprüche/ welche Fleisch und Blut geredt hat. Und ich muß auch von mir bekennen / daß ich viel Worte rede / so nicht GOttes Wort sind / welche ich rede ausserhalb dem Predigampt / daheim über Tisch / oder sonst. Ait Lutherus ipse Hauß-Postill *Dom. Jubilate p.* 267. *a.* Vereor autem, ne si Julii III. qvi tamen Reformator Ecclesiæ

è Colloqviis Mensalibq ostendere vult.

ſiæ in Concilio Tridentino videri voluit, aliorumq; Pontificum ac Cardinalium menſales ſermones edere qvis inſtituat, multò turpiora ſint proditura. Nos, qvæ Johannes Daventria in *Harm. Aug. Conf. p. 237.* ad dictum Pii II. (*Sacerdotibus magnâ ratione ademptum conjugium, majori reſtituendum videri*) reſpondet: *Verba Pii haut ita magni facimus, nam graves atq; prudentes viri nonnunqvam obiter qvædam loqvuntur, qvæ ſepulta eſſe profuerat:* de Lutheri qvoqve Convivalibus ſermonibus uſurpamus; qvanqvam nec illis turpitudinem eam contineri concedamus, qvam cum Papiſtis reliqvis Maſenius inde elicere allaborat. Confer de autoritate illius libri Gerhard. *Conf. Cath. T. I. p.* 938. & *Comm. in II. Pet. p.* 272. Höpffner. *Saxon. Evang. p.* 140. Balduin. *c. Pazm. p.* 262. Tenzel. *c. Fromm. p.* 253.

(5.) *Chriſti regulam, & exemplum Apoſtolorum.*

(5.) Chriſti voces: *Qvi vult venire poſt me, abneget ſe ipſum, tollat crucem ſuam, & ſeqvatur me: Qvi non renuntiat omnibus, qvæ posſidet, non poteſt Chriſti eſſe Diſcipulus,* Matt. XVI, 24. Luc. XIV. 33. rectiùs à Lutheranis impleri, Apoſtolicæq; vitæ exemplum perfectiùs exprimi, qvàm à Pontificiis, jam ſuprà *p.* 100. 147. oſtendimus. Hîc cùm contrarium placeat Maſenio, probet, neceſſe eſt, non nudè aſſerat.

(6.) *Doctrinam*

(6.) Doctrinam de juſtificatione & ſalute per fidem, non per operum merita, impietatis

tis nutriculam, simulq; Paulum, è qvo Lu- *de justificatione per fidem,*
therus eam hausit, impietatis Magistrum facit. Atqve sic alii qvoqve nugati sunt, mirum non esse, qvòd Lutherum tanta multitudo ac tota, ut sic dicam, armenta secuta sint: qvia facili ac declivi viâ deorsum, non arduâ & qvalis à Pontificiis merita operum poscentibus monstratur, sursum duxerit asseclas suos. Qvasi verò necessitas sanctimoniæ negetur à Luthero, qvi sæpiùs docuit cum Apostolo, *sine sanctimoniâ neminem visurum esse DEUM*, Ebr. XIII, docuit, fidem sine bonis operibus esse non posse: docuit per peccata mortalia fidem ac salutem amitti. Et hactenus sanè arctiori multò viâ ad salutem duxit, qvàm Pontificii, qvi Indulgentias pecuniâ vendebant omnibus, etiam iis, qvi, si possibile esset, B. Virgini vitium intulissent: hodieq; fidem cum peccatis consistere disputant. Interim defendit cum Davide & Paulo: *Justificationem esse illius hominis, cui Deus non imputat delictum*, Ps. 32. Roman. 4. ob qvam Doctrinam Apostolicam, *Massenio judice, impiam.* mirà perspicuitate ac efficaciâ vindicatam, si Lutherus repudiatur meritò, habuerunt profectò & Judæi justam causam, cur Paulum rejicerent: qvi jugum Judaicum longè difficillimum à cervicibus discipulorum removit, ac per fidem in Christum salvari hominem docuit, *Act. XV. Rom. IV.* &c. Sed huic qvoqve qvæstioni (an doctrina de justifi-

ſtificatione per fidem ſine operibus ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti factâ ſanctitatem vitæ ſufflaminet, & calcar ad peccandum addat?) ſuprà *pag.* 77. *ſqq.* 527. *ſqq.* ſatisfactum. Lutherum autem circa hoc negotium ſolidè vindicavit Muller. *Luther. Defenſ.* §. 333 — 340. & *Anti-Janſen.* §. 420 — 425. item §. 477 — 485. Tenzel. *contra Fromm.* *p.* 337 — 489. confer & Danhau. *de miraculis p.* 48. 49. 50. Eſſet autem hic locus, Jeſuitis demonſtrandi, qvàm ſvavem ipſi jucundumq; carni tramitem monſtrent ſuis, dum diſputant, pravam concupiſcentiam peccatum non eſſe, non teneri hominem vi legis divinæ, DEUM ſemper diligere amore intenſivè ſummo: eſſe peccata multa, ut verba otioſa, mendacia qvædam, cupiditatem vindictæ aut honorem, deſiderium pollutionis nocturnæ, delicta ſaltem venialia: Opinionem probabilem, licèt legi divinæ adverſam excuſare à peccato coram tribunali DEI: licere honeſto viro injuriam nece vindicare: licere in juramentis deludere æqvivocationibus, & qvæ alia ex ipſorum Theologiâ morali proferre in promtu eſſet. Talia ſi inculcâſſet dogmata Lutherus, tum demum juſtam habituri erant cauſam pii omnes, eum ut impietatis magiſtrum deteſtandi, neqvaqvam ob doctrinam ab ipſo Apoſtolo præſcriptam.

(7.) Ab

(7.) Ab *universali Ecclesia secessisse Lutherum*, falsum est. Mansit in unitate internâ Ecclesiæ universalis, neqve à Romanâ Ecclesiâ, qvatenus illa pars fuit Catholicæ, secessit, sed à Papâ ejectus schisma passus est. Secessio autem ab erroribus non schisma, sed schismatis meta est, & ad Christum regressio. Sed & de hoc jam *suprà p.* 212. 213. actum. Atqve Lutherum ab hâc qvoqve labe prolixè vindicavit Dn. D. Tenzelius *c. Fromm. p.* 645 — 702. Sunt autem hæ machinæ omnes, qvibus vocationem legitimam Lutheri dejicere Masenius ausus est: qvibus qvia nihil proficere potuit, nos concludamus, legitimè (mediatè tamen & ordinariè) & vocatum Lutherum esse, & Lutheranorum ministros hodieq; vocari. (7.) *Schisma.*

Punct. III. p. 157-161.

Fierine morituris fidelibus ulla post hanc vitam remissio possit, si peccatis levioribus, e. gr. otiosis verbis aliisve delictis non satis expiatis, purgatorias pœnas ad tempus subeant?

Duo

Gradûs gloriæ

Duo hoc puncto Masenius tractat, qvæ & in titulo generali Considerationis *p.*151. significavit: *Primò* de igne purgatorio, *secundò* de diversis gradibus gloriæ in vitâ æternâ. De posteriori (inde enim incipere libet,) primùm Protestantium sententiam recitat: *Protestantes subnixi fidei suæ (per justitiam Christi omnes fideles salvantis) argumento, non solùm tradunt, suos rectà cælum absq; omni purgatione adituros: — — verùm etiam parem in cœlis omnes habituros gloriam, eò qvòd nulla cujusq; operum habenda sit ratio, sed unius justitiæ Christi, per qvam omnes salventur, qvæq; in omnibus eadem est. Unde Paulus Apostolus nihil in cœlo gloriosiùs, præ infante Protestantium, qvi à baptismo cælum abiit, pro tam eximiis laboribus & perpessionibus habiturus est. Qvod an non sit, omnem curam bonorum operum ex vitâ hominum tollere, prudentibus considerandum relinqvo, & cum Augustino de hâc atq; illâ lite, veteris Ecclesiæ sententiam ex sacris Scripturis pronuntio.* Posteà ex Augustino qvidem nihil pro illâ sententiâ profert, (qvod tamen facilè è *tract.* 67. *in Joh. T. IX. p.* 418. *C. Enchirid. c.* 111. & 113. *T. III. p.* 191. *C.*192. *A. Lib. de sanctâ virgin. c.*26. *T. VI. p.*822. *C. D. L. XXII. C. D. c.*30. *T. V. p.* 1394. *A. B. Enarr. Ps. CL. T. VIII. p.*1754. *C. Epist.*146. *ad Consentium, T. II. p.*678. *C. D.* pluribusq; sermonibus fieri poterat,) ex Scripturis verò *p.* 158. Pauli & Salvatoris nostri verba 1. *Cor. XV*, 42.

secus ac Masenius fingit,

XV, *42*. *Luc*. *XII*, *47*. adducit, & *p*.*159*. plura insuper addit è *Matth*.*V*, *22*. *X*, *42*. *Devt*. *XXV*, *2*. *I*.*Cor*. *III*, *8*. *Gal*. *VI*, *8*. qvibus diversitas graduum in gloriâ beatorum, & pœnarum in ignominiâ damnatorum nobis non repugnantibus, vel confirmatur, vel (ut *Devt*.*XXV*. *Matth*.*V*.) præfiguratur. Recurrit ergò fraus, qvam *suprà p*.*39*. in Examine Instructionis, ac deinde in Considerationibus ipsis sæpiùs observavimus. Qvod enim in uno forsan vel altero Calviniano Doctore invenerat, id illicò universæ Protestantium Ecclesiæ impingit, cujus Doctores tamen orthodoxi constanter & unanimiter graduum diversitatem in communi beatis omnibus gloria admittunt. *Omnibus una salus Sanctis*, *sed gloria dispar*. Qvam doctrinam adeò tuentur, ut pueris etiam suis è compendio Hutteri, qvod in omnibus Saxoniæ scholis traditur, inculcandam censeant. Ibi in *Loco ult*. *ad qvæstionem sextam* (*An futuri sint certi gradus beatorum in vitâ æternâ?*) sic respondere Catechumenus docetur: *Distingvendum est inter vitam æternam*, & *inter Gradûs gloriæ*. *Qvoad vitam æternam*, *nulla prorsus erit distinctio*, *sed omnibus credentibus ex æqvo ea futura communis*. *Cæterùm qvoad Gloriam sive claritatem corporum Beatorum*, *distincti erunt gradûs*; qvod deinde ex *Dan*.*XII*, *3*. *I*.*Cor*.*XV*, *41*. confirmatur. Consonat Hülsem. *Breviar*. *c*.*XVI*. *th*.*6*. Broch-

admittuntur à Lutheranis omnibus

mand. *L.ult.p.7072.sqq.* Kromaier. *Theol. positivo-Polem.art.22. th.11. p.1201.* Joh. Meisner. *Exam. Cat. Palat. p. 1067. sq.* nec qvenqvam dissentientem ex nostratibus proferre Masenius poterit. Legatur præ aliis Gerhardus *L. de vitâ æternâ, §. 120 - 132.* ubi gradûs diversi gloriæ ex Scripturâ pariter & Antiqvitate prolixè & accuratè demonstrantur, omnibusqve, qvæ regeri contrà possent, respondetur. Inter Calvinianos fuerunt nonnulli, qvi probabilem tantùm dicerent sententiam de omnimodâ beatitudinis & gloriæ æqvalitate, qvos inter funem Petrus Martyr ducit *Loc. Comm. class.3. c.17. §.8. p.579. sq.* qvem præter Tilenum *P. II. Dispp. Theol. Disp.68.th.33.* Schönfeldium *Disp.de vitâ æternâ*, Spanhemium *P. III. Dub. Evang. p. 758.* Cameronem *in prælect.* Vorstium *in tessaradecade antiPistorianâ*, deniqve Joh. Verderium *Dispp. de Libro Vitæ*, (cui postremo Argentinæ 1659. opposita B. Danhauero præside Disputatio est pro gradibus gloriæ.) nemo forsan secutus est. Sed illi novatores neqve pro articulo fidei sententiam illam suam venditant, sed probabiliter ex Scripturis in utramqve partem disserunt, & ceu probabiliorem sententiam alteram illam de æqvalitate acceptant. Sic enim, qvem cæteri seqvuntur Petrus Martyr *l. c. p.579. B. Probabilis est utraq; sententia, neq; ad salutem necessarium esse duco scire, utrum istorum verum sit.*

& Reformatis

sit. Probabile forsan est, ut sit in sanctis aliqvid discriminis, sed hoc ex Scripturis non existimo posse demonstrari. Ac rursum *p. 581. A: Neq; à me hæc dicuntur, qvò prorsus negem hujusmodi præmiorum differentias: sed id tantùm docere volui, qvòd ex Scripturis sanctis concludi non possint. Alioqvin inter eos, qvi à mortuis excitantur, discrimen ponimus: qvoniam alius erit damnatorum habitus, & alius felicium. Præterea non inficiamur, posse facilè fieri, ut cùm cogitaverint Sancti, Deum per se plura edidisse facinora, eademq; præclara, plus oblectationis & gaudii fortasse inde concipiant, qvàm alii, qvi tot ac tanta per se gesta esse, non possunt secum repetere, qvod tamen incertum, sed ut probabile affertur.* Sed & illorum Scepticismum (qvem Wendelinus *in coll. doctr. Reform. & Luth. p. 532. sqq.* excusat utcunqve, non ex animi sententiâ defendit,) alii non approbârunt, verùm qvod res est, censuerunt, satis manifestè in Scripturâ & præmia diversa beatis, & pœnas majores minoresvè damnatis assignatum iri. Luculenta hanc in rem testimonia legat Masenius, si volupe est, apud Calvinum *Institt. L. III. c. 25. §. 10. 11. p. 248. b.* Bucanum *Institt. L. XXXIX. qv. 14. p. 446.* Polanum *Syntagm. L. VI. c. 75. p. 3339. 3340.* Piscatorem *Notis in I. Cor. XV, 42. p. 1047. a. 1050. a.* & *volum. I. th. Theol. L. 21. th. 48. p. 331.* Alstedium *Theol. Didact. S. IV. c. 41. p. 851.* Scharpium *cursu Theol. L. 22.*

mand. *L.ult.p.7072.sqq.* Kromaier. *Theol. positivo-Polem.art.22.th.11.p.1201.* Joh. Meiſner. *Exam. Cat. Palat. p.1067.ſq.* nec qvenqvam diſſentientem ex noſtratibus proferre Maſenius poterit. Legatur præ aliis Gerhardus *L. de vitâ æternâ, §.120-132.* ubi gradûs diverſi gloriæ ex Scripturâ pariter & Antiqvitate prolixè & accuratè demonſtrantur, omnibusqve, qvæ regeri contrà poſſent, reſpondetur. Inter Calvinianos fuerunt nonnulli, qvi probabilem tantùm dicerent ſententiam de omnimodâ beatitudinis & gloriæ æqvalitate, qvos inter funem Petrus Martyr ducit *Loc. Comm. claſs.3. c.17. §.8. p.579. ſq.* qvem præter Tilenum *P. II. Diſpp. Theol. Diſp.68.th.33.* Schönfeldium *Diſp.de vitâ æternâ*, Spanhemium *P. III. Dub. Evang. p.758.* Cameronem *in prælect.* Vorſtium *in teſſaradecade antiPiſtorianâ*, deniqve Joh. Verderium *Diſpp. de Libro Vitæ*, (cui poſtremo Argentinæ 1659. oppoſita B. Danhauero præſide Diſputatio eſt pro gradibus gloriæ.) nemo forſan ſecutus eſt. Sed illi novatores neqve pro articulo fidei ſententiam illam ſuam venditant, ſed probabiliter ex Scripturis in utramqve partem diſſerunt, & ceu probabiliorem ſententiam alteram illam de æqvalitate acceptant. Sic enim, qvem cæteri ſeqvuntur Petrus Martyr *l.c.p.579.B. Probabilis eſt utraq; ſententia, neq; ad ſalutem neceſſarium eſſe duco ſcire, utrum iſtorum verum ſit.*

& Reformatis

sit. Probabile forsan est, ut sit in sanctis aliqvid discriminis, sed hoc ex Scripturis non existimo posse demonstrari. Ac rursum *p. 581. A: Neq; à me hæc dicuntur, qvò prorsus negem hujusmodi præmiorum differentias: sed id tantùm docere volui, qvòd ex Scripturis sanctis concludi non possint. Alioqvin inter eos, qvi à mortuis excitantur, discrimen ponimus: qvoniam alius erit damnatorum habitus, & alius felicium. Præterea non inficiamur, posse facilè fieri, ut cùm cogitaverint Sancti, Deum per se plura edidisse facinora, eademq; præclara, plus oblectationis & gaudii fortasse inde concipiant, qvàm alii, qvi tot ac tanta per se gesta esse, non possunt secum repetere, qvod tamen incertum, sed ut probabile affertur.* Sed & illorum Scepticismum (qvem Wendelinus *in coll. doctr. Reform. & Luth. p. 532. sqq.* excusat utcunqve, non ex animi sententiâ defendit,) alii non approbârunt, verùm qvod res est, censuerunt, satis manifestè in Scripturâ & præmia diversa beatis, & pœnas majores minoresvè damnatis assignatum iri. Luculenta hanc in rem testimonia legat Masenius, si volupe est, apud Calvinum *Institt. L. III. c. 25. §. 10. 11. p. 248. b.* Bucanum *Institt. L. XXXIX. qv. 14. p. 446.* Polanum *Syntagm. L. VI. c. 75. p. 3339. 3340.* Piscatorem *Notis in I. Cor. XV, 42. p. 1047. a. 1050. a.* & *volum. I. th. Theol. L. 21. th. 48. p. 331.* Alstedium *Theol. Didact. S. IV. c. 41. p. 851.* Scharpium *cursu Theol. L. 22.*

p. 1180. Bezam *Libello qvæst. & respons. T. I. Opp. p. 675.* Rivetum *Cath. Orth. tr. 2. qv. 58. T. III. p. 278. sq.* Maresium *anti-Tirini T. II. contr. 30. n. 4. p. 993. sq.* Altingium *problem. Theol. Part. I. probl. 64. p. 241. sqq.* Maccovium *in Loc. Disp. IX. X. p. 414-425.* Wendelinum *Systém. majori Theol. Christ. L. I. c. 27. th. 17. n. 2. p. 1260.* Lud. Crocium *Theol. L. II. c. 14. can. 6. p. 395. sq.* Jo. Phil. Paræum *analys. Catech. q. 57. p. 164.* Hi omnes, & plures fortè (eos enim tantùm allegavi, qvorum mihi copia est,) è Reformatis etiam Doctoribus gradûs pœnarum & gloriæ post hanc vitam non admittunt modò, sed rationibus etiam ex Scripturâ petitis confirmant. Qvorum conqvirere testimonia qvalicunqve diligentiá visum est, ut intelligeret qvivis, qvâ fide sententiam eam Protestantibus communem faciat Masenius, qvam non modò Lutherani omnes reprobant, sed Reformati qvoqve pleriqve, si paucissimos, qvi eâ de causâ suis qvoqve vapulant, excipias. Qværat ergò alios, qvi affirment, *Paulum Apostolum nihil in cœlo gloriosius præ infante Protestantium habere: nullum in gloriâ operum habitum iri rationem*, &c. Nobis si imputat, ingenti calumniâ non tam nos gravat, qvàm se prostituit ipsum. Non nostrum est, qvod ipse fingit, argumentum, *è justitiâ Christi, per qvam omnes salvantur æqvè, qvæq; in omnibus eadem est*, gloriæ æqvalitatem inferens.
Inde

Inde enim seqvitur, eandem omnibus salutem communem fore, neqvaqvam autem, & gradûs gloriæ. Illa enim merito Christi omnibus parta est; hi autem pro varietate operum variabunt, Domino daturo secundum opera sua cuiqve mercedem, non tamen ex *merito*, sed ex liberali DEI *promisso*, neqve *propter*, sed *secundùm* opera. Æqvè ergò frustraneus est Masenii labor in probandis gloriæ gradibus, ac turpis Protestantium in Ecclesias calumnia. At verò, qvæ Papistarum propria est doctrina, hîc probanda erat. Probandum, propter merita operum obtineri gloriæ gradûs, non ex gratiâ & liberalitate DEI ea etiam, qvæ ex debito fiunt, remunerantis, nec rigidè æqvalitatem proportionis inter laborem & mercedem, qvæ ad meritum propriè dictum reqviritur, exigentis. Contrarium è *Luc. XVII, 10. Rom. VIII, 18.* patet, ubi *neqvaqvam condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam* dicuntur. Vide Höpffner. *de Justific. Disp. II. aph. X. Disp. V. c. 2. aph. 2. Disp. XI. c. 4. aph. 2. p. 154. 331. 1043. sqq.* Probandum erat, suas virginibus aureolas, easq; candidas propter superatam carnem, suas martyribus, easq; rubicundas ob mundum superatum, suas Doctoribus, easq; virides ob devictum Diabolum datum iri: de qvibus mirâ temeritate sic decernunt Scriptores Pontificii, ac si agonothetæ supremo essent à Consiliis, & magistri ceremonia-

meritum tantùm

& differentiæ à Papp. excogitatæ impugnantur.

rum in aulâ cœlesti, (vid. Thom. *in 4. d.49. q.5.* & in *Summæ Supplem. q.96.* Altenstaig. *voce: Aureola & Præmium.* Corn. à Lapide *in Dan. XII, 3. p.1392.* Drexel. *L. II. de Cœlo c.13. T.I. opp. p.371. sqq.* Tanner. *T.II. Theol. Schol. D. I. q.4. dub.3. p.160. sqq.*) Hæc, inqvam, & similia probanda erant Masenio, si discernere doctrinam suæ Ecclesiæ & nostræ voluisset. Sed puduisse ipsum videtur earum demonstrationum, aut potiùs detorsionum Scripturæ, qvibus alii hanc in rem usi, & de qvibus apud Gerh. *L. de vitâ æternâ, §. 160.* aliosq; passim legi potest.

Purgatorium

Priorem verò Controversiam de PURGATORIO, pro qvo ceu arâ ac foco Ecclesiæ culinæq; suæ graviter decertant Romanenses, experti, qvantum ad rationes suas ex illâ fabulâ redeat, prolixè excutere tantùm non ejus videri possit, qvi ocio abuti velit; postqvam & multi Pontificii agnoscunt, nullum illi ex Scripturis subsidium accersi posse, & sic profligatum est omne, qvo fidem facere putido commento extinctosq; ignes istos animare ciniflones - Jesuitæ annisi sunt, ut nesciam, an facilè in alio argumento tantùm fuerit operæ impensum. Extat accuratum & prolixum B. Meisneri de *Fictitio Papistarum Purgatorio* Opus, jamdum A. 1626. editum, qvod in præmissâ προσφωνήσει ad Jesuitas, ideò se scripsisse B. Autor profitetur, *ut vel nun-*

I. A Protestantibꝰ extinctū:

nuncium mittant Jesuitæ *doctrinæ de Purgatorio, vel ut recusationis suæ causas, respondendo ad singula, secum communicent. Qvod nisi fiat, se pariter ac cordatos plurimos habituros silentium istud pro certo indicio, qvod malam causam foveant, & sufficiens responsum dare toti ipsorum Ordini sit imposssibile.* Qvantum autem mihi constat, neqve responsum dare potuerunt, neqve nuncium mittere tàm utili sibi commento voluerunt. Qvod & alii solidissimè everterunt, è qvibus nos præter B.Lutheri Widerruff vom Fegfeuer/ *T.V.L.I. p.161-171.* Joh. Henr. Ursini doctissimum librum vom Zustand der gläubigen Seelen/ welche durch den zeitlichen Tod von dieser Welt abgeschieden / Thummii item, Calixti, & contra Mülmannum de hoc argumento pugnantis Conringii peculiares tractatûs, celeberrimiq; viri, qvi P. Buttlern è Lusitaniâ se καἰ ἀναγράμμα dicit, Gründliche Widerlegung des Information-Schreibens vom Fegefeuer Lipf.1672.Chemnitium *P.III. C. T. p.524-573.* Æg. Hunn. *T.I. Marpurg. Disp.41. p.410-423.* Gerhardum *L. de Morte §. 181-292.* & *Tom.III. Conf.Cath.p.422-541.* Höpfnerum *Disp. de Purgatorio, Dispp. miscell. p.170-195.* Danhauer. *Tom. II. Hodom. Pap. p.967-1042.* Dorsch. *P.I. Theol. Zach. §.93-103.* Kromaier. *Dec.II. de successivâ errorum Papalium in Ecclesiam introductione, Disp.VII. p.197-221.* Dreier. *Disp.XXVII. con-*

tra Pontificios, *p*. 831 876. eq; Reformatis Chamierum *T. III. Panstrat. L. XXVI. toto*, Phil. Mornæum *de Euchar. L. III. c.* 7. 8. 9. 10. 11. *p*. 900 - 1077. Rivetum *Cath. Orth. tr.* 2. *q*. 43. 44. *T. III. p*. 228 - 244. Jac. Laurentium, *in P. I. fabulæ infernalis tripartitæ*, Forbes. *Instruct. Historico-Theolog. L. XIII. c. XI.* Dallæum *L. VI. de Pœnis & Satisfact.* Mares. *T. II. Anti-Tirini, controv.* 29. *p*. 941 - 973. & *Fascic. myrrhæ p*. 305. *sqq.* Sedanenses *volum. I. Disp. p*. 594. *sqq. volum. II. p*. 349. *sqq.* Salmurienses *P. II. Dispp. p*. 42. *sqq.* (ut Musculum, Sadeelem, Zanchium, Joellum, Polanum, Molinæum, Heideggerum, ac infinitos alios prætercam,) Masenio commendamus, ubi omnes suas argutatiunculas plenè discussas habebit.

qvorum Seqvemur tamen & hîc illius vestigia, & qvod alii prolixiùs & majori studio præstiterunt, nos breviter examinato Masenii discursu expediemus.

tria argumenta Masenius repetit. (I) Sententiam Protestantium his verbis profert: *Negant, qvia* (1.) *justis fidelibus ajunt, nulla peccata imputantur, adeoq; purgatione non egent; infidelibus verò infernus præparatus est.* (2.) *Hinc præter illas supremi judicis sententias: Venite benedicti, & ite maledicti, nulla alia dicetur: qvorum illi ad vitam, hi ad ignem æternum amandantur.* (3.) *Nihil enim damnationis est eis, qvi sunt in Christo Jesu. Qvi verò non credit, jam judicatus est.* Tria adeò producit argumenta, qvæ suum omni-

omninò robur habent. (1.) Qvi in hâc vitâ ſangvine Jeſu Chriſti, qvi per ſe ipſum fecit purgationem peccatorum noſtrorum, (*Ebr. I, 3.*) purgantur ab omni peccato, (*I Joh. I, 7.*) ita ut nulla ampliùs ſit condemnatio his, qvi ſunt in Chriſto Jeſu, (*Rom. IIX, 1.*) illi purgatore igne non indigent. Projicit Deus peccata fidelium poſt tergum, (*Eſ. XXXVIII, 17.*) demergit ea in profundum maris, (*Mich. VII, 19.*) delet ea inſtar nubis, (*Eſa. XLIV, 22.*) imò tam longè ab ſe removet, qvàm longè Oriens ab Occidente diſtat, (*Pſal. CIII, 12.*) neqve recordatur ampliùs omnium prævaricationum ejus, qvi averſus fuerit à peccatis ſuis. (*Ezech. XVIII, 21.*) Non igitur à fidelibus ac pœnitentibus pœnas in Purgatorio eas per aliqvod tempus exiget, qvas damnati ſuſtinere coguntur in omne ævum, ut diſſerunt de Purgatoriis flammis Papicolæ. Porrò (2.) cùm Scriptura duas tantùm differentias hominum qvoad qvalitates & loca facit, credentium in cœlo, incredulorum in inferno, (vid. *Marc. XVI, 16. Joh. III, 18. Luc. XVI, 22. Matth. XXV, 32. 46.*) noſtrum profectò non fuerit, tertium aliqvod hominum genus, aut tertium animarum poſt mortem receptaculum comminiſci. (3.) Si credens non judicatur, ſed tranſit de morte in vitam, contrà qvi non credit, jam judicatus eſt; patet, neqvaqvam telonio illo attineri eos, qvi

fide verâ Salvatorem complexi hanc vitam cum morte commutant. *Beati mortui, qvi in Domino moriuntur*, (beati autem, non post Purgatorii pœnas exantlatas, sed) *à modò. Imò dicit Spiritus*, (non qvòd gravissima demum tormenta ac labores subeant, sed) *qvòd reqviescant à laboribus suis, opera enim illorum* (seu merces gratuita operum) *seqvuntur illos. Apoc. XIV, 13.* Hinc toties repetita monita, ut dum vita manet, laboremus, curramus, certemus, credamus, piè operemur, atqve adeò peccatorum remissionem, pœnarumq; relaxationem conseqvamur, nimis serò id, si mors antevertat, desideraturi: *Eccles. IX, 4. 5. 10. XI, 3. XII, 5. Gal. VI, 10.* Hinc fidelibus desiderium mortis, qvam non possunt non perhorrescere, si per tempus benè longum infernali flammâ, præsertim, si tantùm non suppetat æris, qvantum Cleri Romani restingvendæ avaritiæ & redimendis suffragiis sufficere possit, ustulandos sese noverint. vid. *Phil. I, 23. II. Cor. V, 1. 2. Luc. II, 29. Rom. VIII, 22. 23.* Qvomodo præterea DEI misericordiæ ac justitiæ præcipuisq; fidei articulis hoc commentum (de qvo & iis locis planè tacet Scriptura, ubi de statu post mortem, exeqviis, sacrificiis pro peccatis &c. disserit) repugnet, id diducere hîc non vacat, tum qvia ad finem Examinis properandum nobis, tum qvia id abundè ab

eadq; diluere frustrà annititur.

ab aliis, qvos modò laudavimus, præstitum est.

Et prætereà non nobis hîc probatio incumbit, qvi Purgatorium negamus, sed iis, qvi è Scripturis illud, & sanâ antiqvitate demonstrare præsumunt. Qvod anteqvam Masenius faciat, primùm ad argumenta nostratium aliqvid reposuisse vult videri. Ad *primum* hæc pertinent: *Solâ fide hominem plenè justificari, Catholici pro detestabili prorsus doctrinâ omnis sceleris immunitatem persvadente habent, ut suprà vidimus.* Habeant ergò. Nos *solâ fide hominem plenè justificari* (non per modum dispositionis sed apprehensionis & instrumenti,) pro Apostolicâ prorsus doctrinâ habemus, omnis solatii fundamentum continente, & stimulante ad veram pietatem, ut suprà vidimus. Ad *alterum* ista: *Catholici admittunt, post extremum judicium, atq; illam Christi prolatam sententiam, nihil purgationis, superfore; sed ante hoc tempus, emendatorias, etiam post hanc vitam, pœnas, nondum plenè à culpâ & reatu expiatis subeundas esse.* At verò, si Scripturæ loca, allegata nobis circa istud argumentum evolvas, deprehendes, non tantùm locorum, sed & qvalitatum differentiam attendi, qvam non in extremo tantùm judicio aut in fine mundi duplicem Scriptura novit, sed semper à principio usqve ad finem mundi, credentium

tium & incredulorum, filiorum DEI & filiorum diaboli, ovium & hircorum, eorum, qvi ſunt cum Chriſto, & qvi contra Chriſtum: has qvalitates perſonarum loca ſeqvuntur, adeoq; non niſi duo ſunt. Præterea diſparitatem illam temporis ante & poſt extremum judicium, qvam circa exiſtentiam Purgatorii Maſenius fingit, neqve juſtitia DEI, neqve vis & efficacia meriti Chriſti admittit. Num enim congruet *juſtitiæ DEI*, ut multa millia hominum paulò ante noviſſimum diem defunctorum citiſſimè tormentis Purgatorii liberentur, multa millia hominum, qvos noviſſimus dies vivos deprehendet, ne demittantur qvidem ad Purgatorium, qvi iisdem tamen peccatis polluti fuerint, qvibus illi, qvi ex hypotheſi Pontificiâ per centum ac plures annos in Purgatorio deſudârunt? Et ſi *meritum Chriſti* in piis paulò ante noviſſimum diem defunctis, vel etiam à noviſſimo die deprehenſis tantæ eſt efficaciæ, ut vi illius vel non deſcendant in Purgatorium, vel citiſſimè ex illo liberentur, qvid eſt, qvod efficaciam hanc illi minuat in iis, qvi diu antè noviſſimum diem in verâ fide meritum Chriſti amplectente moriuntur? Certè qvidem una perpetuò illius efficacia eſt, ſi Scripturæ credimus, *Act. IV, 12. X, 43. XV, 11. Ebr. XIII, 8. Apoc. XIII, 8.* Ad *tertium* qvod propoſuit, argumentum tacet, nosq; examinis labore levat.

II. A Maſenio neqvicqvam inſufflatũ:

Pro-

Progredimur ergò ad rationes vel autoritates, *partim* ex Scripturâ, *partim* ex Augustino petitas. Qvanqvam autem in plerisqve locis Augustini vel γνησίοις vel ὑποβολιμαίοις Scripturarum simul argumenta latere voluerit, nos tamen ordine Scripturarum primùm, qvas pervertit, mentem indicabimus, tum, qvid de Augustino habendum sit, expendemus.

(1.) Scripturæ testimonio.

Anteqvam verò Scripturæ testimonia accedam, transigat, velim, Masenius cum aliis Pontificiis, imò & Jesuitis, qvi Purgatorii existentiam disertè in Scripturis haberi negant, & contendunt, ex revelationibus potiùs, traditione Patrumq; scriptis eam accersendam esse, qvæ Joh. Fischeri, Petri à Soto, Ludovici Nogarolæ, Ad. Tanneri, Svarezii, Franc. Sonnii, Greg. de Valentiâ pluriumq; aliorum sententia est, qvorum verba apud Gerhardum *Conf. Cath. III, 427. sqq.* & *L. de morte §.182.* Dorsch. *Theol. Zach. P.I. §.70. p.67.68.* ac Danhauer. *T. II. H. P. 993. sq.* legantur. Et sanè, si dicendum, qvod res est, non è lumine Scripturæ, sed Platonis fatuo igne accensum Purgatorium est. Is enim docente ipso Bellarmino *L. I. de Purg. c. 2. §. Qvanqvam.* & Beyerlinck *Select. conc. 28. p.824.* tria hominum genera faciebat, qvi post mortem ad judicium evocantur: Unum eorum, qvi piè justèq; vixerunt, qvos statim

(qvanqvã id ab aliis ipsi eripitur,

substitutis Platonis,

statim ad Insulas Beatorum transmitti asserebat. Alterum eorum, qvi peccata curabilia perpetrârunt, qvos ad tempus pœnis exerceri ajebat, donec scelus elueretur. Tertium eorum, qvi peccata incurabilia commiserunt, qvos in Tartarum æternis vexandos cruciatibus dejici dicebat, qvorum supplicia ipsis qvidem nihil prosint, prosint tamen aliis ad exemplum. Huc illa Anchisæ mortui ad Æneam apud Virgilium pertinent. *VI. Æn. 735. sqq.*

Qvin & supremo cùm lumine vita reliqvit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditùs omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusq; necesse est,
Multa diu concreta modis mollescere miris.
Ergò exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Ubi doctrinam Papisticæ conformem Johannes Ludovicus de la Cerda Jesuita agnoscit, *ad vers. 478. p. 676. a.* sic scribens: *Exprimit Poëta Platonicam doctrinam, qvæ in hâc re conformis Christianæ est. Qvi obeunt in unum è qvatuor locis deferuntur, aut in cœlum, qvi omninò sancti obeunt; pro qvo Poëta ex do-*

Ctri-

ctrinâ suâ Elysium adhibet, qvò pii commeant: aut nocentissimi in infernum, his Poeta assignat Tartarum, partem inferni profundiorem; aut infantes in limbum, qvi locus proximus inferno; his Poeta dat limen ex doctrinâ suâ, ait enim:

Infantumq; animæ flentes in limine primo.

Demum in Purgatorium, qvi cum aliqvâ maculâ decesserunt. Conf. Nat. Com. *Mythol. L. III. c. 19. 20.* & Polyd. Virgil. *L. VI. de rerum Inventoribus c. 9. & 10.* Judæorum & Muhamedanorum consensum jactant Bailius *Catech. controvers. tr. 2. qv. 44.* Bellarminus *L. I. de Purg. c.* XI. *§. Tertia ratio.* & Grotius *annot. ad consult. Cassandri, tit. de Sacrificio corp. & sangv. Christi,* (ap. Rivet. *T. III. opp. p. 962. b.*) qvem ipsis non invidemus. At Scripturæ consensum nunqvam ostendent. Veniamus in rem præsentem. *Judæorũ & Muhamm. testimoniis.*)

(1.) Apoc. XXI, 27: *In vitam æternam nihil intrabit coinqvinatum.* Resp. Igitur purgatione opus, sed qvæ non per purgatorios ignes fiat, sed per sangvinem Jesu Christi: qvo stolas suas animæ beatæ laverunt ac dealbârunt, *Apoc. VII, 14.* confer *Apoc. I, 5. Eph. V, 26. Act. XV, 9.* Neqve hîc Apostolus de levioribus, vel, ut illi vocant, venialibus pec- *Apoc. XXI 27.*

catis

catis loqvitur, ſed de mortalibus,& *qvæ coinqvinant, áq́ꝫ regno DEI excludunt*, additq́; exempli causâ explicationem: *qvod abominationem facit ac mendacium.* Hæc autem ad Purgatorium non ſpectant. Vid. qvid *suprà p.396.* Auguſtinus ad *h.t.* reſponderit,& conf. Chemnit. *Exam.p.566.* Höpfneri *Diſpp.p.190.* & omninò Meiſnerum *de Purgatorio, p.509-517.* Gerhard. *L. de Morte §.290.*

(2.) *Erunt etiam* (ait Maſenius,) *qvi coram ſupremo judicio de verbo otioſo rationem reddent*, Matth. XII,36. *& qvis eos propter hæc damnabit igne æterno?* Reſp. (α.) Dictum Chriſti legale eſt, peccati etiam ejus, qvod noſtro judicio minimum eſt, magnitudinem coram judicio DEI oſtendens. Pertinet ad *otioſum* etiam *verbum* anathema Moſaicum *Devt.XXVII,27. Jac.II,10.* (β.) Qvare ſi ex hoc, qvòd de qvovis otioſo verbo reddenda ratio erit, ſeqvitur, venialia peccata non remiſſa eſſe in hâc vitâ fidelibus; multò magis ſeqvetur, mortalia remiſſa non eſſe, de qvibus multò magis, qvàm de venialibus reddenda ratio erit. (γ.) Igitur ad ſolos impœnitentes iſta comminatio pertinet, à qvibus omnium, etiam minimorum, peccatorum ratio ſeveriſſimè exigetur: qviq́;, ut Chriſtus explicat *v.ſq. ex verbis ſuis condemnabuntur.* Pii autem, & *qvi credunt in Filium,*

Matt. XII 36.

lium, non venient in judicium, *Johann.III*, 18. *V*, 24. Sic ergò (4.) colligimus: Qvæcunqve ratio *in die judicii* reddetur, ea neqve ad fideles, qvi in judicium non venient, neqve ad Purgatorium pertinet, qvod in die judicii cessabit. Sed verbi otiosi ratio &c. E. vid. Chamier. *T. III L. XXVI. c.* 6. Gerh. *de Morte §.*276. & *C. C.III*, 501. Meisner. *de Purg. p.*212. 516.

(3.) *Illo transitorio igne*, *de qvo dixit Apostolus* I. Cor. III, 12. sqq. Si qvis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusqve opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: qvia in igne revelabitur: & uniuscujusqve opus qvale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, qvod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen qvasi per ignem; *non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Qvicqvid enim de istis peccatis à nobis redemtum non fuerit, in illo igne purgandum est, de qvo Apostolus dicit: qvia in igne revelabitur, & si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Ita ex *Serm.* 41. *de Sanctis*, qvi Tom. X. Opp. Augustini *p.* 1250. habetur qvidem, Augustini tamen, fatentibus Erasmo ac Lovaniensibus, non est; *die scilicet Commemorationis animarum* dictus, *I. Cor. III, 12. sqq.*

qvi demum ab Odilone Cluniacensi Abbate circa initia seculi undecimi institutus est, Polyd. Virgilio teste *L. VI. de Rer. invent. c.* 9. (Coc. *Censur. p.* 374.) Ut hîc non tam Augustini nobis respicienda sit autoritas, qvàm expendendus collectionis nervus. Observandum autem hîc (1.) Locum Pauli ab Augustino pariter & Pontificiis pro difficillimo haberi, varièq; exponi. Augustinus certè *Lib. de Fide & Operib. c.* 15. *T. IV. p.* 71. inter ea refert, qvæ Petrus dicat esse in scriptis Pauli intellectu difficilia: & *cap.* 16. *pag. ead.* addit, *malle se alios intelligentiores ac doctiores de ejus explicatione audire:* qvod etiam *Enchirid. c.*68. *T.III. p.*176. & *Lib. ad* 8. *Qq. Dulcitii, T.IV. p.*657. *D.*659. *C.* repetit. Bellarminus *L.I. de Purgatorio, c.*5. *sub init. Nota*, inqvit, *locum Apostoli* 1. *Cor.* 3. *esse unum ex difficillimis.* Qvod deinde ostendit, veterum de eo textu dissensum explicando. Jam *ubi de re obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisq; documentis, cobibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem alteram declinando*, judicio Augustini *L.II. de peccator. meritis & remiss sub fin. p.*718. Qvin judicio ipsius Bellarmini (*L.III. V. D. c.*3. §. *sed qvanqvam*) *convenit inter nos & adversarios ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia.* Hic autem locus faten-

te co-

te eodem totus est figuratus & allegoricus. Itaqve (2) *Qvasi-ignis*, non verum, sed *qvasi-argumentum* Purgatorio facit, tenendaq; hîc observatio Lutheri è nostris *T. V. J. G.* im Widerruff vom Fegefeuer *p.* 166. qvale est illud, qvod igne debet probari, aurum, argentum, lapides pretiosi, lignum, fœnum, stipulæ: talis est & ignis, qvo hæc omnia probari debent: vi allegoriæ. Uti dum Christus de semine in agrum projecto concionatur, ineptè per agrum cor humanum, per semen, hordeum aut siliginem intelligeres, aut contrà per semen verbum, per agrum jugera aliqvot Sabini agri. At qvæ igne probari debent, consentientibus Papistis sunt allegorica. Ergò talis qvoqve ignis, non materialis & propriè dictus, qvali Purgatorium flagrat, intelligi debet. Unde & Apostolus non διὰ πυρὸς, sed additâ similitudinis notâ, ὡς διὰ πυρὸς salvum ait fore, qvi fundamentum retinet. (3.) In toto argumento Pauli aut una eademq; erit vocis *ignis* significatio, aut argumentatio ejusdem erit inefficax, imò Sophistica propter homonymiam. Posterius de B Apostolo cogitare impium est. Ergò prius verum erit. Atqvi *vers.* 13. non purgatorium, sed probatorium ignem, qvi non minùs aurum & argentum, qvàm stipulas, fœnum, ligna probat, notari Bellarminus *L. I. de Purg. c.* 5. §. *Qvanta diffi-*

cultas. exiſtimat, per *diem*, qvo opus cujusqve declarabitur, diem ultimi judicii; per *ignem* verò ſeverum DEI judicium intelligens. Ergò. Scilicet (4.) Ignis hic (α) non purgabit, ſed probabit, *v.*13. (β) non omnium decedentium veniales culpas, ſed ædificantium *v.* 10. 12. plantantium & rigantium *v.* 7. h. e. miniſtrorum verbi opus ſeu doctrinam, ut Cajetanus & Eſtius *h. l.* imò Bellarminus ipſe §. *Utraq;* approbat: *Magis literalis*, ajens, *explicatio eſt: Architectos, qvi ſuperædificant, hîc ab Apoſtolo non vocari, niſi Doctores & Prædicatores Evangelii, id qvod patet manifeſtè ex verbis præcedentibus & ſeqventibus ejus capitis.* Confer §. *ſexta ſententia.* Ergò non poterit hinc Purgatorium probari, niſi id pro ſolis Eccleſiæ Doctoribus paratum dicere velis. Hinc (5.) Auguſtinus ignem hunc de igne tentationis & & tribulationis explicat, *L. XXI. C. D. c.*26. *T. V. p.* 1314. *Si qvis Chriſto nihil talis affectionis voluptatisq; præponat, qvamvis ſuperædificet ligna, fœnum, ſtipulam, Chriſtus eſt fundamentum, propter hoc ſalvus erit per ignem. Delicias qvippe hujusmodi amoresq; terrenos, propter conjugalem qvidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret: ad qvem ignem pertinent & orbitates, & qvæcunq; calamitates, qvæ auferunt hæc. Ac per hoc ei qvi ædificavit, erit ædificatio iſta damnoſa,*

qvia

qvia non habebit, qvod superædificavit, & eorum amissione cruciabitur, qvibus fruendo utiq; lætabatur. Sed per hunc ignem salvus erit merito fundamenti, qvia &, si, utrum id an Christum habere mallet, à persecutore proponeretur, illud CHRISTO non præponeretur. — — Uniuscujusq; opus qvale sit, manifestabitur: Dies enim Domini declarabit. Dies utiq; tribulationis, qvoniam in igne, inqvit, revelabitur. Eandemq; tribulationem ignem vocat, sicut alibi legitur: Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Et uniuscujusq; opus qvale sit, ignis probabit. Similia *ad qvæst. I. Dulcitii, Tom. IV. p.*662. *D.* reperias. Plura non addemus, petenda ex Meisnero *c.* 5. *de Purgatorio*, ubi *à p.* 403. *ad* 467. accuratè demonstravit (*α.*) locum hunc haberi à Pontificiis pro sede articuli de Purgatorio non posse, qvia obscurus est, difficilis & figuratus, (*β.*) qvia multiplex illius reperiatur apud Patres explicatio ipsiq; (*γ.*) Papistæ dissentiant de ejus sensu, (*δ.*) Bellarminus ita eum exponat, ut magis extingvatur, qvàm accendatur ignis purgatorius: tum (*ε*) qvòd nulla qveat proferri ratio, convincens locum hunc de Purgatorio necessariò explicandum esse, ac contrà (*ζ.*) firmæ rationes efficiant, ne qvidem posse de Purgatorio exponi: deniqve (*η.*) multò rectiùs de re aliâ, qvàm de

Purgatorio exponatur : ſcilicet non de igne purgatorio & expiatorio peccati poſt hanc vitam, ſed de igne probatorio doctrinæ in hâc vitâ per verbi efficaciam, nec non per tribulationes & tentationes. Conf. Chemnit. *Ex. p. 670. ſqq.* Gerhard. *L. de Morte §. 253 — 267.* & *Conf. Cath. art. 9. p. 506. ſqq.* Balduin. *Comm. in I. Corinth. 3. P. II. q. 7. p. 318.* & *Phoſphori L. XIV. c. 6. p. 1224. ſqq.* Hülſem. *Diſp. XV. contra Hager. p. 638. ſqq.* Walther. *Harm. h. l. p. 1110. ſqq.* Chamier. *t. 3. L. 26. c. 12. 13. 14.* Laurent. *de Purgatorio c. 13. p. 193-211.* Dreier. *p. 870. ſqq.*

Pſal. VI, 2. XXXIIX, 2. (4.) Pſalm. VI, 2. XXXVIII, 2: *Domine, ne in furore tuo arguas me,* (in infernum projiciendo,) *neq; in irâ tuâ corripias me,* (in Purgatorio nimis graviter affligendo.) Reſpond. verbis Auguſtini in *Pſalm. VI. T. VIII. p. 33. A. Ego puto, unam rem duobus verbis ſignificatam.* Cui conſonat Lorinus Jeſuita ad Pſ. VI: *Quòd Græci & Latini non pauci, non tantùm Auguſtinus, rem eandem diverſis exponi dicunt verbis, mihi magis placet.* Et Bellarminus *ibid. Ira & furor pro eodem h. l. accipiuntur, ſicut etiam argui & corripi: Eſt enim familiare Prophetis, idipſum bis repetere, explicandi vel inculcandi gratiâ.* Idem ad *Pſ. 37.* repetit. Em. Sa. *ad Pſ. 6. Repetitio.* Auguſtin. *Eadem res per iram & furorem ſignificatur.* Menochius *ibid. Eſt ejusdem hemi-*

ſtichii

ſtichii uſitata repetitio. Et repugnat ſanè illa στρεβλότης propriis Pontificiorum hypotheſibus. Pſaltes enim deprecatur æqvè iram ac furorem. Purgatorii autem pœnas deprecari non poterat, qvippe qvas Deus condonare ſalvâ juſtitiâ ſuâ juxta Pontificios non poteſt. Confer. Gerh. *L. de Morte* §.233. *C.C.* 477. Meiſn. *de Purg. p.* 118. *ſqq.* Thumm. *de Purg. p.*63. Chamier. *Panſtr. l.c. c.*5. §.15. *ſqq.* Patrum de *h. t.* interpretationes lege apud Mornæum *L.III. Euchar. c.7. p.*907 - 913.

(5.) Matth. XII, 32. *Non remittetur peccatum in Sp.S. neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro.* E. aliqvod peccatum non remiſſum in hoc ſeculo remittetur in futuro. Reſp. (α) Qvis ſenſus verborum Chriſti ſit, ex *Marc.III*, 28. & *Luc. XXI*, 10. intelligitur: ubi per: *Non remittetur*, *Non habebit remisſionem in æternum* explicatur. Itaqve abſoluta irremisſibilitas peccati in Spiritum Sanctum indicatur, non aliorum peccatorum in hâc vitâ non remisſorum posſibilis in alterâ vitâ remisſio aſtruitur. Neqve verò (β) iccircò otioſa eſt illa apud Matthæum diſtributio, ſed ad exaggerationem facit divini judicii, qvod iis expectandum, qvi hoc peccato ſe polluunt. Qvòd ſi, ut Grotio ad *h.l.* placet, Chriſtus de induſtriâ utrumqve ſeculum nominavit, ut Judæis auferret eam, qvâ ſibi blandiebantur adverſus gravisſima delicta perſvaſionem, exiſtimando, illa ſibi re- *Matt. XII 32.*

mittenda fore post hanc vitam, unde illud Judæorum axioma: *Omnis Israëlita partem habet in futuro seculo*; potiùs negaverit, esse locum remissioni ulli post hanc vitam, qvam contrarium supposuerit. Nec (γ.) potest id favere Purgatorio Papistarum, in qvo nulla remissio locum habet, nec culpæ, nec pœnæ; non illius, qvia nulla vel levissima culpa superest in illis animabus; non hujus, qvia debent animæ illæ satispati, & persolvere ad ultimum usqve qvadrantem. (δ.) Collectio illa: *Peccatum in Spiritum S. non remittitur in altero seculo: E. alia ibi remittentur*, similis huic: Adulterii crimen non remittitur in Purgatorio. E. scortationis crimen remittetur. Vel: Rex Galliæ non est Rex Venetorum: E. alius datur Rex Venetorum. Anabaptistæ neqve Madriti, neq; in ullâ aliâ civitate Hispaniæ impunè vivere sinuntur: E. Lutherani & Calviniani in aliqvâ Hispaniæ civitate impunè vivere sinuntur. Scio, qvod neqve mors, neqve vita, neqve angeli, neqve principatûs, neqve instantia, neqve futura separabunt me à charitate DEI. E. aliqvando contingere potest, ut angeli charitatem Dei impugnent. Qvicqvid in his conseqventiis desideraverint, corrigant & in suâ: qvam Bellarminus & ipse fatetur *L.I. de Purgator. cap. 4. resp. ad 7. non secundum regulas Dialecticæ, sed regulas prudentiæ saltem*

(ἀσυλ-

(ἀσυλλογίστου scilicet & irrationalis) ab sese institui. Qvin imò (ε.) si rectè se habeat ista conseqventia, seqvetur, etiam mortalia peccata in Purgatorio remitti; qvia solum peccatum in Sp. S. non remissum iri in altero seculo, affirmat Christus. Postremò (ζ) potiùs ad Purgatorium destruendum, qvàm firmandum valet hic locus. Vel enim id ad seculum præsens pertinet, vel ad futurum. Non ad præsens, ut patet. Nec ad futurum, qvia finem suum in die extremo hujus seculi sortietur; futurum autem seculum fine carebit. Plura Meisner. *de Purgatorio p. 363-403.* Gerh. *L. de Morte §. 245-252. & C.C. III, 498. seqq.* Feurborn. *de Pecc. in Sp. S. c. 27. Sect 5. p. 384. sqq* (opp. 2028. sqq.) Chamier *T. III. L. 26. c. 10.* Heidegg. *Anat. p. 1070.* Morn. *Euch. III, 8. p. 950. sqq.*

(6.) *Remitti sibi post mortem petebat latro ille, qvi dicebat: Memento, Domine, mei cùm veneris in regnum tuum.* Luc. XXIII, 42. *Luc.* XXIII, 42.
Resp. (α) Si hoc errore latro ille imbutus credidisset, remitti vel expiari peccata post mortem, certè Christi dulcissimâ voce aliter fuisset edoctus: *Hodie* (non demum post aliqvàm multos annos inter Purgatorii tormenta miserè exactos,) *mecum eris in Paradiso.* (β) Sed non opus, ut hunc illi errorem affingamus. Aliud *meminisse alicujus* est, (qvomodo & Angelorum meminit DEUS,) aliud

aliud *peccata remittere.* Rogat, ut sui meminerit Salvator, h. e. Barradio *T. IV. Conc. Evang. L. 7. c. 15. p. 353.* interprete, *se in regnum cœleste introducat, qvàm primùm in regnum venerit.* Unde (γ) qvidam ex Pontificiis sentiunt, latronem hunc rectà in Paradisum prætervecto Purgatorio venisse, eò qvòd Martyr fuerit, ut Svarez *in III. Thomæ, T. II. q. 46. a. 11.* Tirinus *ad h l.* & Bellarm. *L. I. de Purg. c. 12. resp. ad. 6.* censent. Jam verò *docet Catholica Ecclesia, Martyres absq; ullo per ignem transitu ad æternam vitam pervenire,* ut scribit Salmero *Comm. in I. Cor III. Disp. VI. §. 3.* Confer Geth. *L. de morte §. 272.* & *C. C. III, 441. & 504.* Balduin. *c. Pazm. p. 1237.* Meisner. *p. 224. sqq.* Thumm. *p. 102.* Danhaur. *p. 1002. sqq.* Chamier. *c. 9.*

II. Maccab. XII, 42. 46.

(7.) Seqvitur Achilles Pontificius, Purgatorii præcipuus defensor, Jasonis Cyrenæi, autoris gentilis epitomator, *II. Mac. XII, 42.--46.* narrans, *Judam Maccabæum 12. millia Drachmarum,* (duo millia enim, qvæ in Græco textu habentur, avaritiam Latini Cleri non explebant,) *Hierosolymam misisse, ut offerretur pro peccato sacrificium,* qvod factum commendat Scriptor apocryphus. Sed (α) hujus autoritatem vel ideò tanti non facimus in re tanti momenti, qvia apocryphus est, qvod ex autore, qvi Propheta non fuit, (vid. *c. XV, 39. 40. II, 24. 27.*) è tempore,

pore, (post Malachiam Prophetarum ultimum.) è lingvâ, contentis etiam, qvæ libris Canonicis imò & primo Maccabæorum sæpè repugnant, deniqve testimonio Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ Veteris, inqve eà Melitonis (ap Euseb. *H. E. IV*, *26.*) Athanasii (*in Synopsi S. Scr.*) Hilarii (*Præfat. in Psalmos*,) Hieronymi (*in prologo* galeato,) Ruffini (*expos Symb.*) ipsiusqve adeo Augustini (*XIIX. C D.36.L.II.c. Epist.Gaud. c. 13.T.VII. p.352.sqq.*) qvin & Romani Episcopi Gregorii Magni, M.Cani, Occami, Lirani, Sigonii aliorumqve Papistarum, constat. Vid. id demonstratum prolixius apud Gerh. *Exeg. de Script. §.230.sqq.* & *Tom.II.Conf. Cath. p. 63. sqq.* & *L. de Morte §. 224.225.* Rainold. *Censur.libb.apocryph.T.I.p.1318.seqq.T.II.p.77.sqq.* Rivet. *C.O.tr.1.q.13.§.2.seqq.* Chamier. *T.I. L.V.c.2.& 8.* Laurent. *Fab.infernal. P.I. c.13. append.p.301.sqq.* Confer & Meisner. *de Purg. p.285-298.* (G.) *Narratio* facti à *commendatione* distingvenda est. *Illa* qvid Judas fecerit, docet. Ejus autem factum an divinæ voluntati conforme ac laudabile fuerit, tacet. Novimus autem & Gideonis & Jephthæ post victoriam errorem è *Jud. VIII*, *27.XI,39.* & gentilium κακοζηλίαν Israelitis illo tempore non infreqventem è *II. Macc. IV,10.12.XIV,42.* Qvis ab omni errore immunem Judam nobis præstet? *Hæc* verò

v.46.

v.46. contenta glossema adjectitium non uno nomine videtur: cum (a.) nec *I. Macc. V.* ubi eadem narratio, neqve in Josepho qvicqvam de his Sacrificiis referatur, (b) Sanctes Pagninus testetur, non reperiisse se hanc clausulam in avtographo, qvæ & (c) sententiam ipsam confragosam maleq; cohærentem reddit, ut docet Gerh. *de morte §. 276.* Meisn. *p. 298. sqq.* (γ) Ab orationibus pro defunctis ad Purgatorium N. V. C. Illas defendunt Græci, qvi tamen Purgatorium vehementer improbant, qvod eruditissima Cl. Joh, Diecmanni Amici honoratissimi, Exercitatio *de Dissensu Ecclesiarum Orientalium & Latinæ in Dogmate de Purgatorio* Dissertationi L. Allatii de Consensione perpetuâ Occ. & Or. Eccl, in dogmate de Purgatorio opposita docet. Sed & infrà ad Augustinum de hoc recurret sermo. (δ) Hypotheses Papistarum non sinunt de Purgatorio vel Judam, vel Historicum cogitâsse. Nam (a) Purgatorium sub Novo demum Testamento exarsit. (b) Illi pro qvibus sacrificâsse Judas fertur, in peccato mortali & Achanico obierant, qvo non in Purgatorii, sed Gehennæ ignem mittebantur. vid. *vers. 40. 41. 42. & Devt. VII, 25. Jos. VII, 25. XXII, 20.* (ε.) Sacrificium Judæ partim ad *occisos* refertur, partim ad *superstites*. Qvatenus ad occisos refertur, resurrectionem respicie-

respiciebat, ut *v.43. 44.* expressè indicatur, non Purgatorium: h. e. optabat Judas, ne in futurâ resurrectione hoc peccatum occisis imputaretur, sed ut ad gloriam resurgerent. Qvi autem pro bono in futurâ resurrectione consequendo orat, is non orat pro liberatione ex Purgatorio, qvòd in futuro seculo planè abolebitur. Qvatenus autem ad superstites spectat, fundatum erat in lege *Lev.IV, 13. sqq.* & averruncationem pœnæ à superstitibus præservationemqve à simili peccato intendebat. Exprimitur hic sacrificii finis *v.* 42. Unde nec hîc pro Purgatorio qvicqvam subsidii est. Plura vide apud citatos jamdum Gerh. *l.c. de Morte, §. 224-230.* Meisner. *p. 280-327.* Laurent. *p 134 seqq.* & adde Luther. *T. V. J. G. p. 161. sqq.* Chemn. *Exam. de Purg. c. 2.* cujus titulus: *Macchabæorum Purgatorium, p. 527. sqq.* Balduin. *Phosph. XIV, 5. p. 1213. sqq. & de Indulg. p. 485. sqq.* Thumm. *p 51 sqq. de Purg. p. 527. seqq.* Franz. *de interp. Scr. Orac. 107. p. 659. sqq.* Hôpffn. *Dispp. p. 182.* Danh. *H. P. II. 622. & 1027. sqq.* Ursin. vom Zustandt der Seelen *p. 186. sqq.* Geier. *de Prec. pro Defunctis, c. III. §. 14.* Chamier. *III, 26, 16.* Mares. *Anti-Trini T. II. p. 959.* Mornæum. *de Evchar. III. 7. p. 934. sqq.*

(8.) Qvod *Mal. III, 3.* de Christo dicitur: *Ipse qvasi ignis conflans, & qvasi herba fullonum, sedebit conflans & emundans ar-* *Mal. III, 3.*

argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum & qvasi argentum: id neqve ab Augustino (ad cujus *L. XX. C. D. c. 25.* hic provocat Masenius,) ad Purgatorium, sed ad extremum judicium accommodatur: neqve literaliter fatentibus ultrò Jesuitis de Purgatorio loqvitur. Ipse Bellarminus eo loco, qvo excudere ex *h. t.* velut ex silice scintillas Purgatorii laborat: *Pœna illa Purgatoria,* ait, *de qvâ Mal. 3. non est ea, de qvâ nunc agimus; nam illa purgabit viventes; nos autem agimus de pœnâ mortuorum: L. I. de Purg. c. 3. §. ult. & c. 1. §. secundò.* Eadem sententia Svarezii *T. IV. in Thom. D. XLV. Sect. I.* Scilicet, ut textus ipse docet; vaticinatur Propheta de primo Messiæ adventu, & repurgatione Doctrinæ à corruptelis filiorum Levi, h. e. Sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum, per ignem verbi Spiritûsqve Sancti faciendâ, qvomodo & Em. Sa, Menochius, Castrius, Tirinus, C. à Lapide, Ribera, Jesuitæ in *Commentariis suis h. l.* explicant. Confer ex nostris Gerh. *CC. III, 486. L. de Morte §. 239.* Meisn *p. 200. sqq.* Thumm. *p. 77. sqq.* Balduin. *de Indulg. p. 514. sqq.* &c.

(2.) Augustini suffragio: cujus (α) Sententia

Atqve hæc sunt, qvæ ex Scripturâ ad stabiliendum Purgatorium suum Masenius protulit, omnia: qvæ an spiritu eodem sensuq; applicentur, qvo inspirata sunt primùm, ex hactenus dictis planum spero fore.

Nunc

Nunc porrò expendendum est, an AUGUSTINUS allegatis locis sic explicet illa pleraq; , uti voluit Masenius. Huic enim debet is, si diis placet, præclaras illas è *I. Cor. III,14 Psalm. XXXIIX, 2. Matt. XII, 32. Luc. XXIII,42. II Macc. XII.42.sqq. Mal. III,3.* Purgatorii probationes. Sed hîc (1.) principiò notari velim, non jam conjecturas Doctoris hujus illiusvè inqviri, sed ex Scripturâ demonstrationes peti, qvæ tranqvillare animum in re salutem concernente possint. *Neq; enim qvorumlibet Disputationes, qvamvis catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentiâ, qvæ illis debetur hominibus, aliqvid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si fortè invenerimus, qvod aliter senserint, qvàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Ita Augustinus *Epist. CXI. T.II p.523.C.* Et *Epist. seq. p. 525. D.* monet, ne qvisqvam fidem in suam autoritatem resolvat: *Nolo*, inqvit, *auctoritatem meam seqvaris, ut ideò putes, tibi aliqvid necesse esse credere, qvoniam à me dicitur, sed aut Scripturis Canonicis credas, si qvid nondum qvàm verum sit, vides, aut interius demonstranti veritati, ut hoc planè videas.* Qvæ qvidem observatio hîc eò magis necessaria est, qvòd

explicatur: qvòd,

è suo judicio rem tantam decidi vetet,

indq; scriptis genuinis

qvòd constat, longè incertissimum hâc de re fuisse Augustinum. De qvo observo (2.) scripta ejus spuria à γνησίοις probè distingvenda esse. Ita qvæ de *I.Cor. I:I.* profert Scriptor *Sermonis XLI.de Sanctis*, & qvæ de *Matth.XII,32.* in *L.XXI.C.D.24.* irrepserunt, neqve ibi Ludovico Vive observante in probæ monetæ exemplaribus vetustis leguntur, pro Augustinianis obtrudi nobis non patimur. (3.) Observo, Augustinum ea passim inculcare, qvæ cum Purgatorio Pontificio conciliari non possunt. Qvale illud est, cùm duo tantùm loca defunctis assignat, tertium autem manifestè rejicit. *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qvi non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium* (notent hoc Augustini de suo dogmate judicium Pontificii!) *istam nescio qvam, medietatem, qvam conantur qvidam parvulis non baptizatis tribuere, ut, qvasi merito innocentiæ sint in vitâ æternâ, sed qvia non sint baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qvi mecum non est, adversum me est:* scribit: *L.I. de pecc. mer. & remiss.c.28.T.VII.p.680.* Sic *L.XXI. C. D. c. 25.T.V.p.1311: Si in regni DEI possessione nunqvam erunt, æterno supplicio tenebuntur, qvoniam, non est locus medius, ubi non sit in supplicio,*

Purgatorio Pontificio repugnantia tradat,

plicio, qvi illo non fuerit constitutus in regno. Sic scriptor hypognosticôn, *L. V. ultra medium, T. VII. Augustini, p. 1405: Primum locum fides Catholicorum divinâ autoritate regnum credit esse cœlorum, secundum Gehennam. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis Sanctis invenimus.* Ubi in editione Basileensi 1569. *ad marg.* ascriptum est: *Purgatorium.* Ac ne excipias de receptaculis animarum corpori rursus unitarum locutum fuisse Augustinum cùm tertium locum dari negaret, alibi expressè ad animas separatas applicat. Ut cùm *L. XIII. C. D. c. 8. T. V. p. 715:* scribit: *In reqvie sunt* (non in cruciatibus flammæ purgantis,) *animæ piorum à corpore separatæ: impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam: illarum verò ad æternam mortem, qvæ secunda dicitur, corpora reviviscant.* In eandem sententiam autor *tract. de vanitate seculi* (qvi inter Opp. Augustini *T. IX.* habetur,) *c. 1. p. 947: Scitote quòd cùm anima à corpore avellitur, statim aut in Paradiso pro meritis bonis collocatur: aut certè pro peccatis in Inferni Tartara præcipitatur.* Sed qvid opus alia conqvirere? cùm in ipso illo loco, qvem in principio locat maximo suo damno Masenius, *p. 158.* duo tantùm animarum corpore solutarum loca sese nosse indicet Augustinus, & exemplo epulonis Lazariq; confir-

met. *Sicut* (ait *tr.49. in Joh. T. IX. p. 360.*) *diversæ custodiæ agentium in officio: Sic diversæ custodiæ mortuorū, & diversa merita resurgentiū. Receptꝰ est pauper, receptꝰ est dives: sed ille in sinu Abrahæ, ille ubi sitiret, & guttam non inveniret. Habent ergò omnes animæ, cùm de seculo exierint, diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora: qvando cum corpore torqvebuntur.* Jam qvi duo tantùm animarum separatarum loca novit, Purgatorium ignorat; Sed & alia ex ipso huc afferri poterant: ut qvòd *Morum corrigendorum nullum alium, qvàm in hâc vitâ locum esse*, ait *Epist. LIV. ad Macedonium. T. II.* cùm qvemq; *novissimo mundi die in hoc comprehensum iri* scribit, *in qvo eum invenerit suus novissimus dies*, *Epist. XXC p.350.A.* & qvæ his similia sunt. Purgatorio, qvo peccata venialia, qvibus moriens aliqvis adhuc infectus, extergantur, ante novissimum diem ἀσύγκλωστα. Nec aliena sunt, qvæ passim, inprimis *Enchirid. ad Laurent. c.67. T. III. p. 175.* contra Origenem, qvi primus in Ecclesiâ, cujus & judicio in variis Conciliis damnatus fuit, scintillas Purgatorii ignis sparsit, disputat. *Creduntur à qvibusdam*, ait, *etiam ii, qvi nomen Christi non relinqvunt, & ejus lavacro in Ecclesiâ*

Ecclesiâ baptizantur, nec ab eâ ullo Schismate vel hæresi præciduntur, in qvantislibet sceleribus vivant, qvæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usq; ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissimè perseverent, salvi futuri per ignem: licèt pro magnitudine facinorum flagitiorumq; diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qvi hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanâ qvadam benevolentiâ mihi falli videntur. Nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hâc qvæstione scripsi, cujus titulus est: De fide & operibus. Qvanqvam verò pleriqve PP. istud Origenis Purgatorium rejicientes, interqve hos Augustinus, de alio purgante igne mentionem fecerint; observo tamen (4.) ignem illum cum Pontificio nihil habere commercii. Communem enim illum faciebant omnibus in universum hominibus, bonis, malis: fidelibus, martyribus, imò Deiparæ Virgini: eumqve in finem mundi rejiciebant, atqve sic docebant: per ignem illum, qvo olim conflagraturus orbis erit, animas atq; corpora resurgentium hominum transitura, ut qvicqvid ligni aut straminis, aut stipulæ electi fundamento superstruxerant, consumatur: impii verò hinc initia capiant æterni illius nec unqvam extingvendi ignis. Qvæ licèt sine Scripturis dicantur, à Purgatorio tamen Papistico

neq; illi vel doctrinâ suâ de purgante extremi diei igne,

diversissima sunt. Lege testimonia Patrum hanc in rem apud Ursinum *L. IV.* vom Zustandt der gläubigen Seelen nach dem Tode/*p.456 sqq* & Forbes. *Instruct.L.XIII.c.3. p.673.sqq.* eq; Papistis ipsis Bellarm. *L.II. de Purg. c.* I. §. *Addo qvòd.* & Sixt.Sen. *L. V. B. S.annot.171.p* 487. Observo (5.) Augustinum hujus etiam ignis purgantes flammas non ceu articulum fidei creditu adeò necessarium, ut qvi eum neget, illi ardendum infernali igne sit, venditare, qvod post Concilii Florentini tempora Papistæ faciunt, sed conjecturaliter & στοχαϛικῶς proponere, non absqve indicio dubitationis. Qvoties enim in eam rem incidit, his similibusq; formulis utitur: *Videtur: Forsitan verum est: Non repugno, qvia forsitan potest esse verum. Tale aliqvid post hanc vitam fieri, incredibile non est, & utrum ita sit, qværi potest, & aut inveniri aut latere.* Vid. *Enchirid.c.69.T.III. p.176.D.lib. de fide & operibus c.16.T. IV. p.71. D. Lib.XXI.C.D.c 26.T.V.p.1316.B.* Et cùm eâ de re *q.3. ad Dulcitium* verba titubanter admodum fecisset, finit demum: *Vellem de his audire doctiores: & si mihi potuerint hæc ita exponi, ut in eis possit intelligi, omnes homines, qvi vivunt, vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigere, qvod hinc aliqvando aliter sensi. Neq; enim debemus esse indociles Doctores, & certè meliùs homo corripitur pravus, qvàm*

qvam hæsitanter admodum proponit,

qvàm frangitur durus: cùm ius, qvæ descripsimus, ita nostra vel aliorum exerceatur vel erudiatur infirmitas, ut tamen in iis nulla velut canonica constituatur autoritas. T.IV.p.666. extr. Observo *(6.)* ubi de intercesssione pro defunctis loqvitur Augustinus, non eam ad fideles in venialibus peccatis decedentes restringit; sed ad damnatos æqvè, ac hos, qvos in reqvie jam esse noverat, extendit pro more istius ævi, qvo affectum in defunctos hujusmodi suffragiis exponebant magis, qvàm ipsorum vel cruciatui aliqvid demi, vel addi gaudio reverà credebant. Qvâ de re hîc dicere prolixum foret. Evoivantur, qvos suprà laudavimus, *pag.986.* & addantur si plura cognoscere de eà re lubet Chemnit. *P.III Exam tit: Qvomodo ex precibus pro defunctis Purgatorium accendere conentur*, *p.536-548.* Meisner. *de Purg. p.539-574.* Chamier. *Panstr. T.III. L.26.c.24.p.60.sqq.* Forbes. *Instruct. L.XIII.c.9 p.689 sqq.* Mornæ. *de Euchar. L.III.c.10.p.1023-1059.* Mares. *T.II. contra Tirin.p.953 sqq.* Rivet. *Cath. Orth. tr. 2. q.44. p.241. sqq.* & Jac. Laurentius *cap.17. de Purgatorio, Appendice, in qvâ probatur, ab oratione pro defunctis non seqvi argumentum ad Purgatorium Papisticum p.436-449.*

vel oratione pro defunctis, favet.

Patet hinc, qvid ad omnia, qvæ Malenius ex Augustino attulit, respondendum

(β) *Loca objecta solvuntur. tr. 49. in Job. Serm. 41. de S.S. in Ps. 37.*

sit. (1.) Locus *tr. 49. in Job.* pro nobis apertè sententiam dicit, ut modò cognovimus. (2.) *Sermo XLI. de Sanctis*, Augustini non est, qvod antè ostensum (3.) *In Psalm. 37. T. VIII. p. 313.* verba Davidis non tam *explicat* literaliter (literali enim sensu iram & furorem æqvipollere volebat, ut ex verbis paulò antè adductis constat.) qvàm *accommodat* mysticè ad ignem non Purgatorium separatarum animarum *ante* extremum diem, sed corporum animarumq; *in* extremo die: qvem cum Papistarum Purgatorio nihil habere negotii observavimus. Verba tantùm ascribenda sunt integra, ut rei veritas pateat. *Futurum est enim, ut qvidam in irâ DEI emendentur, & in indignatione arguantur. Et fortè non omnes, qvi arguuntur, emendabuntur, sed tamen futuri sunt in emendatione qvidam salvi. -- Hæc iste graviora formidans, exceptâ vitâ istâ, in cujus malis plangit & gemit: rogat, & dicit: Domine, ne in indignatione tuâ arguas me. Non sim inter illos, qvibus dicturus es: Ite in ignem æternum, qvi paratus est Diabolo, & angelis ejus. Neq; in irâ tuâ emendes me, ut in hâc vitâ purges me: & talem me reddas, cui jam emendato igne* (h. e. emendato per ignem; pro qvo Masenius scribere maluit: *emendatorio igne.*) *non opus sit, propter illos, qvi salvi erunt, sic tamen qvasi per ignem.*

Qvare,

Quare, nisi qvia hîc ædificant supra fundamentum, ligna, fœnum stipulam? Ædificarent aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroq; igne securi essent: non solùm de illo æterno, qvi in æternum cruciaturus est impios: sed etiam de illo, qvi emendabit eos, qvi per ignem salvi erunt. Dicitur enim: Ipse autem salvus erit, sic tamen qvasi per ignem. Vides, omnia ad illum articulum seu terminum potiùs temporis referri, qvando impiis dicetur: *Ite in ignem æternum.* Confer Meisn. *p. 521.* Chamier. *t. 3. L. 26. c. 5.* §. *28. p. 568.*

(4.) *L. VI. contra Julianum c. 5. T. VII. p. 1119. extr.* Augustinus non de Purgatorio ante extremum diem, sed de remissione in judicio extremo loqvitur. *Et peccata qvidem nulla remittuntur in regno* (gloriæ æternæ,) *sed si nulla remitterentur in judicio illo novissimo, puto, qvòd Dominus non dixisset de qvodam peccato: Non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro: qvomodo sibi remitti sperabat latro ille; qvi dicebat: memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Et addit, qvod omisisse, non debebat Masenius: *De qvâ re, qvoniam de re profundissimâ sermo est, non est modò præcipitanda sententia.* Si ergò de hâc re præcipitanda sententia non est, qvare Pontificii non audacter modo definiunt, sed & articulum fidei fabricant? Cæterùm admittimus facilè remissionem peccatorum in die judicii fieri, qvando illa sententia ab- *L. VI. c. Jul. c. 5.*

ſolutoria, qvæ conſcientiis noſtris in hâc vitâ intimatur, ad juſtificationem, palam toti mundo pronunciabitur ad glorificationem. Verùm qvid hoc ad Purgatorium? Lege omninò de *h.l.* Auguſtini Urſinum **vom Zuſtand der Seelen** *L.IV.* §. *187-193. p. 488-503.* ubi inter alia docuit §. *192.* ſex modis ipſam hanc Auguſtini ſententiam Purgatorio Papiſtarum repugnare.

de Curâ pro mort. c. 1. (5.) *Lib. de curâ pro mortuis c. I. T. IV. p. 880. extr.* Auguſtinus commendationem defunctorum memorat, eamq; more Eccleſiæ ſuâ ætate univerſæ confirmat: de liberatione è Purgatorii pœnis per illam commemorationem altum ſilet, nedum ut ex Scripturâ eam accerſat. Aſcribemus verba ipſa, ne fortè de fraude aliqvâ vel conqveri Maſenius, vel ſuſpicari Lector posſit. *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nusqvam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, qvæ in hac conſvetudine claret, autoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorũ.* Vid. Laurent. *loco modò cit.* & Urſinum *p. 504. ſeqq.*

L. XX. C. D. c. 25. (6.) Deniq; *L. XX. C. D. c. 25. T. V. p. 1248. extr.* vix poterat manifeſtius indicare Auguſtinus, non ſe de animarum purgatorio ante judiciũ igne, ſed de pœnis purgatoriis in ipſo judicio loqvi. *Ex his, qvæ dicta ſunt, videtur evidentius apparere,* (NB.) *in illo*

illo judicio qvasdam qvorundam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur : Qvis sustinebit diem introitûs ejus, aut qvis ferre poterit, ut eum adspiciat, qvia ipse ingreditur qvasi ignis conflatorius, & qvasi herba lavantium, & sedebit conflans & emundans sicut aurum, & emundabit filios Levi, & fundet eos sicut aurum, & sicut argentum : qvid aliud intelligendum est? Non dissimulat tamen, qvàm parum sibi & hac interpretatione satisfaciat. Addit enim : *Nisi fortè sic eos dicendum est emundari à sordibus, & eliqvari qvodammodò, cùm ab eis mali per pœnale judicium separantur, ut illorum segregatio atq; damnatio purgatio sit istorum, qvia sine talium de cætero commixtione victuri sunt.* Postremò totam controversiam in aliud tempus rejicit : *Verùm ista qvæstio de purgatoriis pœnis ut diligentiùs pertractetur, in tempus aliud differenda est.* Pluribus Augustinum vindicat B. Chemnit. *Exam. p.* 533. B. Ursinus *p.* 419 — 529. Forbesius *Instruct. L. XIII. c.* 4. 5. 6. 8. 11. & Dn. D. Tenzel. *contra Fromm. pag.* 1079. *sqq.* Mornæus *de Euch. L. III. c.* 9. *p.* 996. Laurent. *Fab. l. Infernal. c.* 17. *p.* 422. *sqq.* Confer & de ejusdem Augustini aliorumqve Patrum sententiâ Gerhardum *L. de Morte* §. 213 — 219. Höpffner. *de Ecclesiâ ante Lutherum, th. XXII.* §. 7. *p.* 502. Dorsch. Religions-Scrupel *IV. p.* 17 — 13. *edit.* 2.

Expendimus hucusqve DEI adjuti gratiâ, qvicqvid de qvæstionibus controversis, tùm ex Scripturâ, tum ex Augustino in præjudicium fidei nostræ afferre Masenio placuit. Cujus si imitari exemplum velimus, id danda nunc opera fuerit, ut multis verborum ampullis nos *seqvi in tot pugnantibus religionibus viam antiqvam, viam notam, viam à sanctis viris omni ætate tritam, viam tot Doctorum testimoniis commendatam, qvâ inter tot ambiguas concertationes tutior non inveniatur*, jactemus. Sed malo id à Lectore qvovis judicari, qvàm operosè jactare ipse pugno feriendum, non palmâ, si in hoc certamine superior evadere velis.

Ornari res ista negat, contenta doceri.



EXA-

Examen

Geminæ Appendicis Masenianæ, & EPILOGUS.

Examen

PRiusqvam Considerationes suas auspicaretur Masenius, præmittebat *Instructionem Brevem de Praxi propositâ ad Lectorem, Inclytosq́; inprimis Romani Imperii Proceres & Legatos Ratisbonæ pacis tranqvillitatisq́; publicæ studio collectos.* Eam nos, qvia instituti rationem omnem exponebat, initio libelli hujus sub Examen revocavimus. Nunc defunctus labore suo Autor Mantissam nobis geminam appendit: alteram *Considerationis Extravagantis* titulo complexus *pag.* 161 — 172. alteram *Brevi Fidei Orthodoxæ* (Papalis) *Confessione ex S. literis, Symbolo Apostolico & Niceno* absolvens. His expendendis, cur eandem, qvam Instructioni præmissæ, curam impendamus, causa non

I. Considerationis extravagantis

sa non est. Urgent imminentes Nundinæ, urget, præter cujus æqvè ac meum propositum labor in istam qvalemcunqve molem excrevit, Bibliopola. Neqve hìc nobis propositum est, cum Masenio *extra* oleas *vagari*, deq; his multum verborum profundere, qvæ ad præsens institutum non pertinent.

(1.) *de Indifferentismo,* Itaqve qvòd *Consid. Extravag. Puncto I. p.* 161—164. contra qvorundam noxiam persvasionem disserit, *non posse qvemq; in suâ religione salvari, eo sub prætextu, qvòd fundamentum fidei teneat*, id sanè approbamus modis omnibus. Neutralistarum illa est & Indifferentistarum declivis in Atheismum sententia, qvam Protestantium Politicis pro suâ æqvitate Masenius affricat. Enimverò nondum omnis periit Gallion, (*Act. XVIII*, 15. 17. ac passim Herodiani reperiuntur, qvi religionem unam obtentui ducunt, omnes animi sententiâ eodem loco habent, consilio factoqve ipso atheismum profitentur. *Habebant enim*, (ut à Polycarpo Lysero, Eminentissimo qvondam aulæ hujus Electoralis Theologo hæc mutuer ex *Harm. Ev. c. LXXXIII. p.*1575.) *Herodiani aulicam qvandam Theologiam, qvam tempori accommodabant, sicq; & Pharisæis & Sadducæis sese probabant. Herodes n. cum Pharisæis externam Judaismi professionem retinebat: intus vero*

verò & in cute cum Sadducæis omnem religionem ridebat, & tantùm mundanam potentiam, opes & dignitates qværebat. Qvales hodie etiam multi inveniuntur, qvi singularem qvandam & Politicam dexteritatem vel industriam esse arbitrantur; si latam illam & latè vagantem religionem colant, qva externâ & blandâ conversatione sese omnibus probare student, interim sinceriorem animi pietatem rident, atq; fidem in Christum omnem spernunt, præstabilius esse existimãtes, ut ita vitæ suæ rationes instituant, qvo bujusmodi bonis ipsis frui liceat, qvàm ut de futuræ vitæ felicitate, de qvâ dubitant, cum qvoqvam litigent. Interim iniqvum erat, *Protestantium Politicos* accusare culpæ, qvæ Pseudopoliticos qvarumcunqve partium velut pestilens aliqvod sidus afflavit, à Protestantibus verò Orthodoxis masculè impugnatur. Neqve profectò de Protestantium Ecclesiâ Nicolaus Machiavellus erat, qvi Politicorum animis scitum illud instillavit: RELIGIO. RATIONI. STATUS. FAMULETUR. Et reperiebat Adamus Conzen Jesuita in suis etiam *Pseudopoliticos, qvi pro verâ Republicâ & legitimâ πονηρόπολιν h. e. impurorum ac perditorum ac nefandissimorum hominum civitatem extruunt, qvibus Patrum seculo facem, qvâ multa regna adusta, Nic. Machiavellus prætulit*, qvæ ipsius verba sunt è *L. I. Polit. c. 1. p. 4.* Dan-

qvem Protestantium Politicis Masenius immodestè exprobrat.

Danhauero nostro repetita *in Mysterio Syncretismi p.34.* ubi & Viti Erbermanni Jesuitæ ex *Irenici Catholici c.5. p.78.* verba profert, qvibus is illustrem ac Summum inter Pontificios Politicum, Jac. Aug. Thuanum hâc opinione imbutis accenset. Hujus mentio recordari me Historiæ facit, qvam illustrissimus ille Galliarum fideq; dignissimus Historicus *L. XII. ad A.* 1556. *p.* 299. *edit. Paris.* 1604. de Rom. Pontificis nuncio, Cardinali Carasâ commemorat, è qvâ judicium ferri qveat, num potior suæ religionis aulæ Papalis Proceribus qvibusdam, qvàm Protestantiũ Politicis sit cura atq; æstimium. *Carasa,* ait, *Lutetiam regni metropolim tanq. Pontificis legatus solitâ pompâ ingreditur, ubi cum signum crucis, ut fit, ederet, verborum, qvæ proferri mos est, loco, ferunt eum, ut erat securo de numine animo & summus religionis derisor, occursante passim populo, & in genua ad ipsius conspectum procumbente, sæpius secretâ murmuratione hæc verba ingemisse: Qvandoqvidem populus iste vult decipi, decipiatur.* Alia hujusmodi Pseudopoliticorum inter Pontificios ipsos horumq; proceres exempla memorat B. Joh. Müllerus *Atheism. Proleg. c.2. p.* 20. 21. 27. qvem contra hanc Politicam seu Prudentum religionem *cap. seq. p.* 47. *sqq.* disserentem lege. Adde, (qvem

(qvem & Müllerus laudat,) Dan. Clasen. *de Religione Politicâ*, Danhauer. *Syncret. p.33. sqq. Salve Reform. p.627 — 645.* Kromaier. *Corollariis Locor. antiSyncr. de Libertinismo credendi & Religione prudentum p. 299-328.* & qvæ nuper anonymi *tractatui Theologico-Politico de Libertate Philosophandi*, Dn. D. Jo. Musæus in Jenensi, Jo. Conr. Dürrius in Altorffinâ, & in Lipsiensi Academiâ Jac. Thomasius, Hobbesii item exitiosissimo εὑρήματι de uno fidei articulo (Jesum esse Christum) longè doctissimus Amicus noster, Dn. Rechenbergius peculiari *Discussione* opposuit.

Porrò qvam *Puncto II. p. 264. sqq.* refellit sententiam illorum, *qvi statuunt in rebus credendis sufficere nobis tenere articulos in Symbolo Apostolico traditos; in cæteris non videri damnabile, cum qvalibet partium, ut de Baptismo, Eucharistiâ, Purgatorio, invocatione SS. Peccato Originis, aliisq; hodie disputatis articulis sentire*, eam multò pleniùs solidiùsqve Masenio nostrates Theologi refutant. E qvibus præ aliis vide Dn. D. Calovium *Syncretismo Calixtino, p. 8 — 144. T. I. System. p. 236. sqq.* & *T. I. Consil. Theol. p. 1028. sqq.* Hülsem. *judicium super Desiderio Concordiæ Eccles.* & *Calvinism. Irreconcil. p. 216. sqq.* Danhauer. *Syncr. pag. 44. sqq.* & *Sigaleon.*

(2.) Syncretismo, tum Helmstadiensium

leon. pag. 187. èq; Reformatis Joſeph. Hall. *Rom. irreconcil. c.* 4. Rivet. *præfat. animadv. in Grot. ad conſult. Caſſandri* &c. Viderint autem Gregorius de Valentiâ, Caniſius, Tannerus, Svarez, Azorius, Jeſuitæ, qvomodo ſe contra juſtiſſimum hunc Maſenii elenchum tueantur, qvibus Symbolum Apoſtolicum *eſt complexio ac ſumma omnium credendorum, ita ut ſatis ſit ad ſalutem, credere Symbolum Apoſtolicum*, ceu apud Nic. Hunn. *Innocent. Lutheran. contra Dilling.* §. 970. *p.* 625. & Dn. D. Calovium *T. I. Syſt. p.* 236. 783. legi poteſt.

(ubi fidem implicitam iterum commendat.)

Cæterùm Maſenius, dum ineptam fidei literâ Symboli Apoſtolici contentæ ſimplicitatem refellit, ineptiorem ſubſtituit, qvæ ne Symboli qvidem Apoſtolici, & articulorum eo comprehenſorum notitiam reqvirat, verùm ignorantiam, imò errores in fide admittat. *Si qvis igitur* (ait *p.* 165. *extr. & init.* 166.) *in Symboli Apoſtolici ſententiâ Apoſtolicæ ad nos usq; traductæ Eccleſiæ acqvieſcere paratus eſt: hunc, etiamſi inter medios Proteſtantes vixerit, ſalvum fore Catholici ſentiunt. Imò addunt, nec ob errorem qvidem in fide damnandum; qvia materialis ſolum ipſius error eſſet: cùm ratio aſſentiendi illa tantùm ſit; qvòd docente Eccleſiâ, qvam Catholicam ſentit, Deum ita credat revelâſſe; nec*

nec occasionem nactus est meliora cognoscendi. Qvales in vulgo Protestantium, qvi longè à Catholicis remoti sunt, non est dubium multos reperiri. Benè habet, qvòd *multos Protestantium, qvi longè à Catholicis remoti sunt, salvari* affirmat. Hoc ipso enim fatetur, necessarium non esse ad salutem, ut qvis Pontifici Romano subsit, qvod *Consid. IX. Puncto 3. p. 90. sqq.* prolixè astruere tentabat, negans, *extra Ecclesiam, qvæ sub invisibili capite Christo & visibili Pontifice regitur, salutem obtineri posse.* Qvam thesin, qvomodo huic asserto conciliet, ipse viderit. Qvòd verò causam, cur tales salventur, ex *fide implicitâ* (qvam & hac ipsâ voce *pag. seq. 167.* commendat,) deducit, id nemo sanus probet. Eqvidem evadebat olim prætextu implicitæ fidei L. Valla injurias ac vim indoctorum Monachorum, de ordine Prædicatorum (lege Historiam apud Boxhorn. *Hist. Univers. p. 956.*) At æternam damnationem qvi effugere velit, ei *suâ*, non alienâ *fide*, qvæ (ut agnoscunt & Dnn. Walenburchii, observante D. D. Calovio *Exeg. Aug. Conf. art. IV. c. 8. §. 15.*) non ignorantia, sed scientia est salutis, & veritatis cognitio, (*Luc. I. 77. I. Tim. II, 4.*) opus est, juxta *Habac. II, 4. Rom. I, 17.* Placet hæc elegantissimis Dn. D. Joh. Meisneri verbis ex *Irenico Duræano sect. II. §. 27. p. 90.* explicare. *Sicut nemo propterea in virum*

rum doctum evadit, si sciat, Theologum aliqvem aut Philosophum eximiâ doctrinâ pollere, ipse autem eam cognitam non habeat, ita nemo fit Christianus, si sciat, alium tenere omnia, qvæ ad Christianismi fundamenta pertinent, ipse autem, qvæ talia sint, ignoret, par enim utrobiq; est ratio. Et rursus, sicut nemo habetur Theologus aut Philosophus, nisi ipsemet ea, qvæ Theologo & Philosopho scitu necessaria sunt, exactè cognita habeat, ita nemo Christianus esse & fidem habere potest, nisi ea, qvæ Christiano ad τὸ esse, & ad fidei essentiam necessaria sunt, explicitè teneat. Fides implicita itaq; mera ignorantia est, & tantundem fuerit implicitè qvid credere, ac nihil credere, sed omnia ignorare. Qvæ omnia, qvàm absurda sint, nemo non videt. Absurdum, inqvam, est, & contradictionem implicat, credere aliqvid, & idem illud ignorare, hoc est, non credere: Magis adhuc absurdum, credere aliqvid, qvod alter credit, etsi qvid ille credat, nescias: deniq; id omnem absurditatem & impietatem superat, si dicas eum rectà credere, cujus mentem non tantùm rerum credendarum ignorantia, sed etiam contrarius error, aut opposita assertio occupet, qvi implicitè qvidem credit aliqvam propositionem, hoc est, ignorat, explicitè autem discredit. Confer Dn.D.Calovii *Syst.T.I.p.784.858.sqq.* & qvæ suprà *p.8.273.sqq.* diximus.

Eodem

Eodem Puncto, p. 168. Syncretismum Marpurgensium & Rintelensium A. 1661. in Colloqvio Cassellano tentatum rectè vellicat. Qvod & *P. III. medit. Conc. p. 10. sqq.* facit. Neqve cuiqvam cordatiori illud *concordiæ monstrum*, ceu rectè ibi Masenius appellat, sese approbaverit. Lucem tenebris, Christo Belialem conciliari nunqvam posse, fatentur omnes Orthodoxi. Omnes conclusum ab illis συγκρητίζουσι consensum fundamentalem Lutheranorum & Calvinistarum, decretamq; tolerantiam abominantur. Qvod Dnn. Wittebergensium accurata *Epicrisis* & *Antapologia*, B. Kromaieri *Dissp. de Elencho nominali non intermittendo*, Dn. D. Isaaci Faustii *Irene Siren*, Dn. D. Tenzelii Germanico idiomate Eckardo Rintelensi oppositum scriptum, imò Judicia omnium tantùm non Collegiorum Theologicorum & Ministeriorum Ecclesiasticorum, γνησίως Evangelicorum in *Germania, Hungariâ, Daniâ, Speciâ, Finnoniâ, Livoniâ, utraq; Prussiâ*, teste Wittebergensium *præfatione Epicriseos* (T. I. Consil. Witteb. p. 996.) confirmant. Non ergò est, cur huic negotio hîc qvidem immoremur. Nostræ certè Orthodoxorum Ecclesiæ non majori jure Rintelensium ille Syncretismus objicietur, qvam Archiepiscopi Spalatini levitatem sibi suæve Ecclesiæ pateretur objici Masenius. Qvi si Syncretismum

tum Rintelensium & Marpurgensium

ſimum impugnare omninò volebat, poterat non modò eos, qvi fundi noſtri fuerunt calamitas, ſed Papalis etiam Eccleſiæ Syncretiſtas notare, qvi in multis noſtræ partis ſententias emollire & flectere ad ſuæ communionis placita, vel hæc ad illas torqvere voluerunt, qvod poſt alios à Walenburchiis & novisſimè ab Anonymo celebri im Extract des *veri, ſinceri & diſcreti Catholici* factum.

(3.) *Exceſſibus Pontificiæ religioni meritò imputatis.*

Puncto deniqve *tertio pag. 170. ſqq.* Tyrannidem Papæ in conſcientias excuſat, & asſerere laborat, qvæ is obſervari præter verbum DEI imperat. Qvalia ſunt peccatorum in confesſione enumeratio, matrimonii ejeratio, abſtinentia certorum temporum & ciborum, feſtorum item conſcientias neceſſitatis vinculo obligans multiplicatio, invocatio Sanctorum, orationes & ſacrificia pro mortuis, ſcenicus ceremoniarum in Sacris apparatus, & qvæ his ſimilia. Sed qvia hîc repetit tantum excuſſa ſuperiùs, ac fatetur ipſe, *de ſingulis his exceſſibus jam ſuprà per diverſas Conſiderationes ſe disſeruisſe*, actum ageremus, ſi novum hîc iterum inſtitueremus Examen.

Vincent. Lerin.

Deſinit in verbis Vincentii Lerinenſis Semipelagiani Monachi, qvem non modò Vosſius,

ſius, Rivetus, Dallæus, Chamier, Dorſchéus *ſuprà p.851.* hanc in rem citati, notant, Auguſtino adverſa ſigna ſuſtuliſſe; ſed nuper etiam Henricus de Noris Auguſtinianus Theol. Profeſſor & S. R. univerſalis Inqviſitionis Qvalificator, *in Hiſtoriâ Pelagianâ, Patavii 1673. editâ, L. II. c. XI. p. 245. ſqq.* ex profeſſo demonſtravit, *hunc Vincentium cum Syncellitis Lerinenſibus contra Auguſtini doctrinam conſpirâſſe, ejusq; diſcipulos tanqvam hæreticos traduxiſſe.* Non ergò debebat, qvi Auguſtinum cum Scripturâ judicem elegerat, autoritate illius niti, qvi hoſtem Auguſtini ſi non profitebatur, certe opere ipſo exhibebat.

Poſtremò *Confesſionem Fidei* ſubjicit verbis generalibus Symboli Apoſtolici ac Nicæni contextam, ac Scripturæ detorſionibus Pontificiis interpolatam. Eo nempe modo, qvo & B. Danhauerus *in Tabulis ad calcem Sigaleonis annexis* Symbolum Pontificium & Calvinianum, & Dn. D. Scherzerus Symbolum Arminianum exhibuit. Nos qvia omnia Scripturæ teſtimonia, qvibus fidem Pontificiam iſtâ confesſione comprehenſam, incruſtat, ſuprà vindicavimus, hîc qvoqve Examine poſſumus ſuperſedere, præſertim cùm Magnificus ac Excellentisſimus Vir, Dn. Jo. Thomæ fraudes Confesſionis

II. Confesſionis, qvâ librum finit.

P. I. Medit. Conc. p. 13. sqq. exhibitæ (cujus hæc tantùm compendium eſt,) abundè detexerit, illiq; orthodoxam Confesſionem, qvæ Scripturæ non verba modò exhibet, ſed indubium etiam ſenſum complectitur, opposuerit: ut ex inſpectione & collatione utriusqve, utra verbo DEI magis conſona ſit, pio cuivis Lectori conſtare posſit. Cujus piâ operâ hoc faciliùs contenti eſſe posſumus, qvòd unum hunc ex omnibus antagoniſtis ſuis, qvos plurimos nactus eſt, laudibus juſtis extollit, ſolumq; dignum judicat Maſenius cui reſpondeat, modò autoritate publicâ prodiiſſet, (vid. Ejus *utilis curioſitas, c.27. n.2.14. p.561.562.579.*) aut veriùs, modò qvod reſponderet, haberet in promtu.

Epilogus.

NOs totam adeò hanc Maſenii Praxin, DEO juvante (cui uni omnis ſit gloria!) emenſi, Lectori nunc cuivis non præoccupato liberum relinqvimus judicium: an Scriptura & Auguſtinus à Maſenii magis, an noſtris partibus ſtet. Atqve hoc eundem rogamus, ut ſi deprehenderit, Scripturæ ſenſa à Maſenio perverti, & Auguſtino alienam plerumqve mentem affingi; viciſſim noſtram doctrinam Scripturæ Sacræ fundamentis inniti firmiter, & Auguſti-

gustini præterea suffragio confirmari, (in qvam sententiam omnes descensuros planè confido, qvi omni procul affectu institutum hoc Examen, eô qvô scriptum est, h. e. pio & veritatis, qvæ secundum pietatem est, cupido animo expenderint:) det gloriam DEO, & æterno animæ suæ commodo erroribus depositis, veritatem agnitam firmiter ad extremum usqve vitæ halitum tueatur. Id qvod omnibus, qvi hæc legent, amicis, inimicis, ipsiq; adeò, si superstes est, Masenio, devotè precor.

Sanctifica nos Domine in veritate Tuâ: Sermo Tuus est veritas: Misereatur igitur *DEUS nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri: ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi, DEUS, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes,* *qvo-*

qvoniam judicas populos in æqvitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi, DEUS, confiteantur tibi populi omnes. Terra det fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ! AMEN!

AMEN!

SOLI DEO GLORIA!



INDEX



I.

INDEX GENERALIS

exhibens συνταγματίαν totius Libri.

EXAMEN INSTRUCTIONIS

expendit

CONSID. III.

CONSID. IV.

CONSID. V.

CON-

CONSID. VI.

CONSID. VII.

CO

CONSID. XI.

CONSID. XII.

4. I

3. Argu-

m

CONSID. XV.

Verbis

(2

GEMINA APPENDIX MASENIANA

ubi

Examen

INDEX LOCORUM
Scripturæ explicatorum & vindi-
catorum.

GENESIS

II. REGUM

I. CHRONIC.

JOBUS

PSALMUS.

PROVERB.

ECCLEISASTES.

ESAIAS

LIBER SAPIENTIÆ

TOBIAS.

SYRACIDES.

II. MACCAB:

MATTHÆUS.

24. Si

MARCUS.

LUCAS.

22. Et

ACTA.

ROMAN.

Deum

II. CORINTH.

GALAT.

EPHES.

PHILIPPENS.

COLOSSENS.

II. THESSALON.

I. TIMOTH.

EBRÆ.

XIII

APOCAL.

III.

INDEX LOCORUM AUGUSTINI,

qvæ

in hoc opere citantur, vindicantur, explicantur, juxta ordinem Tomorum, Librorum, capitumq; qvi in Operibus Augustini observari solet,

cum

duplici numero paginarum, qvorum prior opera Augustini edit: Froben: ann: 1569 posterior huncce librum respicit.

TOM. I. Oper: Augustini

200 ad

TOM. V.

c.70.

Libr.

CATA-

CATALOGUS
IV.

CATALOGUS AUTORUM
qui
in hoc opere laudantur, notantur, illustrantur.

A.

A *Costa* Josephus,
Affelmannus
Agrippa Cornel.
Alanus
Albaspinæus Gabriel
Alberti Valentinus
Alexander Alensis
Alexander Alexandrinus.
Albertinus Edmundus
Allatius Leo
Alphonsus à Castro
Alstedius
Altenstaigius
Altingius
Amama, Sixtin.
Ambrosius
Amesius
Andradius
Angelus de Clavasio
Apologia Aug.Conf.

Arcu-

B.

Bilsonus
Binius
Blondellus, David
Blondus
Bonartius
Bonaventura
Bonfrerius
Botsaccus
Boxhornius Marcus Zuerius
Brentius
Bresserus
Brissonius, Barnabas
Brochmand.
Bucanus
Buchner
Burgensis

C.

Cajetanus
Calixtus, Georg
Calovius
Calvinus
Camerarius
Camero
Canisius, Petrus
Canus, Melchior
Carpzovius, Benedictus
Carpzovius, Johann. Benedict.
Casaubonus
Cassander

Cassia-

D.

Deckerus
Dietericus, Johann. Conradus
Dilherrus
Dominicus à Soto
Dorschæus
DounamnsGeorg.
Dreierus
Drexelius
Drusius.
Durandus
Dürrius, Joh. Conr.

E.

Eccius Johannes
Eckhard
Elmenhorst
Episcopius Simon
Erasmus
Erbermannus
Espensæus
Estius, Guilh.
Evagrius
Eusebius

F.

Fabricius
Fernandez
Feurbornius
Finckius
Flacius
Fonseca, Antonius

Forbe-

H

Haberkornius
Hackspann.
Hagerus
Hallus, Josephus
Hammondus
Hannekenius
Hartmannus
Heideggerus
Heilbrunnerus
Heinrici
Heraldus, Desiderius
Hieronymus
Hilarius
Hildebrand, Joachimus
Hoffmeisterus
Holderus, Wilhelmus
Höpffnerus
Hornbeck
Hornejus
Horstius
Hortlederus
Hosius, Cardinalis
Hospinianus
Höttinger
Hülsemannus
Hunnius Ægidius
Hunnius Nicolaus.
Hutterus

Jan-

I.

K.

L.

Lutherus
Lyserus Polycarpus
Lyser, Wilhelmus

M.

Macarius
Maccovius
Macrobius
Magdeburgenses Centuriatores
Major, Joh. Tobias
Maldonatus.
Malvenda.
Marchantius.
Maresius.
Mariana.
Marius, Leonhard.
Masenius.
Medina;
Meisnerus, Balth.
Meisnerus, Johannes
Melanchton.
Mengering.
Menochius, Jacobus.
Mendoza
Menzerus.
Merirus.
Miletus,
Milevitanus, *Optatus.*
Minutius Felix.
Molinæus.

Mon-

Pesancius, Alex,
Petavius Dionysis.
Petrus à soto.
Philo.
Philostorgius
Picterellus, Petrus.
Pighius Albert.
Pintus, Hector.
Piscator.
Platina.
Polanus.
Pollenburgius.
Possevinus.
Possidonius.
Prideaux
Procopius.
Prudentius.
Pruknerus

Q.

Quenstedt.

R.

Rainoldus Johannes.
Rappolt.
Reginaldus Guilielmus.
Regius Urbanus.
Reichelt, Julius
Reinking:
Ribera
Rhenanus.
*Richaltius,*Nicolaus

River,

Sixtus Senensis.
Sleidanus.
Smalcius Val.
Socinus
Socrates
Sonnius, Franciscus
Sozomenus
Spanheimius
Stahlius
Stapletonus
Stegmann :
Steinbergius
Stella, Didacus
Strada
Strauch Ægidius
Suarezius
Suavis Petrus
Suicerus
Sutliv.
Symmachus.

T.

Tabbertus
Tannerus,
Tarnovius Joannes.
Tenzelius.
Tertullianus
Theodoretus
Theophylactus.

Tho-

Ursi-